DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN IV LIBROS SENTENTIARUM


(Liber IV, Dist. 1-23)

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCIV





COMMENTARIA
IN QUARTUM LIBRUM
SENTENTIARUM

CELEBERRIMIS, PERITISSIMIS, FIDEIQUE CHRISTIANÆ DEDITISSIMIS VIRIS, RECTORI, SACRÆ THEOLOGIÆ AC ALIARUM PROFESSIONUM DOCTORIBUS, LICENTIATIS, BACCALAUREIS, DISCIPULIS, CETERISQUE MEMBRIS OMNIBUS FLORENTISSIMÆ UNIVERSITATIS LOVANIENSIS : F. THEODORICUS LOER A STRATIS, CARTUSIÆ AGRIPPINENSIS VICARIUS, SALUTEM.

LONGE difficillimum inutilissimumque opus, præstantissimi doctissimique viri, poteramus videri conati, qui D. Dionysii nostri hucusque latentia scripta, jamque tineis et blattis prope consumpta, exsuscitaverimus, studuerimusque ingenti cum labore huic tam vano tamque turbulento sæculo exponere et commendare : nisi spes esset, aliquando tandem Christi gregem ad cor rediturum, nec semper pro veris falsa, pro piis impia, pro certis vana, ab impostoribus recepturum. Emergunt passim fructus qui de seminario hæreticorum nascuntur : nemo fructus non damnat, nemo non abominatur; probabile est tandem semina reprobaturos, quibus in tantum fructus displiceant. Proinde persuasum nobis est, quomodo aliorum temporum hæreses, ita et istas aliquando præstante Domino emorituras, et suamet malitia concisuras. Omnis enim furia se consumit ipsam. Fuerunt quondam Ariani, simulatione sanctitatis, potentia multitudineque istis longe superiores : at ubi sunt hodie? Fuerunt Manichæi, Pelagiani, Joviniani, Vigilantii et infiniti alii suis sæculis celebratissimi, sed quorum nomina paulo post non sine infamia et detestatione audirentur ac nominarentur. Confidimus et nos quoque per Dei gratiam brevi futurum tempus quo vulgo dicatur, Ubi sunt nunc monstra illa? quoque nefas sit, vel Lutherum vel Zuinglium, vel quemquam præsentium hæreticorum nominasse. Hoc sæculum quum certo speremus, exspectatam rerum mutationem læti præcurrimus, et divinum scriptorem opportune importuni studiosis benevolisque omnibus legendum aptavimus, pravorum hominum quorum adhuc bona pars superest, judicio nihil deterriti : tanquam in hoc potissimum provinciam hanc ceperimus, quo pateat eos passim in contemptum venire, et frustra hucusque contra sacrosanctam theologiam debacchatos; utque virtutem videant, intabescantque videndo. Iterum ergo reponimus bonis omnibus salutarem illum verbi Dei cibum, sine quo neque infirma anima curari, neque sana durare potest : non corruptum, quod hæretici faciunt, sed purum, integrum, sincerum. Et non mirum si multis insipidus præ hæreticorum pane videatur : suavis est enim, ut Salomon ait, homini panis mendacii. Sanus tamen est et salsus. Promittunt hæretici panem dare eumdem quem Christus, quum solam externam formam affingant, substantiam tollant. At in hoc nostro Dionysio nihil præter formam mutatum est. Quod olim per sanctos Patres et Prophetas, mox per se ipsum, ac novissimis temporibus per Apostolos, per sanctos Ecclesiæ doctores, per scholasticos theologos, præsentissimus Christus Ecclesiæ suæ tradidit, præbebit hic noster Dionysius. Idem ubique verbum Dei, idem panis, idemque potus, licet

diversis tradatur modis, et exterior forma nonnihil varietur. Qui parvuli sunt, invenient maternum lac quod sugant; qui infirmi, olera reperient saluberrima; qui perfecti, solido pascentur cibo. Omnis ætas, omnisque conditio suum quæque cibum hic copiose reperient. Ovis Christi est aliquis? En pascua, en prata affluentissima quæ depascatur. Homo mortalis est aliquis? En manna de cœlo, en panem vitæ quo vitam consequatur æternam. Percussus est aliquis? Apud Dionysium nostrum et vinum consequetur et oleum. Suo studio, suo mirabili ingenio et diligentia incredibili omnia hæc in loca propria digessit. Multa sunt in Scripturis sacris occulta, et quæ non possit quivis statim deprehendere aut distinguere, sic ut quæ singulis conveniant, singuli inde sibi proprio marte consequi valeant: quod potissimum Dionysius noster, si ullus alius (absit invidia dicto) præstabit. Nihil enim in eo nisi ipsissimum verbum Dei, nihil nisi Spiritum Dei loquentem est reperire. Hic nobis propemodum videre videmur, invidos malevolosque obtrectatores æstuare animo, et jam dudum volvere secum quid possint adversus hæc vel in speciem objicere. Istorum enim studium est, si queant, subvertere; si nequeant, tamen extenuare quidquid in republica christiana sublime habetur ac in fastigio locatur. Scilicet vires ingenii acrimoniamque ostentant sua obtrectatione, quas in bonis optimisque exercere per animi pravitatem non possunt. Scholasticam theologiam suggillant blaterantque. Blaterabunt igitur, non Dionysio, non scholasticæ theologiæ, sed verbo Dei puro et simplici, ea quæ nos de theologia jactavimus, convenire. Quibus nos paucis satisfacturi, si modo satisfactionem ullam admittant, respondemus: Tractare quidem multos verbum Dei, sed omnes suo more; atque ut morum dissimilium sunt, ita longe dissimiliter. Nempe homo carnalis carnaliter, spiritualis spiritualiter idem verbum tractat: modo quis neget, quod erat verbum Dei, si carnaliter tractetur, vitiari, trahi in naturam aliam, fierique ex Dei verbo verbum hominis, ac plane cessare id esse quod fuerat? Ita tractant verbum Dei hæretici, ita animales homines, de quibus Apostolus loquitur: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Tale quiddam exprobrat et Galatis: Sic stulti estis, inquit, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Est autem lex spiritualis, ita ut a Paulo nomen acceperit lex spiritus vitæ. Sic apud Joannem legislator Christus loquitur: Verba quæ loquor vobis, spiritus et vita sunt. Hinc fit ut solus ille qui perpetua expositione spiritualem et vivificantem sententiam sequitur, non perdat verbum Dei, quin verius extendat, locupletet et ornet. Non est enim supremus verborum cortex, puta syllabarum ac litterarum numerus, verbum Dei, sed quod iisdem significatur. Neque sonus edicti mandantis aut vetantis fieri aliquid, præceptum Dei est, sed Dei voluntas collatione Scripturarum et spirituali investigatione deprehensa. Neque testamentum Dei sunt externæ cærimoniarum, sacrificiorum aut sacramentorum formæ, sed abdita illa mysteria quæ solus potest spiritus oculus cernere. At ipsa scholastica theologia cui alii incumbit, quid venatur, quid docet aliud, quam verbi Dei intelligentiam, præceptorum ejus voluntatem, testamenti sui varia mysteria? In his commonstrat institutionem, ordinem, modum, rationem, formam, virtutem, fructum, eaque omnia ex sacrarum Scripturarum fontibus, ut plane in theologis impleatur quod Christus promisit: Flumina de ventre eorum fluent aquæ salientis in vitam æternam. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant

credentes in eum. Si autem facit hæc omnia scholastica theologia, quomodo erit a verbo Dei aliena? Quomodo separabitur? Annon est eadem aqua quæ ex fontibus derivata, crescit in latos fluvios, et lacus demum implet et maria? Annon est idem panis quem Christus in deserto frangit, Apostoli circumferunt, manducat plebes? Prorsus idem, quia et fragmenta quæ remanent, non alius, sed idem panis sunt. Verum qui panis in Christi manibus brevis est et modicus, fit multus in manibus discipulorum apponentium, plurimus vero in ore comedentium, et pro cophinorum mensura post se, imo ex se, fragmenta relinquit. Talis panis verbum Dei est, quod abbreviatum fecit Deus in manu Christi super terram : multiplicatum est per Apostolorum traditionem, et crescit quotidie in scholis, ubi apponitur, exsatiatisque omnibus, pleni cophini adhuc tolluntur. Hæc scholastica est theologia, quæ e verbo Christi nata, parentis sui non potest non referre naturam substantiamque. Idem est ergo verbum Dei, quod scholastica theologia, quodque Dionysius noster tradidit. Testantur hæc, commentariorum ejus in sacram Scripturam tam grandia tamque numerosa volumina. Testantur Sententiarum divini elaboratissimique libri : in quibus quid aliud christianus lector quam succum et medullam prope omnium quæ sancti Patres de fide et pietate christiana tradiderunt, reperiat? Et quemadmodum apiculæ exsucta floribus omnigenis mella inferunt alvearibus, ita ille quidquid uspiam apud Patres doctum, pium, utile et dignum quod disceretur legereturve futurum putabat, huc velut in alveare congessit, et plane visus est esse qualis ille qui dicebat : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. Sub umbra illius quem desiderabam, sedi; et fructus ejus dulcis est gutturi meo. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Et quum ille tantus esset, taliaque suo ingenio ac meditatione elaborasset, voluit tamen (ut Christo placeret) mundum latere, et secretos nostræ religionis secessus tanquam eremum adamavit coluitque : ubi hactenus quidquid congessit, ipso haud dubium ita ut fieret procurante, delituit suppressum et incognitum. Videlicet abhorrebat in publicum prodire, ne vel bonorum laude et assentatione (ut fit) in superbiam, aut pessimorum qui nihil non reprehendunt, obtrectatione in contentionem raperetur : utrumque sicut bonis studiis exitiabile exsecrabatur, quippe qui nihil pace et humilitate prius habuerit, nec voluerit unquam per infructuosa certamina, studiorum suorum temporisque interim dilabentis jacturam facere. Quum vero sit ille nunc beata in Christo vita perfunctus, adeoque extra eam sortem, ut vel assentatione aut maledicentia tangi et moveri possit, nos indignum rati tam pretiosum thesaurum diutius latere et tineis escam fieri, tot gratis exantlatos labores frustra perire, ac nullo piis hominibus esse usui, eumdem e situ et pulvere in nitorem, e tenebris in lucem, e carcere in liberas auras revocavimus.

Proinde hunc librum numero postremum, sed fructu primum, vestro patrocinio, qui omnium Germaniæ Universitatum estis florentissimi, subdimus. Quo enim magis hæretici sæviunt, hoc majores insigniores que patronos Dionysio duximus adsciscendos. Vos eum prono dignemini affectu suscipere, quum quod viri pietas et veritatis zelus vestrum mereantur patrocinium, tum quod vestro civi non minus debeatis, patriam suam tanto splendore illustranti. Genuit enim nobis virum tantum comitatus Hasbaniæ, in vico Rickel, haud ita procul ab oppido divi Trudonis : quæ

regio licet hodie non sit ejus ditionis cujus est urbs vestra, tamen familiaritate principum et propinquitate loci, ejusdem vobiscum juris ac fortunæ videri potest. Quanquam quid opus est hac insinuatione, quum etiam si ignotissimus sit, remotissimisque ab urbe vestra locis ortus, ob eruditionem simul et pietatem debeat optimo cuique commendatissimus esse? Vobis autem eo magis, quod præter multarum rerum experientiam, qua nigrum ab albo discernere facile nostis, etiam ipsa natura det ut velitis. Id enim vulgo receptissimum simul et verissimum habetur, benigniorem vestra natione (id est Brabantica) nullam esse : quæ laus quo communior est universæ genti, multis etiam aliis virtutibus insigni, eo vobis aptissime et in primis applicatur, quorum urbs non modo semper habita fuit totius Brabantiæ caput, etiam ante vestram accessionem, sed habetur etiamnum hodie, et certe per vestram conjunctionem multo magis. Illud vero multis admirationi esse solet, quatuor insignes vestræ Brabantiæ metropoles, quatuor insignibus dotibus, at diversis, pollere : auctoritate Lovanium, magnificentia Bruxellas, divitiis Antuerpiam, fortitudine ac robore belli Ducibuscum ; et tamen nullam earum, quantumvis possit, sua virtute adversus aliam intumescere, nullam præ se aliam contemnere vel æmulari, ut inter eas ne minima quidem sinistræ cogitationis suspicio sit. Videre licet et in exteris regionibus, quasdam civitates peculiaribus dotibus alias antecedere; sed talem tamque firmum benevolentiæ mutuæ nexum, qualis quantusque inter vos est, non licet : nam aut tacita invidia laborant, aut invidia in apertum odium prorumpente, se cum suis perditum eunt. Vobis longe alia mens est, quippe qui concordia neque prius quidquam neque antiquius habeatis, malitisque invicem alios alii benevolentia prævenire quam vosmet magnificare ; potiusque id agatis, ut alii aliis quam maximis beneficiis devinciamini, quam ut præ illis videri velitis. Nam quid aliud præ se ferunt, ut e tam multis summæ inter vos benevolentiæ indiciis unum aliquid breviter memoremus, conventiones illæ quotannis apud vos agitari solitæ, aliis Germaniæ nationibus inauditæ, quibus collegia (non sacerdotum, sed civium) præcipuarum civitatum in unam aliquam ad id præstitutam confluunt, ibique ludis et spectaculis variis certant, idque solius amicitiæ, favoris ac festivitatis causa, nisi benevolentiæ summam vobis esse curam? Et quanquam hi conventus apud quosdam propter nimium sumptum male audiunt, ea tamen præcipua vestra laus est, quod amicitiam divitiis potiorem ducatis, quodque iis lætando potius quam tristando (id est, pace quam bello) uti malitis. Neque vero inter vos invicem solum benevoli estis, sed et exteri vobiscum agentes, hoc ipsum experiuntur : ut non ab re vulgo jam receptum sit, quemadmodum ante diximus, benevolentiorem gente vestra nullam esse. Et hac fama incitatus ego, vobis qui benevolentissimi estis, Dionysium nostrum offero, talem ac tantum concordiæ inter doctores qui super Sententias diversa scripsisse videntur, conciliatorem, ut vestra benevolentia perpetuo fruiturum confidam. Bene valete. Ex Cartusia Agrippinensi, ipso die S. Barnabæ, MDXXXV.

DISTINCTIONUM LIBRI QUARTI SENTENTIARUM DESCRIPTIO

- In quarto libro Sententiarum agitur
  - De sanatione imperfecta, quæ fit per sacramentorum susceptionem; ideo agitur de sacramentis
    - In genere
      - De sacramentis
        - Utriusque legis, novæ et veteris, dist. 1.
        - Novæ legis et baptismo Joannis, dist. 2.
    - In specie
      - De Baptismo
        - Secundum se, quid sit, quæ materia, quæ forma, dist. 3.
        - Quoad effectum respectu suscipientis, dist. 4.
        - Quoad effectum respectu conferentis, dist. 5.
        - Quoad ministrum et quædam alia, dist. 6.
      - De Confirmatione, de ejus materia, forma et virtute, dist. 7.
      - De Eucharistia
        - Quoad institutionem, materiam et formam, dist. 8.
        - Quoad modum manducandi, dist. 9.
        - Quoad modum exsistendi, dist. 10.
        - Quoad modum conversionis, dist. 11.
        - Quoad accidentia remanentia, dist. 12.
        - Quoad ministrum conficientem, dist. 13.
      - Pœnitentia
        - In se
          - In genere quoad
            - Iterationem, dist. 14.
            - Sui integritatem, dist. 15.
          - In specie de
            - Contritione et satisfactione, dist. 16.
            - Confessione, dist. 17.
        - Quoad ministrum
          - De auctoritate ministri, dist. 18.
          - De potestate mali ministri, dist. 19.
        - Quoad suscipientem
          - Gratum
            - In præsenti vita, dist. 20.
            - In futura vita, dist. 21.
          - Ingratum, qui recidivat, dist. 22.
      - Unctione
        - Ibi de multiplici unctione, dist. 23.
      - Ordine
        - Quoad suscipientem, dist. 24.
        - Quoad dantem, dist. 25.
      - Conjugio quantum ad causas
        - Formalem, in quantum est sacramentum, dist. 26.
        - Efficientem, quæ est consensus contrahentium
          - Consensus est causa efficiens Matrimonii, dist. 27.
          - Consensus qualis esse debet, dist. 28.
          - De defectu consensus ex coactione, dist. 29.
          - De defectu consensus ex errore, dist. 30.
        - Finalem, quæ est bona Matrimonii
          - In genere, dist. 31.
          - In specie, de bono fidei cujuslibet Matrimonii, dist. 32.
          - In specie, de bono fidei antiquorum patrum, dist. 33.
        - Materialem, quæ sunt personæ contrahentes: ubi ostenditur, quæ personæ sunt illegitimæ
          - Ex impotentia coeundi, dist. 34.
          - Ratione fornicationis, dist. 35.
          - Conditionis servilis, dist. 36.
          - Impedimenti sacri ordinis, dist. 37.
          - Voti solennis, dist. 38.
          - Disparis cultus, dist. 39.
          - Consanguinitatis, dist. 40.
          - Affinitatis, dist. 41.
          - Cognationis spiritualis, dist. 42.
  - De sanatione perfecta, quæ consistit in corporum et animarum glorificatione. Et contingit per
    - Corporum resumptionem per generalem resurrectionem: unde agit de
      - Resurrectione secundum se et per quid, dist. 43.
      - Resurrectione quoad statum resurgentium, dist. 44.
      - Statu animarum in purgatorio, dist. 45.
      - Statu animarum in inferno, dist. 46.
    - Judicialem discussionem: agit ergo de extremi, scilicet judicii, habitudine
      - Quantum ad judicii ordinem, dist. 47.
      - Judicis qualitatem, dist. 48.
      - Præmiationem bonorum, dist. 49.
      - Præmiationem malorum, dist. 50.

COMPENDIOSUM MEMORIALE LIBRI QUARTI SENTENTIARUM

Liber quartus Sententiarum est de sacramentis ecclesiasticis et signis sacramentalibus, et de resurrectione mortuorum, extremoque judicio, et habet quinquaginta distinctiones.

Distinc. 1 scilicet dicitur multipliciter, et quid sit. **Sacramentum**	2 scilicet sacramentorum novæ legis est Baptismus. **primum**	3 scilicet fit ex verbo et elemento. **Baptismus**	4 scilicet est Baptismus. **triplex**	5 scilicet Baptismus a bono et malo. **æque datur.**
6 scilicet a solis sacerdotibus, sed in necessitate a laicis. **Baptizati**	7 id est confirmati accipiunt sacramentum a solis episcopis. **firmi**	8 scilicet Christi nos reficit. **corpus**	9 scilicet homines duobus modis. **manducant**	10 scilicet corpus Christi est sub specie panis. **verum.**
11 scilicet sacerdos: transsubstantiatur panis in corpus, et vinum in sanguinem Christi. **Conficiens**	12 scilicet sacerdos non corpus Christi verum, sed species panis. **frangit**	13 scilicet sacerdos conficit sicut bonus. **malus**	14 scilicet appropinquat Deo per secundam tabulam. **pœnitens**	15 scilicet omnibus debet esse vera pœnitentia. **de peccatis.**
16 oportet primo pœnitentem esse juxta qualitatem criminis. **Contritum**	17 necessarium est hominem esse in corde, id est proposito confitendi. **confessum**	18 scilicet sacerdos per claves spirituales. **solvit**	19 scilicet quilibet accipit utramque clavem in consecratione. **sacerdos**	20 potest quis agere pœnitentiam veram. **in fine.**
21 legimus aliquibus fuisse peccata post hanc vitam in purgatorio. **Dimissa**	22 scilicet peccata iterum quoad magnitudinem. **redeunt**	23 scilicet oleo infirmorum. **unctis**	24 ordinatis ab episcopo septem Ordines conferente. **clericis**	25 scilicet an possint conferri Ordines, sunt opiniones. **a præcisis.**
26 scilicet Matrimonium fuit in paradiso ante peccatum institutum in officium. **Conjugum**	27 scilicet tanquam causam efficientem requirit Matrimonium. **consensum**	28 dico fieri consensum per traditionem parentum et benedictionem sacerdotum. **solennem**	29 scilicet aliquis aliquam ad contrahendum vario metu. **cogit**	30 scilicet fortunæ vel qualitatis non impedit, sed personæ. **error.**
31 scilicet est bonum Matrimonii : fides, proles et sacramentum. **Tripartitum**	32 scilicet sibi invicem in Matrimonio debitum. **reddunt**	33 scilicet uxores poterant habere antiqui patres. **perplures**	34 scilicet fuerunt personæ aliæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ nunc. **legitimæ**	35 æqualis sunt vir et mulier ad celebrandum divortium causa fornicationis. **juris.**
36 scilicet cum ancilla aut libera contrahere potest, sed non liber cum ancilla. **Servus**	37 scilicet in minoribus potest contrahere, non in majoribus. **ordinatus**	38 id est votum privatum tantum impedit, sed solenne etiam dirimit. **vovet**	39 scilicet cultu exsistentes non possunt contrahere. **dispari**	40 aliquo consanguinitatis exsistentes quomodo contrahere possunt. **gradu.**
41 quis efficitur tam in coitu matrimoniali quam fornicationis. **Affinis**	42 quis efficitur tenens puerum ad Baptismum vel Confirmationem. **et compater**	43 scilicet omnes mortui et morituri. **resurgent**	44 scilicet resurgent homines. **totique**	45 scilicet diversa habent habitacula. **defuncti.**
46 scilicet pœnam dat Deus damnatis. **Justam**	47 scilicet ultimam dabit Christus Deus. **sententiam**	48 scilicet apparebit in forma servi. **judex**	49 post resurrectionem Deus bonis et malis varias mansiones. **tribuetque**	50 scilicet habebunt mali in inferno. **pœnam.**

EPITOMÆ

SINGULARUM DISTINCTIONUM LIBRI QUARTI SENTENTIARUM, CUM VERSIBUS MEMORIALIBUS CLARISSIMI VIRI ARNOLDI VESALIENSIS, THEOLOGIÆ ET TRIUM LINGUARUM PERITISSIMI, CANONICI QUONDAM METROPOLITANÆ ECCLESIÆ COLONIENSIS : PAUCIS, QUOS ILLE MORTE PRÆVENTUS NON ABSOLVERAT, A STUDIOSO QUODAM ADJECTIS.

DISTINCTIO PRIMA.

Samaritanus enim, etc.

QUUM in hoc quarto Sententiarum libro de sacramentalibus signis tractandum sit, adjecto de finalis judicii retributione, in primis advertendum est, quod sacramentum (ut sumitur) est sacræ rei signum. Neque vero omne signum sacramentum est, sed quod ex institutione significat, gerens scilicet rei signatæ similitudinem, signum simul exsistens et causa. Est ergo invisibilis gratiæ forma visibilis, ejusdem gratiæ gerens imaginem et causa exsistens. Ea propter et veteris legis sacramenta quæ solum significabant, non dicuntur proprie sacramenta. Quanquam autem absque sacramentis Deus homini gratiam dare posset, ob humiliationem tamen hominis sub sensibilibus creaturis, ac ejusdem eruditionem qua per hæc ad invisibilia cognoscenda proficiat, et ob ipsius exercitationem, ne scilicet per otium ad pejora dilabatur, instituta sunt sacramenta in rebus et verbis consistentia. Denique, quum novæ legis sacramenta a veteribus in hoc distent, quod hæc salutem conferunt, illa autem solum promittebant; inter ea tamen Circumcisio egit quod modo facit Baptismus quoad culpæ deletionem, non tamen regni apertionem. Quæ data Abrahæ jam adulto, octavo nativitatis die cultro petrino posterius fieri debebat : sine qua si puer ante diem octavum decessit, de eo ut modo de parvulis non baptizatis fiebat. Quamvis in casu mortis anticipare forte Circumcisionem li-
A cebat, ante eam tamen datam, in fide parentum pueri salvari poterant.

Quid sacramentum vel sit vel prosit, abunde
Enodat quarti sectio prima libri.

DISTINCTIO II.

Jam ad sacramenta novæ legis, etc.

SEPTEM sunt novæ legis sacramenta : Baptismus scilicet, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio Extrema, Ordo et Conjugium. Quorum quidem alia remedium contra peccatum præbent et gratiam conferunt ad-
B jutricem, ut Baptismus; alia vero in remedium tantum sunt, ut Conjugium; alia vero gratia et virtute nos fulciunt, ut Ordo et Eucharistia. Quæ ideo post Christi adventum instituta sunt, quia ex ipsius passione efficaciam sortita sunt. Conjugium tamen etiam olim ante peccatum institutum est, in sacramentum scilicet et officium; post peccatum vero, etiam in carnalis concupiscentiæ ordinatur remedium. De Baptismo autem sacramentali notandum, quod ad ipsum baptismus Joannis erat præparatorius : ille enim in aqua tantum lavabat, non autem peccata relaxabat; sicque
C ad Christi baptismum homines disponebat. Baptizabat autem Joannes in nomine venturi, scilicet Christi. An vero baptismo illo baptizati, rebaptizandi essent, necne : Magister de eis qui in ipso spem non ponebant, perfectam de divinis personis fidem habentes, negative respondet, quamvis de aliis concedat. Sed in hoc ipse Magister non tenetur. Nam baptismo

Christi baptizari oportebat (secundum alios doctores) omnes indifferenter, etiam baptizatos Joannis baptismate, qui scilicet baptizabat in nomine venturi.

Enumerat septem præsentia dona salutis
Sacramenta novæ legis amator homo.

DISTINCTIO III.

Post hæc videndum est, etc.

BAPTISMUS est ablutio corporis exterior, facta in aqua sub certa verborum forma præscripta. Nam accedente verbo ad elementum, fit sacramentum : sicque in verbo et elemento Baptismus consistit, quæ scilicet sunt de ejus substantia. Cetera vero ad ipsius decorem et solennitatem instituta sunt, quæ si etiam omittantur, non est minus verum et sanctum sacramentum. Quod vero Apostoli in nomine Christi baptizasse in Actibus leguntur, dispensative fiebat ad tempus ad divulgationem nominis Christi, in quo et tota Trinitas intelligitur, scilicet Pater ungens, et Filius unctus, et Spiritus Sanctus per quem unctus est. Quamvis autem et in nomine unius Personæ aliæ intelligantur, quapropter præsertim et in mortis articulo, una Persona tantum expressa quis baptizari posset, habita intentione baptizandi; tutius tamen est, omnibus expressis. Invocando autem Trinitatem, non debet dici in nominibus, nam tunc sacramenti forma mutaretur; sed in nomine, quia tota Trinitas simul ibi operatur, quæ et in Christi baptismo apparuit, quando scilicet Christus tactu mundissimæ carnis suæ vim regenerativam aquis contulit, ubi et ipsum instituit. Sub prædicta etiam forma Apostolos ante passionem Christi baptizasse intelligi potest, quamvis scriptum non sit. Est autem hujus sacramenti materia aqua pura, in quali et Christus baptizatus est, de qua et Nicodemum instruxit, quæ et ex ipsius latere in cruce profluxit. Et hoc convenienter, propter elementi communitatem et locutionis significationem. Potest autem baptizandus ter vel semel immergi, perfundi vel adspergi secundum morem patriæ, licet primum melius sit, Christi significans mortem et sepulturam, in qua et legalia terminata sunt. Causa vero institutionis Baptismi est hominis a peccato (quo infectus fuit) innovatio, quam Baptismus habet ex dominica passione. Quæ qui-

A dem innovatio est etiam res illius sacramenti.

Peccati maculas pura detergit in unda
Baptismus membris integer ipse suis.

DISTINCTIO IV.

Hic dicendum est, etc.

INTER eos qui baptizantur, quidam simul accipiunt rem et sacramentum, ut adulti dispositi, et parvuli rite baptizati. Quidam autem B sacramentum tantum, et non rem, ut adulti qui ficte et sine fide et sine contritione accedunt. Consequuntur etiam quidam rem Baptismi sine sacramento, ut hi qui sanguinem pro Christo in caritate fundunt, nec sacramentum habere possunt, aut contriti, non potentes habere, decedunt. Quod autem Apostolus dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, loquitur de rite dispositis, quo etiam Augustini inquisitio reduci debet. Porro auctoritates quæ dicere videntur, quod sine aqua Baptismi salus constare non possit, de contemnentibus sacramentum acci- C piuntur. Neque hæc tantum in fundentibus sanguinem vera sunt, sed et in aliis fidem et caritatem habentibus. In parvulis autem quibus aliena fides oportet suffragetur, secus est : hinc nisi in aqua baptizentur, pereunt. Quod si quis ante Baptismum modo prætacto gratiam, et sic peccati deletionem, assecutus sit, non est per hoc Baptismus frustra. Nam obligationem ad pœnam aufert, et gratiam adauget, fomitem quoque restringit, et in numerum fidelium expresse ponit : imo nec sine Baptismi voto gratiam quis assequeretur. Manent autem post Baptismum pœnalitates : tum ut D vitam futuram ubi hæ penitus cessant, studiosius inquiramus ; tum etiam ut virtutis exercendæ materiam habeamus. Patet ex his, rem sacramenti, scilicet gratiam, id ipsum quandoque præcedere : quod nec inconveniens reputatur, quum et quandoque longe post sequatur, ut patet in ficte accedente, postea pœnitente. Quanquam autem parvuli usum arbitrii nondum habeant, gratiam tamen in Baptismo habitualem accipiunt : qua et uti poterunt adulti, nisi peccando eam exstinguant.

Rem pius interdum, fluvio Baptismatis absque,
Martyr purpureo sanguine lotus habet.

DISTINCTIO V.

Post hæc sciendum, etc.

ÆQUE verus et sanctus Baptismus a bonis datur et a malis ministris, nec plus a bono, nec minus a malo. Neque enim hominis munus est Baptismus, sed Dei, qui principaliter baptizat. Unde nec Petri nec Pauli baptismus dicitur, sed Christi : qui sibi baptizandi potestatem retinuit, ministerio aliis collato. De eis vero qui Baptismum recipiunt, dicendum, quod hæreticus vel schismaticus quamvis Baptismum recipiat, non tamen virtutem ejus potest participare. Quod si Ecclesiæ se conjungat, non quidem reiterandus est Baptismus, sed ipse in unitate catholica effectum ipsius consequetur. Addit etiam Magister, quod Christus auctoritatem sive potestatem baptizandi homini communicare potuit si voluisset, sicut et potestatem creandi. Sed in his Magister a doctoribus communiter non tenetur.

Quod nihil intersit, baptizet iniquus an æquus,
Fidus an infidus, masculus an mulier,
Dum nisi verborum servetur justa statorum
Formula, dumque obstans nil aliunde fiat.

DISTINCTIO VI.

Nunc quibus liceat, etc.

EXTRA necessitatis casum baptizare, non convenit nisi sacerdotibus; in necessitate autem permittitur etiam laicis et mulieribus. Qui si etiam extra necessitatem ad baptizandum se intromittant, servatis aliis servandis, verus Baptismus est, nec iterandus, licet peccet sic baptizans : sicut nec rebaptizari debent, ab hæreticis secundum formam Ecclesiæ baptizati, sed sunt reconciliandi. Quod autem Cyprianus in oppositum dixit, ex ignorantia processit, quæ per martyrium in ipso expiata est. Neque est nisi unus Baptismus, qui trina fit immersione propter mysterium Trinitatis. In uteris autem maternis, etiam si mater baptizetur, puerum baptizari non contingit. Oportet enim hominem prius nasci quam renasci. Nec valet objectio de sanctificatis in utero, quia hoc per privilegium factum est : ubi et an usus rationis acceleratus sit, in dubio relinquitur. Neque etiam Baptismum impedit incongrua baptizantis locutio A ex ignorantia proveniens. Quod si quis ignoretur baptizatus, sub conditione baptizari debet; nec reputandus est tunc Baptismus iteratus, quum nesciatur datus. Si quis autem solo joco tingatur, etiam prolata forma, Baptismus non est, secundum sapientes, quum intentio sit necessaria. Quod si parvulus spe commodi offeratur, nihilo minus Baptismum recipit. Potest autem Baptismus dari omni tempore, licet convenientius in sabbato Paschæ et Pentecostes. Et quidem si adulti sint baptizandi, pro se respondeant; si vero parvuli, alii respondent pro eis, at parvuli illa responsione tenen- B tur quum adoleverint. Ea autem quæ sunt pro Baptismatis solennitate, etiam si omittantur, Baptismum non impediunt.

Forma solœcismo turpi lacerata juvabit,
Integra verborum dummodo sensa manent.

DISTINCTIO VII.

Nunc de sacramento Confirmationis, etc.

CONFIRMATIONIS sacramentum, quod institutum est ad fidei firmitatem et gratiæ profectum, ab episcopis et his solis conferen- C dum est, et hoc sub forma determinata, scilicet : Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. In quo quidem sacramento donatur Spiritus Sanctus, ad roborandum eos qui baptizati sunt : qui et datus est in Baptismo ad peccati remissionem. Quamvis autem presbyteri confirmasse legantur, hoc tamen fuit temporaliter actum ex speciali concessione, nec jam ultra fieri debet. Videtur autem hoc sacramentum Baptismo majus, utpote a digniori, et in potiori corporis parte, scilicet in fronte datum : quod et forte majus præstat vir- D tutum augmentum, quamvis Baptismus plus valeat ad peccati remissionem. Debet autem accipi a jejunis, si non obstet necessitas. Nec iterari debet, sicut nec Baptismus nec Ordo.

Mirificum robur tibi Confirmatio præstat,
Intrepide Christi quo fateare fidem.

DISTINCTIO VIII.

Post sacramentum Baptismi, etc.

DOMINICI corporis et sanguinis sacramentum, quod Eucharistia (hoc est bona gratia) vocatur, per quod spiritualiter reficimur,

in quo et nedum gratiæ et virtutis confertur A augmentum, sed et sumitur ille qui fons est et origo gratiarum : hoc, inquam, in lege veteri figuram habuit manna, quod in deserto patribus Deus pluit post transitum maris Rubri, per quem Baptismus est figuratus; quem tamen Eucharistia præcellit, per oblationem etiam Melchisedech figurata. Est autem Eucharistia instituta a Christo in ultima cœna post esum agni paschalis, quando Christus præsentiam sui corporalem visibilem discipulis erat subtracturus, ut sic memoriæ discipulorum arctius infigeretur : quo et veteris legis sacramenta terminabantur. Et hoc sub B certa verborum forma, ad quam fiat conversio panis et vini in substantiam corporis et sanguinis sui. Cetera vero quæ in Missa dicuntur, ad laudes Dei pertinent et orationes. Etsi autem post cœnam institutum sit hoc sacramentum, ut tamen a jejunis sumatur, ob sui reverentiam rationabiliter ab Ecclesia est ordinatum. In quo quidem sacramento tria est considerare, scilicet : sacramentum tantum, quod est species panis et vini ; sacramentum et rem, quod est corpus Christi verum; et rem tantum, quod est mysticum corpus ejusdem Domini Jesu C Christi.

Contulit hinc abiens præcepta salubria Christus,
Corporis instituens mystica sacra sui.

DISTINCTIO IX.

Et sicut duæ sunt res, etc.

DUPLEX est hujus sacramenti manducandi modus, sacramentaliter scilicet et spiritualiter, duplici rei ipsius correspondens, scilicet corpori ipsius mystico et vero, de quibus D distinctione præcedenti. Sumitur namque corpus Domini in hoc sacramento vere et realiter a bonis et malis, sed a malis sacramentaliter tantum, a bonis sacramentaliter simul et spiritualiter : quorum primus consistit in susceptione ipsius sub visibili sacramento, alter vero in unione ad ipsum sub sacramento contentum. Secundum quos manducandi modos distinguenda sunt quædam doctorum verba, qui alioqui ambigue loqui videntur et contrarie.

Corpus idem cunctos æque sibi sumere Christi,
Nancisci fructus haud tamen inde pares.

DISTINCTIO X.

Sunt item alii, etc.

INSANA est et exsecranda hæresis, qua quidam juxta sui obtusitatem, in Sacramento altaris dicunt verum Christi corpus realiter non contineri, sed tantum repræsentative, frustra innitentes ei quod Dominus dicit : Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam ; et, Pauperes semper habebitis, me autem non semper habebitis, etc. Quorum primo dicit, corpus suum non discerptum per partes comedendum, altero autem non visibiliter sumendum. Hi autem non advertunt alia quæ Dominus de hujus veritate sacramenti dicit : Caro mea vere est cibus; et, Hoc est corpus meum, etc. Vere igitur et realiter corpus ejus verum in Sacramento continetur, invisibiliter tamen et sub speciebus panis et vini occultatum. Et qui auctor est muneris, ipse est testis veritatis. Quod multis exemplis et auctoritatibus in textu ostenditur.

Sub specie panis sanctissima membra teguntur,
Et mutata sacro vina cruore madent.

DISTINCTIO XI.

Si autem quæritur, etc.

CONVERSIO panis in corpus Christi, et vini in sanguinem ejus, non est formalis, remanentibus præexsistentibus accidentibus, scilicet sapore, pondere, figura et colore; sed potius substantialis a quibusdam dicitur seu transsubstantiatio, eo quod substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertuntur. Nec tamen hoc fit per novam corporis formationem vel præexsistentis augmentum, quia quantitas manet, nec panis se habet ut materia respectu corporis ejus : sic quod sub accidentibus sub quibus prius fuit substantia panis, transsubstantiatione facta, est corpus Christi, quod tamen illis accidentibus non afficitur; nec panis annihilatur, sed (ut dictum est) in corpus Christi convertitur. Occultantur autem idem corpus et sanguis sub aliena specie : tum ad vitandum horrorem sumentium, tum irrisionem infidelium; tum etiam ob fidei meritum, quæ scilicet est de his quæ non videntur. Sub duplici etiam specie conficitur, ut Filium Dei corpus et animam assumpsisse significetur, et utrumque in nobis ipse tueatur.

Quod nec unitatem ipsius tollit, quia sub utraque specie totum sumitur. Neque vero de aliis substantiis quam panis et vini confici debet aut potest. Cui tamen vino aqua miscenda est, ad unionem populi cum capite Christo significandam. Et quidem discipulis Christus mortale et passibile adhuc corpus tradidit; nos autem tale quale modo est, accipimus. Quod nec intinctum in sanguinem, sed siccum populo tradi debet.

Mirificus sermo panem demutat in artus,
Audeat ut Christi sumere corpus homo.

DISTINCTIO XII.

Si autem quæritur de accidentibus, etc.

ACCIDENTIA panis et vini in Sacramento post consecrationem remanentia, non sunt in corpore Christi, quod videlicet eisdem non est affectum; nec sunt in pane et vino, quæ tunc nec exstant, sed stant sine subjecto, ea potentia sustentante divina; remanent autem ad mysterii ritum et fidei suffragium ac oris gustum. De fractione autem (falsis refutatis opinionibus) dicendum, quod vera est fractio in ipso Sacramento, non quidem in corpore Christi, quod impassibile est, sed in accidentibus remanentibus : ad significandum diversum statum corporis ipsius veri, scilicet in mundo, in sepulcro et in cœlo; atque ad significandum corporis ipsius mystici partes, quarum aliqua in beatitudine cum eo regnat, alia in mundo ambulat, alia autem in sepulcro quiescit. Est autem totus Christus in singulis partibus fractionis, quotiescumque fractio fiat ex eodem fundamento. Denique hoc quod quotidie facit sacerdos, et sacrificium et immolatio proprie dici potest. Est enim signum memoriale et figura immolationis pro nobis semel factæ. Hinc et quotidie sumitur in caritatis augmentum et medicinam peccatorum.

Subjecto quod inesse solet, se permanet ipso,
Subjectoque datas gliscit habere vices.

DISTINCTIO XIII.

Solet etiam quæri, etc.

SACERDOS quilibet, etiam pravus in moribus, in unitate Ecclesiæ exsistens, Eucharistiæ sacramentum conficere potest, malitia sua personali non obstante. Non enim in me- A rito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, cujus virtus sub tegumento visibilium rerum, salutem secretius operatur. At juxta Magistri sententiam, hæreticus ab Ecclesia præcisus sacerdos, conficere non potest, eo quod oblatio illa fit ex persona Ecclesiæ, a qua ille divisus est, etc. Secundum alios autem consecrare potest hæreticus, sicut et errans in fide (quod ultimum et ipse Magister concedit), si est sacerdos, servata forma, et intendens facere quod et alii faciunt seu Ecclesia facit. Dicit etiam Magister, a brutis animalibus corpus Christi non sumi, etiam si sumere videantur; B sed nec hoc ab aliis tenetur. Hæreticum autem facit prava intentio in intelligentia Scripturarum; et incurritur hæresis ex verbis inordinate prolatis. Hinc hæreticus est, secundum Augustinum, qui alicujus temporalis commodi et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones gignit vel sequitur.

Schismaticos placuit non consecrare Magistro,
Hæresis et captos quos male suada tenet.

DISTINCTIO XIV.

C Post hæc de Pœnitentia agendum est, etc.

POENITENTIA, de qua nunc agendum est, necessaria est hominibus per peccatum a Deo longe separatis. Est enim secunda tabula post naufragium, sicut Baptismus prima. Nam post Baptismum lapsi, per Pœnitentiam reparari possunt. At Baptismus est sacramentum tantum, Pœnitentia autem est et virtus, scilicet ea quæ est interius. A pœnitentia autem et Christus et Joannes præcursor ipsius. prædicationem inceperunt : quæ a puniendo dicta, a timore initiatur. Est igitur pœnitenD tia, præterita mala plangere, et plangenda iterum non committere : quod cum similibus accipiendum est in proposito plangentis. Unde erroneum est quod quidam dixerunt, veram pœnitentiam non fuisse, ubi plangentem contingit iterum peccare. Verumtamen per peccatum sequens pœnitentia prior et alia bona mortificantur; attamen si peccator iterum resurgat per pœnitentiam, opera in caritate facta reviviscunt, quamvis non ea quæ in peccato facta : nunquam enim viva fuerunt. Per quæ et sanus habetur intellectus ejus quod Augustinus dicit, inanem esse pœnitentiam quam sequens culpa coinquinat; similiter et id quod

de relapsis dicit, non eos veniam consequi, etc. Quod etiam dicit, pœnitentem dolore gaudere debere, de perfectorum intelligitur pœnitentia. Quod vero Ambrosius ait, pœnitentiam non reiterandam, de solenni pœnitentia accipitur. Hinc conclusive tenendum, pœnitentiam toties reiterandam esse, quoties quis peccat. Nec contra est auctoritas Apostoli, cui erronee quidam innitebantur, si recte intelligatur, ut patet intuenti.

Quisquis pœniteat, quem jactat criminis unda,
Comprendet tabulam, qua natet ipse, levem.

DISTINCTIO XV.

Et sicut prædictis auctoritatibus, etc.

A VERITATE longe deficiunt qui putant unum mortale sine altero dimitti, seu de uno sine altero pœnitentiam agi posse. Quod autem Scriptura dicit, Deum non punire bis in id ipsum, intelligendum est de his qui ex flagellis (quæ quidem quintuplici causa infliguntur) emendationem accipiunt. Sicut et accipiendum est quod Hieronymus adducit, aliquos temporaliter punitos, ne in æternum punirentur. Nam extra textum sciendum, quod in non pœnitentibus, etiam levia æternaliter saltem per accidens puniuntur, quia scilicet cum eis simul et mortalibus decedunt. Quod etiam dicitur, civitatem complui in una parte et non in alia, non est in contrarium : quia non quoad criminis veniam, sed alicujus peccati desertionem quandoque hoc contingit. Sed et illud Ambrosii, Si fides desit, pœna satisfacit, intelligitur de peccato ignorato : nam fides hic stat pro scientia. Unde de uno peccato mortali sine alio satisfactio fieri non potest. Est enim satisfacere, peccati causas excidere et earum suggestionibus aditum non præbere : quod non facit qui vel in uno remanet mortali. Hinc nec blandiri sibi debent de eleemosynis, qui non de omnibus pœnitent, eo quod dicat Dominus : Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Eleemosynam enim seu misericordiam oportet sibi ipsi homo primum impendat, scilicet de peccatis pœnitendo. Bona autem in statu peccati facta, non remuneratione gloriæ, sed temporali aliquo compensat Deus. Sed nec bona in caritate facta, per peccatum mortificata, nisi per pœnitentiam reviviscunt. Igitur unum peccatum mortale sine altero non dimittitur, sicut nec

A Christus hominem nisi totum aliquando sanavit : alias Deus inimico et ei qui non habet timorem, veniam daret, nec plenam, sed dimidiam : quod inconveniens esse patet. Denique et ad veram pœnitentiam, male ablatorum restitutionem fieri necessarium est, dummodo facultas adsit.

Nec sceleri credas, alio sine, parcier uni ;
Nec de hoc absque illo pœnituisse velis.

DISTINCTIO XVI.

In perfectione autem pœnitentiæ, etc.

B TRES ponuntur partes perfectæ pœnitentiæ, scilicet cordis contritio, oris confessio, et operis satisfactio : nam et corde, ore et operis consuetudine spiritualiter morimur. In cujus etiam signum tres mortuos Dominus suscitavit : unum in domo, alium extra portam, tertium jam fœtidum in sepulcro. Est autem pœnitenti necessaria discretio, ut scilicet consideret qualitatem criminis, tempus et locum, personam, et sic de aliis circumstantiis quæ ipsum variare et in aliud genus trahere possunt, quantumque in eo perseveraverit, et de omnibus doleat ; nec confessionem dividat,
C paratusque sit sacerdoti obedire, et tunc tandem ad communionem Eucharistiæ accedat. Caveat autem ea quæ veræ pœnitentiæ sunt impeditiva, qualia sunt ludi et spectacula, et negotia vel officia in quibus sine peccato permanere non potest. In quibus tamen exsistentes, aliqua bona opera facere commonendi sunt, ut sic eos Deus ad pœnitentiam illustret. Est autem pœnitentia triplex. Quædam enim peragitur ante Baptismum ab adultis, quos veterem hominem exuere oportet priusquam novum induant; alia post Baptismum pro mortalibus; et alia pro venialibus : quæ etsi
D levia videantur, multiplicata tamen gravant et opprimunt. Quod tamen opprimere intelligendum est, non in quantum venialia manent, sed in quantum interveniret contemptus vel alia mortalis circumstantia.

Cor dolet, os loquitur, pœnas opus irrogat æquas,
Cura salutaris crimina quando lavat.

DISTINCTIO XVII.

Hic oritur quæstio, etc.

SINE confessione ore tenus facta, dum tamen non adsit confessionis contemptus, sed ea in voto habeatur, et sine operis exte-

rioris pœna, peccata deleri possunt per interiorem A cordis contritionem. Per quod quidem contrariæ opiniones ad sanum intellectum reducuntur, et auctoritates quas adducunt, recte intelliguntur. Oportet autem ut hoc ad effectum perducatur tempore opportuno. Nec soli Deo confiteri sufficit, dummodo copia sacerdotis haberi possit qui pœnitentiam imponat. Nam satisfactionis modus et peccatoris reconciliatio, ad ministros Ecclesiæ pertinent, quæ sine confessione fieri non possunt. Sed et erubescentia in confessione est magna pars deletionis pœnæ debitæ pro peccatis. Unde et leprosis dictum est, quod ostenderent se sa- B cerdotibus : unde et expedit, idem peccatum pluribus confiteri. Quærat autem confitens sacerdotem scientem solvere et ligare. Quod si sacerdos defuerit, socio interim confiteatur. Hoc tamen non est necessarium, quum auctoritatem absolvendi ille non habeat. Quod autem Petrum legitur flevisse, non tamen legitur eum peccatum confessum esse, prædictis non obstat. Non enim omnia facta scriptis mandata sunt. Similiter et alia quæ in oppositum facere videbantur, in textu dissolvuntur. Igitur necessaria est oris confessio pars pœnitentiæ, tum propter peccatoris erubescentiam, tum ob C sacerdotis judicium, tum ad futurorum cautelam, et humilitatem.

Tandem sincerum cordis liquet esse dolorem,
Si quis propositum ut confiteatur, habet.

DISTINCTIO XVIII.

Hic quæri solet, etc.

CLAVES quibus regnum cœlorum indignis clauditur et dignis aperitur, non corporales sunt, sed spirituales : discernendi videlicet scientia et potestas judicandi, qua scilicet ec- D clesiasticus judex dignos habet recipere, et indignos excludere a regno Dei, id est Ecclesia et sacramentorum perceptione. Unde et hoc non hæreticis præcisis, sed Ecclesiæ ministris competit. Clavium igitur usus consistit in discernendo ligandos et solvendo, et illa exsequendo. Quamvis autem magis probabiliter solus Deus dicitur animam a peccato suscitare, et pœnam relaxare, et animam a macula purgare, quia solus caritatem infundit qua hæc fiunt; tamen et sacerdos dicitur peccatum dimittere, et peccatorem solvere, quia hæc facta vel non facta ostendit et manifestat. Etsi enim apud Deum aliquis solutus est, non tamen in facie Ecclesiæ talis habetur nisi per sacerdotis judicium. Ligare etiam sacerdos dicitur, dum pœnitentiæ satisfactionem imponit. Solvere autem dicitur, aliquid de eadem remittendo, et communionem decernendo. Item et ligare dicitur, contumacem excommunicando; et solvere, pœnitentem reconciliando. Per quam excommunicationem gratia et Dei protectio homini subtrahitur, et excommunicatus sibi ipsi relinquitur, et diabolo potestas in ipsum datur, nec orationes Ecclesiæ prodesse sibi putantur. Sunt autem hæc omnia intelligenda, dum adsit discretio, et clave non errante. Macula autem de qua dictum est supra, est dissimilitudo et elongatio. Tenebræ autem interiores stant in gratiæ ablatione et naturalium debilitate, quæ fiunt per peccatum, a quibus omnibus homo per pœnitentiam purgatur. In qua sacerdos vices habet medici, cujus est viventes quidem curare, non autem mortuos suscitare : hoc enim Dei est per gratiam ipsius facere.

Donat presbytero binas Ecclesia claves,
Ut bene discernat, judicet utque bene.

DISTINCTIO XIX.

Postquam ostensum est, etc.

SOLIS quidem sacerdotibus, per ministerium episcopi, in promotione sua dantur claves : simul enim cum Ordine sacerdotii et claves recipiuntur. Magistro tamen de clave scientiæ seu discretionis videtur, quod non omnes eam recipiant. Sed hoc ab aliis non tenetur nisi limitatum, scilicet ad dignam receptionem ejusdem clavis, quæ scilicet est auctoritas discernendi. Nam et illa stare potest sine actuali cognitione. Sed et qui scientiam habent, dictam tamen discernendi auctoritatem non habent nisi ordinati, ergo nec scientiæ clavem. Igitur claves illas ligandi et solvendi sacerdotes omnes, dum ordinantur, accipiunt; sed soli boni eas digne habent, et eis digne utuntur. Tametsi autem sancti viri non sacerdotes, benedicere aliis possint, non tamen ea benedictione quæ est sacerdotum : quam et quamvis omnes habeant, soli tamen boni habere dicuntur, quia hi soli recte ea utuntur. Neque tamen mala quorumdam sacerdotum vita bonos lædit, dummodo in bona ipsorum doctrina ipsis obsequantur. Quod au-

tem Propheta dicit contra sacerdotes malos, A vivificare scilicet eos qui non vivunt, etc., intelligitur de præcisis ab Ecclesia. Quod etiam Dominus per Malachiam dicit, Maledicam benedictionibus vestris, quoad ipsorum sacerdotum maledictionem, seu quoad eos quos adulando seducunt, intelligi debere dicit Gregorius. Sacerdos igitur alios solvere volens et ligare, justus esse debet in vita, et discretus in scientia.

Sacrifici iisdem omnes donantur clavibus, etsi
Sola ipsarum usum dictio juris habet.

DISTINCTIO XX.

Sciendum est etiam, etc.

POENITENTIÆ tempus quidem conceditur peccatori usque ad extremum præsentis vitæ terminum; sed est periculosum usque adeo eamdem differre, pro eo quod non ex timore servili, sed amore fieri debet ipsa pœnitentia. Hinc et Augustinus seram in tantum difficultare videtur pœnitentiam. Difficile enim est in ultimo statu vere pœnitere propter multa impedimenta tunc occurrentia, mundum C scilicet, filios et uxorem, et mortis dolorem, et similia. Possibile tamen est, et tunc hominem veraciter pœnitere; sed absque condigna satisfactione hinc discedens, acerbissimam purgatorii pœnam se passurum, certum habeat, nisi ob vehementiorem contritionem in hac vita ea remittatur. Denique, et alii qui etiam mature pœnitentes, satisfactionem in hac vita non expleverint, in purgatorio persolvent. Unde per eleemosynas et amicorum orationes, pœnitentiæ eorum pondus est relevandum. Neque morientibus pœnitentia imponenda est, sed innotescenda dumtaxat, D quam peragant, si convalescant. Neque alicui morienti reconciliationem petenti ea deneganda est : quam etiam si tunc petere non possit, et prius eam appetierit, sufficit. Hinc et a publico crimine sacerdos simplex in casu mortis, episcopo absente, absolvere potest : quod tamen alias, eo inconsulto, facere non debet, sicut nec virgines consecrare. Denique, si moriens sacerdotem petat, nec habere possit, oblatio ipsius non venit respuenda.

In seros dilata dies confessio, prodest;
Ultima raro tamen corrigit hora scelus.

DISTINCTIO XXI.

Solet etiam quæri, etc.

QUÆDAM peccata, venialia scilicet, etiam post hanc vitam quibusdam remittuntur, his scilicet qui in hac vita ut sibi remitterentur, meruerunt : in gratia videlicet decedentes, et in hac vita lignum, fœnum aut stipulam super fundamento fidei (secundum Apostolum) ædificantes; hæc temporalia plus justo, citra tamen aversionem a Deo, diligentes. Nam hi qui aurum et argentum aut lapides pretiosos, B scilicet caritatem Dei et proximi ac pia opera, ædificant, etiam ab hoc igne erunt immunes, intelligendo de perfectis in dicta dilectione. Qui quidem ignis etsi transitorius sit, gravis tamen est plurimum. In præsenti enim exhibetur misericordia, in futuro vero justitia exercebitur. Debent autem in confessione omnia detegi et singula mortalia quorum aliquis habet memoriam, prius scilicet legitime non confessorum; alia autem in generali sufficit dicere, sicut et ipsa venialia, quæ et utraque per confessionem generalem remittuntur. Cavendum est etiam confitenti, quod sicut nullum mortale debet scienter reticere, sic nec confiteri quod non fecit. Neque enim mentiendum est in confessione veritatis. Sacerdos quoque omnino caveat, ne confitentium ullo modo peccata prodat. Nec subditi proprium sacerdotem confitendo dimittant; nec sacerdos alienum ad confessionem accipiat. In casu tamen ignorantiæ proprii sacerdotis, alium quandoque requirere licet.

Criminis horrendi si quos oblivio cepit,
Purgantur, tristi dummodo mente dolent.

DISTINCTIO XXII.

Quumque multis auctoritatibus, etc.

PER recidivum in peccatum per pœnitentiam remissum, peccata priora redire dicuntur. Quod quidem quomodo vel quousque fiat, auctores diversimode seu sub duplici modo loquuntur, dicentibus quibusdam ea ipsa redire, nec tamen ea per hoc bis puniri, ut apparet, quum peccator pro eis non condigne pœnituisse videatur, et ingratus quoque exsistit recidivando; aliis vero dicentibus, quod redeant quantum ad pœnam, per modum circumstantiæ aggravantis peccata iterum com-

missa. Quod quamvis Magister sub dubio relinquat, recentioribus ultimum hoc tamen magis placet. Est autem in actione pœnitentiæ, secundum quosdam, sacramentum, id quod fit exterius; res vero ipsius, est contritio pœnitentis. Secundum alios vero, id quod fit exterius, est sacramentum tantum; contritio vero interior, est res et sacramentum; remissio vero peccatorum, est res ejus tantum.

Hoc peccatori cruciatus acerbior instat,
Crimina quo novit plura remissa sibi.

DISTINCTIO XXIII.

Præter præmissa est etiam aliud, etc.

Unctio Extrema sacramentum est exeuntium de hac vita, et fit oleo per episcopum consecrato. Nempe inter tres unctiones quibus utitur Ecclesia, scilicet chrismatis et catechumenorum, est illa tertia quæ dicitur oleum infirmorum. Quod quidem sacramentum institutum est ad peccatorum remissionem, et corporalis alleviationem infirmitatis : quæ tamen non semper sequitur, quum hoc nec homini semper expediret. In quo etiam C ipsa exterior unctio est sacramentum tantum, res vero ipsius est interior peccatorum remissio et virtutum ampliatio. Quod etiam sacramentum ex contemptu vel negligentia omittere nullus debet, nec etiam reiterare, nisi et morbus redeat; ac per hoc est quidem reiterabile quoad suscipientem, non tamen quoad materiæ identitatem.

Hinc decessurus, perfunditur unguine sacro,
Ut valeat superas fortis adire domos.

DISTINCTIO XXIV.

Nunc ad considerationem, etc.

Septem sunt Ordines ecclesiastici. Nam aliqui in Ecclesia sunt ostiarii, alii lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, levitæ, insuper et aliqui presbyteri. Quorum singulorum officia quæ sint, et alia ad ipsos pertinentia, Magister in textu aperte et prolixe prosequitur. Quos etiam Ordines in semetipso Christus exhibuit, et Ecclesiæ servandos reliquit. Horum autem Ordinum ultimi tres sunt sacri, scilicet subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus; alii dicuntur non sacri respectu illorum.

A Est autem Ordo sacrum quoddam signaculum, per quod specialis potestas traditur ordinato. Hinc et omnibus his nomen Ordinis convenit. Et quia in omnibus sacramentum significatur, ideo et omnes hoc respectu sacri dicuntur. Sunt insuper et alia nomina dignitatum seu officiorum, quæ non sunt Ordinum, ut pontificatus et episcopatus, quæ et ulterius in textu distinguuntur. Debent autem assecuti Ordines ecclesiasticos, conari ut vita eorum dignitati respondeat, ut sic plebs ex eis proficiat, et ipsis gratanter obtemperet, a quibus sacramenta percipiunt et Missarum solennia au-
B diunt. Quæ quidem Missa dicitur, vel quia missa est hostia quæ ibi commemoratur; vel quia missus cœlestis venit ad consecrandum corpus dominicum.

Officiis sacer Ordo suis discrimina sumit,
In se quæ voluit Christus obire prius.

DISTINCTIO XXV.

Solet etiam quæri, etc.

An ab hæreticis tradi vel accipi possit Ordinis sacramentum, diversæ sunt aucto-
C rum sententiæ, dicentibus quibusdam quod non, pro quo multas inducunt auctoritates; aliis oppositum asserentibus, quod et tenetur, si in forma Ecclesiæ id tradant, quamvis hoc in sui faciant perniciem. Auctoritates autem quæ oppositum dicere videntur, prætendentes quod sacramenta ab hæreticis accepta, falsa sint et inania, etc., intelliguntur quoad effectum gratiæ inde consequendum. Qui autem pro Ordinum collatione aliquid dant vel accipiunt, simoniaci dicuntur, et utrique veniunt puniendi. Verumtamen qui ignoranter a simoniacis ordinantur, tolerari possunt; sci-
D enter autem ab eis ordinati, consecrationem habent irritam. Est autem triplex simoniacæ hæresis species quoad Ordines. Quidam enim simoniaci a simoniacis simoniace ordinantur; alii simoniaci simoniace, sed non a simoniacis; tertii vero non simoniaci, a simoniacis. Et hi tolerari possunt, dummodo ignoranter hoc fecerint. Quod etiam dicitur, a simoniacis ordinatos damnandos, intelligitur nisi violenter ab eis quis ordinetur. Porro in subdiaconum ante annos quatuordecim non debet quis ordinari, in diaconum non ante viginti quinque, in presbyterum autem non ante triginta. Quæ tamen hodie modificata sunt, ut presby-

ter quis ordinetur, vicesimum quintum habens A seu agens annum.

Si datur oblato sacer Ordo numismate, dantem
Stringit et emptorem pœna Simonis atrox.

DISTINCTIO XXVI.

Quum alia sacramenta, etc.

MATRIMONII sacramentum in paradiso ante peccatum primo institutum est pro officio generandi prolem. Nunc vero est etiam pro cavendi criminis remedio. Quæ et ultima institutio in hoc a prima differt, ac etiam B quod prima fuit necessitatis, illa autem genere humano multiplicato, est voluntatis. Quarum prima facta est in paradiso, altera vero extra. Quidam autem hæretici perniciosc sentientes, nuptias condemnant, quum tamen et Christus sui præsentia nuptias approbaverit, et easdcm Apostolus commendaverit. Significat autem hoc sacramentum conjunctionem Christi cum Ecclesia. Quod etiam per animorum consensum absque copula carnali perfectum est, quamvis sic a perfecta deficiat significatione.

Naturæ officio connubia præstita quondam, C
Jam sunt et fragilis carnis honesta salus.

DISTINCTIO XXVII.

Post hæc advertendum, etc.

QUUM matrimonium sit viri et mulieris maritalis eonjunctio, inter personas legitimas individuam retinens vitæ consuetudinem; ideo conjuges sine consensu mutuo non separantur, nec unus sine altero continentiam vovere potest, sed debitum ei reddere tenetur. Fit autem Matrimonium per consensum cor- D dium dictarum personarum, per verba de præsenti cxpressum, etiam si copula carnalis non interveniat. Estque differentia inter sponsalia ct matrimonium, quum sponsus etiam invita sponsa monasterium ingredi possit, et econtra; non autem conjuge cognita hoc potest, quamvis et sponsi conjuges quandoque dicantur. Quod si sponsalia cum vidua de futuro contrahantur, per hoc bigamia non inducitur; bene autem, si de præsenti, ut Magister dicit. Sed in ultimo non tenetur.

Præsentis verbo nubendum temporis, idque
Durat quam conjux vivit uterque diu.

DISTINCTIO XXVIII.

Hic quæri debet, etc.

CONSENSUS de futuro Matrimonium non facit, etiam si juramento firmatus fuerit, quum per hujusmodi juramentum fit eonfirmatio non de facto, sed fiendo. Hine si alter contrahentium ad aliam copulam transierit, dissoluta est prima promissio. Lex autem quæ aliud dicere videtur, intelligenda est, si verba de præsenti intervenerint, aut quod futurum sit Matrimonium. Traditio autem parentum ipsius sponsæ et sacerdotis benedictio, de sacramenti substantia non sunt, sed ad quamdam ipsius pertinent solennitatem et honestatem. Sed consensus etiam occulte per verba de præsenti expressus, Matrimonium in conscientia pcrficit, ut dictum est, quamvis in Ecclesiæ judicio verba illa non eogant, quum testari non possint. Debet autem ille consensus esse in conjugalem societatem : quapropter mulier ex latere viri sumpta scribitur. Unde et inter fratrem ct sorores cohabitantes Matrimonium non est; fuit autem intcr Virginem et Joseph.

Copula si fuerit verbo contracta futuro,
Nondum conjugii fœdera certa manent.

DISTINCTIO XXIX.

Oportet autem consensum, etc.

CONSENSUS per coactionem extortus, Matrimonium non facit; nec consensus appellandus est qui sic extorquetur. Verumtamen si post hujusmodi coactionem liber consensus supervenerit, utpote si simul cohabitent et non reclament, consensus jam liber factus videtur, et priorem defectum emendare. Debet autem consensus esse liber nedum in nuptiis, sed et in sponsalibus. Dicitur etiam ille consentire, qui manifeste et evidenter non contradicit. Unde et sponsalia talis consensus confirmare dicitur.

Non erit assensus peragens connubia, qualem
Præbet, verberibus sæpe gravatus homo.

DISTINCTIO XXX.

Nec solum coactio, etc.

MATRIMONIUM error dissolvit, non quidem omnis, sed qui eonditionis est servilis aut personæ; non autem ille qui est qualitatis, ut

probitatis, aut pulchritudinis, aut fortunæ, scilicet divitiarum. De consensu autem in matrimonium Mariæ et Joseph sentiendum, quod Virgo proposuit servare virginitatem, nisi Deus aliter revelaret, et sine voto expresso in societatem maritalem seu conjugalem consensit ex consilio familiari Spiritus Sancti. Postea vero una cum Joseph votum expressit, fuitque inter eos conjugium perfectum sanctitate, licet non ita significatione, quia sine copula carnali. Sunt autem multæ causæ cur matrimonium communiter contrahatur. Quædam principales, ut prolis procreatio, et fornicationis vitatio. Quædam etiam sunt minus honestæ, ut B divitiæ et pulchritudo. Et aliæ honestæ, ut pax et reconciliatio. Nec tamen dictæ causæ minus honestæ Matrimonium impediunt, ut quidam volebant, eo quod malitia contrahentis sacramentum non maculat. Fuerunt autem et causæ speciales contractus inter Virginem et Joseph, ut scilicet Virgo solatium haberet et sustentamentum, partus autem virgineus diabolo celaretur, et Joseph testis esset castitatis conjugis suæ.

Sunt duo, quæ dicant dissolvere fœdera lecti;
Sunt errata duo, quæ temerare negent.

DISTINCTIO XXXI.

Post hæc de bonis conjugii, etc.

TRIA sunt Matrimonii bona, scilicet fides invicem servanda, et proles suscipienda ac educanda, et sacramentum de Matrimonii societate non dissolvenda, etiam si quando corporalis fiat disjunctio. Neque hoc tertium deficit in Matrimonio, etiam si prima duo deficere contingat. Conjuges tamen qui prolem nolunt, sed sterilitatem procurant, potius fornicarii judicandi sunt; et si fetus tunc anima- D tus fuerat, sunt homicidæ. Dicta autem bona sic Matrimonii actum ordinant, ut si fiat causa prolis, peccatum non sit; aut sit non mortale, ut quum servata fide tori, conveniunt causa incontinentiæ. Quod autem Apostolus dicit hoc esse secundum indulgentiam, accipiendum est de indulgentia concessionis, si fiat causa prolis, quasi de minus bono, non tamen malo. Si vero fiat causa incontinentiæ, accipiendum est de iudulgentia permissionis, quasi de minus malo, scilicet veniali, dummodo intra limites Matrimonii fiat : quos limites si quis excedat, non excusatur. Nec est contra

A prædicta, quod concupiscentia semper mala est. Verum est enim de malo pœnæ, et non culpæ, nisi ut dictum est. Gregorius autem ab ingressu Ecclesiæ prohibet post accessum ad uxorem eum tantum qui hoc agit incontinentiæ causa, vel quia raro fit sine hujusmodi concupiscentia.

Quæ tria conjugii bona sint, quibus illud honestum
Redditur, hocce loco, docte Magister, agis.

DISTINCTIO XXXII.

Sciendum etiam est, etc.

QUAMVIS in aliis vir mulieri præest sicut caput corpori, tamen in redditione debiti jus est eis æquale, adeo quod etiam si non causa prolis mulier debitum poscat, vir ei reddere teneatur, et econtra; et neuter, etiam ad continendum, sui corporis potestatem habet, nisi de consensu communi. Attamen licet peccatum non sit, debitum reddere; exigere tamen ultra generandi necessitatem, veniale est; mœchari vero, criminale. Quod si vir uxori consentiat ut Deo continentiæ votum offerat, si tamen revocet priusquam mulier C impleat, revocatum est; non autem, si jam fuerit impletum. Quamvis autem petenti debitum reddi debeat, sunt tamen dies in quibus hoc ipsum petere non licet, ut in textu. Quod autem Hieronymus aliter dicere videtur, de Ecclesiæ ministris accipiendum est. Sunt et tempora in quibus nuptiæ celebrari non debent, ut a Septuagesima usque ad octavam Paschæ, et tribus septimanis ante festum Joannis, secundum Magistrum. Alias autem dicitur de diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes; item ab Adventu usque post Epiphaniam.

Debita certa ligant socialis fœdera lecti,
Quæ pariter conjux debet uterque sibi.

DISTINCTIO XXXIII.

Quæritur hic de antiquis, etc.

A MUNDI quidem exordio unus unam habuit uxorem : quod et observatum esset si primi parentes non cecidissent. Nam inter filios eorum et filias unus uni conjungebatur, quum nec aliæ essent mulieres. Lamech vero primus legitur duas habuisse uxores, et quidem reprehensibiliter, quia carnaliter. Quia

tamen processu temporis omnes pene ad idola declinabant, divinitus consultum est, patres plures ducere, ne Dei cultus et notitia ex eorum paucitate deficeret. Unde et maledicta in lege sterilis habebatur. Hinc etiam non imparis meriti æstimatur castitas conjugalis Abrahæ castitati virginali Joannis, quum utraque Deo pro tempore militaverit. Nec patres fidem tori per hoc violarunt, quod Deo volente plures habebant uxores : quia suis fidem servabant. Sub lege etiam de conjugio magis expressum fuit. In nova autem lege fecunditati virginitas præfertur, et sacerdotibus castitas indicitur, eo quod per totum mundum fides jam est publicata.

Cura sacræ sobolis, non exsecranda libido,
Patribus uxores suasit habere duas.

DISTINCTIO XXXIV.

Nunc superest attendere, etc.

AD contrahendum Matrimonium aliquæ personæ sunt plene legitimæ, scilicet sine omni impedimento; aliquæ autem ex toto illegitimæ, ut habentes impedimentum Ordinis sacerdotalis, aut hujusmodi; quædam vero medio modo se habent, aliter tamen nunc quam olim, ut quibus obstat frigiditas vel cognatio. Quod si quis causa frigiditatis debitum reddere non potest, si utrisque placet, simul manere possunt. Quod si mulier vult esse mater, et nunquam convenerunt, et hoc legitime probet, contrahere cum alio permittitur, nisi et ipsa sit inhabilis. Quod si ex maleficio impediatur, pœniteat de peccatis suis, et per exorcismos Ecclesiæ restituatur : per quos si non liberetur, potest alteri nubere, judicio Ecclesiæ interveniente : ubi si convaluerit, non potest ad priorem redire nisi Ecclesiæ judicio. Furiosi etiam et amentes, ut sic, contrahere non possunt. Sed et ille qui cum sorore uxoris suæ dormit, neutram illarum habere debet, et uterque sine spe conjugii remanebit. Neque vero propter infirmitatem corporalem dimittere licet conjugem, sed magis alter alteri auxilio esse debet in hoc casu.

Qui sint connubiis apti, quæ pacta secundum
Legem ullo aut nullo sint dirimenda die.

DISTINCTIO XXXV.

Hoc etiam notandum, etc.

UXOREM vir dimittere potest propter adulterium : et hoc, si ipse simili crimine pollutus non sit. Quod si uterque reus sit, neuter propter hoc alterum potest dimittere. Si vero propter adulterium unius separati fuerint, neuter alium ducere potest alio adhuc vivente; possunt autem invicem reconciliari. Quod si vir adulteram pœnitentiam non agentem retinere vellet, in crimine sibi participare videretur; repulsam tamen etiam et pœnitentem reconciliare sibi poterit, nisi sæpe recidivet. Nec potest aliquis in uxorem ducere eam quam prius per adulterium polluit, si ipsa machinata sit in mortem prioris mariti, et alter alteri, adhuc priore marito vivente, fidem de ducendo dederit.

Nonmœchæ mœchum, si vult, tamen absque viri spe
Vivo illo alterius, mittere jura sinunt.

DISTINCTIO XXXVI.

Nunc de conditione videamus, etc.

MULIER libera servum ducere potest, similiter et vir ingenuus ancillam. Quod si libero de servitute alterius constitit, fixum erit Matrimonium; sin autem deceptus est, dimittere potest junctam sibi personam, postquam scire incipit. Potest et esse conjugium inter virum et mulierem, si ambo servilis sint conditionis, dummodo voluntas dominorum utriusque accesserit : imo, secundum quosdam, dominis etiam dissentientibus. At si conjux liber servum se fecerit præter conjugis suæ consensum, per hoc nec separabuntur, nec ipsa serva efficitur. Matrimonium etiam contrahi non potest, nisi masculus decimum quartum habeat annum, et puella duodecimum : alias separari possunt, quamvis ex consensu parentum id factum sit. Juncti vero præcedenter, si post discretionis annos voluerint simul manere, possunt; ante septennium tamen nec sponsalia contrahi possunt, quum contrahentes saltem intelligere habeant quid agatur.

Quomodo conjugium impediat servum esse, quotoque
Cuique anno liceat fœdus inire tori.

DISTINCTIO XXXVII.

Sunt igitur quidam, etc.

IN Ordinibus sacris, scilicet subdiaconatu et supra constitutus, conjugium nequaquam contrahere potest; et si de facto contrahat, nullum est, et dirimitur. In aliis vero Ordinibus contrahi permittitur conjugium, nisi religionis habitum sumpserint ordinati, vel continentiæ votum emiserint. Interdicitur etiam

conjugium uxorum suarum occisoribus, qui A et pœnitentiam agere compelluntur, aut spirituali gladio feriendi sunt nolentes, non curato de legibus sæcularibus in hac parte.

Occidens proprium mulier violenta maritum,
Nullo deinde alii nubere jure potest.

DISTINCTIO XXXVIII.

Nunc de voto inspiciamus, etc.

VOTUM (quod quandoque Matrimonium impedit, quandoque etiam dirimit) est quædam spontaneæ promissionis testificatio, quæ de his quæ Dei sunt, proprie fieri debet. Hinc B vota fatua irritanda sunt nec vota reputanda. Et est votum multiplex, scilicet commune et singulare, simplex et solenne. Inter quæ, votum simplex seu privatum continentiæ, Matrimonium impedit contrahendum. Solenne autem continentiæ votum, quod scilicet in facie fit Ecclesiæ; per sacri Ordinis susceptionem vel professionem religionis solennizatum, dirimit etiam contractum. Nam quod ante licitum fuit, post votum fit illicitum. Quod si tales contrahunt, ab Ecclesiæ ingressu arcendi sunt quousque humiliter satisfaciant : quo modo etiam intelligendus est loqui Innocentius. C Quamvis autem adulterium grave sit, gravior tamen est incestus, et peccatum contra naturam gravissimum. Mulier etiam quæ maritum in remotis agentem mortuum putans, alium ducit, eo redeunte, ad ipsum redire debet, alio dimisso ; nolens autem, est excommunicanda. Qui vero uxore dimissa secedit, et aliam ducit, et post ductus pœnitentia vult secundam dimittere, asserens se aliam habere, nec tamen permittitur, Ecclesia scilicet non credente, per obedientiam quidem et timorem jam incipit excusari, et debitum petitus reddere potest mulieri illi, quæ scilicet per D ignorantiam excusatur, sed petere non debet. Hæc Magister. Sed quod talis reddere possit debitum etiam petitus, non tenetur.

Quid votum, quotuplexve fiet, quandove resistat
Quominus uxorem ducere rite queas.

DISTINCTIO XXXIX.

Post hæc de dispari cultu, etc.

A PERSONIS diversarum religionum, ut Christiana et homine Judaicæ superstitionis, etc., Matrimonium simul contrahi non potest, quum dispar cultus faciat personas ad contrahendum illegitimas. Nec est contra hoc Apostolus, qui scilicet de his loquitur qui dum contraxerant, ambo fuerunt infideles. Quamvis autem dimittere possit fidelis infidelem etiam cohabitare volentem, suadet tamen Apostolus ipse, quod si de infidelibus conjugibus unus ad fidem convertatur, et alter cum eo habitare citra injuriam consentit Creatoris, quod ipsum non dimittat : quia forte per eum similiter convertetur. Potest autem et conjux conjugem propter alias concupiscentias, quæ animam a Deo aberrare faciunt, dimittere. Quod si infidelis sua sponte discedat, aliam ducere fidelis potest; nec sequi eam tenetur, quum ambo infideles exsistentes juncti fuerint. Si vero ambo juncti fuerunt fideles, sed unus infidelis fiat, alter eam dimittere potest; sed aliam, illa vivente, ducere non potest. Ratum est enim conjugium fidelium, non autem infidelium : quia solvi potest, nec habet illud triplex bonum quod Matrimonii actum a peccato excusat, nec meretur præmium, quia ex fide non est.

Nulla tenent illos valido connubia nexu,
Quos retinet dispar religionis amor.

DISTINCTIO XL.

Nunc superest de cognatione, etc.

QUUM et cognatio et affinitas Matrimonium impediat, in hac distinctione de carnali videndum est, dehinc etiam de spirituali. Ut autem olim observatum est, ad septimum usque gradum babuit illa cognatio Matrimonium impedire : quod ex doctorum veterum auctoritatibus liquet, quamvis aliter Isidorus et alii quidam inveniantur gradus illos quoad truncum, computare. Quod autem Gregorius genti Anglorum in quarto et in quinto gradibus contrahere concessit, ad tempus hoc fieri voluit, quum novitii essent in fide. Extra litteram tamen notandum, quod modificante hoc Ecclesia, hodie universaliter in quinto gradu et supra, inter personas alias legitimas, contrahi potest, et truncus incipitur a patre.

Fœdera conjugii prohibens cognatio carnis,
Recta lege quotum duret adusque gradum.

DISTINCTIO XLI.

Nunc de affinitate, etc.

AFFINITAS (quæ et ipsa Matrimonium impedit) est parentela quæ ad virum pertinet ex parte uxoris, et econtra, eo quod vir

et uxor ejus una earo dicuntur. Sic ergo vir A et soror uxoris ejus sunt in primo affinitatis gradu, filii vero uxoris in secundo gradu, et sic consequenter. Et illa olim impedivit usque ad septimum gradum ; hodie vero tantum usquc ad quartum gradum inclusive impedit, modificante hæc Ecclesia. Manet autem ipsa affinitas, etiam Matrimonio transeunte, ita ut impediat contractus prohibitos æque sicut prius, eo quod vir et mulier, juxta verbum Dei, sunt duo in carne una. Unde et contra prædicta conjunctos Ecclesia separat. Si tamen ignoranter conjuncti fuerunt, filii eorum legitimi reputantur. Notandum autem juxta hæc, B quod licet fornicatio sit omnis coitus extra conjugem, specialiter tamen est meretricum, viduarum et concubinarum. Stuprum vero est virginum defloratio illicita. Adulterium, alieni tori violatio. Incestus, consanguinearum vel affinium abusus. Raptus autem, violenta eductio puellæ de domo patris, ut ea corrupta in uxorem habeatur, sive ipsi, sive parenti illa fiat violentia : quod quidem mortc punitur, nisi per confugium ad Ecclesiam raptor evadat. Sunt quoque notanda quædam nomina ad hæc pertinentia, scilicet fratrissa, levir, janitrix et glos : quæ quid significent, patet in C textu.

Quod jus cognatos inhibet connectier una
Legitime, affines nectit idem minime.

DISTINCTIO XLII.

De parentalium graduum famosa, etc.

INTER ea quæ Matrimonium impediunt, est etiam spiritualis cognatio seu propinquitas, quæ scilicet est inter compatrem pueri carnalem et commatrem spiritualem, et inter eos quorum unus alterum de sacro fonte le- D vavit, aut in cateehizatione vel Confirmatione tenuit, ac etiam inter filios carnales et spirituales ejusdem hominis. Hæc ergo Matrimonium impedit : et si tales fuerint juncti, separandi sunt. Si tamen post legitimum Matrimonium aliquis ut ab uxore separari posset, filium suum lcvaret vel baptizaret, per hoc separandus non est, sed pœnitentiam agat. Auctoritates vero quæ eum separandum dicunt, intelligendæ sunt de his qui filios suos levant ante contractum conjugium ; vel solum ad tcrrorem loquuntur. Filii quoque alicujus naturalis et spiritualis Matrimonio jungi non possunt, sive ante vel post cognationem spiritualem nati sint : et hoc quoad eos per quos ad compatcrnitatem deventum est, de aliis secus. Neque vero uxoris suæ commatrem aliquis post ejus mortem ducere potest. Nec vir et uxor puerum simul levare debent. Per hæc autem bigamia vel trigamia damnanda non cst, quamvis a sacerdotio prohibcat.

Non tam sæpe vetat nubentem agnatio carnis,
Mystica quin multo sæpius illud agat.

DISTINCTIO XLIII.

Postremo de conditione resurrectionis, etc.

NULLUS fidelium dubitare permittitur, omnes qui et nati sunt et nascentur, et qui mortui sunt et morientur, divina virtute in die novissimo resurrecturos ad tubam Christi : per quam aliquod evidens et præclarum signum intelligitur ; et quandoque vox vel Filii Dei vel archangeli appellatur. Fiet autem hoc media nocte, non quoad tempus, sed quia occulte, quando scilicet non putatur ; et conscientiarum libri apcrientur : quod tamen bonis non ad tristitiam cedet, sed gaudium et gratiarum actionem. Quorum etiam peccata per pœnitentiam hic deleta, secundum mentem Magistri, aliis non patebunt ; sed malorum scelera omnibus fient manifesta. An vero aliqui sine morte media ad judicium venturi sint, quamvis dubium videatur, pars tamen negativa Scripturis magis apparet eonformis. Quamvis etiam omnes resurgent incorrupti, quia membris integri ; non tamen omnes impassibiles, quia hoc fallit in damnatis.

Mortales omnes, præsentes atque futuros,
Et quos jampridem fœda sepulcra tenent,
Ultima judicii surgentes hora videbit,
Laturos factis præmia digna suis.

DISTINCTIO XLIV.

Solent autem nonnulli percontari, etc.

IN perfecta quidem ætate, scilicet juvenili, omnes homines absque dubio resurgent. At non in eadem statura, sed in ea quilibet, quam vcl habuit vel habuisset, si ad perfectam, non impeditus pervcnisset ætatem. Omnes quoque generaliter resurgent omnibus membris integri, quocumque materia corporum prius fuerit dispersa, ita videlicet ut tota humani

corporis materia toti illi corpori sit reddenda, A quemadmodum in statua contrita et ex eadem materia reparata adverti potest. Hoc tamen dissimili fiet qualitate in corporibus bonorum et malorum. Nempe bonorum corpora dotanda sunt dotibus gloriæ, malorum vero corpora absque his, æternis ignibus tradenda. Quæ etiam an cum deformitatibus suis surrectura sint, Augustinus sub dubio reliquit, nec curandum putavit, quum de eorumdem certa constet damnatione. De abortivis quod resurgant, asserendum est, si unquam anima vixerint rationali. Quæ et tunc, sicut et monstra, a monstruositate illa sua sunt emendanda.

Quantumcumque senes et quantūcumque tenelli
Quidam obeant, vultus omnibus æquus erit.

DISTINCTIO XLV.

Præterea sciendum est, etc.

STATIM post mortem corporalem, animæ pro meritis vel demeritis in locis sibi deputatis præmia sua vel pœnas accipiunt; quæ tamen post judicii diem augebuntur, corpore scilicet resumpto. Qui vero puniendi sunt, juvari poterunt per Ecclesiæ suffragia : hi scili- C cet qui in præsenti vita, ut juvarentur, meruerunt; quilibet pro modo suo. Quamvis autem pompæ funerales magis sint ad vivorum solatia, decentem tamen curam defunctis exhibere laudabile est. Quod si pro divite multa fiant suffragia, pro paupere vero pauca, vel tantum generalia, proderunt quidem ceteris paribus utrique in hoc pariter, quod non prosunt diviti ad pleniorem liberationem, bene tamen ad celeriorem. Hi autem qui in fine mundi reperientur, per ignem conflagrationis et Sanctorum orationes purgabuntur. Orationes etiam nostras angeli Deo, qui omnia prænovit, offerre dicuntur, quando quid agendum sit percipiunt. Quas quoque Sancti cognoscunt, quantum ad eorum pertinet gaudium et nostrum auxilium.

Viventum preculas animis prodesse quibusdam,
Si tamen hoc ipsum promeruere prius.

DISTINCTIO XLVI.

Sed quæritur hic, etc.

NON obstantibus quibusdam auctoritatibus, si recte intelligantur, dicendum est, quod circa damnatos est aliqua Dei misericordia in eorum punitione : non tamen sic, quod a peccatis vel damnatione per hoc absolvantur. Quum autem misericordia Dei et ipsius justitia sint idem, tamen propter diversam nostram de Deo conceptionem seu effectum Dei, aliqua ipsius opera misericordiæ, aliqua vero justitiæ attribuuntur. Qui et nunc occulte judicans, scilicet purgando, convertendo vel excæcando, tandem manifeste judicabit. Cujus quoque judicia, circa res omnes dispositio quandoque vocatur. Quod etiam Psalmista dicit, universas vias Domini misericordiam esse et veritatem, intelligi potest pro eo quod duplex est adven- B tus ipsius, quorum unus misericordiam respicit, alter justitiam; vel quia ejus dono bona facimus, et mala declinamus. Quæ etiam, misericordia videlicet et justitia, in omnibus Dei reperiuntur operibus : secundum aliquos quidem secundum essentiam, non autem secundum effectum; secundum alios autem, etiam secundum effectum vel signum, et hoc vel occulte vel aperte.

Commiserans judex, alias æquissimus, ipsos
Damnatos punit, quam meruere, minus.

DISTINCTIO XLVII.

Solet etiam quæri qualiter, etc.

AN vocaliter vel mentaliter tantum judicii extremi sententia proferenda sit, non est usquequaque per Scripturas explicatum. Cum Christo tamen perfecti, secundum Scripturas, certo judicabunt. Quod quidem per sedes duodecim quas ipse dicit, significatur. Erunt autem in judicio ordines quatuor : nam aliqui judicabuntur et peribunt, ut impii Christiani; alii vero tunc peribunt, sed non judicabuntur, D ut infideles; alii autem judicabuntur et salvabuntur, decedentes scilicet in pœnitentia; alii quoque sine judicio tunc salvabuntur, ut perfecti in hac vita. Congregabuntur autem judicandi ad judicium angelico ministerio, purgatione mundi per conflagrationem ignis jam completa. Et electi quidem in aere, reprobi autem erunt in terra. Sicque finaliter ultima a judice proferetur sententia. An vero reprobi post judicium a dæmonibus puniendi sint, an non, diversimode loquuntur diversi; negativa tamen probabilior videtur.

Ultima prudenti dabitur sententia Christo,
Quam confirmabit candida turba patrum.

DISTINCTIO XLVIII.

Solet etiam quæri, in qua forma, etc.

IN forma quidem humana Christus tam bonis quam malis gloriosus in judicio apparebit, sed virtute divinitatis judicabit : secundum quod et auctoritates quæ Christo judicium attribuunt, sunt intelligendæ. Neque sine Patre et Spiritu Sancto judicium exercebit. Erit autem lætitiæ justis illa apparitio, et terrori malis, qui nec unquam Christi videre poterunt divinitatem. Virtute etiam divinitatis ipse suscitabit mortuos : quod pro eo humanitati attri- B buitur, quia in hac resurrectionem nostram meruit, et est causa exemplaris ipsius. Cujus quidem judicii locus erit in valle Josaphat, et in aere circumcirca. Tunc autem sol et luna a claritate Judicis obscurabuntur, et virtutes angelicæ admiratione quadam movebuntur. Obscurabuntur autem et ante judicium ad litteram, post judicium vero clarius lucebunt. Et quidem, quoad motum, cessabunt; quoad esse autem, semper manebunt ad Dei gloriam et universi decorem.

Sol et luna suos, venienti judice, motus
Sistent ; at neuter desinet esse tamen.

DISTINCTIO XLIX.

Post resurrectionem vero, etc.

EXACTO judicio, duæ civitates, scilicet Christi et diaboli, fines suos habebunt. Illa quidem in gloria consummabitur, ista vero in miseria; sic tamen quod in illa non omnes æqualiter gloriam participabunt, sicut nec hi in ista pœnam, sed utrobique gradus quidam erunt. Quamvis autem omnes homines beatitudinem appetant, non tamen in eodem eam D omnes quærunt. Neque enim est vera beatitudinis ratio, habere id quod delectat, sed habere quod velis, et nihil mali velle. Quamvis etiam omnes Deum cognoscant, tamen in mo- A do cognoscendi est gradus seu differentia. Hinc et unus alio est beatior. Nam etsi gaudium æquale sit omnium quoad ea in quibus gaudent, non tamen omnium est æque intensum gaudium et beatitudo : quæ etiam post judicium indubie major erit, quia majus gaudium atque cognitio major.

Judicio facto, geminas fore credimus urbes,
E quibus hæc Diti cesserit, illa Deo.

DISTINCTIO L.

Hic oritur quæstio, etc.

IN damnatis mala quidem voluntas perseverat ; ea tamen non est peccatum, sed magis peccati pœna, eo quod sunt extra statum demeriti : sicuti et bonis in gloriam cedet, quod voluntatem habent in bono firmatam. In tenebris quoque exterioribus mali fore dicuntur, eo quod a visione Dei penitus sunt exclusi, tum ob voluntatis malitiam, tum etiam ex oblivione a gravitate pœnarum causata; hoc tamen plus erit post judicium quam ante. Etsi autem curam aliquam de suis notis habeant, tamen quæ in mundo aguntur, non C agnoscunt. Qui et in locis corporalibus ad pœnam detineri possunt, ut de divite (Christo narrante) apparet, cujus tamen descriptio difficilis est intellectu. Vident autem se mutuo boni et mali usque ad judicii diem, quamvis per magnum chaos divisi sunt. Postea vero etsi boni malos visuri sunt, non tamen econtra. Nec ad compassionem boni per hoc moventur, propter perfectam eorum voluntatem. Neque vero per hoc gloria eorum minuitur, sed interim augetur. Ad quam Beatorum perennem gloriam perducere nos dignetur in solio sedens excelso, de quo Magister pertractans, a facie ipsius exorsus est, et per media procedens, ad pedes usque, eodem duce, feliciter pervenit.

Non poterunt, erit hircus ubi disjectus ab agno,
Vel bene velle mali, vel male velle boni.

TITULI

SEU RUBRICÆ LIBRI QUARTI SENTENTIARUM, AB IPSO MAGISTRO PRIMUM SIC ORDINATI.

His tractatis quæ ad doctrinam rerum pertinent, quibus fruendum est, et quibus utendum, et quæ fruuntur et utuntur, ad doctrinam signorum accedamus.

Distinctio I. De sacramentis.

Quid sit sacramentum.

Quid sit signum.

Quo differat signum et sacramentum.

Quare instituta sunt sacramenta.

De differentia sacramentorum veterum et novorum.

De circumcisione.

Quod remedium illi habuerunt qui fuerunt ante circumcisionem.

De institutione circumcisionis, et de causa.

De parvulis defunctis ante diem octavum, quo fiebat circumcisio.

Distinctio II. De sacramentis novæ legis.

De Baptismo.

De differentia baptismi Joannis et Christi.

Quid utilitatis baptismus Joannis habuit.

Si fuit sacramentum baptismus ille.

De forma baptismi Joannis.

Distinctio III. Quid sit Baptismus.

De forma Baptismi.

Quod Apostoli in nomine Christi baptizaverunt.

Si in nomine Patris tantum vel Spiritus Sancti possit tradi Baptismus.

De institutione Baptismi.

A Quare in aqua tantum fiat.

De immersione, quoties fieri debeat.

Quando circumcisio amisit vim suam.

De causa institutionis Baptismi.

Distinctio IV. De illis qui suscipiunt sacramentum et rem, et rem et non sacramentum, et sacramentum et non rem.

De ficte accedentibus.

Quomodo intelligatur illud : Quotquot in Christo baptizati estis, Christum in-
B duistis.

Quod passio supplet vicem Baptismi, et fides et contritio.

Quid prosit Baptismus cum fide accedentibus.

Quid dimittitur in Baptismo justis.

Cujus rei sit sacramentum Baptismus quem recipit justus.

Distinctio V. Quod Baptismus æque bonus est a bono vel a malo datus, bono vel malo.

C De potestate Baptismi, et ministerio.

Quæ fuit potestas Baptismi quam Christus potuit dare servis, et non dedit.

Distinctio VI. Quibus liceat baptizare.

Si rebaptizandi sunt ab hæreticis baptizati.

Quod nullus in materno utero baptizatur.

Utrum Baptismus sit, quum verba corrupte proferuntur. A

De illo qui pro ludo immergitur.

De responsione patrinorum.

De catechismo et exorcismo.

Distinctio VII. De sacramento Confirmationis, quod non nisi a summis sacerdotibus tradi potest.

Quæ sit virtus hujus sacramenti.

Utrum hoc sacramentum dignius sit Baptismo.

Utrum possit iterari. B

Distinctio VIII. De Sacramento altaris.

Quod hujus sacramenti in veteri Testamento figura præcessit, sicut et Baptismi.

De institutione hujus sacramenti.

De forma.

Quare Christus post alium cibum dedit hoc sacramentum discipulis.

De sacramento et re.

Quod res sacramenti duplex est.

Distinctio IX. De duobus manducandi modis. C

De errore illorum qui dicunt Christum tantum a bonis sumi.

De intelligentia quorumdam verborum ambiguorum.

Distinctio X. De hæresi illorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in figura vel in signo.

De Sanctorum testimoniis quibus probatur verum corpus Christi esse in altari.

Distinctio XI. De modo conversionis. D

Quomodo dicitur corpus Christi confici de substantia panis.

Quare sub alia specie sumatur.

Quare sub duplici specie.

Quare aqua misceatur vino.

Quale corpus dedit Christus discipulis in Cœna.

Distinctio XII. Ubi illa accidentia fundentur.

De fractione et partibus.

De confessione Berengarii.

Quid illæ partes significent.

Si Christus immolatur in altari quotidie, et an sit sacrificium quod a sacerdote geritur.

De causa institutionis.

Distinctio XIII. Si hoc sacramentum conficiatur ab hæreticis vel excommunicatis.

Quid faciat hæreticum, et quid sit hæreticus.

Distinctio XIV. De Pœnitentia.

Unde dicitur pœnitentia.

Quid sit pœnitentia.

Quid sit pœnitere.

De solenni et unica pœnitentia.

Quod peccata sæpe dimittuntur per pœnitentiam.

Distinctio XV. Quod pluribus irretitus peccatis, non potest vere de uno pœnitere, nisi de omnibus pœniteat.

Quibus de causis contingunt flagella.

De Ægyptiis et Sodomitis, qui dicuntur temporaliter puniti, ne in æternum perirent.

De generibus eleemosynæ.

Quid sit eleemosyna.

Utrum in mortali peccato permanentes et largas eleemosynas facientes, debeant dici satisfacere.

Utrum bona quæ fiunt ab aliquibus malis, valeant ad meritum vitæ, quum fuerint conversi ad bonum.

Distinctio XVI. De tribus in Pœnitentia considerandis, scilicet compunctione, confessione, et satisfactione.

Quæ sit vera satisfactio.

Quæ sit satisfactio falsa.

De tribus actionibus Pœnitentiæ.

De multitudine venialium, quæ gravant ut unum grande peccatum.

De satisfactione venialium.

Distinctio XVII. Utrum sine confessione dimittantur peccata.

Si sufficit soli Deo confiteri.

Quod non sufficit soli Deo confiteri, si possit sacerdoti confiteri.

An sufficiat confiteri laico.

Ad quid valeat confessio.

Distinctio XVIII. De remissione quam præstat sacerdos.

De clavibus.

De usu clavium.

Si sacerdos potest dimittere peccata, vel retinere.

Quomodo sacerdotes dimittunt peccata, vel retinent.

Quomodo sacerdotes ligant vel solvunt a peccatis.

Quomodo intelligendum sit illud : Quodcumque solveris super terram, etc.

Quæ sunt interiores tenebræ et interior macula.

Distinctio XIX. Quando hæ claves dantur, et quibus.

Utrum per indignos transfundatur gratia dignis.

Quomodo intelligendum sit : Maledicam benedictionibus vestris.

Qualis esse debeat judex ecclesiasticus.

Distinctio XX. De his qui in fine pœnitent.

De his qui pœnitentiam non complent.

De illo cui sacerdos indiscretus injungit pœnitentiam parvam.

Quod morientibus non est imponenda satisfactio, sed innotescenda.

Quod non est pœnitentia neganda vel reconciliatio, in necessitate.

Quod presbyter non reconciliet aliquem, inconsulto episcopo, nisi in necessitate.

An oblatio ejus sit recipienda qui currens ad pœnitentiam, prævenitur morte.

Distinctio XXI. De peccatis quæ post hanc vitam dimittuntur.

De his qui ædificant aurum, argentum,
A lapidem pretiosum, lignum, fœnum, stipulam.

De igne purgatorio, quo alii citius, alii tardius purgantur.

Quid sit ædificare lignum, fœnum, aut stipulam.

Quid sit ædificare aurum, argentum, lapidem pretiosum.

Quod aliquem vere pœnitet, etsi non de omni veniali.

Quid sit generalis confessio.

B Quod nemo debet confiteri peccata quæ non fecit.

De pœna sacerdotis qui peccata confitentis publicat.

Distinctio XXII. Si peccata dimissa redeant.

Quid sit sacramentum et res.

Distinctio XXIII. De sacramento Unctionis Extremæ.

De tribus generibus unctionis.

A quibus fuerit hoc sacramentum in-
C stitutum.

De iteratione hujus sacramenti.

Distinctio XXIV. De Ordinibus ecclesiasticis, et quot sint.

Quare sunt septem.

Quales assumendi sint ad clerum.

De corona et tonsura.

De ostiariis.

De lectoribus.

De exorcistis.

De acolythis.

D De subdiaconis.

De diaconis.

De presbyteris.

Qui dicuntur Ordines sacri.

Quid appelletur Ordo.

De nominibus dignitatis et officii.

De episcopo.

De pontifice.

De quadripartito episcoporum Ordine.

De vate.

De cantore.

DISTINCTIO XXV. De ordinatis ab hæreticis.

De simonia, unde dicitur, et quid sit.

De his qui a simoniacis ordinantur scienter, vel non.

De his qui dicunt se emere corporalia, et non spiritualia.

De distinctione simoniacorum.

De his qui violenter ab hæreticis vel aliis simoniacis ordinantur.

DISTINCTIO XXVI. De sacramento Conjugii.

De institutione ejus et causa.

Quando secundum præceptum et secundum indulgentiam contractum sit conjugium.

Quibus modis accipitur indulgentia.

Quod nuptiæ bonæ sint.

Cujus rei sacramentum sit conjugium.

DISTINCTIO XXVII. Quæ sunt consideranda in conjugio.

Quid sit conjugium.

De consensu qui efficit conjugium.

Quando incipit esse conjugium.

De opinione quorumdam qui dicunt conjugium non esse ante carnalem copulam.

Quod sponsa potest eligere monasterium sine consensu sponsi.

Quod conjugatus sine conjugis consensu nequit profiteri continentiam.

De adulterinis conjugiis.

Quod multipliciter sponsus et sponsa accipitur.

Quæ sponsa sit vidua mortuo sponso, et quæ non.

DISTINCTIO XXVIII. Si consensus de futuro, etiam juramento firmatus, faciat conjugium.

De his quæ pertinent ad substantiam et ad decorem sacramenti.

Utrum consensus ille qui facit matrimonium, sit de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.

A Quare de latere viri formata est mulier.

DISTINCTIO XXIX. Quod non est consensus legitimus ubi est coactio.

DISTINCTIO XXX. De errore qui evacuat consensum.

De conjugio Mariæ et Joseph.

De finali causa conjugii.

Quod malus finis non contaminat sacramentum.

DISTINCTIO XXXI. De tribus bonis conjugii.

B De duplici separatione.

De his qui procurant venena sterilitatis.

Quando sint homicidæ qui procurant abortum.

De excusatione coitus, quæ fit per bona conjugii.

De indulgentia quam fecit Apostolus.

De malo incontinentiæ.

De carnis delectatione, quæ peccatum sit, vel non.

C DISTINCTIO XXXII. De solutione carnalis debiti.

De continentia ex communi consensu servanda.

Quando cessandum sit a coitu.

Quibus temporibus non sint celebrandæ nuptiæ.

DISTINCTIO XXXIII. De diversis legibus conjugii.

Utrum Joannis virginitas sit præferenda castitati Abrahæ.

D Quæ erat consuetudo conjugii sub lege.

Cui licebat tunc plures habere, vel non.

DISTINCTIO XXXIV. De personis legitimis.

De frigidis separandis, vel non.

De his qui maleficiis impediti, coire nequeunt.

De furiosis.

De his qui dormiunt cum duabus sororibus.

Quod non est dimittenda uxor pro aliqua macula corporis.

DISTINCTIO XXXV. De jure viri et mulieris.

Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi ipse expers fuerit fornicationis, et econverso.

De reconciliatione eorum qui propter fornicationem separantur.

De illis qui ante conjunctionem se polluerunt per adulterium.

DISTINCTIO XXXVI. De servis.

Utrum propter extremam conditionem possit fieri separatio.

De copulatione servi et ancillæ diversorum dominorum.

De viro qui se facit servum ut dividatur ab uxore.

De ætate contrahentium.

DISTINCTIO XXXVII. In quibus ordinibus nequeat contrahi matrimonium.

De interfectoribus suarum conjugum.

DISTINCTIO XXXVIII. De votis et de votorum differentia.

De illis qui post longam captivitatem redeunt.

DISTINCTIO XXXIX. De dispari cultu.

De conjugio fidelis et infidelis, et duorum infidelium.

De fornicatione spirituali, propter quam dimitti conjux potest.

Pro quibus peccatis possit fieri separatio, vel non.

Quando licet fideli aliam ducere, vel non.

Utrum conjugium inter infideles sit.

Quod conjugium sit legitimum.

DISTINCTIO XL. De cognatione carnali.

De computatione graduum consanguinitatis.

Quare septem gradus computantur.

De dispensatione Gregorii habita ad Anglicos.

DISTINCTIO XLI. De gradibus affinitatis.

A

De variis traditionibus affinitatis.

Si conjugium sit inter eos qui, nota consanguinitate, dividuntur.

Quibus personis testificantibus, sint dirimenda conjugia.

Quid sit fornicatio, et quid stuprum.

Quid adulterium, et quid incestus.

Quid raptus.

DISTINCTIO XLII. De spirituali cognatione.

Qui sint filii spirituales.

B

De copula spiritualium vel adoptivorum et naturalium filiorum.

De copula filiorum qui ante compaternitatem vel post nati sunt.

Si cui liceat duas commatres ducere, unam post aliam.

Si vir et uxor simul tenere valeant puerum.

De secundis et tertiis et deinceps nuptiis.

DISTINCTIO XLIII. De resurrectionis et judicii conditione.

C

De voce tubæ.

De nocte media.

De libris qui tunc aperientur.

De memoria electorum, si tunc præterita mala teneat.

De his qui vivi reperientur.

Quomodo intelligitur Christus judex vivorum et mortuorum.

DISTINCTIO XLIV. De ætate et statura resurgentium.

D

Quod resurget quidquid fuit de substantia et natura corporis, etsi non in eadem parte corporis.

Quod sine omni deformitate resurgent.

Utrum reproborum corpora cum deformitatibus resurgant quas hic habuerunt.

Quod non consumentur malorum corpora, quæ tunc ardebunt.

Si dæmones corporali igne cremabuntur.

Si animæ sine corporibus sentiunt A
ignem materialem.

De abortivis fetibus et monstris.

Distinctio XLV. De diversis animarum receptaculis post mortem.

De suffragiis defunctorum.

De officiis sepulturæ.

De duobus æque bonis, quorum alter post mortem plura habet auxilia.

Quibus suffragiis juvabuntur mediocriter boni in fine reperti.

Quomodo Sancti et glorificati vel an- B
geli audiunt preces supplicantium, et quomodo intercedunt pro eis.

Distinctio XLVI. Si valde malis præstatur mitigatio pœnæ.

De occulto judicio Dei.

De justitia et misericordia Dei.

Quare quædam opera dicuntur justitiæ, quædam misericordiæ vel bonitatis Dei.

Quomodo universæ viæ Domini di-
cuntur misericordia et veritas. C

Distinctio XLVII. De sententia judicii.

Quod Sancti judicabunt, et quomodo.

De ordinibus eorum qui erunt in judicio.

De ordine judicii, et ministerio angelorum.

Si post judicium dæmones præerunt hominibus ad puniendum.

Distinctio XLVIII. De forma judicis.

Qualis apparebit forma servi.

Quare secundum formam servi dicitur Christus suscitaturus corpora.

De loco judicii.

De qualitate luminarium et temporis post judicium.

Distinctio XLIX. De differentia mansionum in cœlo et in inferno.

Si quid ibi cognoscitur ab aliquo quod non intelligant omnes.

De parilitate gaudii.

Si major sit beatitudo Sanctorum post judicium.

Distinctio L. Si mali in inferno peccabunt.

Quare dicuntur tenebræ exteriores.

Si damnatorum animæ notitiam habeant eorum quæ hic fiunt.

De Lazaro et divite.

Si boni et mali invicem se videant.

De chao inter bonos et malos.

Utrum visa impiorum pœna minuat vel augeat gloriam bonorum.

COMMENTARIA
IN QUARTUM LIBRUM
SENTENTIARUM

PROŒMIUM

S*ANABO contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* Osee XIV, 5.

In exordio sæculorum primus ille apostata, qui in veritate non stetit, ambitionis suæ veneno primos nostros decepit, dejecit et convulneravit parentes : imo et posteritatem in sua infecit radice, ac per hoc genus humanum tot et tantis subjecit ærumnis, cladibus et peccatis, in animabus atque corporibus, ut illud Isaiæ dici possit de eis : A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas; vulnus et livor et plaga tumens. Hæc sunt originale peccatum et quatuor vulnera illud secuta; deinde quoque innumerabilia mala culpæ ac pœnæ vitæ præsentis, ita ut illud Ecclesiastici recte dicatur : Occupatio magna creata est omnibus, et grave jugum super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Præterea Creator piissimus, deceptis primis parentibus et eorum stirpi statuens misereri, contra præfata vulnera providit de congruis idoneisque remediis, tam in lege naturæ, quam in lege scripta et evangelicæ tempore legis : « Sanabo (inquiens) contritiones eorum », peccata delendo; « diligam eos spontanee », dona gratiæ in præsenti, bonaque gloriæ in futuro ipsis præstando : « quia aversus est furor meus ab eis », quoniam rigor justitiæ in dulcorem clementiæ est conversus, præsertim tempore evangelicæ legis ac gratiæ, in quo apparuit humanitas et benignitas Salvatoris nostri Dei. In quibus etiam verbis tria tanguntur. Primum est, gratiosa generis humani curatio per ecclesiastica sacramenta, quum dicitur : « Sanabo contritiones eorum »; de quibus in prima parte hujus quarti tractatur voluminis. Secundum est, gloriosa sanati populi decoratio per supernaturalia charismata gratiæ ac salutis, de quibus in posteriori parte agitur hujus libri, quum subditur, « diligam eos spontanee ». Nempe ex gratuito ac prævenienti Dei amore ad nos confluxerunt universa beneficia ac promissa ipsius. Unde prætactis apostolicis verbis adjecit ipse beatus Apostolus : Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Hoc est quod in

Joann. VIII, 44.
Is. I, 6.
Eccli. XL, 1.
Tit. III, 4.
Ibid. 5.

Act. xvii, 30. Actibus protestatur Vas divinæ electionis : Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant. Et hoc quoque est tertium quod in præassumpto tangitur themate, dum profertur : « quia aversus est furor meus ab eis ».

Ps. cvi, 20. Circa hunc quartum librum Sententiarum S. Thomas præmittit pro themate : *Misit Verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.* Ex peccato primi hominis humanum genus duo incurrerat mala, utpote mortem et infirmitatem. Mortem,
Ps. xxxv, 10. propter separationem a vitæ principio, de quo in Psalmo : Quoniam apud te est fons
Rom. v, 12. vitæ. Unde ad Romanos asseritur : Per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors. Infirmitatem vero, propter destitutionem gratiæ, quæ est hominis
Jer. xvii, 14. sauitas, quæ in Jeremia petitur : Sana me, Domine, et sanabor. Ad hoc autem suffi-
Eccli. i, 5. ciens remedium haberi non poterat nisi ex Verbo Dei, quod est fons sapientiæ in
Eccle. vii, 13. excelsis, et per consequens vitæ : quoniam sapientia vitam suo tribuit possessori, ut in Ecclesiaste legitur. Ipsum quoque est virtus Dei, quo omnia portantur, juxta illud
Hebr. i, 3. ad Hebræos : Portans omnia verbo virtutis suæ. Ideo efficax est ad infirmitatem tollen-
Sap. xvi, 12. dam, secundum illud Sapientiæ : Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus,
Hebr. iv, 12. Domine, sermo, qui sanat omnia. Quumque vivus sit sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ut ad Hebræos Paulus ait; necessarium fuit, ad hoc quod medicina tam fortis nobis proficeret, quod ei carnis nostræ infirmitas adjungeretur, ut
Ibid. ii, 17. nobis magis congrueret. Unde ad Hebræos rursus inducitur : Debuit per omnia fratribus
Joann. i, 14. similari, ut misericors fieret. Ideo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Verum quia hæc medicina tantæ est efficaciæ, ut omnes possit sanare : hinc ab hac prima et universali medicina omnes aliæ particulares medicinæ procedunt, universali medicinæ conformes ; quibus mediantibus, virtus universalis medicinæ proveniat ad infirmos. Et hæc sunt sacramenta, in quibus sub tegumento visibilium rerum virtus divina secretius operatur salutem, ut asserit Augustinus.

Sic ergo in verbis propositis tria tanguntur : primum est medicinæ confectio ; secundum, infirmitatis curatio ; tertium, liberatio a morte. Primum tangitur ibi, « Misit Verbum suum », referendo hoc ad Verbi incarnationem, quod eo ipso dicitur factum
Galat. iv, 4. ac missum, quo caro factum, juxta illud ad Galatas, Misit Deus Filium suum factum ex muliere ; et ad sacramentorum institutionem, in quibus accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, quatenus sic sit conformitas sacramenti ad Verbum incarnatum.
I *Tim.* iv, 5. Sanctificatur namque creatura sensibilis per Verbum Dei et orationem, ut primo ad Timotheum habetur. Sanatio autem ab infirmitate peccati reliquiarumque ejus, tangitur
Eccli. xxxviii, 7. ibi, « et sanavit cos » : quæ sanatio fit per sacramenta, quæ sunt quasi unguenta sani-
Ps. cii, 3. tatis, quæ Christus tanquam unguentarius confecit. Unde in Psalmo : Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, quantum ad peccata ; qui sanat omnes infirmitates tuas, quantum ad peccatorum reliquias. Liberatio quoque a morte tangitur ibi, « et eripuit eos de interitionibus eorum ». Interitus namque violentiam ad mortem significare videtur. Sicque ex verbis propositis tria accipiuntur circa hunc quartum librum, puta : materia, quia in eo agitur de sacramentis atque de resurrectione et gloria resurgentium ; item continuatio ad tertium librum, in quo agitur de missione Verbi in carnem, et in hoc quarto de effectibus Verbi incarnati ; divisio quoque libri istius quarti, qui

in duas dividitur partes, in prima tractat de sacramentis, in secunda de resurrectione et gloria resurgentium. — Hæc Thomas.

Albertus hic assumit pro themate : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* In hoc verbo ordine præpostero narratur materia hujus libri et divisio ejus. Domus enim sapientiæ sunt ipsi fideles, quos ædificat ad perpetuam sui inhabitationem per corporum resurrectionem; de qua domo fertur in Psalmo : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Cujus domus decor sunt resurgentium dotes. Ideo sapientia dicitur ædificare hanc domum sapienter et exemplariter ac efficienter. Sapienter, in conjunctione limi, qui tunc erit immortalis, cum spirituali parte, videlicet anima, in qua tanquam in imagine Dei resultat ac fulget admirabilis sapientiæ decor. Exemplariter quoque, quoniam ipse reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Et item efficienter, quia ut ait glossa secundæ Corinthiorum : Resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis. Porro columna est cui innititur domus, sicut Ecclesia sacramentis : et ipsa Ecclesia reficiens ruinam domus istius, sacramentali gratia refulcitur. Septem ergo columnæ sunt septem gratiæ sacramentales, quæ cum ipsis sacramentis determinantur. Quæ excisæ dicuntur, quia in Christo diligenter sunt præparatæ. Hæc Albertus.

Prov. IX, 1. *Ps.* XXV, 8. *Philipp.* III, 21. II *Cor.* V, 15.

Præterea Bonaventura procœmium hoc assumit : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* In quo verbo diligenter considerato, explicatur et commendatur materia quarti libri Sententiarum, ad eruditionem exercitationemque nostram. Explicatur autem sub duplici tropo seu metaphora, utpote pigmentorum suavitatis et unctionum sanitatis. Ex quibus datur nobis intelligi, quod medicamenta sacramentalia suavia sunt atque salubria; et in hoc consistit tam medicamenti quam medici laus perfecta. Nihil enim ultra quærit ægrotus in medicina, nisi ut habeat suavitatem in usu et efficaciam in effectu; et qui hoc tribuit medicinæ, medicus est perfectus. Sunt ergo medicamenta sacramentalia, pigmenta odorifera et unguenta salutifera. Sed salutifera unguenta sunt respectu ægroti curandi, pigmenta vero odorifera respectu Dei placandi. Et hoc contra duo quæ facit culpa, quæ et Deum offendit et lædit naturam; et offendendo Deum exspoliat hominem gratia, et lædendo naturam naturalia vulnerat. Sacramenta ergo sunt medicamenta perfecta, quoniam Deum suavitate placant propitiumque efficiunt, et homini impetrant gratiam; vestiunt exspoliatum, roborantque infirmum, et sic naturalia reparant.

Eccli. XXXVIII, 7.

Ad hoc autem quod aliquis faceret pigmenta sic redolentia et unctiones sanantes, necesse erat quod nulla in eo esset immunditia, plenusque esset odoris fragrantia. Talis vero esse non potuit nisi Christus, qui ad instituendum sacrameuta Ecclesiæ, corpus sibi aptavit et assumpsit, qui non aliunde mendicavit odorem, sed in se et per se placuit Patri. Et ut odor iste quo plenus erat, derivaretur ad alios, obtulit se ipsum Deo Patri pro omnibus, juxta illud ad Ephesios : Qui dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. In cujus passione fractum est alabastrum, id est, corpus ipsius vulneratum ac mortuum, et domus impleta est ex odore unguenti : et sic de plenitudine ejus accepimus omnes, dum non solum ex ipsa passione Deus placatur, imo etiam in memorialibus ejus, id est ecclesiasticis sacramentis,

Ephes. V, 2. *Matth.* XXVI, 7. *Joann.* XII, 3.

in quibus dominica recolitur passio. Quæ etiam sacramenta sunt unctiones curantes vitiorum languores. Unctiones vero quæ erant in lege, fuerunt figurativæ, non curativæ. Ad hoc ergo quod aliquis faceret unguenta hujusmodi, oportebat quod afferret unctionem spiritualem, et virtutem vitalem. Et iste est Christus, summe et vere unctus,
Ps. XLIV, 8. juxta illud in Psalmo : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. Et
Joann. V, 26, 21. quia in se habuit vitam quemadmodum Pater, mortuos vivificare poterat; ideo fecit sacramenta curativa a morbo letali. Nempe dum nostram mortalitatem suæ immortalitati univit, et ille qui vita fuit, mortuus est, facta est confectio in qua et per quam mortui reviviscunt; et ex morte ipsius sacramenta efficaciam sortiuntur. — Hæc Bonaventura.

Is. XII, 3, 4. At vero Petrus pro prologo hic inducit : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; et dicetis in die illa, Confitemini Domino et invocatc nomen ejus.* In his duplex effectus sacramentorum, de quibus hic agitur, sufficienter exprimitur. Mundus
Rom. III, 23. quippe duplici incommodo tenebatur, videlicet culpæ et pœnæ sive miseriæ : omnes enim peccaverunt, et egebant gloria Dei. Christus vero contra culpam attulit gratiæ exuberautiam, atque lætitiam gloriæ contra miseriam. Hoc duplex beneficium Christi prædixit Isaias his verbis, promittens primo in præsenti abundantiam gratiæ salvantis a culpa, dicens : « Haurietis aquas »; secundo, in futuro lætitiam gloriosæ resurrectionis liberantis ab omni miseria, addens : « Et dicetis in die illa, Confitemini Domino ». Declarat quoque tres conditiones gratiæ lavantis a culpa, videlicet, gratiæ largitatem, ibi : « Haurietis aquas »; gratiæ utilitatem, dicendo : « in gaudio »; et ejus perennitatem,
Gen. VII. adjiciens : « de fontibus Salvatoris ». Largitatem quidem : nam sicut diebus Noe ad mundi purgationem factum est diluvium corporalium aquarum, ita temporibus Christi ad mundi salvationem factum est diluvium aquarum spiritualium, juxta illud Eccle-
Eccli. L, 3. siastici : In diebus illis emanaverunt putei aquarum. In cujus signum fluxit de latere
Joann. XIX, 34. Christi aqua in ablutionem pcccatorum. Unde Zacharias : Factus est fons patens domui
Zach. XIII, 1. David (id est vulnus apertum in latere Christi), in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Necessarium fuit diluvium harum aquarum, quoniam inundavit diluvium vitiorum. Has aquas antiqui haurire non poterant, quia non continebatur neque dabatur gratia
Jer. II, 13. in sacramentis eorum. Erant namque sicut cisternæ dissipatæ, quæ continere non possunt aquas, id est gratiarum fluenta. Propter quod conqueritur Dominus de Judæis,
Ibidem. legalia post Christi adventum servantibus, apud Jeremiam : Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas. Sacramenta autem evangelicæ legis continent
Is. LV, 1. abundantiam gratiarum, de quibus admonet Isaias : Omnes sitientes, venite ad aquas. Porro utilitatem gratiæ sacramentalis ostendit, addendo : « in gaudio ». Peccatum namque aufert gaudium duplex, videlicet : gaudium gratiæ in præsenti, et gaudium
Tob. V, 12. beatificæ visionis in futuro. Unde Tobias ait : Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Sed gratia sacramentalis tollit tristitiæ causam, id est
Ps. XLV, 5. peccatum, et utrumque restituit gaudium, juxta illud : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Perennitatem demum gratiæ pandit, addendo : « de fontibus Salvatoris ». Quemadmodum enim aqua fontium jugiter fluit, sic evangelicorum gratia sacramento-
Joann. IV, 13, 14. rum erit perennis, juxta illud Joannis : Qui biberit ex aqua hac, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ait autem de fontibus pluraliter, quoniam septem sunt

fontes sacramentales, ex quibus spiritualium aquarum abundantia fluit. Etenim de fonte Baptismi fluit aqua ad emundationem culpæ originalis; de fonte Pœnitentiæ, ad mundationem culpæ mortalis; de fonte Unctionis Extremæ, ad mundationem culpæ venialis; de fonte sacræ Ordinationis, ad mundationem ignorantiæ (tanquam maculæ obtenebrantis oculum mentis), quia in ea confertur clavis scientiæ; de fonte Eucharistiæ, ad mundationem malitiæ affectum fœdantis; de fonte Confirmationis, ad mundationem infirmitatis irascibilem deturpantis; de fonte Conjugii, ad mundationem concupiscentiæ concupiscibilem deordinantis. His septem ablutionibus mundatur lepra IV *Reg.* v, 10.
humani generis in aquis Jordanis. Hæc Petrus de Tarantasia.

Insuper Thomas de Argentina hanc præmittit præfationem : *Dedit abyssus vocem* *Habac.* III, 10.
suam. Magister Sententiarum in hoc quarto libro considerat plurimorum infirmorum efficacissimam curationem. Ex peccato namque primorum parentum, totum genus humanum jacebat per totum mundum ægrotum, variis ærumnis ac vitiis innumerisque miseriis sauciatum. Unde dixit Isidorus : Anima mea in angustiis est, spiritus meus æstuat, cor fluctuat, angustia animi me affligit, circumdatus sum malis, circumseptus miseriis. Taliter ergo genere humano vulnerato, et a latronibus spoliato, dum per- *Luc.* x, 30-31.
transiret sacerdos et Levita, id est lex naturalis atque Mosaica, nullam adhibuerunt medelam. Tandem supervenit verus Samaritanus, animarum ac corporum custos supremus, Verbum incarnatum, a Patre in mundum hunc destinatum, infuditque sauciato vinum et oleum. Vinum, inquam, doloris et compunctionis, contra præsumptionem; oleumque dulcoris et consolationis, contra desperationem. Et bene præmittitur vinum, quod est vulneris purgativum; deinde exprimitur oleum, quod est carnis mollificativum et cicatricis superductivum. Nam ut in epistola scribit Hieronymus : Non est fidelis medicus, qui ante digestam putredinem superducit vulneris cicatricem. Et hic Samaritanus sacramentorum fascia circumligavit vulnera illa, sicut tangit Magister in littera. — Hæc Argentinensis, qui de his plura prosequitur, quæ virtualiter sunt inducta.

D. PETRI LOMBARDI EPISCOPI PARISIENSIS

LIBER QUARTUS

SENTENTIARUM

DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS, SACRAMENTALIBUS SIGNIS, RESURRECTIONIS ET JUDICII EXTREMI CONDITIONE, DIVERSISQUE POST MORTEM ANIMARUM RECEPTACULIS.

DISTINCTIO PRIMA

A. *De sacramentis et signis sacramentalibus.*

SAMARITANUS enim vulnerato appropians, curationi ejus sacramentorum alligamenta adhibuit : quia contra peccati originalis et actualis vulnera, sacramentorum remedia Deus instituit. De quibus quatuor primo consideranda occurrunt : quid sit sacramentum; quare institutum; in quibus consistat et conficiatur; et quæ sit distantia inter sacramenta veteris et novæ legis. *Luc.* x, 33, 34.

B. *Quid sit sacramentum.*

Sacramentum est sacræ rei signum; dicitur tamen sacramentum etiam sacrum secretum, sicut sacramentum Divinitatis : ut sacramentum sit sacrum signans, et sacrum signatum. Sed nunc agitur de sacramento secundum quod est signum. Item, sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Signum vero est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire. Signorum vero alia sunt naturalia, ut fumus significans ignem; alia data. Et eorum quæ data sunt, quædam sunt sacramenta, quædam non : omne enim sacramentum est signum, sed non econverso. Sacramentum ejus rei similitudinem gerit, cujus signum est. Si enim sacramenta non haberent similitudinem rerum quarum sacramenta sunt, proprie sacramenta non dicerentur. Sacramentum enim proprie dicitur quod ita signum est gratiæ Dei, et invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat et causa exsistat.

Hugo, Summa Sent. tract. IV, c. 1.

Aug. de Doctrina christ. lib. II, n. 1, 2.

C. *Quod legalia melius dicuntur signa quam sacramenta.*

Hugo, Summa Sent. tract. IV, c. 1. — *Hebr.* IX, 13. — Aug. Quæst. in Heptateuch. lib. IV, q. 33, n. 10. — *Num.* XIX, 11, 12. — *Rom.* III, 20.

Non ergo significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, et non sacramenta : sicut fuerunt sacrificia carnalia et observantiæ cærimoniales veteris legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes : quia ut ait Apostolus, sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ adspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non animæ. Nam inquinatio illa erat contactus mortui. Unde Augustinus : Nihil aliud intelligo inquinationem quam lex mundat, nisi contactum mortui hominis, quem qui tetigerat, immundus erat septem diebus; sed purificabatur secundum legem die tertio et septimo, et ita mundus erat, ut jam intraret in templum. Mundabant etiam interdum a corporali lepra illa legalia. Sed nunquam ex operibus legis aliquis justificatus est, ut ait Apostolus, etiam si in fide et in caritate fierent. Quare? Quia imposuit ea Deus in servitutem, non in justificationem, et ut figura futuri essent, volens sibi ipsi potius offerri ea quam idolis. Illa ergo signa erant; sed tamen et sacramenta, licet minus proprie, in Scripturis sæpe vocantur : quia signa erant rei sacræ, quam utique non præstabant. Illa autem Apostolus opera legis dicit, quæ tantum significandi gratia vel in onus instituta sunt.

D. *De causa institutionis sacramentorum.*

Hugo, Summa Sent. tract. IV, c. 1; de Sacram. lib. I, p. IX, c. 3. — Hier. Epist. 125, n. 11.

Triplici autem de causa sacramenta instituta sunt : propter humiliationem, eruditionem, exercitationem. Propter humiliationem quidem, ut dum homo in sensibilibus rebus; quæ natura infra ipsum sunt, ex præcepto Creatoris se reverendo subjicit, ex hac humilitate et obedientia Deo magis placeat, et apud eum mereatur, cujus imperio salutem quærit in inferioribus se, etsi non ab illis, sed per illa a Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, ut per id quod foris in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem, quæ intus est, agnoscendam mens erudiatur. Homo enim qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum adeo hebuit, ut nequaquam divina queat capere, nisi humanis exercitatus. Propter exercitationem similiter instituta sunt, quia quum homo otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam et noxiam declinet occupationem. Non enim facile capitur a tentatore, qui bono vacat exercitio. Unde Hieronymus monet : Semper aliquid boni operis facito, ut te occupatum diabolus inveniat.

E. *De triplici genere exercitationis.*

Hugo, Summa Sent. tract. IV, c. 1.

Sunt autem exercitationum tres species : una ad ædificationem animæ pertinet, alia ad corporis fomentum, alia ad utriusque subversionem. Quum igitur absque

sacramentis, quibus non alligavit potentiam suam Deus, homini gratiam donare posset, prædictis de causis sacramenta instituit. Duo autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet verba et res : verba, ut invocatio Trinitatis; res, ut aqua, oleum, et hujusmodi.

F. *De differentia sacramentorum veterum et novorum.*

Jam videre restat differentiam sacramentorum veterum et novorum, ut sacramenta vocemus quæ antiquitus res sacras signabant, ut sacrificia et oblationes, et hujusmodi. Eorum autem differentiam breviter Augustinus assignat dicens, quia illa promittebant tantum et significabant, hæc autem dant salutem. Aug. in ps. 73, n. 2.

G. *De circumcisione.*

Fuit tamen inter illa sacramenta sacramentum quoddam, scilicet circumcisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc Baptismus præstat. Unde Augustinus : Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis et parvulis originalis veterisque peccati; sicut Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est. Item Beda : Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cœlestis januam nondum intrare poterant; tamen in sinu Abrahæ post mortem requie beata consolati, supernæ pacis ingressum spe felici exspectabant. — His aperte traditur, per circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis et actualis parvulis et majoribus a Deo præstitam, sicut nunc per Baptismum datur. Aug. de Nuptiis et Concup. lib. II, n. 24. *Rom.* IV, 11. Beda, Hom. lib. I, hom. 10. Hugo, Summa Sent. tract. IV, c. 1.

H. *De viris qui fuerunt ante circumcisionem, et de feminis quæ fuerunt ante et post.*

Quæritur etiam de viris qui fuerunt ante circumcisionem, et de feminis quæ fuerunt ante et post, quod remedium contra peccatum habuerint. Quidam dicunt, sacrificia et oblationes eis valuisse ad remissionem peccati. Sed melius est dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per circumcisionem justificatos; mulieres vero per fidem et operationem bonam, vel suam, si adultæ erant, vel parentum, si parvulæ; eos vero qui fuerunt ante circumcisionem parvulos, in fide parentum, parentes vero per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis, justificatos. Unde Gregorius : Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. Hugo, ubi supra. Gregor. Moral. lib. IV, præfat. c. 3.

I. *De institutione et causa circumcisionis.*

Hic dicendum est, in quo instituta fuerit circumcisio, et quare, et cur mutata per Baptismum. Abraham primus mandatum circumcisionis habuit, ad probationem obedientiæ; nec ei soli præcepta fuit circumcisio, sed semini ejus, id est omnibus Hebræis : quæ fiebat secundum legem octava die, lapideo cultro, in carne præputii. Data autem fuit circumcisio pluribus de causis, scilicet ut per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per prævaricationem Adam displicuerat. Data etiam fuit in signum magnæ fidei Abrahæ, qui credidit se habiturum filium in quo fieret benedictio omnium. Deinde, ut hoc signo a ceteris nationibus discerneretur populus ille. In carne vero præputii ideo jussa est fieri circumcisio, quia in remedium instituta est originalis peccati, quod a parentibus trahimus per concupiscentiam carnis, quæ in parte illa magis dominatur; et quia in parte illa culpam inobedientiæ primus homo sensit, decuit ut ibi signum obedientiæ acciperet.

Gen. XVII, 11, 12. *Josue* V, 2. Glossa ordin. in Gen. XVII, 10. Hugo, Summa Sent. tract. IV, c. 1.

K. *Quare die octavo, et petrino cultro.*

Ibidem.

Fiebat autem octavo die, et petrino cultro : quia et in resurrectione communi octava ætate futura, per petram Christum omnis ab electis abscindetur corruptio, et per Christi resurrectionem octava die factam, circumciditur a peccatis anima cujusque in eum credentis. Duæ ergo res sunt illius sacramenti.

L. *Quare in Baptismum mutata sit circumcisio.*

Ideo autem mutata est circumcisio per Baptismum, quia sacramentum Baptismi communius est et perfectius, quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio vel augmentum ibi præstabatur, ut in Baptismo, ubi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adjutrix confertur, et virtutes augentur. Unde aqua refectionis vel regenerationis dicitur, quia aridos fecundat, et jam fructificantes ampliori ubertate donat, quia quantumcumque per fidem et caritatem ante habitam aliquis justus ad Baptismum accedit, uberiorem ibi recipit gratiam, sed non ita in circumcisione. Unde Abrahæ per fidem jam justificato signaculum tantum fuit, nihil ei intus contulit.

Ps. XXII, 2.

M. *De parvulis defunctis ante diem octavum.*

Hugo, ubi supra.

Si vero quæritur de parvulis qui ante diem octavum moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex lege, utrum salvarentur vel non; idem potest responderi quod sentitur de parvulis ante Baptismum defunctis, quos perire constat. Unde Beda :

Qui nunc per Evangelium suum terribiliter et salubriter clamat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei; ipse dudum clamabat per suam legem, Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Forte tamen sub lege, ingruente necessitate mortis, ante octavum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modo in Ecclesia fit de Baptismo.

Beda, Hom. lib. I, hom. 10.
Joann. III, 5.
Gen. XVII, 14.

SUMMA
DISTINCTIONIS PRIMÆ

PRÆMITTIT Magister primæ huic distinctioni præfatiunculam brevem, in qua fini tertii libri immediate præcedentis continuat se et connectit, utens conjunctione ista causali, enim, dicendo : Samaritanus enim vulnerato appropians. In fine equidem tertii dixit : « Audistis decem chordas Psalterii utrique sexui impositas», id est decem præcepta Decalogi viris ac feminis jussa, quorum observantia dulcem coram Deo efficit melodiam ; « quæ caritate », id est ex imperio et motione caritatis infusæ, « tangendæ sunt », id est, proportionaliter ac ordinate implendæ, « ut vitiorum feræ occidantur», id est, irrationabiles atque indomiti motus et actus exstirpentur. Quibus in exordio hujus quarti protinus addit: « Samaritanus enim », id est, Unigenitus Dei incarnatus, verus et summus hominum custos, « vulnerato appropians», id est, ad genus humanum descendens, ad curandum vulnera ejus, « curationi ejus sacramentorum alligamenta adhibuit », id est, sacramentales applicationes apposuit, ad efficiendum curationem ipsius accommodas. Unde expositorie subditur : « quia contra peccati originalis et actualis vulnera, sacramentorum remedia Deus instituit ». Ipsa autem peccata sunt spiritualia vulnera; effectus quoque vitiorum ex peccatis secuti, sunt vulnera quædam. Sic et ipsa sacramenta sunt culparum remedia, similiter effectus et gratiæ sacramentales. De quibus sacramentis sunt quatuor consideranda. Primo, quid sit sacramentum. Secundo, quare desuper sit institutum, id est qua ratione, qua necessitate, quo fructu, quo fine. Tertio, in quibus consistat et conficiatur, id est de materia et forma sacramentorum, et de iis quæ spectant ad solennitates eorum. Quarto, quæ sit distantia, id est differentia, inter sacramenta veteris et novæ legis. Deinde Magister in littera definit sacramentum, et qualiter diversimode capiatur. Et de sacramentis veteris legis specialiter tractat, triplicem causam institutionis eorum assignans. Et quoniam una est exercitatio utilis, ostendit triplicem esse exercitationem. Post quæ prosequitur alia duo, videlicet in quibus sacramenta consistant, et qualiter utriusque legis sacramenta ab invicem distinguantur. Deinceps tractat de Mosaicæ legis sacramento, puta de circumcisione, circa quam multa utiliter quærit, ut patet in littera.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Quid sit sacramentum, et de variis definitionibus seu descriptionibus ejus.**

Sacramentum quippe primo describitur hic in textu : Sacramentum est sacræ rei signum. Quæ descriptio videtur invalida, quum omnis creatura sit effectus et signum ac participata similitudo omnipotentiæ, sapientiæ et bonitatis sui Creatoris. Sicque quælibet creatura esset sacramentum.

Secunda definitio sacramenti est quam assignat Magister : Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ut et imagi-

nem gerat et causa exsistat. — Contra quam objicitur, quoniam sacramentum omne consistit ex forma atque materia : ergo non est forma, quum pars non prædicetur de toto. Secundo, quoniam corpus Christi est sacramentum, non tamen est forma. Tertio, quoddam sacramentum est invisibile, ut character sacerdotalis, et matrimonium, quod est quædam relatio quæ non consistit visibilis.

Tertia definitio sacramenti est Augustini : Sacramentum est, in quo sub tegumento visibilium rerum virtus divina secretius operatur salutem. — Contra quod instatur, quoniam angeli sancti sub sensibilibus formis apparent hominibus, et salutem operantur in eis instrumentaliter, Deo operante per eos principaliter : ergo sunt sacramenta. Sic quoque per ministros Ecclesiæ Deus operatur salutem in subditis sub tegumento sensibilium rerum, ut sunt membra et vestes, ac ministri.

Quarta definitio est Hugonis : Sacramentum est corporale vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione invisibilem gratiam continens. — Contra quod arguitur, quia ista descriptio est secundæ descriptioni repugnans, in qua dictum est, Sacramentum est visibilis forma invisibilis gratiæ. Materiale namque elementum et forma visibilis, non sunt realiter idem.

Ad hæc S. Thomas respondet, et primo de prima descriptione, quod sacramentum secundum proprietatem vocabuli videtur importare sanctitatem active, ut dicatur sacramentum quo aliquid sacratur, quemadmodum ornamentum quo aliquid adornatur. Quumque actiones activorum debeant esse proportionatæ conditionibus passivorum, ideo in sanctificatione qua homo sanctificatur, debet esse talis modus sanctificandi qui competat homini secundum quod rationalis est, quia ex hoc est homo. In quantum autem est rationalis, competit sibi habere cognitionem ex sen-

A sibilibus inchoatam et ortam : hinc oportet quod taliter sanctificetur, quod sibi sua sanctificatio innotescat per similitudines sensibilium rerum. Et juxta hoc, sacramentum multipliciter sumitur. Interdum namque sacramentum significat rem qua seu per quam fit consecratio seu sanctificatio : sicque passio Christi sacramentum vocatur. Et hæc est prima sacramenti acceptio quam ponit Magister. Quandoque vero includit modum consecrationis, qui competit homini secundum quod causæ
B sanctificantes ipsum et sanctificatio sua per similitudines sensibilium sibi notificantur. Et sic sacramenta legis novæ sacramenta vocantur, quia et consecrant, et sanctitatem significant, imo et primas sanctificationis significant causas : sicut Baptismus sanctificat et puritatem designat, et signum est mortis Christi. Interdum quoque sacramentum includit tantum significationem consecrationum dictarum, sicut signum sanitatis dicitur sanum : sicque sacramenta veteris Testamenti sacra-
C menta dicuntur, in quantum significant ea quæ in Christo sunt gesta, et ipsa sacramenta evangelicæ legis. Relicto igitur primo modo sumendi sacramentum, quoniam de hujusmodi sacramentis dictum est tertio libro, de sacramentis secundo et tertio modo dictis non poterit alia communis definitio assignari quam hæc : Sacramentum est rei sacræ signum ; nisi quod oportet subintelligi modum significandi, qui est per similitudinem rei sensibilis, quod Magister addit, dicendo : ut ejus similitu-
D dinem gerat.

Per quod patet solutio ad objectum. Res enim sensibiles non sunt signa divinorum ut sunt sacrantia, sed ut sunt in se ipsis quædam sacra. Sacramentum autem appellatur signum rei sacræ ut est sacrans. — Præterea advertendum, quod quum triplex sit signum, utpote rememorativum præteriti, demonstrativum præsentis, et prognosticum futuri ; sacramentum quolibet horum modorum dicitur signum. Sacramenta etenim novæ legis tria significant,

videlicet : causam primam sanctificantem meritorie, sicut Baptismus mortem Christi : et quantum ad hoc, sunt signa rememorativa. Significant quoque effectum sanctificationis quem faciunt, et hæc significatio eis est principalis : et ita sunt signa demonstrativa præsentis. Nec obest, si quis sanctificationem non recipit, quia hoc non est ex sacramenti defectu, quod quantum in se est, natum est gratiam conferre. Significant etiam finem sanctificationis, id est salutem æternam : et ita sunt signa prognostica. Sacramenta vero veteris Testamenti erant solum prognostica. — Si autem objiciatur, quod signum contra causam dividitur ; quum ergo sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ, videtur quod non sint signa : dicendum, quod causa et signum frequenter sunt idem in re, quamvis formaliter distinguantur.

Præterea de definitione secunda, quæ est Magistri, respondeo, quod definitio illa Magistri completissime rationem sacramenti designat, prout de sacramentis nunc loquimur. Ponitur enim in ea efficientia sanctificationis, quum dicitur, Ut causa exsistat ; et modus competens homini quantum ad cognitionem, in eo quod dicit, Invisibilis gratiæ visibilis forma ; modus quoque significationis hominis connaturalis ex similitudine sensibilium, dum ait, Ut imaginem gerat. In qua etiam definitione visibile ponitur pro sensibili. Visus namque inter alios sensus exteriores exstat nobilior, idcirco nomen visus ad alios sensus extenditur. — Ad primum ergo dicendum, quod in omni sacramento concurrit aliquid habens se per modum materiæ, et aliquid per modum formæ ; non tamen forma et materia sunt de essentia sacramenti, prout hoc infra magis patebit. — Ad alia dicendum, quod corpus Christi, matrimonium, et sacerdotalis character, non sunt sacramenta nisi secundum quod conjunguntur exterioribus sensibilibus signis.

Insuper de definitione Augustini dicendum (si tamen in verbis illis sacramentum
A definire intendit), quod definitio illa datur de sacramento quantum ad id quod est principale in ratione ipsius, quod est sanctificationem causare. Quumque sacramenta non sint primæ causæ sanctitatis, sed quasi secundariæ et instrumentales ; ideo definiuntur ut sanctificationis instrumenta. Actio autem non attribuitur proprie instrumento, sed principali agenti, cujus virtute instrumenta applicantur ad opus, prout sunt mota ab ipso : ideo sacramenta non dicit esse sanctificantia, sed quod di-
B vina virtus secrete operetur in eis sanctificando. — Ad objectum ergo dicendum, quod ex angelo et effectu quem producit, non resultat quid unum, sicut ex his quæ in sacramento materialiter formaliterque concurrunt. Idem dicendum de ministro Ecclesiæ.

De quarta definitione est respondendum, quod definitio illa Hugonis eadem est cum definitione Magistri, hoc dempto, quod addit causam significationis quæ est institutio, et causam efficientiæ quæ est sanctifi-
C catio. Idem quippe est dicere, Materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans ; quod, Invisibilis gratiæ visibilis forma ; et, Ex similitudine repræsentans, idem est huic, Ut imaginem gerat ; et, Ex sanctificatione invisibilem gratiam continens, idem est ei quod subditur, Ut causa exsistat. — Ad objectum dicendum, quod in artificialibus et accidentalibus interdum materiale, aliquando formale enuntiatur de re. Nam dicimus : Album est lapis, album est quali-
D tas seu accidens. Elementum quoque in hac descriptione accipitur pro quocumque corporali visibili, sive sit simplex sive elementatum. Et utitur Hugo hoc modo loquendi propter verbum Augustini, dicentis : Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. In Baptismo equidem materia est elementum simplex, ut aqua ; in Extrema Unctione materia est quid mixtum, ut oleum. — Præterea advertendum, quod sacramentum non dividitur per sacramenta novæ ac veteris legis, sicut genus

per species, sed sicut analogum in suas partes, ut sanum dividitur in habens sanitatem et significans. Sacramentum autem simpliciter est quod causat sanctitatem. Quod autem tantum significat sanctitatem, non est sacramentum, nisi secundum quid. — Hæc Thomas in Scripto.

Consonat Petrus, et addit : Sicut ornamentum dicitur ab ornando active, non passive; sic sacramentum a sacrando active, non passive. Quod fieri potest tripliciter : primo, sanctitatem efficiendo tantum; secundo, sanctitatem significando tantum; tertio, simul efficiendo et significando : quemadmodum medicina dicitur sana efficiendo tantum, urina significando tantum, exercitatio modo utroque. Primo modo sacramentum dicitur sacrum signatum, ut passio Christi; secundo modo, signum rei sacræ; tertio modo, signum et causa rerum sacrarum. Primo modo ratio sacramenti convenit rebus significatis tam novæ quam veteris legis; secundo modo, signis veteris Testamenti; tertio modo, signis novi Testamenti. Primo modo sacramentum accipitur large; secundo, minus large; tertio, stricte ac proprie. Denique, de ratione sacramenti proprie sumpti, sunt tria, ut Hugo expresse fatetur. Primum est similitudo naturalis, ex qua aptitudinem habet significandi. Secundum est actualis institutio expressa vel occulta, ex qua habet determinatam ordinationem respectu hujus significati. Tertium est spiritualis sanctificatio, ex qua habet virtutem efficiendi. — Si autem dictis objiciatur, quia secundum primam definitionem sacramenti, qua dicitur, Sacramentum est sacræ rei signum, hæc dictio, Deus, esset sacramentum, quia est sacræ rei signum; dicendum, quod voces hujusmodi signa sunt rei sacræ in quantum est res, non in quantum sacra. — Idem respondendum, si arguatur de imagine Christi, quæ est signum rei sacræ. Vel dicendum, quod signum hic dicitur, quod habet significare rem sacram ab aptitudine naturalis similitudinis, et ab actu institutionis, quorum

A primum deficit in hujusmodi vocibus. — Hæc Petrus. Qui primam definitionem sacramenti dicit esse Magistri, secundam vero et tertiam Augustini. Ad quod dici potest, quod secunda est Augustini inchoative seu partim, Magistri vero completive atque totaliter. Ait etenim Augustinus in libro de Doctrina christiana : Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Quam Magister hic explanando complet, et addit dicendo : Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut similitudi-

B nem ejus gerat et causa exsistat.

Concordat Albertus, cujus dicta de definitionibus sacramenti, in verbis Thomæ præhabitis virtualiter continentur, et clarius exprimuntur.

Porro Bonaventura quærit, an de ratione sacramenti sit aliquid significare. Respondet : Sacramentalis medicina in sua integritate habet significationem, et hæc communis est et essentialis omnibus sacramentis. Cujus ratio est, ut credo, quoniam sacramentalis medicina, id est sacra-

C mentum, est sufficiens medicamentum. Quumque homo sit lapsus non tantum in concupiscentiæ pronitatem, sed etiam in ignorantiæ cæcitatem; ideo ut in utroque per sacramentum curetur, sacramentum non solum debet habere quid gratuitum, sed etiam mysticum, sicque exsistere debet sanctificativum* et significativum. Rursus, sufficiens medicina secum defert suum præparatorium. Unde sicut medicina corporalis non prodest, nisi suscipiens præparetur ad eam, ita necesse est spiri-

D tualiter fieri. Et quoniam fides disponit hominem ut salutifera ei sint sacramenta, motusque fidei excitatur per signi exhibitionem ut requirit signatum, et per hoc homo ad curationem disponitur; ideo sacramentum tanquam medicina efficax atque sufficiens, habet significationem de sua integritate, ita quod sacramentum essentialiter loquendo sit signum. Hæc Bonaventura in Scripto quarti.

Insuper in Breviloquio suo disseruit : Principium reparativum, quod est Verbum

* alic gurati

incarnatum, quod sapientissime cuncta dispensat, quia divinum, et clementissime curat, quia divinitus incarnatum, sic habet reparare et sanare genus humanum ægrotum, secundum quod ipsi competit ægrotanti, ægritudini, occasionique ægrotandi, et ægritudinis curationi. Porro medicus est Deus, in propria natura invisibilis, in natura humana visibilis. Ægrotans autem est homo, qui non est anima tantum, nec corpus tantum, sed spiritus in carne mortali. Morbus vero est originale peccatum, quod per ignorantiam inficit mentem, et per concupiscentiam carnem. Origo quoque hujus peccati, quamvis principaliter fuerit ex rationis consensu, occasionem tamen sumpsit a sensibus carnis. Idcirco ad hoc quod medicina esset correspondens his omnibus, oportuit quod non esset tantum spiritualis, imo et aliquid haberet de sensibilibus signis, quatenus sicut hæc sensibilia fuerunt animæ labendi occasio, sic essent et occasio resurgendi. Quumque sensibilia signa de se non habeant efficacem ordinationem ad gratiam, quamvis ex sua natura habeant repræsentationem ejus longinquam, oportuit ut ab auctore gratiæ instituerentur ad significandum, et benedicerentur ad sanctificandum : ut sic essent ex naturali similitudine repræsentantia, ex adjuncta institutione significantia, ex superaddita benedictione sanctificantia. Rursus, quoniam gratia curativa non datur superbis, incredulis, fastidiosis, oportuit hæc signa sensibilia divinitus institui, quæ non solum sanctificarent gratiamque conferrent, atque per hoc sanarent, verum etiam significatione erudirent, et susceptione humiliarent, ac diversificatione exercitarent : quatenus sic per exercitationem exclusa acedia a concupiscibili, et per eruditionem exclusa ignorantia a rationali, per humiliationem quoque exclusa superbia ab irascibili, tota anima curaretur per gratiam Spiritus Sancti. Itaque ortus sacramentorum est Christus; usus eorum est actus exercitativus, eruditivus et humiliativus; fructus vero, curatio hominum, sanctitas et salus. Hæc Bonaventura.

At vero Scotus : Sacramentum, inquit, definiri sic potest. Sacramentum est signum sensibile, gratiam seu effectum Dei gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, effectum, inquam, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Eadem namque est ratio exprimens quod per nomen significatur seu dicitur, et vera definitio : quia secundum Philosophum quarto Metaphysicæ, ratio quam nomen significat, est ejus definitio. Nomen enim imponitur ad significandum essentiam rei. Ergo ratio quæ exprimit quod significatur per nomen distincte et per partes, exprimit etiam distincte per partes conceptus essentiæ rei. In hac autem ratione nominis hujus includitur aliquid quod dicit ens rationis, videlicet quod est signum ex institutione. Ista namque relatio non consequitur fundamentum ex natura rei, quia etsi in re sit aptitudo ad significandum, tamen actualis significatio non competit ei nisi per actum imponentis. Restringendo ergo istam definitionem ad quid proprie dictum extra animam, ipsa non exprimit quid sacramenti : ergo non potest esse definitio eo modo quo est ratio entis completi extra animam, sed eo modo quo definitio exprimit unum conceptum per se in intellectu, sive iste conceptus sit rei extra, sive rei rationis; et talis bene potest definiri. Hæc Scotus.

Præterea Thomas de Argentina hic quærit, utrum sacramentum sit definibile. Et respondet : Definitio tripliciter sumitur. Primo largissime, secundo propriissime, tertio medio modo. Primo modo omne nominabile seu aliquo modo designabile, est definibile. Sic namque definitio non est nisi distincta expressio ejus quod designatur per nomen confuse et indistincte. Sicque definiri possunt negativa et privativa, et quæcumque figmenta. Sic quoque fortassis Aristoteles sumpsit definitionem quarto Metaphysicæ, dicens : Definitio est ratio quam significat nomen. Secundo modo ni-

hil est definibile nisi substantia, quia sic A nihil ponitur in definitione nisi intrinsecum definito et spectans ad ejus essentiam. Tertio modo, quamvis res definiatur per sibi intrinseca, ut per genus et differentiam, attamen quia dependet ab extrinseco aliquo in tantum quod sine eo perfecte notificari non potest ; ideo talis definitio datur per additamenta. Sicque definiuntur accidentia, quorum esse est inesse, quantum ad accidentia absoluta, vel ad aliud esse, quantum ad respectiva. Quumque definitio sit sermo dicens, quid B est esse rei ; ideo accidentia absoluta perfecte nequeunt definiri sine subjecto cui insunt, nec respectiva sine termino ad quem sunt. Ex his innotescit, quod sacramentum est definibile primo modo, sicut et significabile ; item tertio modo, quum habeat genus et differentiam, ac subjectum seu terminum. Non autem est definibile modo secundo, quum non sit formaliter ac directe substantia, ut infra magis patebit. Hæc Argentinensis.

Quod fidelis populus est quasi civitas, templum, habitatio, exercitus, ecclesia Dei : in quo populo oportuit semper esse aliqua sacramenta, tanquam signa civilitatis pertinentium ad istam communitatem, ad quorum assumptionem tenentur concives.

Ps. LXXXVI, 3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

De hac re scribit pulcherrime Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali : Imaginabimur, inquiens, civitatem ex hominibus aggregatam ita perfectis, ut tota eorum vita sit Dei honorificentia atque obsequium, tota debitæ* honestatis officium, tota aliorum subsidium. Manifestumque est quod comparatione civitatis istius totum residuum hominum sit quasi silva inculta, et singuli residui homines quasi ligna silvatica. Rursus, residuum hominum est quasi lapidicina, et singuli aliorum sunt quasi lapides rudes. Civitas autem ista est quasi ædificium nobile, valde magnificum e lignis cæsis, artificiosissime sculptis et politis, omni decore architecturæ ornatis ; singuli vero cives sunt quasi saxa et ligna pretiosa ac splendida, omni architectonica diligentia decorata. Nempe quod tumor, tortitudo, curvitas putriditasve in lignis, hoc vitia et peccata in animabus ; et quod rectitudo, planities, firmitasque in lignis atque lapidibus, hoc sunt sapientia, gratia et virtutes in animabus. Denique, quod cæmentum et clavi ac ceteræ ligaturæ inter ligna et lapides, hoc dilectio mutua et spirituales necessitudines inter hominum animas. Quumque virtutes et gratiarum charismata, sapientiæ quoque ac scientiæ lumina a solo sint Deo, constat solum altissimum Deum esse ædificatorem Ecclesiæ, qui et specialem ac præcipuam habet curam et providentiam ejus.

* alias debitum

Hic populus vere christifidelis, templum Dei vocatur propter cultum et honorificentiam Creatoris, cujus se cultui C principaliter finaliterque impendit. Dicitur item civitas, propter saluberrimam pacem et jucundissimam societatem civium ejus ad invicem, quibus sub Deo rege secundum ejus sacratissimam vivit legem. Est etiam domus Dei, Deum verum patremfamilias habens, in qua singulis victus et vestitus spirituales providentur ab ipso. Est item ager et hortus et vinea, cujus ipse plantator est et excultor. Est insuper Dei exercitus, propter bellicum apparatum et assidua certamina contra errores et vi- D tia. Idcirco qui templum istud ingrediuntur, necessario sanctificari habent ad Dei cultum, et quodammodo fieri sacerdotes. Similiter qui urbem hanc intrant, ut cives ejus constituantur, necesse habent civilitatem ejus suscipere, hoc est, leges et statuta moresque subire. Sic et qui domum hanc optant intrare, tenentur tanto patrifamilias debito famulatu ac domestica familiaritate subdi ac adhærere. Sic qui de hoc exercitu esse satagunt, opus habent spiritualem exercere militiam, et contra

adversarios regis sui efficaciter præliari. A Quumque ad ista sanctificatio necessaria sit, nemo potest sic effici civis Ecclesiæ nisi sanctificatus : imo ipsa sanctificatio ingressio est. Nihil enim aliud est sanctificatio, quam contaminationum, id est errorum et vitiorum, abjectio, et divinorum donorum susceptio. Et rursus, quoniam ædificatio ista est aggregatio et associatio hominum ad Dei obsequium, associatio autem et aggregatio fieri nequit nisi communione visibilium aliquorum ; constat quod ædificatio ista fieri non valeat nisi B sanctificatione visibili, seu signo sanctificationis sensibili.

Præterea, nec aggregatio seu associatio aut communio ista spiritualis interior, fieri potest sine communione visibili. Qualiter enim ad invicem socios se habebunt, si non noverint se socios esse? Qualiter autem hoc cognoscent, nisi visibili communione ab aliquo signo, quod oportet esse sensibile? Necesse est ergo sanctificatione visibili ædificationem hanc fieri. Insuper, oves ejusdem gregis visibili signo aliquo C dignoscuntur, atque ab aliis discernuntur. Similiter contubernia militum signis, et sacræ ædes, id est templa, a communibus ac profanis ædibus secernuntur. Ergo et hoc templum vivum et verum, quod est Ecclesia ac civitas Dei, ab aliis aggregationibus hominum certis hujusmodi signis, et sacerdotes ejus ab aliis hominibus oportet distingui. Denique, omnis civilitas nobilis visibili aliquo signo dari consuevit et dignosci, sicut civilitas Romana pænula ; omnis militia, id est dignitas militaris, si- D militer aliquo signo visibili, sicut accinctione gladii ; item omnis administratio et omne officium, sicut thesaurorum custodia traditione clavium ; item omnis honor, omnis dignitas, sicut honor regius aut impositione coronæ visibilis, aut collocatione in throno visibili ; item omnis hereditas, omne donum immobile, non consuevit conferri nisi sub signo visibili, sicut traditione annuli aut alterius rei visibilis : licet hæc omnia fieri possunt aliter. Quia igitur ut militaris dignitas, imo sacerdotalis honor esset regius, regni scilicet spiritualis et æterni, in ipsa sanctificatione tribuitur ; conveniens fuit et hominibus perutile, sub signis visibilibus ut omnia hæc quæ nominavimus, hoc est dignitas sacerdotalis, etiam nobilis civilitas, et militare officium, et cœlestis regni hereditas, conferrentur.

Et hoc, primum propter eruditionem suscipientium, videlicet ut et signis visibilibus ista spiritualia tam necessaria tamque salubria cognoscerentur, et quæ alias cognosci non poterant communiter, ab ineruditis cognoscerentur, et cognita amarentur, amata quærerentur, quæsita ab omnium bonorum largitore benignissimo obtinerentur, obtentis Deo ad gloriam serviretur, et servitio æternæ retributionis merces acquireretur. Secundo ad gratitudinem seu devotionem. Quis enim ad tam sublimia, et a meritis suis tam remota, tanta indebitæ gratiæ largitate vocari et assumi se videat, et non in divinæ bonitatis admirationem et laudem erumpat? Sublimitas autem hujusmodi donorum ac nobilitas, signis visibilibus communitati hominum in commune innotescit. Tertio ad humiliationem. Quis enim altitudinem donorum istorum attendat, et quam longe sunt a meritis suis consideret, et non statim infra limites suæ parvitatis resiliens se colligat, divinæ largitatis beneficentiam admirans erga se, non obstupescat, dum merita sua nulla aut forte contraria intuetur, beneficia vero se nec posse æstimare nec et cogitare? Et hæc est vera humiliatio, meritorum evacuatio, et attenuatio, et indignitatis recognitio. Utilia etiam sunt ad roborationem seu confirmationem suscipientium. Quis enim sacratum se, seu sanctificatum animo teneat, et non ex hoc contra immunditiam, alias exsecrationem, excandescat? Quis inunctum in regem se recolat, et non contra vilissimam nequissimamque vitiorum servitutem totis viribus se accingat? Quis militari officio præditum se sciat, et arma ignorare imbellem-

que se esse, infideliter ac ignaviter in bello agere non erubescat? Quis tam præclara civilitate honoratum se gaudeat, et eversioni civitatis suæ seu cuicumque alii calamitati se opponere negligat, legesque ejus ac jura pro viribus non defendat?

Quia ergo signa visibilia ista quæ numeravimus, maxime memoriis hominum infigunt aut imprimunt, et fortes imaginationes inducunt, in quibus quatuor affectiones memoratæ et excitantur et adjuvantur, manifesta est necessitas et utilitas hujusmodi signorum. Apparet enim ex his quæ diximus, quia ingressus in hanc civitatem sanctificatio est (ingressus qualem descripsimus), qua sanctificatione omnis exsecratio exuitur et deponitur : quemadmodum in ingressu in structuram omnis tumorositas et omnis inæqualitas lapidum deponitur, alioqui in illam non admittuntur. Quemadmodum frondositas lignorum ac grossitudo ac tortuositas, aliaque omnia quæ ligna ædificiis inepta faciunt nisi omnino essent amota, in ipso ingressu in ædificium necessario deponuntur; sic et ipso ingressu istius ædificii, ad similitudinem et proportionem quas supra expressimus, fieri necesse est. — Hæc Guillelmus, qui istud diffuse et pulchre prosequitur, prout infra Deo præstante tangetur, ubi de causis institutionis sacramentorum edisseretur.

QUÆSTIO II

Secundo hic quæritur, **Utrum in qualibet lege, hoc est in lege naturali, in lege scripta, et in lege evangelica, humanum genus indiguit sacramentis.**

Videtur quod non. Primo, quia infusio caritatis seu gratiæ gratum facientis, sufficit ad salutem. — Secundo, perfectio hominis consistit in abstractione a sensibilibus rebus et in elevatione ad divina, immaterialia ac invisibilia bona : ergo contra salutem et perfectionem est hominis,
A in rebus corporalibus ac sensibilibus quærere salutis auxilium. — Tertio, contra dignitatem rationalis creaturæ videtur, ut in rebus inanimatis et vilibus opem quærat suæ interioris curationis. Sacramenta autem in rebus inanimatis et vilibus exhibentur, ut in aqua et oleo. — Quarto, inferiora et sensibilia nec agere valent, neque imprimere in spirituales essentias, ut sunt animæ rationales : quum ergo sacramentum sit visibile elementum seu sensibile aliquid, non poterit ad animarum purifi-
B cationem ac salutem conferre.

In oppositum sunt quæ dicuntur in littera.

Ad hæc Guillelmus Antisiodorensis respondet in Summa sua, quarto libro : In omni tempore post originale peccatum competebat hominibus sacramentis juvari. Causa quippe institutionis sacramentorum in generali, est triplex. Prima est, quia (ut asserit Augustinus) meliores judicavit Deus servos suos, si ei liberaliter deservi-
C rent : ideo dedit eis liberum arbitrium. Contulit etiam eis remedia contra peccata, ut si peccarent, possent redire per illa remedia. Et remedia ista sunt sacramenta. Hæc ergo est una causa institutionis sacramentorum, videlicet justificatio a peccatis. Secunda causa est, ut homo assuesceret se humiliare visibilibus, qui nesciebat se humiliare invisibilibus : ut dum ipse se humiliat creaturæ inferiori, quærendo salutem suam in ea, ut in agno paschali, seu in aqua Baptismi, discat et assuescat mul-
D to plus humiliare se Creatori, qui est dator salutis illius. Tertia causa est, ut homo per visibilia signa expressa, ad cognitionem invisibilium perveniat rerum. Hæc Antisiodorensis.

Concordat Albertus inquiens : In sacramento sunt tria, puta : materia, ratio signi, et ratio causandi. Et penes materiam, quæ inferior est, accipitur ista causa institutionis sacramentorum, utpote ut homo qui superbivit, humiliet et deprimat semetipsum : nam quia superbiendo se ipsum

vitiose crexerat, conveniens fuit ut humiliaretur sub hoc quod infra ipsum fuit, propter Deum, ut tanto humilius descenderet sub eo quod infra ipsum fuit per naturam, quanto superbius se crexerat in id quod supra ipsum fuit, appetendo quamdam Dei æqualitatem, id est inordinatam conformitatem. Penes rationem signi accipitur causa hæc, ut homo erudiatur, et ex visibilibus et sensibilibus ad invisibilium notitiam erigatur: signum namque aliquid facit venire in notitiam rei, præter speciem quam sensibus ingerit. Penes rationem causæ sumitur causa hæc, quæ est justificatio et eruditio ac salutaris exercitatio hominis: sacramentum etenim gratiam causat. Nec istud derogat hominis perfectioni atque saluti secundum statum miseriæ et peccati in quem lapsus est sponte. Humiliat enim se sub elementis propter Deum, non propter inferiora, et sic exaltari meretur; et ipse Deus instituit per visibilia et sensibilia ista in ipso homine causare gratiam et salutem. Connaturale quoque est homini, ex sensibilibus ad intelligibilium cognitionem ascendere. Hæc Albertus.

At vero Thomas de his scribens diffusius: Sacramenta, inquit, non erant necessaria necessitate absoluta (sicut necesse est hominem esse rationalem, vel Deum esse), quum ex sola divina bonitate et voluntate sint instituta, sed necessitate quæ est ex suppositione finis: non ita quod Deus sine sacramentis hominem salvare non posset, quoniam sacramentis virtutem et omnipotentiam suam non alligavit, sed quia per sacramenta congruentius fit reparatio hominis. Cujus congruitatis ratio sumitur ex hoc, quod per peccatum præcipue circa sensibilia homo fuit corruptus atque detentus, ne se ad Deum erigeret. Erat autem corruptio illa quantum ad cognitionem, quia humana mens circa sensibilia sola se noverat occupare, in tantum quod multi nil præter sensibilia esse credebant; et si qui ad intelligibilium notitiam devenerunt, ea secundum modum

A sensibilium judicabant. Et item quantum ad affectionem, quia terrenis tanquam summo bono inhæsit. Et rursus, quantum ad actionem, quoniam inordinate sensibilibus utebatur. Necessarium fuit ergo ad vitiorum curationem, ut homo ex sensibilium notitia ad spiritualium cognitionem conscenderet, et affectum circa creata ad Creatoris transferret amorem, eis quoque secundum institutionem uteretur divinam: et ideo necessaria fuit sacramentorum institutio, per quæ ex sensibilibus de spiri-
B tualibus erudiretur (et hæc est secunda causa quam assignat Magister); affectum quoque de sensibilibus in Dei reverentiam reformaret (et hæc est prima causa); conformiter per hæc circa ea in honorem Dei exercitaretur (et ista est tertia causa). Itaque gratia et virtutes sanant sanctificantque formaliter, sacramenta vero effective instrumentaliter, quemadmodum medicina. Idcirco sicut non sequitur, Sanitas sanat, ergo medicina non est necessaria; ita non sequitur, Gratia curat, ergo sacramenta
C non sunt necessaria.

Præterea si quæratur, an in statu innocentiæ sacramenta fuissent; dicendum, quod utilitas sacramentorum est eruditio atque curatio. Certumque est quod quantum ad curationem, non fuissent, quia tunc morbus peccati non exstitit. Sed aliqui dicunt, quod tunc fuissent quantum ad eruditionem, quia et tunc connaturale erat homini ex sensibilibus ad spiritualia elevari. Sed non videtur conveniens ista opinio, quoniam significatio fit ad acqui-
D rendum agnitionem ejus quod significatur. Et quamvis homo in primo statu sensibilia cognosceret, et in eis similitudines spiritualium rerum conspiceret, non tamen ex sensibilibus cognitionem spiritualium accepisset, sed potius ex divini influentia luminis: ideo tunc sacramentis ad eruditionem non eguit. Hinc dicendum cum aliis, quod sacramenta in statu innocentiæ necessaria non fuissent. — Et si objiciatur de matrimonio, quod tunc erat, et sacramentum consistit; dicendum, quod

matrimonium tunc non fuisset in reme- A dium culpæ, sed in officium naturæ. Ideo non fuisset tunc proprie sacramentum, nisi forte in quantum rem sacram significabat : non quod homo, in statu illo, per hujusmodi matrimonium accepisset cognitionem illius sacræ conjunctionis quæ est Christi et Ecclesiæ, imo plus econtrario, ex cognitione conjunctionis illius, convenientiam et sanctitatem matrimonii cognovisset. — Hæc Thomas in Scripto.

Verumtamen agnoscendum, quod tam
Cf. t. XXII, p. 207 C'. in Scripto secundi, distinctione vicesima, B
q. CI, a. 1. quam in prima parte Summæ tuetur, quod quamvis primi parentes fuerunt conditi quantum ad corpus animamque perfecti, posteri tamen eorum nec quantum ad corpus nec quantum ad animam fuissent perfecti nati. Ideo in scientia profecissent tam ex parentum et sapientiorum instructione, quam ex propria consideratione : et ita non solum ex influxu lucis divinæ spiritualia cognovissent, prout ibi sanctus
q. IX, a. 4. conscribit Doctor, qui et in tertia parte testatur in anima Christi fuisse scientiam C
Cf. t. XXIII, p. 43 C' et s. acquisitam. Denique in Scripto tertii, et in tertia parte, probabilius esse fatetur, Filium Dei non fuisse incarnatum si non præcessisset originale primorum parentum peccatum : ergo in statu innocentiæ homo non cognovisset convenientiam et sanctitatem matrimonii ex cognitione conjunctionis Christi atque Ecclesiæ per Incarnationis mysterium.

Insuper ad id, utrum in lege naturæ sacramenta necessaria erant, respondet : Ea quæ ab homine fiunt, a cognitione ortum D habere oportet; aliter operatio ejus proprie non esset humana. Hinc oportet operationem cognitioni correspondere, sicut effectum causæ. In statu autem legis naturæ non suffecit ad salutem naturalis cognitio, imo exigebatur fides; specialiter quoque post lapsum necessaria fuit fides reparatoris. Unde in statu illo non solum erant necessaria opera quæ sunt de naturalis dictamine rationis, sed etiam quædam protestationes et signa eorum quæ ad reparationem spectabant. Et hæc erant illius temporis sacramenta, ut sacrificia, oblationes ac decimæ. Quocirca sciendum, quod ante legem scriptam erant quædam sacramenta necessitatis, ut illud fidei sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; similiter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem peccati actualis; matrimonium quoque, quod ordinabatur ad multiplicationem generis humani. Sacrificia vero, oblationes et hujusmodi, erant voluntatis et necessitatis : quia necessitatis erant in communi, ut scilicet aliquid facerent in protestationem fidei suæ, qua Deo per latriæ cultum erant subjecti; in speciali vero erant voluntatis, an scilicet sacrificia exhiberent, an oblationes, vel hujusmodi aliquid.

Porro dum quæritur, an sacramentis legis naturalis addenda erant alia tempore Mosaicæ legis; dicendum, quod quum usus sacramentorum proportionabiliter correspondeat fidei, oportuit secundum diversum fidei statum sacramenta diversimode tradi ac variari. Fides autem quantum ad articulorum explicationem semper crevit magis ac magis, secundum viciniorem accessum ad tempus gratiæ Christi. Et secundum hoc oportuit sacramenta magis et magis determinari. Et quia in Abraham fides notabiliter fulsit et crevit, ita ut propter fidei religionem ab aliis separaretur, propter quod pater credentium nominatur : hinc signaculum seu sacramentum fidei, determinatum et primo datum est ei, videlicet circumcisio. Quumque *Gen.* x
tempore Moysis fides in tantum excreverit, 10. ut non solum in uno homine, aut in una familia, sed in una gente refulgeret; ideo oportuit tunc legem dari, quæ non nisi populo potest dari, et sacramenta in speciali determinari ac multiplicari. Idcirco in lege Moysis determinari oportuit sacrificia, oblationes et decimas, quantum ad singulares circumstantias, et matrimonia ordinari, pœnitentiæ quoque satisfactiones distingui.

Postremo, dum quæritur, utrum in evan-

gelica lege debuerunt alia sacramenta institui; respondendum, quod eadem est fides Christianorum et antiquorum : quia quem illi credebant venturum, nos credimus jam venisse. Quumque sacramenta correspondeant fidei tanquam protestationes ipsius, et ab ea virtutem suam habentia, oportet quod sicut antiqui patres participes facti sunt redemptionis Christi per sacramenta quæ erant signa futuri, ita in nos perveniat effectus suæ redemptionis per sacramenta quæ sint signa rei præteritæ. Verumtamen, ut divinus Dionysius B
cap. v. libro de Ecclesiastica loquitur hierarchia, status novæ legis medius est inter statum veteris Testamenti statumque patriæ. Hinc ea quæ novæ sunt legis, sunt veritas respectu signorum veteris Testamenti, et sunt figuræ eorum quæ sunt in patria : ideo in nova lege aliquæ manent figuræ; in patria vero ubi omnia erunt consummata, figuræ omnino cessabunt. — Hæc Thomas in Scripto.

Hæc eadem scribit in tertia parte, quæstione sexagesima prima. In quibus conti- C nentur quæ Albertus, Petrus, Richardus, de hac conscribunt materia.

Attamen Petrus plenius de causis institutionis sacramentorum loquens : Triplex, inquit, potest esse causa institutionis rei. Prima est necessitas, ut formatio principalium membrorum in corpore. Secunda utilitas, ut officialium quorumdam membrorum. Tertia congruitas, ut capillorum in capite, uberumque virili in pectore. Nulla autem fuit necessitas institutionis sacramentorum : nec ex parte medici, quia D aliter potuit hominem curare; nec ex parte ægroti, quoniam aliter potuit a Deo curari. Utilitas vero fuit non ex parte medici, qui nostris non indiget, sed ex parte nostri. Et hæc fuit duplex in genere. Una privata, respectu cujuslibet singularis personæ : quam hic triplicem ponit Magister, videlicet humiliationis, eruditionis et exercitationis, salvis aliis multis. Altera communis, respectu totius generis humani seu reipublicæ divinæ : hoc est adunatio homi-A num in unum cultum divinum et in unum nomen veræ religionis, et mutua quoque agnitio. Congruitas autem fuit ex parte medici, quoniam medicum qui est Deus et homo, decet medicina continens quid divinum, videlicet invisibilem gratiam, et aliquid humanum, puta visibilem gratiæ formam; atque ex parte infirmi, scilicet hominis, qui quum constet ex anima et corpore, et anima in corpore posita non bene capiat spiritualia nisi per corporalia, congruum fuit ei dari medicamenta spiritualia in corporalibus rebus, quemadmodum pluviæ dantur in nebula. Talium vero medicamentorum nulla fuit necessitas, nulla utilitas, nulla congruitas in statu innocentiæ, quoniam nullus morbus; neque in patria, quia perfectissima ibi est sanitas; sed in toto tempore intermedio triplici, id est : in statu legis naturalis, propter indigentiam; in statu legis scriptæ etiam propter religionis consortium; et in lege Evangelii, propter utrumque. Hæc Petrus.

Porro Guillelmus in suo Sacramentali : Congruum (inquit) fuit ut sacramentales sanctificationes sub sensibilibus signis præstentur. Primo, propter suscipientium eruditionem, sicut expositum est. Secundo, propter gratitudinem excitandam, et Cf. p. 45 B'. devotionem causandam. Quis enim ad tam sublimia, et a suis meritis tam remota sacramentorum charismata, liberalissima Dei pietate vocari et assumi se cernens, non protinus in divinæ bonitatis admirationem et laudes erumpat? Sublimitas autem et nobilitas donorum hujusmodi, potissime innotescit hominum communitati per sensibilia signa. Tertio, propter humiliationem, ut tactum est, et etiam ut homo ex consideratione tam supernaturalium beneficiorum se magis vilipendat, et in propriam resiliat parvitatem, nec aliquid horum suis tribuat meritis. Quarto, propter fidelium confirmationem. Quis enim taliter se sacratum et sanctificatum mentaliter credat, et non ex hoc contra omnem immunditiam excandescat? Quis inunctum in regem se recolat, et non mox contra vi-

lissimam vitiorum servitutem totis viribus A se accingat? Quis militari officio se præditum sciat, et arma ignorare imbellemque se esse, infideliter quoque et ignaviter in bello agere non erubescat? Quis tam præclara civilitate se gaudeat honoratum, et eversioni suæ civitatis, id est impugnationi Ecclesiæ, non reluctetur, legesque ejus ac jura non pro viribus tueatur? Possibile quidem est omnium auctori bonorum, absque visibilibus signis quos voluerit sanctificare : quod et aliquoties fecisse dignoscitur. Sed si ita in omnibus faceret, nemo B de alterius sanctificatione aliquid sciret : quemadmodum ergo si omnes ab eodem essent progeniti patre, et ignorarent se esse fratres, periret inter ipsos fraternitatis amor fortissimus, et naturalis societas, quæ vinculo fraternitatis constringit naturaliter omnes; sic et in sanctificatis periret validissimus gratiæ amor, quo viget et vivit spiritualis societas. Hæc Guillelmus, *Cf.* p. 44 C et s. qui aliis multiplicibus rationibus, similitudinibus et exemplis declarat, quam necesse fuit et utile hæc sensibilia sacramenta C in Ecclesia esse, et per ea fideles invicem communicare, et ab infidelibus dividi ac secerni.

Præterea Bonaventura : Institutio (ait) sacramentorum decuit Deum, et nobis fuit expediens. Decuit quippe Dei misericordiam, et justitiam, et sapientiam : in quibus tribus attenditur omnis via seu operatio Dei. Decuit quidem misericordiam Dei : quoniam homo gratiam male servavit et custodivit, idcirco Deus instituit sacramenta, ad quæ homo recurrens recuperaret D gratiam : sicque magnæ misericordiæ fuit hæc instituere, quia non solum valent ad remissionem culpæ, sed etiam debitæ pœnæ. Decuit quoque justitiam Dei, qui quum justus sit, exigit ab homine habilitationem humiliationemque aliquam, per quam se homo disponat ad gratiam, et sacramenta suscipiendo quasi ex pacto inveniat eam; et hoc fit, dum ad sacramenta accedit. Decet et sapientiam summam. Summæ etenim sapientiæ fuit, in his remedium invenire quæ occasio exstiterunt ruinæ : ut sicut homo per lignum corruerat, ita per lignum salutis remedium recuperaret. — Quumque homo occasionem ruinæ a visibilibus sumpserit, decuit divinam sapientiam in eisdem remedium ordinare. Et quia ægrotus erat cæcus quantum ad rationalem, data sunt sacramenta visibilia ad eruditionem; elatus quoad irascibilem, data sunt ei sacramenta corporalia ad humiliationem; fastidiens quoad concupiscibilem, ita quod spiritualia ei non sapiebant, data sunt ei sacramenta ad exercitationem, ne generetur ei tædium in sola unius sacramenti perceptione, aut in sola spiritualium contemplatione. Hinc Augustinus contra Faustum disseruit, quod omnis religio habuit semper aliqua signa exteriora in quibus ejus cultores communicabant. — Et si objiciatur, quod solæ virtutes sufficiunt, et reprehensibile est fieri per plura quod fieri valet per pauciora; respondendum, quod virtutes quantum est ex parte ipsarum sufficiunt, et in statu innocentiæ sine sacramentis suffecissent. Sed homini vulnerato ac languido multa necessaria erant per quæ virtutes acquireret, perditas recuperaret, recuperatasque conservaret. Quod autem æque bene fieri potest per pauciora, non est faciendum per plura. Hæc Bonaventura.

QUÆSTIO III

Tertio quæritur, **An sacramenta consistant in verbis et rebus.**

Videtur quod non. Primo, quoniam sacramentum est signum; idem autem est dicere, signum et unum signum : sed ex verbis et rebus non resultat nec constat unum signum, sed duo signa, vel unum signum et materiale illius. — Secundo, sacramentum est aliquid unum; ex re autem et verbo non constat quid unum : imo utrumque illorum est ens actu, et ex duobus entibus in actu non fit unum.

In oppositum auctoritates sunt in textu.

Ad hoc Thomas respondet : Hoc commune est omnibus sacramentis, quod consistunt in rebus sensibilibus invisibilem gratiam significantibus. Hoc vero speciale est sacramentis novæ legis, quod rebus verba addantur, propter tres rationes. Prima est, quia hæc sacramenta non solum significant opus redemptionis quæ per Christum est facta, quemadmodum alia sacramenta, sed a Christi passione fluxerunt : ideo sicut effectus proximi, habent suæ causæ imaginem quantum possunt, ut scilicet ex verbis et rebus consistant, sicut Christus ex Verbo et humanitate assumpta. Secunda ratio, quia non solum sunt signa futurorum, ut sacramenta veteris legis, sed et præsentium ac præteritorum, ut dictum est, quæ expressius possunt significari, sicut et nosci : ideo significatio verborum, quæ est expressissima, significationi adjungitur rerum. Tertia, quoniam gratiam continent ex significatione et sanctificatione quæ fit per verbum Dei.

Ad objecta ergo dicendum, quod sacramentum est aliquid unum in genere causæ vel signi, quorum utrumque relationem importat. Non autem inconveniens est ut quæ in se exsistunt distincta, uniantur in relatione ad aliquid unum : ut patet in multis trahentibus navem, qui sunt una causa tractionis illius. Quemadmodum etiam pater et mater sunt unum in generatione, conformiter verba et res sunt unum in significando atque causando, sicque unum sacramentum efficiunt. Cumque virtus causandi sit in rebus ex verbis significantibus, verba sunt formalia, et res materiales, per modum quo omne complementum dicitur forma. — Nihilo minus, secundum Hugonem, ad sacramenta concurrunt verba et facta ac res; sed facta pertinent ad usum dispensationemve sacramentorum, verba autem et res sunt de essentia sacramenti. Idcirco Magister in his duobus dicit sacramenta constare. — Matrimonium autem secundum quod est in naturæ officium, et pœnitentia ut est virtus, nullam habent formam verborum; sed secundum A quod utrumque est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ positum, habet certam formam verborum, prout infra dicetur. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus continentur quæ Albertus et Bonaventura super his scribunt. Bonaventura tamen testatur, quod Magister strictius accepit sacramentum quam Hugo, ita quod Hugo quamcumque institutionem honestatis in Ecclesia Dei, nominat sacramentum in verbis præallegatis.

Insuper in tertia parte, quæstione sexa-B gesima : Sacramenta, inquit, ad hominum sanctificationem adhibentur ut quædam signa. Ideo considerari possunt tripliciter, et quolibet modo congruit eis quod verba rebus sensibilibus conjungantur. Primo considerantur ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui sacramentum aliqualiter conformatur per hoc quod verbum rei sensibili adhibetur ac jungitur, quemadmodum in mysterio Incarnationis carni sensibili Verbum Dei unitum est. Secundo considerantur sacra-C menta ex parte hominis qui sanctificatur, qui ex anima et carne componitur : cui sacramentalis medicina proportionatur, quæ per rem visibilem tangit corpus, et per verbum ab anima creditur. Unde Augustinus super illud Joannis, Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, disseruit : Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur ? Tertio considerantur ex parte significationis sacramentalis. Nempe secundum D Augustinum secundo de Doctrina christiana, verba apud homines inter signa sortiuntur primatum, quoniam diversimode possunt formari ad significandum diversos mentis conceptus. Unde per verba magis distincte exprimimus quod mente concipimus. Hinc ad perfectionem sacramentalis significationis fuit necesse ut significatio sensibilium rerum per aliqua verba determinaretur. Aqua namque significare potest ablutionem per suam humiditatem, et refrigerium per suam frigiditatem. Sed

art. 6.

Joann. xv, 3.

A quum dicitur, Ego te baptizo, insinuatur quod in Baptismo utimur aqua ad significandum emundationem spiritualem. Hæc Thomas in Summa. — In quibus scripta Petri continentur.

Porro Durandus : Causa (ait) principalis quare sacramenta consistunt in istis rebus vel illis, institutio est divina, quæ in aliis rebus potuit instituere ea. Itaque dico, quod omnia sacramenta novæ legis consistunt in verbis; non tamen omnia consistunt in verbis et rebus, sed quædam sic, quædam non. Primum patet ex dictis. B Christus quippe sanctificat nos effective ut Deus, meritorie vero in quantum homo. Et quantum ad utrumque, congruit ut sacramentum (quod est Christi instrumentum) consistat in verbis : quia quum triplex sit verbum, utpote mentis, et imaginationis, ac vocis, primum assimilatur Verbo in divinis, prout in sinu et mente est Dei Patris; secundum assimilatur ei prout dispositum fuit incarnari; tertium assimilatur ei ut jam incarnato. Nam sicut assumpta humanitas est quasi habitus Verbi C æterni, sic verbum vocis est quasi vestiens verbum mentis. Verumtamen non omnia sacramenta novæ legis consistunt in verbis et signis seu rebus, sed quædam tantum. Sunt etenim quædam sacramenta quæ solum conferunt sanctitatem suscipienti, ut Pœnitentia et Matrimonium. Alia vero conferunt sanctitatem, et ultra mancipant ad aliquid sacrum : sicut Baptismus mancipat hominem ad susceptionem sacramentorum, Ordo ad ministrationem ipsorum, etc. Ex quibus arguitur sic : Sacramenta D perfectiora in efficiendo, debent esse perfectiora in significando, quia efficiunt quod designant; sed sacramenta quæ non solum conferunt sanctitatem, sed et mancipant ad aliquid sacrum, sunt perfectiora in efficiendo, ergo et in significando : quod non esset, nisi præter verba includerent aliquod aliud signum, videlicet rem elementarem. Hæc Durandus.

Quibus multa objici queunt. Primo, quia (ut patuit et patebit) omnia evangelicæ legis sacramenta consistunt in verbis et rebus, saltem quoad consecrationem seu inceptionem ipsorum. Secundo, quoniam Matrimonium est maximum sacramentum quantum ad significationem, quia designat unionem Verbi æterni cum humanitate, unionem quoque Christi atque Ecclesiæ; non tamen Matrimonium est perfectius in efficiendo. Tertio, quia Eucharistia solum tribuit sanctitatem, nec ad sanctum mancipat actum, ut tactum est, et tamen consistit in verbis et rebus : imo et est dignissimum et nobilissimum sacramentum.

Postremo Bonaventura in Breviloquio : Christus, inquit, novi Testamenti mediator, septem instituit sacramenta evangelicæ legis, in qua vocavit nos ad promissa æterna, dedit præcepta dirigentia, statuit sacramenta sanctificantia. Instituit autem ea in verbis et elementis, ad evidentiam significationis et efficaciam sanctificationis : ita quod semper habent significantiam veritatis, sed non semper efficaciam curationis, ex defectu suscipientis. Christus namque est Verbum summæ virtutis, summæ veritatis summæque bonitatis, ac per hoc et summæ auctoritatis; et ratione suæ summæ auctoritatis ejus fuit legem perfectam instituere et conferre; et ratione suæ summæ bonitatis proposuit promissa beatificantia; ratione summæ veritatis dedit præcepta dirigentia; ratione summæ virtutis statuit sacramenta adminiculantia : ut sic per sacramenta virtus et gratia adimplendi præcepta reparentur, et per præceptorum observantiam ad promissa perveniatur æterna.

QUÆSTIO IV

Quarto quæritur, **An sacramenta evangelicæ legis differunt a sacramentis veteris Testamenti, per hoc quod sacramenta evangelicæ legis continent et causant gratiam, illa vero solum significabant.**

Videtur quod non. Primo, quoniam circumcisio fuit sacramentum veteris legis, et in ipsa circumcisione gratia infundebatur : aliter originale peccatum in ea non potuisset deleri. — Secundo, sacramenta novæ legis sunt sensibilia quædam inanimata, quæ non sunt gratiæ susceptiva, nec aliqua virtus gratiæ causativa videtur posse esse in eis. Quod enim est in aliquo, est in illo secundum modum et dispositionem ipsius : ea ergo quæ soli rationali et intellectuali naturæ insunt, inhærent et competunt, in rebus inanimatis esse non queunt nisi omnino æquivoce, figuraliter seu tropice.

De isto possent multa argumenta pro utraque parte formari, sed veritatis declarationi studendum est. Hæc namque de præcipuis difficultatibus una est, de qua diversi diversimode opinati sunt.

Itaque Bonaventura circa hæc loquitur : Ut aliqui dicunt, sacramenta sunt gratiæ vasa, quum sint in ultima dispositione, quæ est sanctificatio per verbum Dei; et C mediantibus illis, transfunditur in animam ac abluit ipsam et ungit interius. Atque pro tanto dicunt, quod sacramenta novæ legis sunt causa gratiæ, et efficiunt quod figurant. Non autem dicendum, quod gratia essentialiter contineatur in sacramentis, sicut aqua in vase, et medicina in pyxide; sed dicuntur gratiam continere, quia significant ipsam, et nisi ex parte suscipientis defectus sit, gratia semper confertur in ipsis. Alia quoque ratione possunt vasa gratiæ appellari : quoniam D sicut quod est in vase, non est de ipso nec ex ipso, tamen hauritur ex ipso; sic gratia non est a sacramentis nec de sacramentis, sed oritur a fonte æterno, et ex illo hauritur ab anima in sacramentis. Et sicut quis recurrit ad vas, quum requirit liquorem; sic quærenti liquorem gratiæ nec habenti, ad sacramenta est recurrendum.

Præterea aliqui dicunt, quod in sacramentis est aliqua virtus creata, per quam A influunt in animam, et habent rationem causandi. Dicunt enim, quod in sacramentis datur gratia gratum faciens, et datur in eis gratia gratis data, ut character et ornatus animæ; datur item in eis debilitatio fomitis seu expeditio potentiarum, quæ est efficacia gratiæ. Dicunt ergo, quod respectu gratiæ gratum facientis, sacramenta sunt causa sine qua non ; respectu autem characterificationis et ornatus, sunt sicut causa efficiens; sed respectu debilitationis fomitis ac confortationis potentiarum, sunt B causa disponens. Nam sicut videmus, quod in purgatione per ignem purgatorium, anima habens reatum seu maculam venialem, exsistit purgabilis, et intra se gratiam habet, sine qua non fieret purgatio, est etiam ibi virtus ignis; ita in sacramento est anima habens defectum et debilitatem potentiarum, est etiam gratia in anima intus operans, et virtus sacramenti exterior : quibus concurrentibus, roborantur atque sanantur potentiæ, et gratia efficacior fit virtute sacramenti in sua operatione. Sicque per istas distinctiones solvunt auctoritates quæ ipsis repugnare videntur. Itaque dicunt, in sacramentis esse virtutem creatam, quam asserunt accidens esse, imo et accidens spirituale, ac supernaturaliter esse in subjecto seu sacramento corporeo secundum ordinem divinæ misericordiæ : sicut virtus agendi in spiritum, est in igne purgatorii secundum ordinem divinæ justitiæ. Quam sacramenti virtutem asserunt inter mediocria bona ponendam, videlicet infra gratiam et supra corpus.

Porro alia opinio etiam est magnorum, dicentium quod in sacramentis non sit causalitas aliqua, nec virtus effectiva nec dispositiva ad gratiam, quæ sit qualitas seu proprietas absoluta, sed per adsistentiam quamdam. Dicunt enim sacramento adsistere increatam virtutem, quæ causa est gratiæ in suscipiente per fidem et devotionem, quæ disponit ad gratiam : sicut ad verbum Elisei ipso Naaman se lavante, IV *Reg.* v, 14. adstitit virtus divina efficiens sanitatem ; et devotio ac obedientia Naaman fuit dis-

positiva. Nulla tamen causalitas fuit in A verbis Elisei, neque in aquis Jordanis. Sicut igitur si Deus instituisset ut ad verbum Elisei non solum ipse Naaman, sed ceteri quoque accedentes curarentur, et hoc ex quadam pactione, ita quod semper sic adsisteret vis divina taliter curans a lepra; sic dicunt in sacramentis, quod ad prolationem verborum virtus adsistit divina aquis infundens gratiam atque regenerans, dum homo se subjicit per fidei devotionem et obedientiam.

Si autem quæratur ab istis, an præter B increatam virtutem sacramenta virtutem aliquam habeant creatam; dicunt quod non, proprie loquendo de virtute seu potestate quæ sit aliqua qualitas, vel natura seu essentia adveniens et inhærens aut exsistens. Si autem extenso nomine, per virtutem intelligatur ordinatio aliqua, ut dum aliquid habet efficacem ordinationem ad aliquid, dicitur habere virtutem ad illud (velut si rex statuat ut qui habet tale signum, recipiat centum libras : post quam institutionem signum il- C lud non habet aliquam proprietatem absolutam, quam non habuit prius; ad aliud tamen est ordinatum quam ante, et quoniam habet efficacem ordinationem, dicitur habere virtutem ut faciat aliquem habere centum marcas, quæ virtus non est quid absolutum, sed ad aliquid); sic dicunt, quod sacramenta sunt talia signa a Deo sic instituta, quod qui debite susceperit ea, habeat tantum de gratia vel hanc gratiam ad hunc actum. Illa (inquam) ordinatio efficax, virtus est sacramenti, se- D cundum istos, et ratione illius ordinationis disponit hominem, quia efficaciter ordinat ad habendam suscipiendamque gratiam. Rursus dicunt, quod ex hujuscemodi pactione Dominus quodammodo se adstrinxit ad dandum gratiam suscipienti debite sacramentum, et ipsa pactio Deum suo modo adstringit ad gratiam conferendam : ideo sacramentum fertur habere virtutem ad efficiendum, et item ad disponendum. Et sicut extenditur nomen virtutis, ita et verbum efficiendi : quia nec efficit nec disponit influendo, sed efficaciter ordinando. Et sicut hæc extenduntur, ita et nomen causæ : quia non dicitur causa secundum quod est principium operandi, sed secundum quod est ratio ordinandi.

Huic positioni pietas fidei consentit, et ratio non repugnat. Consentit ratio, quia valde difficile est intelligere qualiter illa virtus detur sicut qualitas absoluta; difficilius vero, quando detur. Difficile est etiam intelligere cui detur, an scilicet verbo, an elemento. Rursus, difficile est explanare quamdiu duret. Valde quoque difficile est exprimere quomodo influat. Similiter difficile est indagare, cujus naturæ sit in se ipsa, et multa similia. Ideo huic positioni faciliter satis concordat ratio. Pietas etiam fidei non repugnat. Cavendum est enim, ne dum nimis damus corporalibus signis ad laudem, subtrahamus honorem causæ curanti et animæ suscipienti. Hæc autem opinio non nimis dat, nec aliquid honoris debiti subtrahit. Quemadmodum ergo regiæ litteræ regis annulo sigillatæ, sunt magnæ virtutis et valoris, et dicuntur magna posse ac facere, quum in eis nulla sit virtus absoluta, sed ordinatio sola per adsistentiam regiæ potestatis (quod patet, quoniam mortuo rege, non plus curatur de litteris ejus quam aliis, tamen absolutum nil amiserunt): sic intelligendum est in sacramentis, et sic loquuntur Sanctorum auctoritates juxta usum communem. — Et si quæras, super quid fundatur relatio talis, et quomodo advenit sine donatione proprietatis; dicendum, quod in institutionibus signorum, ut quando nummus fit arrha, nihil de novo tribuitur nummo, ita et in his.

Utraque opinionum istarum videtur satis probabilis, sed secunda videtur mihi ad sustinendum facilior; nescio tamen quæ sit verior, quia dum loquimur de his quæ sunt mirabilia, non multum adhærendum est rationi. — Hæc Bonaventura.

Insuper in fine tertii, ultima distinctione, circa illud quod dicitur ibi in textu,

cf. t. XXIII, p. 536 B. Diversa sunt sacramenta legis novæ et veteris, quoniam illa tantum figurabant, hæc conferunt gratiam, arguit sic : Nullus sine gratia potest salvari, ergo si sacramenta veteris Testamenti gratiam non conferebant, nullus in lege illa salvatus est. Si dicas, quod in sacramentis illis dabatur gratia, non tamen virtute sacramentorum illorum, in sacramentis autem novæ legis confertur gratia virtute ipsorum, quia ex sanctificatione sanctificant, secundum Hugonem; objicitur contra hoc, quoniam solus Deus dat gratiam per creationem : ergo si gratia conferebatur in sacramentis istis et illis, nulla fuit differentia inter ea.

Dicendum, quod circa hoc est duplex opinio celebris et famosa. Una, quod in utrisque datur gratia, sed differenter : quia in illis dabatur ratione fidei et devotionis suscipientium, ita quod nullo modo ratione operis operati aut sacramenti. In sacramentis vero novi Testamenti secus est, quoniam constant ex verbis et elementis. Et quum Dominus instituit verbum, id est formam verborum sacramentalium, dedit illi virtutem qua influit et agit in animam, disponendo ad gratiæ susceptionem, vel imprimendo characteris configurationem, vel adminiculando ipsi gratiæ ad animæ curationem ac fomitis debilitationem. Et hoc videtur dicere Augustinus, dicendo : Quæ est tanta vis aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? Hugo quoque : Sacramenta (inquiens) novæ legis prius sanctificantur per verbum, postmodum sanctificant, ut sic sint ex sanctificatione sanctificantia. Et hanc positionem sustinent viri periti et fide digni. Sed difficile videtur mihi intelligere virtutem illam verbo et elemento collatam, etc., ut supra.

Dubium quoque est, utrum ponenda sit inter bona maxima vel mediocria aut minima. Si inter maxima, ergo vere est virtus seu gratia. Gratia autem exsistens in uno subjecto, non potest in aliud agere. Si autem non sit vere virtus aut gratia, quomodo sacramentum dicitur vere sanA ctificare? Et quæri potest in quo genere aut specie sit virtus vel gratia illa. Si autem ponatur inter bona minima aut media, quomodo facit rectitudinem sanationemque animæ, quæ inter bona maxima computatur? Difficile etiam est videre, quomodo illud accidens spirituale in subjecto substantificabitur corporali, et quomodo una virtus poterit in duobus esse subjectis, puta in verbo et elemento : ex quibus quamvis fiat unum sacramentum, non tamen unum per essentiam et natu- B ram. Unitas autem virtutis (juxta Damascenum) correspondet unitati substantiæ et naturæ. Aut ergo in uno sacramento non est una tantum virtus, sed plures ; aut virtus illa composita est; aut unum accidens simplex, spirituale et impartibile, simul erit in diversis subjectis : quod totum intelligere valde exsistit difficile.

Dubium demum videtur, an Deus dedit illam virtutem quando primo instituit sacramenta, an de novo det. Quomodo autem a principio dedit his quæ nondum erant, C videlicet verbis quæ quotidie proferuntur? Si dat de novo, ergo quotidie in sacramentis non solum gratiam, sed et alia accidentia creat ; et tamen non consuevit dici, quod creationis opus exerceat, nisi circa exitum animæ in esse, et circa infusionem gratiæ. Si autem desinat virtus illa esse statim verbo prolato, quomodo tam nobilem creavit virtutem, ut tam cito deficeret? Rursus, si datur verbo, et non datur verbo scripto, nec verbo mentali, ergo datur verbo vocali in sua pronuntiatione; D tuncque difficile est explicare, an detur in principio prolationis, vel in medio aut in fine : quia nec in principio verbi, neque in medio est actio illius virtutis. Si vero in fine, tunc quum verbum desinat esse, et desinente verbo desinat virtus verbi, simul incipiet virtus verbi ac desinet. Insuper, multo difficilius est explicare efficaciam operationis virtutis illius, an scilicet agat generatione univoca vel æquivoca, generando sibi simile sive dissimile. Difficile etiam est, utrum influat omnino aliquid

ab extrinseco, an educat aliquid de potentia in actum. Primum est soli Deo possibile, secundum vero difficile est explicare. Rursus, difficile est intelligere quomodo characteris impressio possit esse ab illa virtute, quum character videatur esse in superiori parte animæ, in quam solus Deus potest influere. Postremo, in Sacramento altaris, in quo fit subito transsubstantiatio panis secundum se totum in corpus Christi (quod esse non valet nisi ab infinita virtute), quomodo verbum prolatum ab homine tam finitæ virtutis, poterit ad istam transsubstantiationem cooperari, aut aliquid operari? Et certe si illud verbum virtutem non habet agentem, multo minus verba aliorum sacramentorum. — Hæc et multa his consimilia, valde difficile est intelligere et explicare: quæ tamen non narro quasi credens ea insolubilia esse, aut per ea positionem hanc improbans; sed ut ostendam me ea non intelligere plene, ideo nec affirmare neque negare hæc velle. Nihilo minus plura potest facere Deus et in sacramentis etiam facit, quam nos intelligere valeamus. Unde ad incomprehensibilem Dei omnipotentiam confugiendo, omnia possumus facile declinare.

Præterea aliorum positio est : supposito quod in sacramentis novæ legis divina virtus secretius operetur (quia hoc est fidei et communis sententiæ), dixerunt aliqui, sacramenta novæ legis habere virtutem justificandi : virtutem (inquam) influentem, virtutem promerentem, virtutem disponentem et efficaciter ordinantem. Virtutem influentem, ratione Spiritus Sancti adsistentis; virtutem promerentem, ratione meriti passionis Christi ad sacramentum concurrentis; virtutem disponentem, ratione devotionis ipsius fidelis sacramentum suscipientis; virtutem denique efficaciter ordinantem, ratione divinæ pactionis instituentis. Sic quippe instituit Deus, ut ad talis verbi prolationem et sacramenti piam susceptionem, fiat in suscipientibus mirabilis operatio, curatio, justificatio, confortatio, etc.; atque pro tanto, affirmant

A sacramenta novæ legis habere virtutem. Et differunt in hoc a sacramentis veteris legis, præsertim quoad illam efficacem ordinationem : quia non interveniebat talis pactio in illis sacramentis, per quam efficax infallibilisque fieret ordinatio ad gratiam, sicut in sacramentis novæ legis, ut patet in institutione Baptismi, ubi Christus dixit : Qui crediderit et baptizatus *Marc.* XVI, 16. fuerit, salvus erit. In aliis quoque tribus modis habendi virtutem, differentia est inter utraque sacramenta penes magis completum B et minus completum : quia in sacramentis novæ legis Spiritus Sanctus justitiam influens plenius adsistit, et passio Christi magis meritorie concurrit. In cujus signum de latere Christi patientis fluxerunt sanguis et aqua, et per consequens sacramenta, de quibus fundatur Ecclesia. *Joann.* XIX, 34. Abundantior item est suscipientis devotio, tum propter fidei incrementum, tum propter subsidium fidei totius Ecclesiæ : quia in fide Ecclesiæ suscipiunt fideles sacramenta ecclesiastica. Itaque propter C hos modos habendi virtutem, dicuntur sacramenta evangelicæ legis justificare et esse causa gratiæ.

Denique, qui hanc sustinent positionem, in sacramentis novæ legis noluerunt plus ponere : tum, quia ista videntur satis sufficere ad nostram sanationem et justificationem; tum, quia ex isto quadruplici modo habendi virtutem, satis manifestatur nobilitas sacramentorum evangelicæ legis in se ipsis; tum, quia secundum hæc, satis apparet differentia inter utriusque legis D sacramenta; tum, quia nulla expressa auctoritas videtur cogere, amplius attribuere sacramentis novæ legis. Hanc etiam positionem sustinent plures bene intelligentes. Sed et dominus Guillelmus Parisiensis episcopus, in determinando in scholis Fratrum Minorum, approbavit hunc modum dicendi coram fratre Alexandro piæ memoriæ. Verum in his dubiis non oportet aliquid temere affirmare, sed sufficit scire quid sapientes senserunt, nec est utile contentionibus deservire. — Hæc Bo-

naventura in fine Scripti super tertium.

Postremo, in Breviloquio huic secundæ opinioni absolute consentit, reticensque de alia, protestatur : Sacramenta dicuntur gratiæ vasa et causa, non quia gratia in eis substantialiter contineatur, aut causaliter efficiatur, quum a solo Deo animæ infundatur; sed quia in illis et per illa gratiam curationis a summo medico Christo ex divino decreto oportet haurire. Hæc idem ibi.

Præterea, de his S. Thomas aliter sentiens, ait in Scripto : Omnes coguntur fateri, sacramenta novæ legis aliquo modo causas gratiæ esse, propter expressas auctoritates quæ dicunt hoc. Sed diversi diversimode eas exponunt. Quidam etenim dicunt, quod non sunt causæ quasi aliquid facientes in anima, sed causæ sine quibus non : quoniam virtus increata, quæ sola effectus ad gratiam pertinentes in anima facit, sacramentis adsistit per quamdam Dei ordinationem, et quasi per pactionem. Sic enim ordinavit ac pepigit, ut qui sacramenta accipiunt, simul et gratiam sumant ab ipso, non quasi sacramenta aliquid faciant ad hoc ipsum : sicut qui accipit denarium plumbeum a rege, facta hujusmodi ordinatione ut qui habuerit unum de illis denariis, accipiat centum libras a rege; qui denarius non dat illas libras, sed rex. Quumque talis pactio facta non fuerit in sacramentis veteris legis, ideo dicuntur gratiam non conferre, sed solum promisisse aut præsignasse. — Verum istud non videtur sufficere ad salvandum dicta Sanctorum, quoniam causa sine qua non, si omnino nil faciat ad inducendum effectum, vel disponendo vel meliorando, ad rationem causandi nil habet ultra causam per accidens (sicut album est causa domus, si ædificator sit albus) : sicque sacramenta essent causa sanctificationis per accidens. Illa namque ordinatio seu pactio nihil dat eis de ratione causæ, sed solum de ratione signi : quemadmodum etiam denarius plumbeus solum est signum indicans quis debeat libras accipere. Quod

A antem per accidens est, ab arte relinquitur, nec in definitione reponitur : sicque esse causam, non poneretur in sacramenti definitione, nec Sancti multum curassent loqui de ea. Nec etiam sacramenta novæ legis, quæ differunt a sacramentis veteris legis secundum ordinationem prædictam, differrent ab eis secundum rationem causæ, sed solum quantum ad modum significandi, in quantum hæc significant gratiam ut statim dandam, et illa non.

Hinc alii dicunt, quod ex sacramentis
B duo consequuntur in anima : unum quod est sacramentum et res, puta character, aut aliquis animæ ornatus in sacramentis in quibus non imprimitur character; aliud quod est res tantum, videlicet gratia. Respectu ergo primi effectus, sacramenta sunt causæ aliquo modo efficientes; sed respectu secundi, sunt causæ disponentes, tali dispositione quæ sit necessitas, nisi sit impedimentum ex parte recipientis; et hoc videtur magis conveniens theologis ac dictis Sanctorum. Quocirca sciendum, quod
C causa efficiens dupliciter dividi potest. Primo, ex parte effectus, puta in disponentem, quæ causat dispositionem ad ultimam formam; et in perficientem, quæ inducit ultimam perfectionem. Secundo, ex parte causæ, in agens principale et instrumentale. Agens principale est primum movens; agens vero instrumentale est movens motum. Instrumento quoque convenit actio duplex : una quam ex propria habet natura; alia quam habet in quantum motum est a primo agente : sicut calor ignis, qui
D est instrumentum potentiæ nutritivæ, ut secundo de Anima dicitur, ex natura propria habet dissolvere atque consumere; sed in quantum est instrumentum animæ vegetativæ, generat carnem. Sed sciendum, quod actio instrumenti interdum pertingit usque ad ultimam perfectionem quam principale agens inducit, aliquando autem non; semper tamen pertingit ad aliquid ultra id quod sibi convenit secundum suam naturam, sive illud sit ultima perfectio, sive dispositio ad eamdem : alias

non ageret ut instrumentum. Sic qualitates activæ et passivæ elementorum pertingunt instrumentaliter ad formas materiales de materia educendas, non autem ad productionem animæ rationalis, quæ ab extrinseco est.

Itaque principale agens in justificatione est Deus, nullo ad hoc indigens instrumento ex parte sua; sed per quamdam congruitatem ex parte hominis justificandi, utitur sacramentis tanquam mediis justificationis, quibus competit actio quædam ex propria natura, ut aquæ abluere; in quantum vero sunt instrumenta pietatis divinæ justificantis, pertingunt instrumentaliter ad quemdam effectum in anima, qui primo correspondet sacramentis, ut est character aut aliquid tale. Ad ultimum vero effectum qui est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositive, in quantum hoc ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quæ est necessitas quantum in se est, ad gratiæ susceptionem. Quumque omne instrumentum exercendo actionem naturalem, sibi ex sua natura convenientem, pertingit ad effectum qui competit sibi in quantum est instrumentum, quemadmodum dolabrum dividendo suo acumine lignum, pertingit instrumentaliter ad formam scamni ; ideo etiam materiale elementum exercendo actionem suam naturalem, secundum quam est signum interioris effectus, pertingit instrumentaliter ad effectum interiorem : juxta quod loquitur Augustinus, quod aqua Baptismi corpus tangit et cor abluit. Unde et dicitur, quod sacramenta efficiunt quod figurant. Et hunc modum justificandi videtur Magister in littera tangere, dicens quod homo non quærit salutem in sacramentis quasi ab eis, sed per illa a Deo : quia hæc præpositio *a*, principale denotat agens ; sed præpositio *per*, causam designat instrumentalem. — Si autem objiciatur, quia aut sunt causa univoca, aut æquivoca; respondendum, quod proprie nullum eorum, quia divisio illa causæ proprie competit

A causæ principali, quæ similitudinem habet cum effectu, ut Alexander Peripateticus dicit, et Commentator undecimo Metaphysicæ recitat. — Porro in transsubstantiatione panis in corpus Christi, quum sit quidam motus, sunt duo : puta recessus a termino *a quo*, et accessus ad terminum *ad quem*. Verba ergo sacramentalia pertingunt instrumentaliter ad transsubstantiationem, quantum ad recessum a termino *a quo ;* sed quantum ad accessum termini *ad quem*, non pertingunt nisi dispositive,

B sicut in aliis accidit sacramentis.

Præterea si quæratur, an in sacramentis sit aliqua virtus spiritualis ad gratiam inducendam in animam; respondendum, quod propter auctoritates Sanctorum necesse est fateri, aliquam talem supernaturalem virtutem esse in sacramentis. Et primæ opinionis sequaces dicunt, quod virtus illa non sit nisi quidam ordo ad aliquid. Sed hoc nihil est dictu, quoniam virtus semper nominat principium alicujus, præsertim prout sumitur hic pro virtute causæ.

C *Ad aliquid* autem seu relatio, non potest esse principium nec terminus actionis, ut quinto Physicorum probatur. Hinc dicendum, quod virtus agendi proportionatur agenti. Aliter ergo convenit virtus agendi principali agenti, aliter agenti instrumentali. Agens quippe principale agit secundum exigentiam suæ formæ : unde virtus activa in ipso, est aliqua forma vel qualitas habens esse completum in natura. Instrumentum vero agit ut motum ab alio : ideo convenit sibi virtus proportionata

D motui, qui est ens incompletum. Unde et virtus spiritualis quæ est in sacramentis, non est ens completum fixum, sed imperfectum, sicut virtus immutandi visum in aere, in quantum est instrumentum motum ab exteriori visibili; et talia entia solent intentiones vocari, et habent quid simile cum ente quod est in anima, quod est ens diminutum, ut sexto Metaphysicæ dicitur. Talia quoque entia non sunt proprie et per se in genere, sed reductive in illo in quo est virtus causæ principalis,

vel in quo illa esset, si esset in genere : quoniam increata virtus principaliter agens in sacramento, in nullo est prædicamento. — Et si quæratur, quando hæc virtus detur sacramento; dicendum, quod quando actu movetur a principali agente. Nec potest hæc virtus poni in aliquo gradu bonorum, nisi reductive in illo in quo ponitur gratia. Hinc etiam potest esse in re corporali, sicut virtus artis est in instrumentis ab artifice motis. Quemadmodum etiam virtus trahentium navem est complete in omnibus illis simul, ita hæc virtus in his quæ ad integritatem pertinent sacramenti; in singulis vero partibus est incomplete. Ex quibus patet, quod sacramenta novæ legis non continent gratiam nisi secundum esse incompletum; nec gratia est in eis sicut in subjecto, sed sicut in causa instrumentali dispositiva. Pulcherrime vero asseritur, quod gratia est in sacramento sicut in vase. Nam sicut quod continetur in vase, conservatur in eo, nec illud denominat; sic gratia conservatur in sacramentis, ut inde hauriatur, nec denominat ea simpliciter, neque qualificat : sicut nec intentiones seu species visuales in aere, denominant aut qualificant aerem. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus satis contineri videntur quæ de his scribit in tertia parte, quæstione sexagesima secunda.

In his Petrus sequitur Thomam, et secundam istam opinionem dicit esse securiorem duplici ratione. Prima est, quia plus consonat auctoritatibus Patrum sanctorum. In his autem quæ fidei sunt, magis oportet sequi auctoritatem quam rationem. Sancti autem affirmant sacramenta habere vim sanctificandi. Alia est, reverentia et dignitas sacramentorum evangelicæ legis. Nempe secundum aliam opinionem, aqua Baptismi non videtur plus virtutis et sanctitatis habere quam quælibet alia aqua; et sacramenta novæ legis viderentur non causæ gratiæ, sed signa tantum, sicque parum aut nihil legis veteris transcenderent sacramenta.

A Porro Richardus quoque utramque hic recitat opinionem, et recitata ea quam sequitur Thomas, subjungit : Quum ista positio exsistat possibilis, sitque ad sacramentorum novæ legis honorem, atque ad confirmandum id quod tenetur de actione ignis purgatorii et inferni in animas rationales ac dæmones, videtur quod sit rationabilis ac tenenda. Alia demum positione narrata, addit quod intelligibilior sit. Sicque utriusque opinionis argumenta solvendo, declarat qualiter utraque possit B teneri.

Præterea, Thomas de Argentina circa hæc scribit multum magistraliter ac diffuse, quærendo utrum sacramenta novæ legis habeant in se potentiam creativam. Circa hanc quæstionem primo scrutatur, utrum virtus creativa sit communicabilis alicui creaturæ. Quocirca duas refert opiniones : unam dicentium quod non, quam sequuntur Thomas, Petrus, Ægidius ac Richardus; aliam dicentium quod imo. Verum ista quæstio super secundum diligenter dist. 1, q. 3.
C discussa est, idcirco pertranseo. Sequitur tamen in hac re positionem S. Thomæ. — Circa secundam vero distinctionem sciscitatur, utrum sacramenta novæ legis habeant aliquam spiritualem ac specialem virtutem ipsis formaliter inhærentem. Et respondens : Hic, inquit, quatuor sunt videnda. Primo, utrum sacramenta novæ legis sint gratiæ causa. Secundo, an ratione hujus causalitatis necesse sit in eis ponere prætactam virtutem. Tertio, de tempore institutionis sacramentorum evangelicæ le-
D gis. Quarto, de numero eorumdem. Deinde de primis duobus præinductas narrat opiniones, et in utroque sequitur Bonaventuram. Aliqua vero addit : Aliquid (dicens) esse causam alterius, intelligi potest dupliciter. Primo, quod sit causa principalis ipsius. Secundo, quod sit causa ejus instrumentalis. Et causam instrumentalem large accipio, prout omnis secundaria causa dicitur instrumentalis respectu principalis atque primariæ causæ. Instrumentalis autem causa est duplex. Una, quæ

productive attingit effectum principalis agentis : sicut in generatione equi sol causa est principalis quantum ad corporeas causas, et equus generans est causa instrumentalis, quum equus generans una cum sole producat formam geniti equi, ipsum equum producendo. Alia est causa instrumentalis, quæ attingit effectum principalis agentis non productive, sed tantum dispositive : sicut in generatione hominis causa principalis formæ humanæ est solus Deus, eo quod anima rationalis creetur; homo vero et sol sunt causæ hominis instrumentales respectu Dei, attamen non producunt animam rationalem, quamvis perfecte disponant corpus ad ejus susceptionem : sicque homo generans et sol, in generatione hominis non attingunt effectum principalis agentis productive, sed solum dispositive. Interdum quoque causa instrumentalis sic agit ex sua natura, interdum ex sola ordinatione seu institutione et adsistentia causæ primæ. — Hæc Argentinensis, qui ex his respondet sicut prætactum est.

Porro Durandus in his quantum ad principale consentit S. Thomæ. Addit tamen, quod potentia creativa formæ accidentalis possit communicari causæ creatæ, et dicit hoc Thomam concedere : de charactere quidem in hoc quarto libro, et de gratia in tertia parte, quæstione sexagesima secunda. — Verumtamen istud non videtur de mente Thomæ, qui absolute multoties negat potentiam creativam seu actum creationis, posse causæ creatæ communicari, nec in tertia parte concedit gratiam posse a causa creata produci. Qualiter vero dicat virtutem sacramentalem ad productionem characteris instrumentaliter et efficienter concurrere, jam patuit paulo ante. p. 57 B'.

At vero Scotus quoque interrogat, an creatura possit habere actionem respectu termini creationis, id est creare, aut ad creationem cooperari. Respondet : In ista quæstione theologi communiter tenent quod non; ad quod principaliter adducunt

A quatuor rationes. Prima est, quod in omni causato, *esse* est effectus primæ causæ. Imo nec instrumentaliter potest creatio competere creaturæ, quoniam causa inferior non participat actionem causæ superioris, nisi per aliquid sibi proprium operetur ad effectum proprium principalis agentis. Secunda est, quia distantia inter *esse* et *non esse* est infinita. Tertia, quoniam agens inferius præsupponit in agendo effectum superioris agentis : sicut ars præsupponit effectum naturæ, et effectus naturæ aliquid

B potentiale. Creare autem est, nullo præsupposito producere. Quarta, nullum creatum est purus actus, aut purum esse, ergo non agit sine motu et mutatione, et ita requirit subjectum. — Sed istæ rationes necessario concludere non videntur. Non prima, quia in his quæ generantur, esse generati est a generante, nec est in generato aliud esse quod sit per creationem a Deo, sed unum est solum esse substantiale in uno eodemque generato. Nec universaliter verum est quod dictum est de causa

C instrumentali, ut dum monetarius per instrumentum inducit formam in monetam, et sigillator in ceram. Secunda quoque ratio non videtur concludere, quoniam tanta est distantia inter extrema, quantum unum est majus aut dignius alio; sed esse creatum non est dignitatis aut magnitudinis infinitæ, nec infinite excedit non esse ei oppositum : ideo non distat ab eo in infinitum. Tertia etiam ratio non concludit. Non enim causa secundaria præsupponit effectum causæ prioris aut primæ, tanquam passum

D in quod agat. Similiter nec ratio quarta, quum causa creata habeat actiones immanentes, quæ sunt intelligere, velle, per quas sine motu et mutatione agere valet. — Istam disputationem Scotus prolixe prosequitur, recitando consequenter opinionem Avicennæ dicentis unam intelligentiam creatam esse ab alia, cum suis motivis, et contra ea objiciendo. Verum (ut dixi) hæc materia super secundum discussa est, nec facile patet quid ipsemet finaliter sentiat Scotus. dist. I, q

Postremo Henricus specialem hic habet A opinionem : Sacramenta (inquiens) novæ legis nullo modo aliquid agunt ad gratiam causandam, neque in causando attingunt eam plus quam sacramenta veteris legis, sed solum dicuntur esse causa gratiæ præsentis, cujus sunt signa, per hoc quod sunt contentiva ejus quod per se est causa gratiæ creativa in quantum creat eam. Quamvis enim gratiæ Creator in omnibus sit per suam essentiam, tamen quoad aliquem effectum sic est in una re quod non est in alia : juxta quod deitas exsistens in carne B Christi per gratiam unionis, ad tactum manus Christi sanavit leprosos, ut deitas dicatur illud egisse non ut deitas tantum, sed ut exsistens in manu Christi; sicque deitas dicitur hoc egisse principaliter, et manus Christi instrumentaliter. Sic quoque sacramenta novæ legis instrumentales sunt gratiæ causæ, quoniam Deus ut exsistens in ipsis, ad tactum illorum, quibus administrantur confert gratiam creative. Sic quoque vasa sunt gratiæ, quoniam continent eum a quo gratia fluit secundum C quod est in ipsis : ut est Eucharistiæ sacramentum, in quo Christus corporaliter continetur, deitatem sibi habens unitam, quod est præcipue contentivum effectivumque gratiæ; alia vero sacramenta, in quantum aliquid virtutis ejus participant, continendo virtualiter quod illud continet realiter. Hæc Henricus.

Quodl. IV, q. 37. — *Matth.* VIII, 3.

Cujus opinio parum aut nihil differre videtur ab opinione dicentium, quod sacramenta hæc causa sunt gratiæ ex adsistentia divinæ potentiæ. In hoc autem D quod dicit, alia sacramenta esse causas gratiæ in quantum participant aliquid virtutis Sacramenti altaris, videtur fateri virtutem esse in sacramentis causaliter concurrentem ad gratiæ productionem : et ita sacramenta illa non solum operarentur ut instrumenta deitatis exsistentis in eis ad sacramentales effectus. Hinc verior videtur positio quam sequitur Thomas, et hoc propter motiva quæ tangit Petrus.

Cf. p. 59 D.

QUÆSTIO V

Quinto quæritur, An gratia sacramentorum, quæ in eorum susceptione confertur, differt realiter a gratia virtutum atque donorum, a qua virtutes et dona emanare dicuntur.

Videtur quod non, quoniam ad omnia quæ gratiæ adscribuntur, sufficit gratia gratum faciens, de cujus effectibus dictum est super secundum.

dist. XXVI.

In oppositum est, quod gratia in sacramenti acceptione non datur nisi accedenti non ficte, id est fideliter et devote; talis autem jam consistit in gratia virtutum, quæ communiter gratia gratum faciens appellatur, et superinfunditur ei gratia sacramentalis.

Ad hæc respondet Albertus : Gratia sacramentalis differt a gratia virtutum et donorum. Primo, quoniam habita una gratia sacramentali, non necessario habentur et aliæ. Secundo, quia si non fuisset peccatum, non fuissent sacramenta, nec gratia sacramentalis; nihilo minus fuisset gratum faciens gratia, quemadmodum virtutes et dona. Tertio, quoniam gratia sacramentalis datur contra defectum inclinantem ad peccatum vel contra ipsum peccatum. Quarto, quia in gratiis sacramentalibus specialiter operatur passio Christi seu virtus et meritum ejus : quorum nullum per se convenit gratiæ virtutum et donorum. Hinc habita gratia virtutum, non per se habetur gratia sacramentorum : quia virtutes ordinantur ad meritorios actus, sacramenta vero contra defectum peccati. Ideo quamvis non fictus habeat gratiam virtutum, attamen potest esse in potentia ad gratias sacramentorum. De quibus infra specialius clariusque dicetur. Hæc Albertus.

Concordat Thomas, dicendo : Gratia gratum faciens est una, atque in essentia animæ ut in subjecto. Ab ipsa quoque fluunt

virtutes et dona ad perficiendum potentias (A) animæ, sicut fluunt potentiæ ab essentia. Distinguuntur autem istæ virtutes secundum actus diversos ad quos oportet potentias animæ perfici. Similiter a gratia quæ est in essentia animæ, effluit aliquid ad reparandum defectus qui ex peccato inciderunt. Et hoc diversificatur secundum diversitatem defectuum. Sed quia defectus hujusmodi non sunt ita noti sicut actus ad quos virtutes perficiunt, ideo hic effectus ad reparandum defectum, non habet speciale nomen, quemadmodum virtus, (B) sed retinet nomen suæ causæ, et dicitur gratia sacramentalis, ad quam sacramenta ordinantur directe : quæ quidem nequit esse sine gratia respiciente essentiam animæ, sicut nec virtutes. Attamen gratia quæ est in essentia animæ, non valet esse sine virtutibus : idcirco virtutes connexionem habent in ea. Sed potest esse sine gratia sacramentali : ideo gratiæ sacramentales connexionem non habent. Sicque patet, quod gratia quam sacramentum directe continet, differt a gratia quæ est (C) in virtutibus et in donis, quamvis etiam illam gratiam per quamdam continuationem contineant. Itaque gratia gratum faciens, prout est in essentia animæ, una est; sed secundum quod fluit ad defectus potentiarum tollendos et ad potentias animæ perficiendas, multiplicatur. Gratia quoque virtutum opponitur peccato prout peccatum inordinationem continet actus; gratia vero sacramentalis peccato opponitur secundum quod vulnerat naturale bonum potentiarum. Hæc Thomas in Scripto. (D)

Eadem scribit in tertia parte, quæstione art. 2. sexagesima secunda, et addit : Sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana, ut Baptismus ad spiritualem regenerationem, per quam homo moritur vitiis, fitque membrum Christi : qui effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ; et eadem ratio est in aliis sacramentis. Quemadmodum ergo virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam, quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum; sic gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et supra virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti fructum et finem. Ideo gratia sacramentalis nequaquam superflua est. Quamvis enim gratia virtutum et donorum sufficienter perficit essentiam atque potentias animæ quantum ad ordinationem actuum generalem; tamen quautum ad quosdam speciales effectus qui requiruntur in vita christiana, sacramentalis requiritur gratia. Denique, per virtutes et dona excluduntur sufficienter vitia et peccata quantum ad præsens et futurum, in quantum per virtutes et dona homo retrahitur a peccato; quantum vero ad peccata præterita, quæ transeunt actu et manent reatu, adhibetur homini specialiter remedium per sacramenta. Gratia quoque sacramentalis ad gratiam communiter dictam se habet ut species ad genus : ideo gratia communiter dicta et gratia sacramentalis non dicuntur æquivoce, sicut non æquivoce dicitur animal communiter dictum, et pro homine sumptum. — Hæc in Summa. In quibus quod ait, virtutes et dona emanare ex gratia, intelligendum est juxta sensum quo asserit Augustinus, ex fide procedere spem, atque ex spe caritatem : quod intelligendum est quantum ad actus virtutum. Non enim habitus unus causatur ex uno, sed simul desuper infunduntur.

Porro Petrus in his aliter sentiens : Sicut una (ait) est anima, a qua fluunt diversæ potentiæ ac motus diversi; ita essentialiter una est gratia gratum faciens, a qua fluunt diversi habitus virtutum habilitantes potentias ipsas ad bonum, et diversi effectus sanantes ipsas vires a malo. Primus effectus pertinet ad gratiam virtutum, secundus ad gratiam sacramentorum. Utraque ergo eadem est essentia et subjecto, differens ratione et connotato effectu. Itaque adulto jam justificato non datur in sacramento nova gratia quantum ad es-

sentiam, sed gratia præcedens augetur : unde et in novum procedit effectum. Hinc quoque differentiæ illæ non insunt gratiæ secundum se, sed per comparationem ad effectus diversos : idcirco non variant ejus essentiam, quemadmodum liquefacere et constringere non variant lucem solis. Unde et in statu innocentiæ gratia sacramentorum fuisset secundum id quod est, non autem secundum rationem qua dicitur gratia sacramentalis. Conformiter utraque gratia ista secundum id quod est, simul infunditur, sed secundum comparationem a qua sic aut sic nominatur, est differentia, quoniam gratia non est sine effectu habilitationis omnium potentiarum ad bonum ; potest tamen esse sine effectu sanationis omnium potentiarum a malo : ideo virtutes habent connexionem cum gratia, sed non sacramenta. Hæc Petrus.

Concordat Richardus : Sive (dicens) gratia sit realiter idem quod caritas, sive non, dico quod eadem per essentiam est gratia sacramentorum atque virtutum, differens secundum rationem propter diversam comparationem ad diversos effectus, quoniam gratia in quantum per sacramentum confertur, directe et immediate ordinatur ad sanandum animam a morbo peccati, vel ad sanitatem augendam ; gratia autem virtutum, id est, in quantum ab ea sunt virtutes seu in quantum ipsa est forma virtutum, directe et immediate ordinatur ad bene agendum. Quumque potentia bene nequeat operari nisi fuerit sana : hinc gratia virtutum etiam ex consequenti respicit animæ sanationem, si præcessit in ea infirmitas aliqua. Et quia sanatio animæ disponit potentias ad bene operandum ; ideo gratia quæ confertur in sacramentis, ex consequenti ordinatur ad bonam operationem. Hæc Richardus.

Præterea Bonaventura duas nunc tactas narrat opiniones, et addit : Tertia positio probabilior est, quod gratia gratum faciens una est ; cujus hoc signum, quod uno peccato tollitur tota. Sed attendendum, quod quum dico gratiam virtutum, dico gratiam

A gratum facientem et habitum substratum, puta virtutem quæ differt a gratia. Et gratia gratum faciens una est ; habitus vero substratus est alius et alius, quia virtutes sunt multæ. Similiter, quum dico gratiam sacramentalem, non tantum dico gratiam, sed et curationis effectum. Et gratia quidem una est, sed effectus curationis sunt plures. Distinguitur ergo gratia in sacramentis, et donis atque virtutibus, concernendo effectus habitusque substratos. Unde sacramentalis gratia supra gratiam virtu-

B tum, propter peccatum, quemdam addit effectum : ut in eo qui baptizatur, additur absolutio non solum a culpa, sed etiam a pœna. — Hæc Bonaventura. Cujus positio non videtur a prædictis differre, nisi in verbis, et vel cum prima vel cum secunda coincidit. Aut enim vult dicere, quod gratia virtutum et gratia sacramentorum realiter idem non sunt, et ita cum prima opinione concordat ; aut quod essentialiter idem sunt, et penes diversas comparationes variosque effectus distinguuntur, et

C ita opinioni consentit secundæ. Imo hoc secundum videtur esse de intentione ipsius, ut patere poterit diligenter inspicienti.

QUÆSTIO VI

SExto quæritur, **An sacramenta veteris Testamenti fuerunt gratiæ contentiva ; et utrum eorum observatio fuit meritoria, atque a**

D **carnis immunditiis purgativa.**

Videtur quod fuerunt gratiæ contentiva et collativa, quia divinitus data fuerunt ad consequendum salutem, et in remedium vitiorum erant provisa ac instituta. Unde in Levitico sæpissime describuntur fuisse odoris suavissimi coram Deo, et placativa *Lev.* I, 9, 13,
majestatis divinæ, expiativa quoque cul- 17 ; III, 5.
parum, loquendo de sacramentis prout sacrificia comprehendunt. — Ex quibus ultra probatur, quod observatio eorumdem fuerit meritoria vitæ æternæ, quia divinis

obedire præceptis, est Deo acceptum. Unde et Josue præcipue commendatur, quod universa Dei præcepta implevit. Hinc sacrificia David ac Salomonis, Aaron et Eliæ, leguntur igne cœlitus misso esse consumpta, ad insinuandum quod accepta fuerint Domino. Hinc demum ostenditur, quod non solum ab immunditiis carnis, sed et a vitiis cordis purgabant.

I Par. xxi, 26. *II Par.* vii, 1. *Lev.* ix, 24. III *Reg.* xviii, 38.

In oppositum sunt quæ habentur in textu.

In quæstione hæc tria tanguntur. Primum est, an Testamenti veteris sacramenta gratiam continebant, et de hoc jam dicta sunt aliqua. Secundum est, an observantia seu usus vel actus illorum meritorius fuit. Tertium, utrum purgabant ab immunditiis carnis.

Cf. p. 55 A.

De his scribit Antisiodorensis in prima parte Summæ : Duplex est opus, videlicet opus operans, et opus operatum. Opus operans est ipsa actio, ut oblatio agni aut vituli, quæ justificabat quando ex caritate fiebat; opus vero operatum fuit res immolata, quæ non justificabat. Sed in nova lege tam opus operans quam opus operatum justificant, ut celebratio et Christi caro. Et per hanc distiuctionem solvuntur et concordantur auctoritates quæ pro utraque parte introducuntur, ut est illud Isaiæ: Holocaustum arietum et adipem pinguium, et sanguinem hircorum et vitulorum nolui. Glossa : Nunquam voluit Dominus sacrificia illa, id est, non acceptavit. Hinc asserit Origenes : Ea ratione permisit Dominus sacrificia illa sibi offerri, qua ratione permisit libellum repudii. Proni namque erant Judæi ad idololatriam, sicut ad interficiendum suas uxores. Triplici quoque ratione noluit Dominus sacrificia illa. Primo, quia non offerebant ea bono animo ac devoto. Secundo, quoniam offerebantur tempore non suo, utpote Evangelio divulgato : veritate enim veniente et patefacta, figuræ et umbræ debuerunt cessare. Tertio, quia non voluit ea voluntate absoluta et propter se, sed ne idolis offerrentur, ut

Is. i, 11.

A de libello repudii tactum est : quod partim est simile, non in toto, quia dimittere uxorem est malum in se, ideo nunquam meritorium; sed animalia immolare est indifferens secundum se, ideo potuit fieri bene.

Sed præhabitis objici potest quod ait Salvator : Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Ergo opus operatum seu immolatum in nova lege, non vivificat neque justificat. — Respondendum, quod caro Christi duobus vivificat modis. Primo spiritualiter, puta per fidem. Quum B enim quis credit Deum incarnatum, augetur in eo dilectio et delectatio quam habet in Deo : propter quod dimittuntur ei peccata. Secundo per modum sacramenti seu materiæ. Sic enim caro Christi templum est totius Trinitatis, in quo sunt gratiæ omnes : ideo est sicut pyxis et vas medicinale in quo sunt omnia genera specierum et electuariorum spiritualium quibus Deus per suos ministros sanat animas nostras. Verum caro in quantum caro, non prodest; sed in quantum sancta et Verbo C unita, spiritualisque medicina, plurimum prodest. — Hæc Antisiodorensis.

Joann. vi, 64.

Præterea ad primum trium prædictorum S. Thomas respondet : In sacramento duo considerantur, videlicet : ipsum sacramentum, quod a quibusdam dicitur opus operatum; et usus sacramenti, videlicet operatio administrantis seu suscipientis sacramentum, qui a quibusdam vocatur opus operans. Quum ergo dicitur sacramentum, per se loquendo, gratiam conferre, justificare vel non justificare, D referendum est ad opus operatum. Porro de opere operato in sacramentis veteris Testamenti est duplex opinio. Quidam etenim dicunt, quod in illis sacramentis opus operatum erat signum sacramentorum novæ legis, passionisque Christi, a quo hæc efficaciam habent : ideo opus illud operatum, erat cum quadam protestatione fidei ; et ideo indirecte atque ex consequenti habebant justificare, quasi mediantibus nostris sacramentis, per ea significatis, a Deo sanctificationem habenti-

bus, ut dicit Hugo de S. Victore. Nostra A vero sacramenta directe et immediate sanctificant, quia ad hoc directe sunt instituta. — Sed hæc opinio non videtur convenire dictis Sanctorum, dicentium quod lex erat occasio mortis, quoniam ostendebat peccatum, et gratiam non contulit adjutricem. Unde dicendum, quod non sanctificabant, nisi sanctificationem sumendo pro mancipatione ad aliquod sacrum, prout vestes dicuntur sacræ; non autem sanctificabant prout sanctificatio sumitur pro emundatione aut confirmatione spirituali. B Et si objiciatur, quod in officio Missæ petitur ut sacrificium Ecclesiæ acceptum sit Deo sicut sacrificia patrum olim in lege naturali aut scripta; dicendum, quod comparatio illa non intelligitur quantum ad opus operatum, quoniam sacrificium Ecclesiæ per se acceptum est Deo, et multo plus quam illa; sed petitur ut devotio offerentium istud complaceat Deo sicut illorum devotio. Sacrificia quoque legis diminuebant reatum, in quantum fuerunt onerosa : ideo poterant satisfactoria C esse, præsupposita gratia ex fide mediatoris. — Itaque opinio illa jam improbata non sufficit, quia juxta dicta Sanctorum, sacramenta legis gratiam non præstabant. Nec differt quantum ad hoc, qualitercumque vel directe vel indirecte gratiam contulissent. Rursus, secundum hoc nulla aut valde modica esset præeminentia sacramentorum evangelicæ legis ad sacramenta illa antiqua. Hinc alii melius dicunt, quod opus operatum in eis nullo
Cf. p. 70 C *infra.* modo gratiam conferebat, circumcisione D excepta.

Insuper, ad secundum respondet : De usu sacramentorum qui opus operans dicitur, est duplex opinio. Una, quod usus ille non erat meritorius, etiam si in fide et caritate fiebat; et hoc videtur Magister in littera dicere. Quod videtur absurdum, ut quod labores sanctorum patrum in hujusmodi sacramentis Deo accepti non fuerint, et quod opus virtutis posset meritorium non esse. Communiter ergo tenetur, quod usus eorum meritorius fuit, ex caritate exhibitus. Aliqui tamen excusant Magistrum dicentes, quod intellexit opera operata non justificare in quacumque fierent caritate, quamvis operatio ex caritate facta meritoria esset. Itaque sacramenta et sacrificia non erant per se Deo accepta, quoniam gratiam per quam aliquid Deo acceptum est, non continebant, sed per accidens erant Deo accepta vel non accepta : accepta quidem propter significationem, et fidem, devotionem, obedientiam, caritatem offerentium ea; inaccepta, propter offerentium demerita, et quoniam eadem idolis offerebantur; et in quantum meritoria erant, etiam intus purgabant.

Ad tertium igitur respondendum, quod veteris legis intentio fuit homines ad Dei timorem reverentiamque inducere, et a carnalibus paulatim ad spiritualia elevare. Idcirco instituit multa impedimenta quibus homines ab illorum usu sacramentorum frequenter impedirentur, ut sic plus in reverentia haberentur (nam omne rarum carum); sic quoque a carnalibus observantiis paulatim dissuescerent, quandoque totaliter abstrahendi ab illis tempore gratiæ. Hæcque impedimenta dicebantur immunditiæ carnis, quibus homo corporaliter ad sancta illa accedere inidoneus reddebatur; atque ab immunditiis illis sacramenta legis purgabant. — Denique sacerdotes legis, etiam post sacrorum administrationem, reputabantur immundi, triplici *Num.* XIX, 8.
ratione. Primo, ut essent sub onere legis sicut et alii. Secundo, ad tollendam superbiam et vanam gloriam sacerdotum de hoc quod alios sanctificabant. Tertio, ad designandum quod sacerdos novi Testamenti semper debet se inidoneum reputare ad celebrandum, propter maximam dignitatem sacrificii evangelicæ legis. — Porro sacrificia legis interdum mundabant a lepra, id est, mundatum aliquem ostendebant, dum signa lepræ in illo apparere cessabant. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea in tertia parte, quæstione sexagesima secunda : Dici (inquit) non potest, art. 6.

quod sacramenta Mosaicæ legis gratiam justificantem contulerunt per se ipsa, id est propria virtute. Sic namque necessaria non fuisset passio Christi, juxta illud ad Galatas : Si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est. *Galat.* II, 21. Nec dici potest, quod virtutem habebant conferendi gratiam ex Christi passione. Virtus enim passionis Christi copulatur hominibus per fidem et sacramenta, attamen differenter : quoniam continuatio per fidem, fit per animæ actum; continuatio vero quæ est per sacramenta, fit per usum rerum exteriorum. Id autem quod est posterius tempore, potest movere antequam sit, secundum quod præcedit in apprehensione actuque animæ : sicut finis movet agentem. Sed quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum seu actum rerum exteriorum : propter quod causa efficiens non valet esse posterior suo effectu in esse, ordine durationis, quemadmodum causa finalis. Manifestum est ergo, quod a passione Christi, quæ est causa justificationis humanæ, convenienter derivatur virtus justificativa ad legis evangelicæ sacramenta, non ad sacramenta veteris legis. Per fidem tamen passionis Christi justificabantur patres antiqui, sicut et nos. Sacramenta quoque veteris legis erant quædam protestationes fidei hujus, in quantum significabant passionem Christi et ejus effectus. Itaque sacramenta legis non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendum gratiam justificantem. Hæc in Summa.

Consonat Petrus, qui tamen quædam nunc dicta plenius exprimit : Duo, inquiens, considerantur circa sacramenta legalia, utpote opus operans et opus operatum. Utrum autem justificabant quoad hæc duo, vel quoad alterum illorum, triplex fuit opinio. Una Magistri, quod neutro modo, quia nec opus operans profuit per modum meriti, nec opus operatum per modum sacramenti, eo quod opus operans erat institutum in onus, non in meritum; et opus operatum in signum, non in causam. Alia

A Hugonis, quod utroque modo justificabant, et quoad opus operans per modum meriti, quando fiebant ex caritate, et quoad opus operatum per modum sacramenti; non tamen tunc justificabant ita immediate et per se, ut sacramenta novæ legis, sed mediate et per accidens, in quantum erant Christi figura : sicque eorum susceptio erat quædam professio ac veneratio Salvatoris. Tertia opinio est communis jam recitata. Prima autem opinio nimis restringit utilitatem sacramentorum legali-

B um, quum et opera indifferentia facta ex caritate sint meritoria. Secunda opinio illam nimis amplificat et extendit, quum sacramenta legalia quasi parificet sacramentis evangelicæ legis. Hæc Petrus.

QUÆSTIO VII

Septimo quæritur, **An circumcisio fuit sacramentum in remedium**

C **contra originale peccatum; et cur primo data est Abrahæ, ac pro maribus tantum.**

Videtur quod circumcisio non fuit remedium removens originale peccatum : nam Abraham ante circumcisionem suam placuit Deo. — Item filii Israel nati in solitudine per annos quadraginta, manserunt *Josue* v, 2- incircumcisi, quousque transito Jordane fuerunt circumcisi sub Josue; et tamen inter illos multi fuerunt Deo placentes, non circumcisi, nec tanto tempore in ori-

D ginali manserunt peccato. — Tertio, circumcisio fuit sacramentum veteris legis : ergo gratiam non donavit; sed sine gratiæ infusione non deletur originale : ergo non valuit in illius remedium atque deletionem. — Quarto, a tempore Adæ fuerunt alia contra originale peccatum remedia : ergo non fuit conveniens, tempore Abrahæ hoc novum institui contra originale remedium. — Quinto, feminæ erant originali obnoxiæ sicut et viri : ergo circumcisionis præceptum debuit eas quoque respicere.

Circa hæc scribit Albertus : Circumcisio, juxta Damascenum libro quarto, signum erat determinans Israel a gentibus cum quibus conversabatur. Principalis autem actus circumcisionis fuit remedium originalis peccati, et sanctificatio circumcisi qualis tunc potuit fieri seu circumcisione præstari. Et fuit signum determinans determinatione conversationis ex gratia circumcisionis, et per consequens exponitur de determinatione seu distinctione habitationis : propter quod loquitur Damascenus, quod quadraginta annis quibus fuerunt in deserto, non circumcidebantur, quia tunc aliis gentibus non erant permixti ; in quo tamen tangit secundariam causam incircumcisionis pro tempore illo, quoniam causa præcipua erat quod fuerunt sub nube, ad cujus motum eis incertum oportuit eos procedere, ad quam profectionem fuissent inepti, vulnere circumcisionis non curato. Erat quoque circumcisio signum sive signaculum corporale, non spirituale, idcirco characterem non impressit : quia character est spiritualis configuratio trinitatis creatæ consistentis in imagine ad increatam Trinitatem. Per circumcisionem autem significabatur diminutio concupiscentiæ ex corporis parte. Nec iterabatur circumcisio, quoniam typus fuit Baptismi, qui non iteratur ; vel potius quoniam morbus originalis peccati in eodem non iteratur. Porro si quis fictus circumcisionem accepit, fictione recedente, circumcisio cœpit valere : non quod gratia in charactere fundabatur, sed quia impedimento cessante et remoto obstaculo, Deus gratiam influxit.

Præterea peccatum in circumcisione dimittebatur ; sic tamen, quod circumcisio per posterius operabatur peccati remissionem. Verbi gratia, in peccato sunt tria sibi connexa, utpote culpa, divinæ visionis carentia, fomitisque intensio seu augmentum. Et si aliquid debeat directe delere peccatum, oportet quod primum habeat causalitatem ad culpæ deletionem ; quumque alia duo connexa sint illi, remittuntur A posterius pœna carentiæ visionis in toto, et fomitis intensio in parte. Sicque operatur Baptismus : quia positione gratiæ abluit sordes culpæ primo, deinde cadunt quoque pœnæ adjunctæ. Circumcisio autem causalitatem ponit contra fomitis intensionem : idcirco incepit delere peccatum a posteriori. Remittit namque seu minuit intensionem fomitis, qui quum non possit diminui nisi cesset reatus in toto, ideo ille in toto dimittitur ; et quoniam ille connexus est culpæ, hinc et culpa dimittitur. B Unde quidam antiqui dixerunt, quod circumcisio de se operatur pœnæ diminutionem, et virtus fidei operatur in ea culpæ remissionem. Fuit demum circumcisio ordinata contra originale peccatum, non tamen substantialiter : propter quod ex aliqua causa poterat intermitti. Quamvis etiam morbus originalis fuit universalis, attamen propagatio active est in viro, et in femina solum passive : ideo remedium hoc debuit poni in viro.

Præterea quæritur, cur feminæ non circumcidebantur. C Dicendum, quod triplici ratione. Primo, quia natura nostra non est tota corrupta in muliere, sed in viro tanquam in radice et primo naturæ principio : hinc in filiis similibus viro, non in feminis circumcisio facta est. Secundo, quoniam vir principalis est in generatione, atque in ejus semine virtus est formativa ; semen vero mulieris est materiale ac passivum principium : propter quod secundum doctores, si Adam non peccante, *Cf.* t. XXII, p. 436 C. mulier sola peccasset, non fuisset transfu- D sum in posteros originale quoad culpam, sed quoad pœnalitates secutas. Tertio, ad ostendendum imperfectionem sacramenti illius, quatenus aliud generale ac melius (puta Baptisma) exspectaretur : quam causam æstimo meliorem. — Fiebat demum circumcisio circularis, ut circulus notaretur peccati, quod primo fuit in persona viri, et deinde serpens ut cancer corrupit naturam in primis parentibus ; ex illa quoque corrupit naturam in parvulis ; et corrupta natura in parvulis, sic quoque

corrupit parvulorum personam: et ita con- A
cluditur circulus a persona in personam. Vel sic : quia anima corrupit carnem in parentibus, et caro parentum carnem seminatam in parvulis, caro quoque animam infusam in eisdem : sicque rursus concluditur circulus primæ maledictionis. — Fiebat etiam circumcisio in membro generationis, quoniam ibi plus sævit et primo percipitur concupiscentia carnis. Verumtamen circumcisio non fiebat directe in ea parte in qua dominatur libido, puta in capite virgæ, sed in pellicula : quæ et in B
muliere posset abscidi. Periculosum vero et contra bonum prolis in matrimonio fuisset, circumcisionem fieri in carne capitis virgæ. Unde elicitur, qualiter intelligen-
Gen. XVII, 11. dum sit illud Genesis : Circumcidetis carnem præputii vestri. — Hæc Albertus, cujus dicta ex sequentibus clarius jam patebunt.

Itaque Thomas respondens ad istud, utrum necessarium exstitit circumcisionem dari : Circumcisio, inquit, primo et principaliter necessaria fuit propter ex- C
pressiorem significationem eorum quæ fidei sunt. Oportuit quippe ut sicut secundum temporis incrementum explicatio fidei crevit, sic cresceret sacramentalium signorum distinctio. Porro circumcisio expressam similitudinem habuit ablutionis originalis peccati quantum ad quatuor. Primo, quantum ad membrum generationis, per quod originale transfunditur. Secundo, quantum ad circularem figuram (sicut expositum est). Tertio, quantum ad pœnam quæ fuit in circumcisione, contra D
delectationem concupiscentiæ, in qua præcipue viget fomitis virtus. Quarto, quantum ad sanguinis effusionem, in qua significatur passio Christi, per quam pro originali fuit satisfaciendum. Et quantum ad hanc utilitatem definitur circumcisio, quod est signaculum curationis ab originali. Ex consequenti vero utilitas circumcisionis fuit distinctio populi fidelis ab infideli, et ita eam definit Damascenus,
Cf. p. 67 A. ut patuit. Habuit quoque mysticam significationem : et moralem, quoniam fuit signum castitatis servandæ; et allegoricam, præfigurando purgationem per Christum futuram; et anagogicam, quoniam designavit depositionem corruptibilitatis carnis et sanguinis in resurrectione. Prætactas autem utilitates habuit circumcisio præ sacramentis legis naturæ : idcirco post illa institui debuit. Pœna vero quæ fuit in circumcisione, fuit tantum ad significationem, non ad satisfactionem, quoniam peccato originali aliunde contracto non debetur pœna sensibilis.

Præterea, convenienter datum est circumcisionis præceptum ante legem scriptam, quia lex scripta non debuit dari nisi populo fideli adunato et ab aliis distincto: quod factum est per signum circumcisionis sensibile, in quo communicaverunt Judæi. — Convenienter etiam datum est præceptum hoc tempore Abrahæ. Tunc namque ex originali infectione invalescere cœpit idololatria, et turpissimum vitium contra naturam. Unde tunc debuit plebs fidelis ab infideli tali signo distingui, et promissionem apertam de Christi adventu suscipere, in quo universæ gentes benedicerentur, atque a suis criminibus purgarentur. — Denique, quoniam Filius Dei elegit ex populo Israel incarnari, decuit populum illum præ ceteris gentibus decorari diversis gratiæ donis ac sanctitate : ideo ei specialiter circumcisio jussa ac data est.

Si autem quæratur, an dies octavus fuit de necessitate circumcisionis; dicendum, quod circumcisio fuit in præcepto, et erat sacramentum. Sicque dies octavus fuit de necessitate circumcisionis quantum ad obligationem præcepti, ita quod reus fuit transgressionis qui non observavit hoc tempus. Non tamen fuit de necessitate ejus quantum ad efficaciam sacramenti, imo alio die facta, habuit suum sacramentalem effectum : quemadmodum accidit ministrantibus evangelicæ legis sacramenta, qui si debitas formam materiamque observant, habent sacramenta suum effe-

ctum, quamvis aliquid de ritu et accidentalibus omittatur. Causæ autem spirituales octavæ diei tanguntur in littera. Litteralem vero causam Rabbi Moyses tradit, dicendo, quod puer ante octavum diem tam tener est quasi in utero matris : unde nec alia animalia ante diem offerebantur octavum. — Porro cum illis qui in deserto fuerunt nati, dispensatum est quantum ad tempus circumcisionis, propter causas *Cf.* p. 67 B. præhabitas; tamen secundum Augustinum, qui ex negligentia aut contemptu omiserunt, inobedientiam incurrerunt. Nec constat quemquam illorum in deserto obiisse, *Ps.* civ, 37. quum dicatur in Psalmo : Non erat in tribubus eorum infirmus. Sed egressi de Ægypto, sunt mortui in deserto, qui fuerant circumcisi, et ita nullus est ibi mortuus incircumcisus. Si vero aliqui incircumcisi obierunt ibidem, idem de eis dicendum est quod de illis qui ante circumcisionis institutionem moriebantur.

Præterea si quæratur, an licuit prævenire diem octavum; dicendum, quod Magister videtur sentire in littera, quod imminente articulo mortis licuit prævenire. Idem tenet Antisiodorensis in Summa, quarto libro. Alii Hugonem de S. Victore sequentes, dicunt, quod non fuit necesse prævenire diem octavum, quoniam illis qui obierunt ante octavum diem, valuit ad salutem remedium quod ante circumcisionem exstiterat, quod adhuc efficaciam habuit. Quod confirmant per Judæos qui nunc sunt, qui ante octavum diem nunquam circumciduntur, et per Glossam super illud *Prov.* iv, 3. Proverbiorum, Unigenitus eram coram matre mea : quæ dicit, quod alius filius Bethsabee parvulus non computatur, quoniam *II Reg.* xii, 18. ante octavum diem mortuus, non fuit nominatus, et per consequens nec circumcisus. — Cultellus quoque lapideus non fuit de necessitate, sed de bene esse circum- *Cf.* p. 67 C. cisionis. — Amplius, sicut ostensum est, circumcisio characterem non impressit. Character namque est spirituale quoddam signum distinctivum, per hoc quod homines in aliquo statu perfectionis constituit,

A ut in Baptismo, Confirmatione et Ordine, ut infra dicetur. Circumcisio autem erat principaliter signum constitutum ad purgandum : ideo in ipsa non ponebatur homo in alio statu. Hinc characterem non impressit. Quemadmodum vero in Baptismo manet character spiritualis, ratione cujus fictus, deposita fictione, effectum sortitur Baptismi ; sic in circumcisione mansit character exterior, hoc idem efficiens.

At vero peccatum aliunde contractum, B conveniens fuit per alium tolli : ideo in quolibet statu post peccatum, fuit aliquod remedium per quod originale peccatum virtute passionis Christi tollebatur. Quumque pueri ante usum liberi arbitrii non se poterant ad gratiam præparare, ne omnino sine remedio relinquerentur, oportuit aliquod remedium dari quod ex opere operato peccatum aboleret originale : idcirco a cunctis conceditur, quod tale remedium fuit circumcisio, non tamen aperuit januam regni, neque naturæ impedimentum C abstulit. — Sed quæri potest, an etiam actualia peccata abstulit in adulto. Dicendum, quod circumcisio directe ordinata fuit contra originale peccatum, ex consequenti tamen etiam actualia peccata tollebat, ubi reperit ea. Sancti vero de hoc non loquuntur, quia ad hoc non fuit circumcisio principaliter instituta.

Quæritur quoque, an circumcisio contulit gratiam. Respondendum, quod de hoc sunt multæ opiniones. Una dicentium quod non, quoniam ad Romanos asserit quædam *Rom.* iv, 11. D glossa : In circumcisione peccata dimittebantur, sed gratia per eam non præstabatur. Dicebant namque, quod quum originale peccatum nil aliud sit quam intensa concupiscentia cum carentia justitiæ debitæ, circumcisio sine hoc quod in ea gratia conferretur, auferre poterat debitum, non auferendo reatum, ut per hoc, quod homo illam justitiam non habebat, non ei imputaretur ad pœnam. Sed hoc esse non potest, quoniam culpæ inordinatione manente, nullo modo potest non imputari ad

pœnam, quum inordinatio culpæ recompensetur et ordinetur per ordinationem pœnæ. Ideo si imputatio ad pœnam aufertur, oportet quod inordinatio culpæ tollatur : quod fieri sine gratia nequit. — Alii ergo dixerunt, quod circumcisio ex sua virtute abstulit culpam, et gratia in circumcisione conferebatur, non ex vi circumcisionis, sed ex liberalitate divina ablato gratiæ impedimento. Sed nec hoc dici potest. Nam quamvis ex parte recipientis prius sit expulsio contrarii quam introductio formæ, tamen ex parte agentis prius est introductio formæ, quoniam non expellit contrarium nisi formam introducendo : ideo nisi circumcisio gratiam aliquo modo conferret, nequaquam tolleret culpam. — Hinc alii dicunt, quod circumcisio contulit gratiam quantum ad privativos effectus, qui sunt auferre culpam, non quantum ad effectus positivos. Quod nihil est, quia effectus positivus ultimus gratiæ, est dignum facere vita æterna : quod fiebat per circumcisionem, sicut et modo per Baptismum. — Alii ergo probabilius dicunt, quod præstitit gratiam quantum ad effectus privativos culpæ et reatus, et quantum ad quosdam positivos effectus, ut animam ordinare et vita æterna dignam efficere; non tamen quoad omnes effectus quos gratia habet baptismalis, quoniam illa sufficit ad concupiscentiam totaliter reprimendam, atque ad meritorie agendum : ad quod gratia in circumcisione data sufficere non valebat. Et quoad hoc verificatur glossa inducta. — Hæc Thomas in Scripto.

Verumtamen in tertia parte, quæstione sexagesima secunda, videtur de his parumper aliter sentire. Siquidem opinionibus his recitatis, subjungit : Alii dicunt, quod circumcisio contulit gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna; non quantum ad reprimendum concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod et mihi aliquando visum est; sed diligentius consideranti apparet hoc non esse verum, quoniam minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ ac promereri vitam æternam. Ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio sicut et alia sacramenta veteris legis, solum erat signum fidei justificantis. Unde Apostolus dicit ad Romanos, quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Ideo circumcisio non habuit in se virtutem conferendi gratiam, neque virtutem auferendi peccatum; sed hoc fiebat per fidem passionis Christi, quam circumcisio designavit. Ideo in circumcisione gratia conferebatur, in quantum erat signum passionis Christi futuræ. Hæc in Summa.

Quibus concordat quod scribit in Summa contra gentiles, libro quarto, ubi loquens de distinctione sacramentorum novæ ac veteris legis, testatur : Visibilia sacramenta ex passione Christi efficaciam habere oportet, et ipsam quodammodo repræsentare. Hinc necesse est ea talia esse, ut congruant saluti factæ per Christum : quæ salus ante Christi incarnationem fuit promissa, nondum exhibita. Sacramenta ergo quæ Christi incarnationem et mortem præcesserunt, oportuit talia esse ut significarent et repromitterent salutem. Sacramenta vero quæ Christi passionem sequuntur, talia esse necesse est ut hominibus salutem exhibeant, et non solum significando demonstrent. Hæc ibi.

Quibus pro maxima parte consonat Petrus. Attamen ait : Una fuit opinio, quod circumcisio culpam tollebat, et quod gratia conferebatur in ea solo beneplacito Dei, non per vim circumcisionis. Cui opinioni objicitur, quia non tollitur culpa nisi per gratiam : ergo quod tollit culpam, oportet quod conferat gratiam. Idcirco probabilius dicitur, quod culpam tollebat, et gratiam conferebat, in quantum est deletiva peccati, primo et per se; per accidens vero etiam, in quantum operativa est boni. — Hæc Petrus. Quæ etiam ex aliis verbis Thomæ sequuntur, quamvis in tertia parte videatur sentire oppositum.

Asserit quoque Petrus : Circumcisio primo et principaliter tollebat originale pec-

Margin notes: art. 6. — Rom. IV, 11 — cap. 57.

catum, et ex consequenti et per accidens culpam actualem annexam, in quantum culpa originalis sine illius dimissione tolli non poterat quoad maculam et reatum pœnæ æternæ, alias non. Ideo debitum pœnæ satisfactoriæ non tollebat. Baptismus vero tollit totam culpam ac pœnam satisfactoriam. Hæc Petrus.

Concordat Richardus, cujus scripta in his continentur, allegatque Augustinum libro de Nuptiis perhibentem : Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei ad purgationem originalis veterisque peccati, valebat magnis et parvulis, sicut modo Baptismus. — Idem cum his tenet Bonaventura.

Antisiodorensis vero dicit : Asserunt fere omnes, quod in circumcisione gratia conferebatur, sed non ex vi circumcisionis, quod et Magister in textu sentire videtur; et quod ex vi circumcisionis solum remittebantur peccata. Nos vero dicimus, quod ex vi sua contulit gratiam quantum ad effectus gratiæ privativos, non positivos, nisi per concomitantiam : sicut ex vi verborum consecrationis corporis Christi, non est ibi sanguis nisi consecutive, quoniam illud corpus nusquam est sine sanguine suo.

QUÆSTIO VIII

Octavo quæritur, **An legalia cessare debuerunt Evangelio divulgato.**

Videtur quod non, quia in Actibus fertur Apostolorum, quod Paulus fecit Timotheum circumcidi, (*Act.* XVI, 3.) et ipsemet Paulus ad suggestionem apostoli Jacobi servavit legalia, et prædicavit in templo ea esse servanda. Apostoli quoque scripserunt conversis ex Judaismo, ut legalia quædam servarent, abstinendo a suffocato et sanguine. (*Ibid.* XV, 29.) De circumcisione quoque idem specialiter potest probari, quia incommutabilis Deus instituit hoc præceptum perpetuo observari, A quia in Genesi Dominus ait Abraham : Erit pactum meum, id est circumcisionis præceptum, in carne vestra fœdere sempiterno. (*Gen.* XVII, 13.)

In contrarium est Scriptura canonica, quum Apostolus Galatis scribat : Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. (*Galat.* V, 2.)

Circa hæc scribit in Summa sua Antisiodorensis : Præcisa et generalis causa cessationis omnium sacramentorum veteris B legis, est pura figura. Illa namque cærimonialia ex toto cessant, quæ non habebant aliam utilitatem nisi signandi. Circumcisio autem instituta fuerat ante legem, sicut et matrimonium. Hic autem loquimur tantum de illis quæ instituta fuerunt in lege. Generalis itaque causa, quod cærimonialia legalia cessaverunt, fuit pura umbra et pura figura. Verum præter hanc causam specialis est ratio cur sacramenta legalia cessaverunt. Differebant enim aliquo modo sacramenta legalia et cærimonialia C legalia : quoniam omnia sacramenta legalia erant cærimonialia, non econtra. Etenim non comedere carnem porcinam, erat cærimoniale, non sacramentum. Cessaverunt ergo omnia sacramenta legalia, quia fuerunt umbra futuræ veritatis. Omnia quippe Christum significabant. Ideo veritate adveniente cessaverunt. Hinc cessavit circumcisio, litteralisque observatio sabbati, sicut ait ad Hebræos Apostolus : Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat, id est legalium. (*Hebr.* VII, 12.) Cultui enim D legis carnalis successit spiritualis Evangelii cultus. Verumtamen quædam legalia retinuit sibi Ecclesia, ut thurificationem, quæ remansit non solum quoniam significat quod semper agendum est, puta orationem et ejus suavitatem; sed quia et ipsa litteralis observantia est moralis : quod non invenitur in carne porcina et suffocato et sanguine. In thurificatione equidem honoratur Deus, sicut in magnitudine et pulchritudine templi materialis, quo regnum significatur cœleste, vel anima

justi, quæ major est toto mundo sensibili, A dignitate et potestate. — Hæc Antisiodorensis. Qui circa hæc multa conscribit, quæ dimitto, quoniam infra ex doctoribus aliis clarius inducentur.

Insuper Thomas de causa cessationis circumcisionis disseruit : Quum venerit quod perfectum est, evacuari debet quod ex parte est, si ad idem ordinetur : quia gratia non facit per duo quod per unum facere potest æque bene, quemadmodum nec natura, juxta Philosophum. Circumcisio autem imperfecta fuit respectu Baptismi B tripliciter. Primo, quantum ad significationem : quia non ita expresse designavit emundationem hominis totius ab immunditia culpæ originalis, sicut ablutio baptismalis. Secundo, quantum ad efficaciam : quoniam non tam abundans gratia ad reprimendum fomitem atque ad bene agendum dabatur in circumcisione, ut in Baptismo. Tertio, quantum ad utilitatem : quia utilitas circumcisionis non fuit ita communis sicut Baptismi, quum habuerit determinatum populum, determi- C natumque sexum, et tempus determinatum; Baptismus autem cunctis gentibus competit. Ideo debuit Baptismo substituto ac prædicato, cessare. — Æternum autem in Scripturis frequenter accipitur pro duratione quacumque cujus finis indeterminatus est nobis. Et quamvis circumcisio non incepit cum lege, tamen propter legem incepit tanquam præparativa ad eam; idcirco cum lege cessavit.

1 Cor. XIII, 10.

Insuper alia legalia cessaverunt triplici ratione. Prima est, quoniam lex instituta D fuit ad significandum gratiam novi Testamenti, quæ per Christum est facta : ideo Christo veniente cessaverunt, quemadmodum corpore luminoso præsente, desinit umbra. Quam causam tangit ad Hebræos Apostolus, dicens : Umbram habens lex futurorum bonorum. Secunda est imperfectio legis : quoniam in legalibus gratia non conferebatur, ideo oportebat gratiosiora institui sacramenta in evangelica lege. Quam causam assignat Apostolus, ad Hebræos loquens : Reprobatio quidem fit prioris mandati propter infirmitatem et inutilitatem. Tertia causa sumitur ex parte eorum quibus lex data est, qui erant pusilli : ideo erant paulatim a pristina consuetudine idololatriæ abstrahendi, ut sic eis concederetur eadem Deo offerre quæ prius obtulerant aut offerri viderant idolis, ut Rabbi Moyses testatur. Postmodum vero, quando ad perfectam devenit ætatem genus humanum, debuit ab his observantiis liberum esse. Hanc rationem tangit Apostolus ad Galatas.

Hebr. X, 1. *Hebr.* VII, 18. *Galat.* III, IV.

Præterea quæstio de observantia legalium, præsertim circa exordium novæ legis, difficultatem sortitur ex quibusdam contrarietatibus quæ super hoc inveniuntur tam in canone Scripturæ quam in dictis Sanctorum. Interdum namque leguntur observata legalia tempore gratiæ, quandoque vero prohibita. Nempe de hoc beatissimus Petrus a Paulo notatus videtur, ut ad Galatas describitur. Et circa hoc Hieronymus et Augustinus diversa sensisse leguntur. Dixit namque Hieronymus, quod legalia statim post Christi passionem fuerunt mortifera, quantum ad illos ad quos gratia novi Testamenti exstitit divulgata; Apostolos vero quadam pia dispensatione his usos fuisse ad vitandum scandalum Judæorum. Ideo S. Petrus judaizans non peccavit, dispensatorie id faciens; similiter Paulus dispensatorie eum redarguit, ne gentiles exemplo Petri sacramenta legis tanquam necessaria quærerent : et sic B. Petrus excusatur a culpa, et Paulus a reprehensione procaci. Sed quoniam non videtur conveniens, quod Apostoli aliquid contra veritatem doctrinæ fecissent ad vitandum scandalum Judæorum, neque quod Paulus in Epistola ad Galatas aliquid simulatorie scripserit, ubi se refert glorioso Petro restitisse, quia reprehensibilis erat : hinc Augustinus aliter dicit et melius, quod ante Christi passionem legalia erant servanda de necessitate præcepti, sed post passionem et ante divulgationem Evangelii observari pote-

Ibid. II, 11.

rant a Judæis conversis, non ponentibus A spem in illis quasi alicujus essent virtutis, aut quasi sine eis non sufficeret gratia Christi, sed ne omnino videretur lex vetus reprobanda, si mox quasi idololatria fugeretur : imo hoc modo erat mater Synagoga deducenda ad tumulum cum honore. Porro post divulgationem Evangelii non solum non fuerunt salutifera, sed mortifera. Medio ergo tempore sacratissimus princeps Apostolorum Petrus, et Paulus, aliique Apostoli servaverunt legalia vere, non simulatorie. Attamen summus ille Aposto- B lus aliqualiter incaute se habuit in observatione legalium, nimium condescendens Judæis qui legalia simul cum Evangelio observanda putabant, ita ut aliqui ejus exemplo inducerentur ad ea servanda tanquam necessaria ; et quoad hoc reprehensibilis erat, et aliquam levem incurrit culpam.

Postremo, de hoc, an teneamur ad aliqua legalia observanda, sunt tres opinio-
Act. xv, 29. nes. Una, quod præallegata quæ in Actibus leguntur Apostolorum, intelligantur ad lit- C teram, et usque nunc obligent. Sed hoc manifeste contrariatur dictis Apostoli, qui
Rom. xiv, 14. dicit nil esse commune, id est immundum, per Christum, nisi ei qui æstimat aliquid commune esse. Est etiam contra rationem, quia quum illud præceptum non sit morale (non enim ratio naturalis hoc dictat), oportet quod sit cærimoniale : ideo obligatio ejus non magis manet quam aliorum. — Alii ergo dixerunt, quod non sit ad litteram intelligendum de sanguine animalis, suffocatoque bruto, sed de effusione D sanguinis per homicidium, suffocationeque pauperum. Quod etiam stare non potest, quia Hieronymus super Ezechielem post mysticam illam expositionem, ponit litteralem, quam dicit Apostolos intendisse. — Hinc alii dicunt, quod epistola Apostolorum non erat præceptoria quantum ad hoc quod abstinerent a sanguine et suffocato, sed provisio ad conservandam pacem ac vitam communem inter conversos gentiles et conversos ex Judaismo : ideo fornicationem prohibuerunt quasi per se vitiosam, quæ apud gentiles non reputabatur illicita. Idolothytum vero prohibuerunt, tanquam id quod posset suspicionem generare idololatriæ adhuc retentæ de illis gentibus in cordibus Judæorum ; sanguinem quoque et suffocatum, tanquam ea quæ Judæi propter dissuetudinem abominabantur : quemadmodum usque hodie qui vult alteri socialiter convivere, necesse habet abstinere ab his quæ alter abhorret. — Hæc Thomas in Scripto.

In quibus concordant Petrus, Richardus, Durandus, Thomas de Argentina, aliique communiter, quorum scripta in præinductis ex S. Thoma comprehenduntur. Ex quibus et argumenta quæ tacta sunt et tangi possent, solvuntur facile.

Antisiodorensis quoque concordat, nisi quod verba illa de suffocato et sanguine, dicit esse intelligenda de hominum suffocatione et humani sanguinis effusione.

QUÆSTIO IX

NONO quæritur, **An in lege naturæ proles fide parentum salvabatur.**

Quocirca ambigitur, an sola fide informi hoc fieri potuit, vel fide tantum formata; an etiam requirebatur exterius signum, sacrificii quoque oblatio in adultis.

Videtur quod fide parentum salvari non poterant, quia fides et actus ejus manent in corde credentis : ergo non nisi per modum causæ meritoriæ poterant gratiam aut salutem alteri procurare. Sed caritas et actus ejus digniores sunt fide et actu illius, magisque Deo accepti quam fides et actio ejus : ergo per parentum caritatem potius hoc fiebat. — Præterea, si alter parentum fuit idololatra, et obtulit prolem simulacris, quid fiebat ? — Rursus, fide informi nemo potest se ipsum juvare salubriter, ergo nec alium. — Iterum, proles carnem, non animam, a parentibus habet : ergo

animæ prolis nec infidelitas parentum potest nocere, nec fides prodesse. Propter quod Dominus per Ezechielem testatur : *Ezech.* XVIII, 4, 20. Omnes animæ meæ sunt; anima quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris; justitia justi super eum erit. De Noe quoque, Job et Daniele loquitur Dominus : *Ibid.* XIV, 16. Filium et filiam non liberabunt.

Ad hæc Bonaventura respondet : Dixerunt quidam, quod fides parentum erat remedium parvulo, non principaliter ratione actus credendi, sed ratione virtuteque crediti, a quo ut credito, fluit virtus et efficacia in omnia sacramenta. Quumque creditum nunquam sit informe respectu fidei informis et fidei formatæ, ideo per fidem quantumcumque informem dabatur remedium parvulo. — Aliter tamen potest dici, quod non ipsum creditum, sed professio fidei fuit remedium parvulo, quæ dum fiebat motu fidei aut actu exteriori, erat dispositio curationis : quod fuit in circumcisione, et modo in Baptismo, quoniam ibi est professio fidei ipso facto. Verum professio fidei quam faciebant parentes, reputabatur parvulo in medelam ex divina misericordia. Et quia professio fidei in habente tantum originale peccatum, sufficienter disponit ad gratiam, quamvis non fiat in caritate (habens enim originale tantum, quum non teneatur conteri, ideo ex sola voluntate credendi et captivatione intellectus præparat se ad gratiam : sic et parvulus præparatur ad gratiam merito congrui, modo prætacto. In justificatione enim seu curatione parvuli potius requiritur meritum congrui quam condigni, quemadmodum et in justificatione adulti); ideo dicendum sine præjudicio, quod fides informis parentum poterat esse remedium parvulo, præsertim quum nullus sit certus se esse in caritate, sine revelatione : sicque nulla fuisset certitudo de parvuli curatione. Alias etiam actuale peccatum parentum imputaretur parvulo, qui curatus et salvatus fuisset, si

A parentes sine mortali peccato fuissent, habendo fidem formatam. Denique fide informi fiunt miracula, et unus alteri procurat corpoream sanitatem; Deus autem pronior est dare sanitatem spiritualem quam corporalem. Quamvis demum fides informis non placet Deo tanquam quid meritorium de condigno, attamen placet ei sicut dispositivum ex congruo. Rursus, quamvis fides informis non sufficit ad remissionem propriæ culpæ actualis, potuit tamen sufficere modo prætacto ad remis-
B sionem alienæ culpæ originalis, quoniam major dispositio requiritur ad hoc quod remittatur actuale quam originale, quum actuale sit ex propria culpa: idcirco requirit attritionem cum fide. Quum ergo objicitur, quod unusquisque plus meretur sibi quam alteri, verum est, ceteris paribus. Hæc Bonaventura.

Quæritur item, an ad remissionem originalis suffecit pro parvulis sola fides. Quod sic videtur : quia Gregorius loquitur, quod pro parvulis suffecit sola fides. Hugo
C quoque fatetur, quod tempore legis naturæ non fuerunt sacramenta aliqua in præcepto : ergo sine exteriori signo et sacrificio parvulus quibat salvari. — Respondendum, quod circa hæc est duplex opinio. Una, quod non habitus fidei, sed fides ratione actus et motus sive professionis, et non cujuscumque professionis, sed ejus qua profitebantur parvulum curandum esse ab eo quem exspectabant. Atque de hac professione aliqui dicunt, oportuisse quod fieret non tantum actu mentis et oris, sed
D etiam signo visibili, ut sacrificio aut decimatione, aut aliquo alio signo : quia fidelium Ecclesia semper aliqua habuit signa in quibus colligebantur et communicabant fideles, et profitebantur fidem in facto. Unde Augustinus contra Faustum : In nullum nomen religionis nec veræ nec falsæ adunari homines possunt, nisi aliquo signorum aut visibilium sacramentorum consortio uniantur. Idcirco quod ait Gregorius, Sola fide parentum salvabantur, intelligit, quod sine consensu fideque parvu-

li hoc fiebat. Sed positio ista non congruit, (A) quia B. Gregorius loquendo de majoribus (Cf. p. 37 II.) addidit : Sacrificii virtus. Præterea, quum nullius necessitatis essent sacrificia illa, et talis professio de congruo deberet esse cum fide, non tamen necessario, propterea ait Hugo : Commonemur quia illa sacramenta pro tempore magis ad devotionem proposita fuerunt, quam ad obtinendum salutem indicta. — Hinc alia opinio dicit, quod professio fidei sufficiebat qualitercumque fiebat, seu signo, seu verbo, seu cordis actu, dummodo fieret a parentibus, et haberetur (B) respectus ad parvulum. Si autem quæratur, cur magis fides requirebatur parentum; dici potest, quod parentes vocantur hic omnes qui curam gerebant de parvulo; vel quia a parentibus puer contraxerat culpam, congruentius exstitit ut eorum fide mereretur et gratiam. In utero autem parvulus purgari nequivit, quia juxta communem legem non habuit efficaciam fides circa infantulum, nisi ex utero natum, sicut nec modo Baptismus. Hæc idem.

Qui insuper sciscitatur, an requirebatur (C) sacrificium in remedio originalis peccati in adultis. Respondet : Hic prænotandum, quod juxta Hugonem, in lege naturæ tria sacrificiorum genera erant, decimationes, oblationes et sacrificia. Ad quorum notitiam tria notanda sunt : primo, quæ fuit ratio instituendi sacrificia illa; secundo, quis modus; tertio, quæ efficacia. Prima ratio fuit honoratio Dei. Omni etenim tempore fides requirebatur in justis, et nullus nisi in fide salvatus est. Hæc fides in lege naturæ illustravit homines ad credendum (D) quod Deus sit hominum creator, redemptor et remunerator. Sicque fides illuminabat, et dictamen naturalis rationis consonabat, ut homo Deo serviret, et omnia sua a Deo esse agnosceret; et quod credebat, signo quodam sensibili manifestabat. Ideo signa fuerunt in lege naturæ, in quibus Deus honorabatur, ut in oblatione tanquam qui universa creavit. Honorabatur quoque ut redemptor in sacrificio, et ut remunerator perfectus in decimatione. Denarius enim est perfectissimus numerus, quoniam continet in se tres perfectiones. Prima est unitatis, secunda ternarii, tertia senarii : quæ simul juncta, denarium faciunt. Unitas quippe perfecta est, quia est omnis numeri perfectio; ternarius vero constat ex omnibus partibus suis, ex parte aliquota et non aliquota; senarius autem constat ex omnibus partibus suis aliquotis. Secunda ratio est professio fidei redemptoris. Nam sicut nullus sine fide (*Hebr.* XI, 6.) potest placere Deo, sic nemo sine fide mediatoris potest a peccato resurgere. Et sicut fides dictavit simpliciter Dei honorificationem, ita et istam professionem. Et quia tunc profitetur homo, quando quod credit, exterius manifestat; ideo tempore legis naturæ fuerunt signa ad manifestandum hoc, et etiam redemptorem. Inde hoc modo tria considerantur, videlicet : res redempta, per decimationem (homo namque significatur per decimam drachmam deperditam); (*Luc.* XV, 8.) item modus redimendi, per oblationem; et ipsum pretium, per sacrificium, in quo sanguinis fuit effusio. Hæc demum professio per hujusmodi signa maxime necessaria fuit pro imperfectis : perfectis enim Deus revelavit fidei sacramenta, quæ imperfectis celavit. Propter quod minores adhærebant fidei majorum, et credebant implicite : et sicut implicite crediderunt, sic signa data sunt eis a majoribus, in quibus fidem implicite profitebantur. Tertia ratio fuit vitæ justificatio, quoniam sine operibus bonis nemo poterat stare in via salutis. Hinc fidei adjuncta sunt signa designantia ea quæ simul cum fide necessaria sunt : quæ tria sunt in corde, et tria exterius, quæ per tria prædicta signantur. In decimatione enim designatur peccati recognitio atque remissio, quia in decimatione tribuitur Deo quod perfectum est, et dimittitur nobis quod imperfectum est, ad insinuandum quod bona a Deo sunt, et mala a nobis. Porro in sacrificio significatur interna contritio, juxta illud, Sacrificium Deo spiritus contribulatus; (*Ps.* L, 19.) et maceratio carnis, quoniam pecus occidebatur. In

oblatione, devotio mentis ac bona operatio foris, quæ fidei juncta, sufficiunt ad salutem. — Secundo pensandus est modus instituendi. Non enim instituta sunt per modum præcepti, secundum Hugonem, qui dicit homines illos tanquam parvulos fuisse consilio nutriendos. Et si quæras, quomodo; respondendum, ut tactum est, quod fides dictavit, natura concordavit, inspiratio auctoritatem donavit: ideo per modum consilii data sunt per superiores, in quibus fuit fides explicita. — Tertio attendenda est horum efficacia. Nullam autem de se habebant efficaciam curandi aut justificandi, sed solum ratione fidei redemptoris: quia nec instituta erant ad hoc, sed ad nunc tacta. Hinc non nisi ratione fidei vocantur remedia. Hæc idem.

Concordat Thomas his, ad primum horum respondens: Originale peccatum est peccatum naturæ; natura autem reparari nequivit nisi per Christum; ideo nunquam poterat remitti originale alicujus peccatum, nisi facta relatione et quadam continuatione curandi ad Christum, quod fiebat per fidem. Ideo fides mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali: in adultis fides propria, in parvulis aliena. — Hæc Thomas. Qui ad secundum respondet sicut Bonaventura. — Ad tertium quoque respondens: Sacramenta (inquit) legis naturæ non ex divino præcepto, sed ex voto, id est desiderio, seu sponte celebrabantur, prout unicuique dictavit mens sua, ut fidem suam exteriori signo aliis profiteretur ad Dei honorem, secundum quod habitus caritatis inclinat ad actus exteriores. Et sicut dicimus de caritate, quod sufficit motus interior, sed dum habet tempus operandi aptum, requiruntur actus exteriores; ita quantum ad adultos in lege naturæ sufficiebat sola fides, quum et modo sufficiat ei qui non ex contemptu nec negligentia sacramenta omittit. Efficacia tamen remissionis culpæ fuit ex fide. Sicque intelligenda sunt verba ista Gregorii:
Cf. p. 37 H. Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel sola fides pro parvu-
A lis, vel pro majoribus sacrificii virtus, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, circumcisionis mysterium. Hæc idem.

Idem Petrus, et addit: Fides comparari potest ad subjectum et ad objectum. Et ex parte subjecti non habuit virtutem salvandi parvulum, sed ex parte objecti, quum virtus subjecti sit particularis et determinata, virtus autem objecti universalis et infinita. Quumque informitas fidei sit ex parte subjecti, non impedivit efficaciam salvandi parvulum. — Præterea Hugo
B dicit, quod originale peccatum dimittebatur per decimationem; Gregorius, quod per sacrificium; et doctores addunt, quod per oblationem. Quæritur ergo, quomodo ista stent simul. Dicendum, quod ad remissionem originalis semper necessaria fuit professio fidei, tanquam medicina universalis et propria. Professio vero fidei duplex est: una interior, exterior alia. Dicuntque aliqui, utramque fuisse necessariam ad curationem originalis peccati. Alii dicunt, quod tantum interior, quia nul-
C la exterior professio fidei fuit determinata aut instituta. Professio autem in illo triplici opere fuit magis congrua et expressa, quia per decimationem designabatur imperfectio curandorum, per oblationem autem liberatio futura per Christum, per sacrificium vero modus liberationis, videlicet passio Salvatoris. Nihilo minus fuit in his tribus professio fidei in tribus articulis tunc ad credendum necessariis: quia oblatio designabat Deum omnium creatorem; sacrificium autem, redemptorem a
D malis venturum; decimatio, omnium remuneratorem, quia denarius primus limes est numerorum. Hæc Petrus.

Consonat Richardus: Concedendum est, dicens, quod in parvulis in lege naturæ delebatur originale peccatum, non tantum per fidem carnalium parentum, sed etiam quorumlibet aliorum dirigentium fidem Christi implicitam vel explicitam ad parvuli purgationem atque salutem. — Præterea quærit Richardus, quæ et quot sacramenta in lege naturæ, et a quo et quando

et quomodo fuerunt instituta. Respondet : A Si sacramenta dicantur sensibilia signa a Deo tempore legis naturæ instituta, non ante, ad significandum rem sacram per homines ministranda, et ab eis frequentanda; sic dico, quod fuerunt tria duntaxat, videlicet decimæ, sacrificia, oblationes. Matrimonium autem fuit in statu innocentiæ institutum. Quamvis etiam in lege naturæ fuit virtus pœnitentiæ, non tamen fuit tunc proprie sacramentum, ut infra dicetur. Quamvis etiam tunc fuerit sacerdotium, non tamen proprie, ut est Ordinis B sacramentum. Quamvis enim fuerit potestas a Deo ordinata ad offerendum aliquid in significationem rei sacræ, non tamen erat distincta a sæculari potestate. Nam
Gen. XIV, 8. Melchisedech sacerdos fuit rex Salem, ut in Genesi legitur, ubi asserit Glossa : Dicunt Hebræi, omnes primogenitos a Noe usque ad Aaron fuisse pontifices. Super
Ibid. XXVII, 15. illud quoque Genesis, Vestibus Esau valde bonis, loquitur Glossa : Tradunt Hebræi, primogenitos functos officio sacerdotum, et habuisse vestimentum sacerdotale, quo C induti, victimas offerebant antequam Aaron eligeretur in sacerdotem. Non tamen invenitur, quod de Dei mandato ad hoc consecrarentur per aliquod sensibile signum. Denique, sacramenta illa fuerunt a Deo, id est divina inspiratione, instituta. Unde libro de Sacramentis disseruit Hugo : Probabile est, hominem ad hæc exercenda a principio a Deo instructum et eruditum fuisse. Ex quibus constat quando fuerint instituta, quia mox post lapsum; et modus institutionis, quia ex inspiratione D divina. Propterea dixit Hugo : Conjicimus, quod Deus hominem a principio ad hæc exercenda consilio erudivit. Hæc Richardus.

Præterea Durandus a præinductis partim dissentit, dicendo : Non sufficiebat pro parvulo fides alterius, ut erat fides illius personæ, sed ut erat fides Ecclesiæ, quoniam actus unius non potest alteri valere ad justificationem, nisi per modum meriti aut suffragii, quod idem est, vel per modum sacramenti. Fides autem aliena non poterat alteri valere per modum sacramenti, quoniam nondum erant instituta aliqua sacramenta : ergo valebat per modum meriti sive suffragii; quod non potuit fides aliena ut personæ, quia frequenter fuit informis. Fides autem informis unius non meretur aliquid alteri, nec de condigno neque de congruo, quamvis per fidem informem aliquis possit sibi ipsi mereri aliquid de congruo. Ergo oportuit quod fides illa mereretur parvulo justificationem, secundum quod erat fides Ecclesiæ, quæ est semper formata. Insuper dico, quod non sufficiebat hæc fides cum suo actu interiori sine signo exteriori. Nullus enim gerit personam Ecclesiæ ut sic, per solum actum interiorem, nisi concomitetur aliquis actus exterior. Nec sacerdos quicumque utens solum oratione mentali, gerit vicem ministri Ecclesiæ. Ad auctoritatem autem Gregorii dicentis, quod sola fides parentum suffecit, dicendum, quod fuit illius opinionis, et non oportet eum tenere, etc. Hæc Durandus.

In quibus contineri probantur multa inepta. Primum, quod dicit, tunc (videlicet tempore legis naturæ) non fuisse instituta aliqua sacramenta. Cujus oppositum patuit modo ex dictis sancti Papæ Gregorii et Hugonis, deinde S. Thomæ, Bonaventuræ, Petri, Richardi et aliorum. Imo in quolibet statu et qualibet lege fuerunt aliqua sacramenta, ut ex dictis B. Augustini, et rationibus Guillelmi Parisiensis ostensum quæst. 2.
est. — Secundum, quod ait, fidem informem nihil mereri alteri nec de condigno neque de congruo. Cujus contrarium probatur ex verbis Christi in Evangelio protestantis : Multi dicent mihi in die illo, *Matth.* VII, 22.
Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et signa multa fecimus? Hæc autem reprobi operantur per fidem informem, per quam merentur ista agere de congruo ad aliorum utilitatem, ad quam dona et opera gratiæ gratis datæ potissimum ordinantur, dicente Apostolo : Unicuique datur mani- I *Cor.* XII, 7.
festatio Spiritus ad utilitatem. Et veritas

hujus ex præallegatis elucescit doctoribus. Imo et fides suasa interdum obtinet divinitus fieri miracula ad aliorum commodum sive incommodum, ut patuit in Alexandro Magno, ad cujus preces Deus conclusit Caspios montes, et exercitui regis providit, ut Josephus et Magister in historiis contestantur. — Tertium, quod dicit, necessariam fuisse fidem formatam ad parvuli justificationem. Cujus oppositum declarant doctores inducti, ut patuit, præsertim quoniam fides illa operabatur potius ex virtute objecti quam ex parte subjecti. — Quartum, quod dicit, quod nullus gerit personam Ecclesiæ solo actu interiori. Sacerdos namque potest sola interiori oratione orare ac spiritualiter celebrarc, ut minister et officiatus Ecclesiæ, quamvis hoc proximis non innotescat, nisi per actum aut signum extrinsecum. Imo et quilibet Christianus adultus, quamvis in mortali exsistens, potest in persona Ecclesiæ intra se dicere Orationem dominicam et Symbolum Apostolorum sine mendacio et peccato. Quod si sacerdos aut alius fiat mutus, potest adhuc in persona Ecclesiæ mentaliter deprecari. — Quintum est, quod dicit, Gregorium fuisse opinionis illius, nec oportere eum tenere, quod censetur verbum indecentiæ magnæ, ne dicam et stultæ audaciæ, quum et Spiritus divinus B. Gregorio tam multa revelaverit abdita, ut etiam Albertus et Bonaventura testantur, præsertim in ista materia, in qua præclariores doctores Sanctum illum concorditer assequuntur, qui fuit vir non solum apostolicæ auctoritatis, sed etiam apostolicæ sanctitatis.

At vero Scotus circa hæc scribit : Nullo tempore permisit Deus cultores suos esse sine remedio necessario ad salutem; sed omni tempore post lapsum, necessaria fuit originalis peccati deletio : ergo semper ad hoc aliquod remedium efficax fuit. Et quamvis in adultis potuit deleri per motum bonum intrinsecum, non tamen in parvulis per proprium motum seu actum eorum : ergo per actum aliquem aliorum circa ipsos. Non autem potuit esse certum quod actus alterius relatus ad puerum sufficeret ei, nisi hoc esset a Deo institutum. Nullus etenim potest esse certus quod quis per aliquid attingat ad salutem, nisi sit certus quod Deus illud acceptet tanquam sufficiens ad hujusmodi finem. Quumque non solum adultis, sed parvulis quoque providerit Deus de salutis remedio (et de remedio de quo parentes possent esse certi pro parvulis suis); ideo magis probabile est, quod ad hoc fuit aliquod signum sensibile quam signum solum intellectuale, quia pro toto statu naturæ lapsæ congruunt homini sensibilia signa. Hæc Scotus.

In quibus etiam sentit probabile esse, quod interior fidei actus pro parvulis non suffecit sine signo exteriori. Sobrie tamen loquitur sine incauta assertione. Atque ad Gregorii auctoritatem respondet, quod per solam fidem non intelligit solum habitum, nec forte tantum actum interiorem, sed cum actu exteriori sensibili fidem protestante. — Et si objiciatur, quod sacramentum non potest institui nisi immediate a Deo; respondet, quod Deus potuit tale sacramentum sive remedium alicui patrum cum quo tunc frequentius loquebatur, revelare, sed cui et quando, Scriptura non exprimit, quia ab Adam usque ad Abraham succincte procedit. Imo quum Scriptura testetur, sacrificia patrum Deo complacuisse, satis insinuat quod ex divina inspiratione seu revelatione ipsi patres talia acceperunt, alias incaute egissent. — Verumtamen non obstantibus his, videtur positio illa Thomæ, Bonaventuræ, Petri, Richardi, verior esse, ita quod interior fidei actus suffecit pro parvulo; quamvis non videatur negandum quin frequenter aliquis actus exterior a parentibus adhibebatur.

DISTINCTIO II

A. *De sacramentis novæ legis.*

JAM ad sacramenta novæ legis accedamus, quæ sunt : Baptismus, Confirmatio, Panis benedictio*, id est Eucharistia, Pœnitentia, Unctio Extrema, Ordo, Conjugium. Quorum alia remedium contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut Baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut Conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et Ordo. * benedictionis

B. *Quare mox post hominis casum non fuerunt instituta.*

Si vero quæritur, quare non fuerint hæc sacramenta instituta mox post hominis lapsum, quum in his sit justitia et salus; dicimus, non ante adventum Christi, qui gratiam attulit, gratiæ sacramenta fuisse danda, quæ ex ipsius morte et passione virtutem sortita sunt. Christus autem venire noluit, antequam homo de lege naturali et scripta convinceretur, quod neutra juvare posset.

C. *Quod sacramentum Conjugii fuit ante peccatum.*

Fuit tamen Conjugium ante peccatum institutum, non utique propter remedium, sed ad sacramentum et ad officium; post peccatum vero fuit ad remedium contra carnalis concupiscentiæ corruptelam : de quo suo loco tractabimus. Hugo, de Sacram. lib. I, p. VIII, c. 13. *Gen.* II, 24.

D. *De Baptismo.*

Nunc vero de Baptismi sacramento videamus, quod inter novæ gratiæ sacramenta primum est. Baptismum igitur Christi Joannes suo baptismo prænuntiavit, qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in Spiritu, sicut ipse ait : Ego baptizo vos in aqua, id est in pœnitentiam. Sola enim corpora abluebat, a peccatis vero non mundabat. Baptismus Joannis erat in pœnitentiam, non in remissionem; Baptismus vero Christi, in remissionem : quia Joannes baptizans, homines ad pœnitentiam vocabat, et quos baptizabat pœnitere docebat, secundum illud, Veniebant ad Joannem in Jordanem, confitentes peccata sua. Sed in baptismo Joannis non dabatur peccatorum remissio, quæ data est in Christi Baptismo. Hugo, Summa Sent. tract. V, c. 1. *Matth.* III, 11. *Ibid.* 6.

E. *Quid utilitatis habebat baptismus Joannis.*

Ad quid ergo utilis erat baptismus Joannis? Quia homines usu baptizandi præparabat ad Baptismum Christi. Sed quæritur, quare dictus est baptismus Joannis,

Matth. XXI, 25. sicut Veritas dicit : Baptismus Joannis unde est? Quia ibi Joannis operatio tantum visibilis erat exterius lavantis, non invisibilis gratia Dei interius operantis. Sed tamen et illa Joannis operatio a Deo erat, et baptismus ille a Deo erat, non ab homine tantum; sed hominis dictus est, quia nihil ibi gerebatur quod non ageret homo. Si vero quæritur, an sacramentum fuerit; satis potest concedi, ex eo sensu quo legalia signa dicuntur sacramenta. Significabat enim baptismus Joannis rem sacram, scilicet baptismum Christi, qui non tantum est pœnitentiæ, sed et remissionis peccatorum.

F. *De forma baptismi Joannis, et de baptizatis ab eo.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. VI, c. 2. Hic considerandum est, si baptizati a Joanne, iterum baptizati sunt Baptismo Christi, et qua forma verborum usus sit Joannes. Illi qui baptizati sunt a Joanne, nescientes Spiritum Sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt Baptismo Christi. Baptismus autem Joannis in nomine venturi tradebatur. Hier. in Joel II, 28. Unde Hieronymus super Joelem : Qui dicit se in Christum credere, et non credit in Spiritum Sanctum, nondum habet claros oculos. Unde baptizati a Joanne *Act.* XIX, 2. in nomine venturi, id est Domini Jesu, quia dixerunt, Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus, iterum baptizabantur : imo verum Baptisma accipiebant. Illi vero qui spem non posuerunt in baptismo Joannis, et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum credebant, non baptizati fuerunt; sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum Sanctum receperunt. Alii vero qui non ita credebant, Hier. Epist. 69, n. 6. baptizati sunt Baptismo Christi, ut prædictum est. Unde Hieronymus : Qui Spiritum Sanctum nesciebant quum baptismum a Joanne acceperunt, iterum baptizati sunt Baptismo Christi, ut prædictum est, ne quis ex Judæis vel gentibus putaret aquam sine Spiritu Sancto ad salutem posse sufficere. De hoc etiam Ambrosius in Ambr. de Spiritu S. lib. I, n. 41. primo libro de Spiritu Sancto : Quidam negaverunt se scire Spiritum Sanctum, quum baptizatos se dicerent baptismo Joannis, qui in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine. Isti ergo, quia nec in Christi nomine neque cum fide Spiritus Ibid. n. 42. Sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere Baptismi sacramentum : baptizati sunt ergo in nomine Christi, nec iteratum est in his Baptisma, sed innovatum.

SUMMA

DISTINCTIONIS SECUNDÆ

POSTQUAM præcedenti distinctione tractavit Magister de sacramentis legis scriptæ et etiam legis naturæ, nunc tractare incipit de sacramentis evangelicæ legis, præfiguratis et designatis per illa. A Et primo nominat septem hæc sacramenta. Secundo declarat, cur primum instituta sint post Christi adventum. Quocirca ostendit, qualiter Matrimonium seu Conjugium exstitit institutum ante Salvatoris adventum, et quomodo nunc. Quumque beatissimus Joannes suo baptismo Christi Baptismum præsignaverit, prænuntiaverit atque docuerit, primo ac breviter de Joannis baptismate tanquam de quodam præ-

ambulo facit mentionem, primo ostendens cur vocetur baptismus Joannis, et de inefficacia ac insufficientia ejus ad salutem; et item an exstitit sacramentum, atque de forma ipsius. Quocirca scrutatur, utrum et quando baptizati baptismo Joannis erant rebaptizandi Baptismate Christi.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur primo, An tantum sint septem sacramenta Ecclesiæ, et utrum omnia illa ordinentur et instituta ac data sint contra defectum culpabilem.

Videtur quod non sint septem. Sacramenta enim evangelicæ legis sunt perfectiora ceteris sacramentis; quæ autem perfectiora sunt in rebus, minus multiplicantur, et magis unitati propiuquant. Quum ergo in lege naturæ non fuerint nisi tria sacra-
p. 48 A'. menta, ut præcedenti patuit quæstione, erunt nunc pauciora quam tria. — Secundo, solum sacramentum in quo totius fons gratiæ, Christus Dominus, continetur, videtur sufficere. — Tertio, divinus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia tractans de sacramentis, non loquitur nisi de quinque sacramentis, Matrimonium Pœnitentiamque omittens. — Præterea, quum sacramenta novæ legis sint medicinalia vasa, apparet quod omnia sint in remedium contra culpam : unde nec in statu
p. 47 C'. innocentiæ exstitissent, ut patuit.

Ad hæc Thomas respondet : Sacramenta ex hoc quod sunt sacramenta, habent quod sunt in remedium contra defectum; ex hoc autem quod sunt Ecclesiæ sacramenta, habent per ministros Ecclesiæ ministrari et in membra ejus transfundi. Hinc dupliciter sumitur numerus sacramentorum. Primo, ex parte defectuum contra quos ordinantur. Ordinantur autem ad tollendum contrarium sanctitati, et ad supplendum defectum. Porro contrarium sanctita- A ti est culpa : quæ dupliciter tollitur. Primo, præveniendo, ne fiat : sicque Matrimonium est in culpæ remedium. Secundo, auferendo defectum jam exsistentem : et sic contra originalem culpam est Baptismus, contra actualem Pœnitentia. Secundum remedium præbent supplendo defectum, videlicet ea quæ perfectionis sunt effectiva. Est autem duplex perfectio. Una formæ ad actum : quam perfectionem facit Ordo, quantum ad exsecutionem bonorum, quoniam hominem reddit idoneum ad dispen- B sationem sacramentorum; sed quantum ad perpessionem difficilium, facit perfectionem hanc Confirmatio, quæ hominem reddit fortem, ita quod Christum propter adversa et tribulationes non refugit confiteri. Alia perfectio est in ordine ad finem, ad quem per actus pervenitur : quam perfectionem quantum ad finem intra, Unctio facit Extrema, quæ est quædam delibutio ad resurrectionis præparans gloriam; quantum vero ad finem extra, est Eucharistia, quæ capiti membra sua conjungit. Quum- C que hic sit ultimus nostræ sanctificationis terminus, S. Dionysius dicit, quod omnis alia sanctificatio in Eucharistia terminatur, propter quod ordinati et baptizati Eucharistiam sumunt. De Eccles. hier. c. II, III.

Insuper, si considerentur sacramenta ut sunt sacramenta Ecclesiæ, utpote per ejus ministros exhibenda, sic eorum sufficientia juxta B. Dionysium ita accipitur. In Ibid. c. IV. qualibet namque hierarchia oportet esse actionem hierarchicam, et exercentes eam, ac recipientes eamdem. Recipientes autem, D per ipsas actiones superiorum in suis gradibus perficiuntur : idcirco ex parte ipsorum non debet esse aliquod speciale sacramentum per quod fiant sacramentorum capaces. Actio vero hierarchica triplex est, puta : purgatio, illuminatio, perfectio. Quumque nullum sacramentum evangelicæ legis purget sine gratiæ infusione, quæ illuminatio appellatur, B. Dionysius in sacramentis illuminationi conjungit purgationem. Potest quoque in sacramentis esse purgatio vel a culpa : sicque vim purga-

tivam et illuminativam habet Baptismus A quantum ad originale, et quantum ad actuale peccatum Pœnitentia; vel a reliquiis culpæ, et ita Extrema Unctio habet purgare; vel a causa culpæ, quæ est concupiscentia, et sic Matrimonium purgativam vim habet. Perfectio demum est duplex, utpote formæ, ad quam Confirmatio ordinatur, quæ hominem in se ipso consistere facit constanter, ne a contrariis facile dissolvatur. Alia est perfectio finis, ad quam Eucharistia exhibetur, quæ nos fini conjungit. Ex parte autem exercentium acti- B ones hierarchicas, accipitur unum sacramentum, scilicet Ordo, per quem ministri Ecclesiæ ponuntur in statu exercendi hierarchicas actiones.

Potest et accipi numerus sacramentorum penes conditionem eorum quibus per sacramenta subvenitur. Sunt etenim sacramenta in remedium data. Aut igitur in remedium unius personæ, aut in remedium totius Ecclesiæ. Si primo modo, hoc est vel quantum ad ingressum, et ita est Baptismus; aut quantum ad egressum, et sic est C Unctio Extrema; aut quantum ad progressum, et hoc dupliciter. Primo, quantum ad exsecutionem virtutis : vel ut a malis non superemur, et ita est Confirmatio; vel ut bonis adhæreamus, sicque est Eucharistia. Secundo, quantum ad reparationem virtutis, si in pugna spirituali fuerit læsa, et ita est Pœnitentia. Porro, si sacramentum ordinetur in bonum totius Ecclesiæ, hoc est vel ad gubernationem et multiplicationem ejus spiritualem, et ita est Ordo; aut quantum ad multiplicationem materialem, D et ita est Matrimonium. — Postremo, quidam accipiunt numerum sacramentorum penes adaptationem ad virtutes, ut fidei correspondeat Baptismus, qui sacramentum fidei nuncupatur; spei Extrema Unctio, per quam homo specialiter ad ingressum gloriæ præparatur; caritati Eucharistia, in qua Christi ad nos caritas demonstratur; prudentiæ Ordo, qui illuminat, docet et perficit; justitiæ Pœnitentia, quæ justitiam reparat; temperantiæ Matrimonium; fortitudini Confirmatio. — Quidam vero adaptant hæc sacramenta diversis culparum atque pœnarum generibus, ut Baptismus sit contra culpam originalem, Pœnitentia contra actualem mortalem, Extrema Unctio contra venialem, Ordo contra ignorantiam, Matrimonium contra concupiscentiam, Confirmatio contra infirmitatem, Eucharistia contra malitiam, quum sit sacramentum caritatis, quæ directe opponitur malitiæ. Nempe hæc quatuor vulnera animæ, secundum Bedam, ex peccato originali sunt consecuta.

Quod autem divinus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia Matrimonium et Pœnitentiam transilit, hinc contingit quoniam non intendit ibi principaliter de sacramentis tractare, sed de actionibus hierarchicis quæ consistunt in consecratione per ministros Ecclesiæ : sine qua consecratione Matrimonium et Pœnitentia possunt suum habere effectum. — Sciendum quoque, quod in lege naturæ multa signa gratiæ præcesserunt, sicut diluvium, occi- *Gen.* VII, 1
sio Abel, etc.; quæ tamen non dicuntur *Ibid.* IV,
sacramenta, sed illa tantum quæ ad aliquod remedium exhibebantur, quia illa significabant rem sacram ut actu sacrantem, quod de ratione est sacramenti. Et quamvis fuit tunc tempus figurarum magis quam modo, non tamen oportebat illa esse signa determinata ad determinatos effectus gratiæ, sicut sunt modo : ideo in quadam generalitate sacramenta illa significabant nostra sacramenta, et causam eorum, Christi videlicet passionem : sic quod per sacrificia significabatur passio, per oblationes dispositio patientis ad passionem, quoniam ipse se voluntarie obtulit ad patiendum ; per decimas, comparatio patientis ad illos pro quibus patiebatur, qui fuerant imperfecti, ipsam suam perfectionem exspectantes ab ipso, quemadmodum novem complentur per decem. Horum duo ad Eucharistiam referuntur, utpote : sacrificium, quantum ad significatum ; oblatio, quantum ad usum atque materiam. Decima vero præfiguravit Baptismum,

in quantum aliquid auferebatur. Matrimonium autem, Ordo et Pœnitentia erant tunc, non tamen computantur inter illius temporis sacramenta, quoniam non fiebant cum aliqua consecratione. Nam quilibet primogenitus, secundum Hieronymum, erat sacerdos. — Hæc Thomas in Scripto. Et eadem ponit partim sub aliis verbis in tertia parte, quæstione sexagesima quinta.

Præterea ex his patet, qualiter sacramenta hæc diversimode ordinantur contra defectum. Et de hoc loquitur Doctor sanctus : Quandocumque ad perfectionem alicujus rei oportet apponere aliqua ultra id quod requirit seu includit ordo seu species illius naturæ secundum se consideratæ, hoc accidit ad supplendum rei illius defectum : sicut dum ad corporis sustentationem non sufficit ministratio alimenti, nisi addantur aliqua digestiva, signum est defectus in digerente potentia. Ex ordine autem humanæ naturæ nil aliud requiritur ad ejus perfectionem spiritualem, nisi Deus influens, et gratia, ac virtutes influxæ. Unde dum aliquæ res corporales adhibentur ad hominis sanctificationem, ex quibus secundum ordinem naturæ sanctificatio hominis non dependet, signum est quod hoc sit ad subveniendum alicui defectui ejus. Quumque hoc inveniatur in omnibus sacramentis, constat quod omnia sacramenta in remedium alicujus spiritualis defectus sint instituta. — Dicunt autem nonnulli, quod aliquod sacramentum sit solum in remedium, utpote contra concupiscentiam, ita quod in ipso gratia non confertur : cujus contrarium infra patebit, ubi de Matrimonio tractabitur. — Hinc alii dicunt, quod matrimonium consideratur in triplici statu. Primo, in statu innocentiæ ante peccatum, et tunc fuit solum in officium. Secundo, sub lege, ubi ex sua sanctificatione excusabilem reddidit matrimonii actum, qui alias fœdus fuisset. Tertio, sub statu gratiæ, ubi ulterius gratia in ipso confertur ad concupiscentiam reprimendam.

Quæritur quoque, utrum sacramenta sint

A

in remedium contra pœnam. Dicendum, quod duplex est pœna peccati : quædam quæ pro peccato infligitur, ut pœna inferni et flagella quibus a Deo temporaliter castigamur ; alia ex peccato consequens immediate, et per consequens ad peccatum disponens, ut debilitatio naturæ ad resistendum peccato. Contra primam pœnam non datur directe in remedium aliquod sacramentum, sed ex consequenti, ut scilicet peccato curato cesset pœna. Verum contra secundam pœnam datur directe aliquod sacramentum, videlicet illa sacramenta quæ sunt in remedium contra defectum

B

qui contingit ex subtractione necessarii, non ex positione contrarii, ut Confirmatio. Quemadmodum enim in medicina corporali, morbo curato, remanent quædam reliquiæ morbi ex morbo causatæ, contra quas oportet specialia medicamina applicari, ita est in medicina spirituali : ideo contra pœnas has oportet esse aliqua sacramenta.

Præterea quæritur, utrum aliquod sacramentum ordinetur tantum contra veniale

C

peccatum. Ad quod dicunt aliqui quod sic, ut Eucharistia et Extrema Unctio. Quod non videtur, quoniam Pœnitentia universaliter curativa est omnis peccati actualis, mortalis et venialis : ideo non oportet contra veniale esse speciale sacramentum, tanquam ad curationem ipsius principaliter institutum, quamvis ex consequenti multa sacramenta contra venialia valeant. Nam veniale peccatum est culpa et dispositio quædam ad culpam, imperfectam tamen

D

rationem culpæ habens, quoniam gratiam non excludit. Itaque in quantum est culpa, potest tolli per sacramenta omnia quæ ordinantur ad culpam tollendam; et in quantum dispositio est ad culpam, potest tolli per sacramenta quæ ordinantur contra pœnam ex culpa relictam, inclinantem ad culpam. Porro sacramenta quæ gratiam in suscipiente præexigunt, non ordinantur nec dantur directe contra culpam : quia non sunt ad tollendum contrarium, sed ad supplendum defectum, ut Ordo et Eucha-

ristia. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus dicta Petri et Richardi super his plenarie continentur.

Insuper de numero sacramentorum hæc scribit in Summa contra gentiles, libro cap. 58. quarto : Quia remedia spiritualis salutis sub sensibilibus signis collata sunt hominibus, consequens fuit distingui remedia illa quibus providetur vitæ spirituali, juxta similitudinem naturalis corporalisque vitæ. In vita autem corporali duplicem ordinem invenimus. Quidam namque sunt propagatores et ordinatores corporalis vitæ in aliis, ct alii propagantur et ordinantur secundum hujusmodi vitam. Vitæ quoque naturali et corporali tria per se necessaria sunt, et quartum per accidens. Primo quippe necessarium est ut res per generationcm vitam accipiat; secundo, ut per augmentum ad debitam quantitatem ac fortitudinem perducatur; tertio, ad conservationem vitæ necessarium est nutrimentum. Et hæc tria per se necessaria sunt vitæ corporali, quoniam sine his subsistere nequit nec perfici. Unde et animæ vegetativæ vires tres assignantur : generativa, augmentativa et nutritiva. Sed quoniam vita naturalis corporea lædi potest et infirmari, ideo quarto et per accidens circa eam est necessaria sanatio ægrotantis. Conformiter in vita spirituali primum est generatio spiritualis per Baptismum. Secundum est spirituale augmentum perducens ad robur perfectum per sacramentum Confirmationis. Tertium est spirituale nutrimentum per Eucharistiæ sacramentum. Restatque quartum, quod cst spiritualis sanatio, quæ vcl fit in anima tantum per Pœnitentiæ sacramentum, vcl ex anima derivatur ad corpus, quum fuerit opportunum, et hoc per Unctionem Extremam. Hæc ergo pertinent ad eos qui in spirituali vita propagantur et conservantur. Porro propagatores ct ordinatores vitæ corporalis attenduntur secundum duo, utpote : secundum originem naturalem, quod pertinet ad parentes; et secundum regimen politicum, per quod vita hominis pacifice

A conservatur, quod spectat ad reges et principes. Sic quoque est in vita spirituali. Sunt enim quidam propagatores et conservatores spiritualis vitæ secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet Ordinis sacramentum; et quidam secundum corporalem vitam et spiritualem simul, quod fit per sacramentum Matrimonii, quo vir et mulier conveniunt ad prolem generandam ct educandam ad cultum divinum. Hæc in Summa præfata. — Consonat Petrus.

B Albertus vero addit : Quidam ordinant septem sacramenta contra septem capitalia vitia, ut Baptismus sit contra superbiam, quia in eo humiliat se homo sub communiori elemento; Eucharistia contra invidiam, quum Eucharistia sacramentum sit caritatis; Confirmatio contra acediam, quoniam homo confirmatur ut sit fortis et alacer in actibus bonis, et spiritualibus præliis ac virtuosis laboribus, in quibus piger ct acediosus tristatur; Extrema Unctio contra iram, quoniam ira provenit ex C tumore, cujus mitigativum est oleum; Ordo contra avaritiam, quoniam sacerdotes et clerici solis spiritualibus debent esse intenti, necessariisque contenti; Pœnitentia contra gulam, quoniam pœnitentia per jejunium, abstinentiam et consimilia pœnitentialia opera gulam exstinguit; Matrimonium contra luxuriam, concupiscentiam restringendo per gratiam, carnalemque actum honestando. Hæc Albertus.

Continentur etiam in præhabitis ea quæ Bonaventura ait in Scripto. In Breviloquio D autem addit : Septem sunt sacramenta secundum correspondentiam ad gratiam septiformem, quæ per septenarium ætatis, id est per septem mundi ætates, nos reducit ad principium et quietem ac circulum æternitatis, sicut ad octavam universalis resurrectionis. Ratio ad intelligentiam prædictorum hæc est : quoniam Verbum incarnatum, quum sit virtus et sapientia Dei Patris, tam potenter, sapienter, clementer et decenter debuit evangelicæ legis instituere sacramenta, ut nil desit nostræ cu-

rationi, quantum competit statui vitæ præsentis. Ad perfectam autem ægritudinis curationem concurrunt hæc tria : expulsio ægritudinis, introductio sanitatis, et conservatio ejus. Quumque morbus sit septiformis, utpote triplex culpabilis, ut culpa originalis et mortalis ac venialis, quadruplex quoque pœnalis, videlicet ignorantia, malitia, infirmitas, concupiscentia : hinc contra hæc septem oportuit adhiberi medicamina septem, quæ sunt septem sacramenta, ut contra originale Baptismum, p. 82 A'. etc., ut supra. Rursus, quia perfecta curatio esse non valet sine restitutione integræ sanitatis, quæ consistit in usu seu actu septem virtutum, id est trium theologicarum et quatuor cardinalium : hinc ad restituendum sanum usum harum virtutum, instituta sunt septem sacramenta. Baptismus namque sanando disponit ad fidem, Confirmatio ad spem, Eucharistia ad caritatem, Pœnitentia ad justitiam, Extrema Unctio ad perseverantiam, Ordo ad prudentiam, Matrimonium ad temperantiam. — Hæc Bonaventura, cujus cetera dicta de his virtualiter sunt præhabita.

QUÆSTIO II

Secundo quæritur, An sacramenta evangelicæ legis sint immediate instituta a Christo, tempore magis apto.

Videtur quod non, quoniam Matrimonium, Ordo et Pœnitentia fuerunt ante Salvatoris adventum. De institutione etiam Unctionis Extremæ in Evangelio non habetur, nec in Scriptura recitatur canonica quod ipsemet Christus instituit eam. — Præterea, quum Christi sacramenta sint ceteris gratiosiora et salubriora, utilissimum humano generi exstitisset, quod a principio mundi fuissent imposita. Facilius quoque curatur morbus a principio quam in fine. Ergo sapientissimus medicus non debuit saluberrimas has medelas usque in

A finem seu ultimam mundi ætatem differre.

Ad hæc respondet Albertus : A principio morbi fuit tempus medicinæ, vel designando vel causando. Aliter quippe est de morbo animæ et de morbo corporis, quia oportet hominem præcognoscere quod spiritualiter sit ægrotans, et destitutionem auxilii quo indiget et quod quærit habere, atque potentiam medici, modumque medicinæ : quoniam mentis nostræ curatio B dependet a nostro consensu et cordis devotione. Non autem sic est de corporis morbo. Hinc curatio morbi mentis longam præexigit moram, quoniam ratione investigatur, auxiliante et elevante rationem illuminatione divina. Denique sacramenta Christi non habebant vim suam ante Christi passionem; sed passio Christi ab initio habuit vim in fide credentium : quæ non fuit vis sacramentorum istorum, quorum vis est in continendo quod signant, et exhibendo mox gratiam. — Sed quæri po- C test, cur patres olim in lege naturæ ac Moysis habuerunt quædam sacramenta ut nos, quædam autem secundum partem, non secundum totum, quædam vero in figura tantum, quædam nec in parte, nec in toto, neque in figura determinata. Verbi gratia, Matrimonium habuerunt in toto, Pœnitentiam in parte, quia conterebantur ut nos, sed non confitebantur ut nos; Ordinem et Eucharistiam habebant in figura ; Confirmationem et Extremam Unctionem in nullo habuisse videntur. Dicendum, quod nec D Matrimonium totum suum effectum habuit ante Christi passionem, nec plenam sacramenti rationem, quia tunc nondum contulit gratiam sicut modo. In aliis vero sacramentis operatur actus spiritualis gratiæ contra defectum, et sic vel est sacramentum plenissimæ gratiæ quoad statum, aut non : et si est, tunc nullo modo habuerunt illud, videlicet Confirmationem, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur ; similiter nec Extremam Unctionem, in qua significatur plena animæ ac corporis pu-

ritas, per amotionem omnium impedientium gloriam animæ et corporis. Pœnitentiam etiam non habuerunt in toto, quia vim clavium non habebant, per quam fit sacramentalis absolutio in confessione homini facta. Dixi quoque plenissimæ gratiæ quoad statum : nam quædam sunt sacramenta plenæ gratiæ quoad statum; quædam quoad effectum, sicut Baptismus ; quædam quantum ad dignitatem rei contentæ et significatæ, ut Eucharistia; quædam quoad gradum prælationis, ut Ordo. Hæc Albertus.

At vero Thomas super his plenius scribens, et primo de hoc, an omnia sacramenta novæ legis sint immediate a Christo instituta : Circa hoc, inquit, est duplex opinio. Una, quod non : ita quod quædam per se ipsum instituit, quædam Apostolis instituenda commisit, videlicet Confirmationem et Extremam Unctionem : quia in Confirmatione Spiritus Sanctus datur ad robur, ideo ante plenam Spiritus Sancti missionem institui non debebat; Extrema quoque Unctio est immediatum et proximum præparatorium ad gloriam resurrectionis, propter quod ante Christi resurrectionem eam institui non decebat. — Sed quoniam sacramentorum institutio pertinere videtur ad plenitudinem potestatis in sacramentis (quam sibi Christus reservavit in eis), quum sacramenta ex institutione habeant quod significant ; ideo alii probabilius dicunt, quod sicut puri hominis non est sacramenta mutare, nec ab eis absolvere, ita nec instituere ea. Et juxta hoc dicendum, quod sacramentum Confirmationis instituit, dum pueris sibi præsentatis imposuit manus; similiter Extremam Unctionem, quando Apostolos ad prædicandum mittens, jussit ut oleo infirmos inungerent quatenus curarentur.

Insuper decuit in novo Testamento nova institui sacramenta, quoniam sacramenta sunt signa remedii ad quod ordinantur; suntque signa repræsentantia spirituales effectus ex similitudine sensibilium rerum quarum usus est in sacramentis.

A Quumque in nova lege propter ejus perfectionem oportuerit esse majoris efficaciæ sacramenta, debuerunt etiam esse alia sensibilia signa quæ expressius figurarent. — Non tamen debuerunt a principio mundi institui, quum sint plena fecundaque gratiis. Unde non nisi in tempore plenitudinis gratiæ fuerunt instituenda, dum homo propriam infirmitatem multipliciter fuit expertus, neque de suis potuit viribus meritisve præsumere. — Si autem quæratur, an debuerunt institui Christo mox nato;
B dicendum, quod sacramenta hæc dupliciter sunt instituta. Primo, ad documentum et exercitium quoddam : sicque potuerunt ante passionem Christi institui. Secundo, quantum ad necessitatem et obligationem : et ita eorum institutio non fuit ante dominicam passionem, quia legalia nondum fuerant mortua; imo a tempore prædicationis Christi usque ad ejus passionem, legalia simul currebant cum sacramentis Ecclesiæ, et utraque operabantur salutem. Sic igitur quantum ad secundum institu-
C tionis modum, omnia simul in passione Christi sunt instituta; sed quantum ad primum modum, oportuit primo institui illa quæ majoris sunt necessitatis, propter quod Christus statim in suæ evangelizationis exordio pœnitentiam prædicavit, et Baptismum edocuit. Alia vero sacramenta deinde opportuno tempore docuit atque instituit. — Hæc Thomas in Scripto. *Matth.* IV, 17. *Joann.* III, 3, 5.

Porro in tertia parte, quæstione sexagesima prima : Quemadmodum (ait) antiqui patres salvati sunt per fidem Christi ven- art. 4.
D turi, sic nos salvamur per fidem Christi jam nati et passi. Sacramenta vero sunt signa protestantia fidem qua homo justificatur. Quumque diversis signis significari oporteat præterita, præsentia et futura, oportuit alia esse sacramenta novæ legis, quibus significetur Christus venisse et humanam salutem implesse; alia veteris Testamenti, designantia hoc futurum. Nec ex hoc aliqua mutabilitas probatur esse in Deo, nec instabilitas in Christo : sicut paterfamilias non ex hoc monstratur muta-

bilis neque instabilis, quod diversa præcepta proponit suæ familiæ pro temporum varietate, alia hieme, alia jubens æstate; sic et alia congruerunt gratiæ figurandæ, alia gratiæ jam exhibitæ. Hæc idem.

Consonat Petrus : Omnia (dicens) sacramenta sunt remedia contra defectum. Remedii vero tempus incepit a lapsu, profecit in lege, consummatum est in Evangelio. Ideo tria tempora illa apta institutioni sacramentorum fuerunt. Nempe secundum statum morbi et dispositionem infirmi debent remedia coaptari. Nam in initio morbi adhibenda sunt leviora et imperfectiora remedia, et in incremento morbi perfectiora, atque in excessu ejus perfectissima. Conformiter, infirmo incipienti et quasi infanti conveniunt remedia debiliora, proficienti et quasi adolescenti perfectiora, perfecto perfecta. Quumque tam morbus quam infirmus initium habuerint circa principium legis naturæ, profectum circa principium legis scriptæ, perfectionem circa principium Evangelii (morbus, inquam, per dilatationem in vitiis et personis, infirmus vero per agnitionem necessariæ medicinæ atque infirmitatis); ideo primo instituta sunt sacramenta debiliora, medio tempore sacramenta perfectiora, tertio perfectissima. Hæc Petrus.

Concordat Richardus, allegans Hugonem, primo libro de Sacramentis dicentem : Ex quo lapsus est homo a primo statu immortalitatis, per mortalitatem in corpore et per iniquitatem in anima cœpit ægrotare, et continuo Deus reparando sacramentis suis præparavit medicinam : quæ prout ratio postulabat et causa, diversis temporibus et locis ad curationem illius exhibuit, alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia. Quumque sacramenta legis gratiæ sint perfecta, institui non debebant nisi evangelicæ legis gratia coruscante, et manuducendus fuit homo per imperfectiora ad perfectiora, ut cognita sua defectuositate, omnino ad Deitatis confugeret gratiam. Hæc Richardus.

Argentinensis demum his consonans :
A Omnia (asserit) novæ legis sacramenta a Christo et in tempore Christi sunt instituta aliquo modo, utpote simpliciter et absolute, aut approbative ut patet de Matrimonio, quando dixit : Quod Deus conjunxit, *Marc.* x, 9. homo non separet. Hæc Argentinensis.

QUÆSTIO III

B **T**Ertio quæritur, **An virtus sacramentorum sit immediate a Christi passione.**

Videtur quod non, quoniam dictum est, p. 71 B et s. quod per fidem virtus sacramentorum operatur in nobis. Dictum est quoque, quod dist. I, q. 4. virtus sacramentorum novæ legis sit proprius Dei effectus.

Sed quia de isto jam sæpius tactum est, dist. I, q. 6. breviter respondendum, quod (ut asserit Thomas) instrumentum virtutem non recipit nisi secundum quod principali agenti continuatur, ut virtus ejus in instrumen-
C tum quodammodo transfundatur. Principale autem et per se agens ad justificationem, est Deus sicut causa efficiens, et passio Christi sicut meritoria causa. Cui sacramentum continuatur per fidem Ecclesiæ, quæ refert instrumentum ad causam principalem, et signum ad signatum. Hinc efficacia seu virtus sacramentorum consistit ex tribus : primo, ex institutione divina sicut ex causa principali; secundo, ex passione Christi sicut ex causa meritoria generali; tertio, ex fide Ecclesiæ sicut
D ex continuatione instrumenti cum principali agente. Hæc in Scripto. — Eadem scribit in tertia parte, quæstione sexagesima secunda : quæ et introducta sunt superius. dist. I, q. 6, p. 65 D et s.

Porro in Summa contra gentiles, libro quarto testatur, quod passio Christi est cap. 56. universalis causa meritoria virtutis et gratiæ omnium sanctorum novæ legis, quæ per septem sacramenta quasi per medicinalia vasa applicatur hominibus mediante fide, ad particulares ac diversos effectus.

Et addit Richardus : In instrumento du-

plex est virtus. Una, quæ consequitur ma- A teriam ejus et formam absolute, et hæc inest ei ex sua conditione : sicque virtus securis est etiam aliquo modo a fabro. Alia, quæ non inest ei nisi dum agens utitur eo, et hæc inest ei a movente : sicque virtus et efficacia securis est a carpentatore actualiter operante. Quumque sacramenta sint divinæ misericordiæ instrumenta, non tantum in eis est virtus quam habent ex sua natura, sicut virtus lavandi exsistit in aqua, sed et alia, quæ in eis tunc solum est quando in usu sunt, hoc est, quando B pietas Dei utitur eis. Et hæc virtus in eis est efficienter principaliterque ab omnipotentia Creatoris, meritorie autem a virtute et merito passionis Salvatoris. Hæc Richardus.

Insuper Scotus circa hæc subtiliter ac devote affirmat : Legem evangelicam decuit sacramentis perfectissimis adornari, quia hæc est lex perfectissima quam Deus Trinitas disposuit homini dare, et est ultima lex, juxta illud Matthæi : Novi et æterni Testamenti, id est, post quod nullum C aliud est futurum. *Matth.* xxvi, 28. In processu autem ab imperfecto ad perfectum, posteriora sunt perfectiora. Rursus, Testamentum hoc novum, est proximum perfectissimo, utpote statui beatitudinis futuræ : ergo competebat hominem in statu Testamenti et legis istius, perfectissimis adjutoriis ad gratiam et gloriam præparari, cujusmodi sunt perfectissima sacramenta. Præterea, perfectissima causa meritoria quam Trinitas summa dare disposuit humano generi, fuit Christus complens cursum suum in vita D ista nobiscum. Causa autem meritoria juste inclinat Deum ad dandum bona illi pro quo causa ipsa promeruit. Talis quoque causa jam exhibita plus impetrat quam solum promissa. Ergo per passionem Christi exhibitam et impletam, confirmativamque novæ legis, congruum fuit maxima adjutoria gratiarum conferri hominibus pro tempore legis illius.

Hæc autem sacramenta sunt septem, quæ ipsemet Christus instituit inter homines conversando, quamvis aliqui dicunt quod sacramenta Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis instituta sint a Jacobo, apud quem legitur : Confitemini alterutrum peccata vestra; *Jacob.* v, 16. et rursus, Infirmatur quis ex vobis, etc. *Ibid.* 14. Quod non videtur probabile ex processu litteræ, quoniam subditur ibi, Et orate pro invicem : per quod sequens non intendebat aliquod instituere sacramentum, nec fuit in eo auctoritas instituendi ecclesiastica sacramenta. Melius ergo dicitur, sacramentum Pœnitentiæ institutum apud Joannem ubi ait Salvator, Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; *Joann.* xx, 22, 23. atque promissum apud Matthæum, Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris, etc. *Matth.* xvi, 19. Sacramentum etiam Unctionis Extremæ legitur Christus in Marco instituisse, quo recitatur quod Apostoli ungebant oleo multos infirmos, et sanabant. *Marc.* vi, 13. Denique, quod a solo Deo instituta sint sacramenta, probatur. Nulli enim competit instituere practicum signum nisi respectu proprii actus, vel respectu alterius qui subest sibi quantum ad illum actum. Sacramentum autem est signum respectu effectus proprii Deo, nec Deus potest in actu sibi proprio subesse alicui alteri, solus quoque determinat se ad causandum proprium sibi effectum.

Amplius, homini facto inimico Dei per culpam, disposuit Deus non remittere illam, nec aliquod adjutorium dare ad illam remissionem, vel ad beatitudinis consecutionem, nisi per aliquid sibi oblatum, quod gratius acceptaret quam offensa illa esset sibi displicens vel ingrata. Nil autem inveniri potest gratius Trinitati quam tota generis humani offensa sit displicens ei, nisi sit aliquod obsequium personæ magis dilectæ quam tota communitas illa quæ offenderat per universalem offensam, fuerat vel debebat esse cara si non offendisset. Talem vero personam Deo tam caram non potuit genus humanum habere ex se, quoniam totum fuit inimicum de una massa perditionis. Idcirco disposuit Trinitas personam tam dilectam sibi providere ac

dare humano generi, ac ipsam ad hoc A inclinare ut ipsa offerret Trinitati obsequium pro toto genere isto. Talis autem persona non est nisi Christus, cui non ad mensuram dedit Deus spiritum caritatis ac sapientiæ. (Joann. III, 34.) Tale quoque obsequium est illud in quo relucet ac patet caritas maxima, quod est se ipsum pro justitia offerre usque in mortem. Recte ergo Trinitas nullum adjutorium pertinens ad salutem contulit homini viatori, nisi in virtute ac merito oblationis Christi in cruce factæ, a persona illa dignissima et ex maxima ca- B ritate. Ac per hoc passio illa fuit meritoria causa respectu boni meritorii collati homini viatori. Ex quibus patescit, qualiter in collatione talium remediorum necessariorum generi humano, concurrunt misericordia et veritas. (Ps. LXXXIV, 11.) Maximæ etenim misericordiæ fuit, homini inimico remedia tanta providere atque concedere. Maximæ quoque justitiæ fuit, propter tam gratum obsequium personæ tam gratæ ac dignæ, remedium tantum conferre illis pro quibus persona illa obtulit illud obsequium. C Maxima etiam fuit misericordia in persona offerente, sic se offerre pro inimicis Trinitatis, quam summe dilexit. Sed et maximæ justitiæ fuit hoc, tam in comparatione quoad Deum, quam quoad hominem lapsum : non enim videretur maxime diligere Deum et proximum, nisi ita se offerret Deo pro ejus honore, ob tantam beatitudinem homini procurandam, quam aliter adipisci nequivit.

Si autem objiciatur, quod passio Christi modo non est, ergo nec taliter operatur ; D dicendum, quod est in acceptatione divina et in fide credentium. Nam et nos multa conferimus propter aliquod bonum præteritum, non præsens in se, sed in recordatione et acceptione, vel certe in opinione seu apprehensione, si sit futurum. — Et si rursus objicias, quia si sacramenta a Christi passione efficaciam sortiuntur, aut ergo ab illa tanquam prævisa futura, aut ut exhibita. Si primo modo, ergo sacramenta veteris Testamenti fuissent efficaciæ tantæ ut nostra. Si secundo modo, tunc Baptismus et Eucharistia non haberent a Christi passione efficaciam, quoniam ante passionem fuerunt instituta. Dicendum, quod omnia sacramenta novæ legis efficaciam habent a Christi passione ut exhibita, non actu exteriori, sed interiori. Sic enim ab instanti conceptionis Christus habuit meritum passionis, atque in illo actu interiori consistit principalior ratio meriti. Ideo quidquid instituit toto tempore vitæ suæ in hoc mundo, potuit efficaciam habere a passione Christi ut perfecte volita : in qua volitione fuit principalis oblatio ac principaliter grata Deo facta ; nec ante Incarnationem fuit sic meritorie volita a tanta persona. Vel dici potest, quod sacramenta Christi minorem habuerunt efficaciam ipso in passibili carne vivente, quam post ejus passionem ; non tamen fuit inconveniens ea ante passionem institui, quia instituebantur non ut tunc sed ut post passionem efficaciam plenariam habitura. — Sed quæri potest, cur ex latere Christi dicantur sacramenta fluxisse, quum Christus jam mortuus fuerit quando latus ejus perforabatur, nec caro mortua merebatur, nec Christus post mortem. (Joann. XIX, 34.) Dicendum, quod sacramenta non fluxerunt a latere Christi tanquam a causa principaliter meritoria, sed dicuntur inde fluxisse, propter quamdam similitudinem expressiorem eorum quæ ibi fluxerunt, ad sensibilia quæ in quibusdam sunt sacramentis. Sanguis namque specialius assimilatur speciei sub qua est sanguis in Eucharistia, et aqua specialius assimilatur materiæ Baptismi, quæ sunt duo principalia sacramenta. Et iste intellectus potest haberi, *extra* de Celebratione Missarum in fine, ubi dicitur quod in illis duobus, videlicet aqua et sanguine, duo maxima sacramenta redemptionis et regenerationis relucent. — Hæc Scotus.

Dictis demum de sacramentorum institutione facta immediate per Christum, concordat Durandus, aliique communiter.

De hoc et Bonaventura in Breviloquio

scribit : Christus diversimode sacramenta A
instituit, utpote, quædam confirmando et approbando, ut Matrimonium et Pœnitentiam ; quædam insinuando et initiando, ut Confirmationem et Unctionem Extremam ; quædam initiando, consummando et in se ipso recipiendo, ut Baptismum, Eucharistiam et Ordinem. Nam quamvis Verbum incarnatum sit fons omnis gratiæ sacramentalis, aliqua tamen gratia sacramentalis fuit ante Incarnationem, aliqua post Spiritus Sancti missionem, et quædam medio modo se habens. Hinc oportuit diver- B
simode sacramenta institui. Nam ante Incarnationem necessaria fuit compunctio pœnitentialis, et generatio matrimonialis : ideo hæc duo sacramenta Christus non de novo instituit, sed a se jam instituta et naturali dictamini quodammodo impressa, consummavit et confirmavit, in evangelica
Matth. IV, 17. lege pœnitentiam prædicando, et nuptiis
Joann. II, 2. interessendo. Porro ante missionem Spiritus Sancti non fuit plena Spiritus Sancti donatio ad confirmationem et publicam Christi confessionem, nec unctio mentis C
plenaria ad evolationem. Idcirco duo hæc sacramenta, puta Confirmationem et Unctionem Extremam, Christus solum initia-
Marc. X, 16. vit et insinuavit : Confirmationem, manum
Act. I, 5. parvulis imponendo, et prædicendo Apostolos baptizandos, id est replendos Spiritu Sancto ; Unctionem vero Extremam, mittendo discipulos ad curandum, qui ungebant infirmos oleo. Medio autem tempore fuit regeneratio, id est Baptismus atque Ecclesiæ ordinatio ac spiritualis cibatio. Idcirco hæc tria sacramenta, Baptismum, D
Eucharistiam, Ordinem, Christus complete et clare instituit. Hæc Bonaventura.

Quocirca sciendum, quod ante Incarnationem non fuit Pœnitentia neque confessio ut est sacramentum evangelicæ legis, nec Matrimonium ut est sacramentum gratiam conferens : ideo vere asseritur, quod omnia sacramenta evangelicæ legis secundum quod talia, a Christo sunt instituta. Istud tamen ad præcedentem pertinet quæstionem, et per suppletionem hic additur.

QUÆSTIO IV

Quarto hic quæritur **De coordinatione sacramentorum quantum ad prioritatem et dignitatem.**

Ad quod sine argumentis breviter respondetur. Etenim in quæstionibus circa litteram ait Bonaventura : Magister in textu bene ordinat, id est, ordinate exprimit sacramenta. Quædam enim sacramenta communiter respiciunt omnes, et illa sunt quinque ; et duo sequentia, utpote Ordo et Conjugium, respiciunt specialiter quosdam : et sicut commune est ante speciale, sic quinque illa ante hæc duo. Et inter quinque illa primum est Baptismus, qui est spiritualis regeneratio, vulnerumque curatio ; secundum Confirmatio, quæ est ad curationis concessæ conservationem ; tertium Eucharistia, ad curationis promotionem ; quartum Extrema Unctio, præparans ad evolationem. Sed quia contingit concessa charismata amitti, ideo quintum est Pœnitentia, ad amissorum reparationem. Inter alia duo præeminet Ordo, qui concernit perfectiores, Matrimonium autem imperfectiores. Hæc Bonaventura.

At vero Thomas : Prius (inquit) et posterius multipliciter dicitur. Sed in his quæ pertinent ad actiones, prius quoad nos, est illud quod est prius in via generationis. Ideo secundum hanc viam Magister ordinat sacramenta, quæ sanctificationes quædam exsistunt. Prius quippe in via generationis est bonum privatum quam bonum commune, quod ex bonis singulorum consurgit : sicut domus prior est civitate, et homo familia. Hinc sacramenta quæ ad unius personæ remedium ordinantur, prius ponuntur, inter quæ primo ponitur illud quod pertinet ad intrantes, id est Baptismus ; ultimo, quod spectat ad exeuntes, ut Extrema Unctio ; et in medio, illa quæ pertinent ad progredientes, quæ sic ordinantur. Nam perfici in bono, essentialius est virtuti, omnibusque commune qui ad

virtutem ascendunt; resurgere autem post A lapsum, accidit huic progressui ex parte subjecti quod deficit, nec commune est omnibus. Rursus, quantum ad perfectionem in bono, perfectio in forma præcedit in via generationis perfectionem in consecutione finis : ideo inter sacramenta quæ ad progressum hunc pertinent, primo ponitur Confirmatio, quæ est ad perfectionem similem perfectioni formæ; secundo Eucharistia, quæ est ad perfectionem in fine; tertio Pœnitentia, quæ est ad reparationem virtutis amissæ. Inter sacramenta B autem quæ ad remedium totius Ecclesiæ deputantur, primum est Ordo, quoniam Matrimonium ut est sacramentum Ecclesiæ, per Ordinem dispensatur et exhibetur. Verumtamen S. Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia, (cap. v.) post Baptismum immediate ordinat Eucharistiam, quia Eucharistia baptizatis adultis mox datur : sicque Sanctus ille in sacramentis magis consideravit ordinationem quantum ad dispositionem seu administrationem, quam quantum ad effectum. Hæc Thomas in C Scripto.

Idem in tertia parte, quæstione sexagesima quinta, ubi de comparatione sacramentorum ad invicem addit (art. 3.) : Loquendo simpliciter, Eucharistia est potissimum sacramentorum. Primo, quia in eo Christus substantialiter continetur, a quo cetera sacramenta suam efficaciam sortiuntur. Secundo, quia ad eam cetera sacramenta ordinantur tanquam ad summum in genere suo, ut B. Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia (cap. III.) testatur. Tertio, patet hoc D ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consummantur: nam et baptizati adulti et ordinati statim communicant. Porro aliorum sacramentorum comparatio mutua multipliciter sumitur. Nam secundum viam necessitatis Baptismus est sacramentum potissimum; in via vero perfectionis, Ordo. Sacramentum vero Confirmationis se habet medio modo. Sed sacramenta Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis sunt inferioris gradus a prædictis, quoniam ordinantur ad vitam christianam per accidens, puta in remedium supervenientis defectus : inter quæ Extrema Unctio comparatur ad Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum; ita quod Pœnitentia est majoris necessitatis, Extrema Unctio majoris dignitatis. Matrimonium autem est maximum sacramentum significatione, quia designat unionem Christi et Ecclesiæ, et duarum naturarum in Christo. Hæc in Summa.

Ubi et sciscitatur, an omnia sacramenta sint de necessitate salutis. Respondet (art. 4.) : Necessarium respectu finis, de quo nunc sermo, dupliciter dicitur. Primo, id sine quo finis esse seu haberi non valet, ut vita humana sine refectione : et hoc simpliciter necessarium est. Secundo, id sine quo finis convenienter non obtinetur seu adest, quemadmodum equus necessarius est ad iter agenti aut properanti : et hoc est necessarium secundum quid. Primo modo tria sacramenta necessaria sunt, duo quidem singularibus personis : primo Baptismus absolute, si adsit facultas; secundo, Pœnitentia post recidivationem; Ordo autem toti Ecclesiæ. Alia sacramenta necessaria exsistunt secundo modo : Confirmatio namque perficit Baptismum; Extrema Unctio, Pœnitentiam. Matrimonium vero conservat Ecclesiæ multitudinem per propagationem. Hæc idem. — In his doctores communiter satis concordant.

QUÆSTIO V

Quinto quæritur, **An baptismus Joannis fuit sacramentum sufficiens ad salutem.**

In qua quæstione multa includuntur, et primo in ea supponitur, quod fuit sacramentum. Circa quod ait Magister in littera, (*Cf.* p. 80 E.) quod vocatur et fuit sacramentum juxta modum quo olim in lege aliqua dicebantur sacramenta. Et quod uon suffecit ad salutem, ostenditur, quoniam baptizati illo

baptismate, erant rebaptizandi Baptismo Christi, ut patet in littera : ergo nec gratiam continebat.

Circa hæc scribit Antisiodorensis : Probatur quod baptismus Joannis sit sacramentum. Est enim sacræ rei signum, utpote purgationis interioris. Sed contra hoc argui potest, quoniam omne sacramentum est alicujus legis sacramentum : sacramentum vero Joannis nec sacramentum est novæ legis, quia gratiam non continebat nec tribuebat; nec veteris legis, quia in ea nulla mentio est de eo. Ad hoc dicunt magistri, quod baptismus Joannis est sacramentum, non tamen veteris legis nec novæ, sed medio modo se habens. Nempe in quantum non efficit quod figurat, convenit cum sacramentis veteris legis; in quantum autem cum manuum impositione fiebat, convenit cum sacramentis evangelicæ legis. Fuit etiam medium, in quantum Christi Baptismum præcessit, et ad illum homines præparavit : sicque ad sacramentum novæ legis pertinet reductive et tanquam præambulum.

Si autem quæratur, an gratiam conferebat, hoc est quærere, an baptizati baptismo Joannis erant rebaptizandi. Ad hoc per distinctionem respondet Magister, quod baptizati baptismo Joannis non habentes explicitam fidem de Spiritu Sancto seu tota Trinitate, erant rebaptizandi. Si autem habebant hujusmodi fidem, non oportuit eos rebaptizari Baptismo Christi; sed tantum *Act.* VIII, 17. imponebant Apostoli aliive discipuli manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum : sicque impositio manus et baptismus Joannis æquipollebant Baptismo Christi. Videtur quoque Magister istud sumpsisse ex auctoritate Hieronymi, asserentis quod baptizati baptismo Joannis, et fidem habentes de Patre et Filio ac Spiritu Sancto, non baptizabantur ab Apostolis; atque ex eo quod in Actibus legitur, quod Paulus dixit ad quosdam Joannis bapti- *Ibid.* XIX, 2-5. smate baptizatos : Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? et respondentibus il-

A lis, Neque si Spiritus Sanctus est audivimus, jussit eos baptizari. Ex quo videtur, quod baptizati baptismo Joannis, non credentes explicite in Spiritum Sanctum, sint rebaptizati. Legitur item in Actibus, quod Petrus et Joannes imposuerunt manus super baptizatos in nomine Domini Jesu, ubi *Act.* VIII, 16, 17. loquitur Glossa : Tincti aqua, non inuncti Spiritu Sancto. Sicque baptizati videntur baptismo Joannis, et sic ille baptismus et impositio manus æquipollebant Christi Baptismo. Verum secundum ita dicentes, B oportet distinguere duplicem manus impositionem : unam, quæ supplevit defectum baptismi Joannis; et aliam, qua dabatur Spiritus Sanctus ad robur. Quarum prima nunc cessat, sicut baptismus Joannis; secunda manet, qua utuntur episcopi confirmando. Sed huic opinioni Magistri objicitur, quoniam apud Marcum ait Joannes : Ego vos baptizo in aqua, ille vos *Marc.* I, 8. baptizabit in Spiritu Sancto. Et in Actibus habetur : Joannes quidem baptizavit aqua, *Act.* I, 5. etc. Unde asserit Augustinus : Baptizavit C Joannes, et non est baptizatum; baptizavit Judas, et est baptizatum, quia Christi Baptismate baptizavit, quo gratia conferebatur. Hinc magistri in isto non acquiescunt Magistro : imo omnes doctores et expositores affirmant, quod baptismus Joannis gratiam non donavit; propter quod baptizati ab ipso denuo baptizabantur. Ad auctoritatem ergo Hieronymi dicendum, quod baptizati a Joanne non indigebant Baptismo Christi, id est, non adeo indigebant sicut non baptizati, quoniam in necessita- D tis articulo fides supplet vicem Baptismi. Samaritani demum de quibus objectum est, baptizati fuerunt Christi Baptismate, quibus Apostoli imposuerunt manus ad robur. Hinc et ante jam acceperunt Spiritum Sanctum, quamvis non ita ad robur seu in signo visibili. Hæc Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto.

Præterea Thomas super his loquitur, et primo de isto, utrum baptismus Joannis exstitit sacramentum : Juxta Hugonem, secundum majorem temporis propinquita-

tem ad Christum, oportuit diversa sacramenta institui. Unde, quoniam in Joanne quodammodo incepit tempus gratiæ, quia lex et Prophetæ usque ad Joannem (non quod ab ipso sit gratia, sed quod viam præparavit ad gratiam); idcirco ejus baptismus fuit aliquod sacramentum, et quædam initiatio sacramentorum novæ legis, ac medium inter utriusque legis sacramenta : conveniens cum sacramentis veteris legis in hoc, quod fuit signum gratiæ tantummodo, et non causa; et cum Baptismo Christi in materia, et partim in forma, sicut patebit. Baptizavit namque in aqua sub hac forma : Ego te baptizo in nomine venturi, id est Christi confestim omnibus revelandi. Utilitas etenim rei præsertim ex sua oritur forma : ideo formæ sacramentorum ostendunt id ex quo sacramenta utilitatem et efficaciam habent. Quumque utilitas tota baptismi Joannis fuerit ad Christum disponere, præscripta forma suo competebat baptismo.

Matth. XI, 13.

Præterea si quæratur, an baptismus Joannis fuit institutus a Deo : et si sic, cur vocetur baptismus Joannis, non Dei; dicendum, quod Joannes suum baptismum instituit ex revelatione et jussione divina, ideo fuit a Deo. Vocatur tamen baptismus Joannis : primo, quoniam ipse fuit aliquo modo sui institutor baptismi ; secundo, quia in illo baptismo nil fiebat virtute ipsius baptismi, quod Joannes non fecit; tertio, quoniam sibi soli commissum et datum est ministerium illius baptismi.

Iterum, si quæratur, quando baptismus ille cessavit; dicendum, quod cessatio illius baptismi accipi potest dupliciter. Primo, quantum ad suam totalitatem : et ita cessavit ipso in carcerem misso. Secundo, quoad maximum suum posse : sicque cessavit Christo baptizato. Unde super Joannem loquitur Augustinus : Baptizatus est Dominus baptismo Joannis, et cessavit Joannis baptismus, quia ex tunc potior baptismus ei successit : sicut cessat officium legati, domino Papa superveniente, quamvis post hoc legatus exerceat aliqua. Sic et Joannes Christo a se baptizato, baptizavit adhuc.

Denique baptismus Joannis magis conveniebat cum Baptismo Christi quam circumcisio, quantum ad materiam, non quantum ad necessitatem et efficaciam, quia originale peccatum non abstulit, nec gratiam contulit. Voluit tamen Christus a Joanne baptizari, ut omnem impleret justitiam, id est perfectam humilitatem, et ut commendaret Joannis baptismum, atque ut tactu suæ mundissimæ carnis aquas consecraret ad baptizandum, et vim regenerativam eis conferret mysterialiter.

Matth. III, 15.

Postremo de hoc, an baptizati baptismate Joannis rebaptizari debebant Christi Baptismate, est duplex opinio. Una, quod baptismus Joannis præparatorius fuit ad Christum suscipiendum. Hinc si quis baptismum Joannis accepit, sistens in illo, nec referens illum ad Christum, baptismus Joannis frustrabatur fine suo, et baptizatum sic rebaptizari oportuit. Si vero non fixit spem et voluntatem suam in illo baptismo, sed retulit ultra ad Christum, sic ex gratia Christi et baptismo Joannis præaccepto, efficiebatur quasi quid unum : ideo non oportebat aqua denuo baptizari, sed solum per impositionem manuum accipere Spiritum Sanctum. Et ita videtur fuisse opinio Magistri in littera. Sed quoniam sacramenta novæ legis ex ipso opere operato efficaciam habent, videtur quod fides et spes suscipientis Baptismum, nil faciant ad sacramentum, quamvis facere possint ad rem sacramenti promovendam vel impediendam. Ideo quantumcumque quis spem suam ad Christum referret, suscipiendo Joannis baptismum, baptismum novæ legis non consequebatur : ideo si baptismus novæ legis est de necessitate salutis, oportuit illum accipere. Amplius, hoc in omnibus sacramentis est generale, quod si quid omittatur de essentia sacramenti, oportet id iterari. In baptismo autem Joannis non servabatur forma Baptismatis Christi. — Hinc communior tenet positio, quod omnes baptismo Joannis ba-

ptizati, erant rebaptizandi. Quod confirmatur auctoritate S. Augustini, qui quinta homilia super Joannem fatetur : Qui baptizati sunt baptismo Joannis, non hoc sufficit eis, quoniam baptizandi sunt Baptismate Christi. Unde quod ait Hieronymus super illud, Effundam de spiritu meo, (*Joel* II, 28.) Hæc est causa quare quidam baptizati a Joanne, (*Act.* XIX, 5.) baptizati sunt iterum a Paulo Christi Baptismo, quoniam fidem Trinitatis non habuerunt ; dixit non tangendo causam rebaptizationis, sed insufficientiam fidei ipsorum ad salutem. Et hoc patet ex præcedentibus ejus verbis, quia præmisit : Qui dicit se credere in Christum, et non credit in Spiritum Sanctum, nondum habet oculos claros. Si autem de Apostolis objiciatur, quod post baptismum Joannis solum baptismum Spiritus Sancti recepisse leguntur; dicendum, quod creduntur baptizati Baptismo Christi, quamvis non legatur, quia non omnia scripta sunt; et hoc habetur in Glossa super illud Joannis, (*Joann.* XIII, 10.) Qui lotus est, non indiget, etc. — Hæc Thomas in Scripto.

In his scripta Alberti de ista materia plenarie continentur, et plene concordant; similiter scripta Petri.

Porro Richardus addit, respondendo ad istud, a quo baptismus Joannis fuit institutus : Institutio (inquiens) alicujus a Deo, est triplex. Prima expresse a Deo. Secunda occulte, ministro mediante, cui soli committitur potestas instituendi, quamvis alii valeat convenire potestas exsequendi. Tertia, quando eidem committitur potestas instituendi et exsequendi. Primo modo institutus est Baptismus Christi a Deo. Secundo modo, sacramenta legalia, quæ Deus per Moysen instituit; exsecutionem vero eorum non ei solum, sed et sacerdotibus legis commisit. Tertio modo institutus est baptismus Joannis a Deo, qui concessit Joanni auctoritatem institutionis illius, eique soli commisit exsecutionem ejusdem : ideo non duravit nisi usque ad incarcerationem Joannis. — Insuper, quum baptismus beatissimi Joannis fuerit præ- A paratio ad Christi Baptismum, qui est vera et salutaris medicina, non fuit baptismo Joannis virtus seu efficacia conferenda quæ Christi Baptismati est collata, videlicet gratiam continere et causare, characteremque imprimere : quia non est præparationi vis imprimenda quæ consistere debet in medicina. Adhuc autem, ex quo baptismus Joannis exstitit præparatio ad Christi Baptisma, sicut ad medicinam sanativam : hinc sicut præparatione accepta, nihilo minus ægro medicina est necessaria B et sumenda, sic baptizatis Joannis baptismate necessarius fuit Christi Baptismus. Hæc Richardus. — In his concordant Bonaventura, Thomas de Argentina, aliique communiter.

Durandus tamen aliquid novitatis hic inserit, dicens probabiliter posse teneri, quod Joannes baptizavit sine forma verborum. Ad cujus dicti reprobationem sufficit, quod tot Sancti et solenniores doctores dicunt contrarium. Et probatur ex eo quod in Actibus loquitur Paulus : Joannes (*Act.* XIX, 4.) C quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. Ex quibus verbis secundum expositores elicitur forma verborum baptismi Joannis. Et si objiciatur, quod Joannes baptizavit Christum, non tamen sub hac forma; dici potest, quod forma verborum baptismi Joannis non fuit tam immutabilis et præcisa, quin ex rationabili causa potuerit aliquantulum immutari, potissime circa Christum. Cui et ipse Joannes dixit : D Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad (*Matth.* III, 14.) me? Quasi dicat : Tibi convenit auctoritas et potestas baptizandi. Ex quo conjici potest, quod baptizavit Christum sub ista aut simili forma : Ego te baptizo in nomine tui ipsius. Vel ut probabilius fertur, Joannes Christum baptizavit sine verborum expressione, quoniam in illo baptismo vox Patris audita est, dicens : Hic est Filius (*Ibid.* 17.) meus dilectus. Et recte tunc siluit Joannes, ut ait Petrus. — Verumtamen, sicut circumcisio Christi non fuit purgatio ejus

ab originali, sic baptismus quem a Joanne A di, baptizati ita ab ipso. Secundo intelligi suscepit, non fuit signum alicujus interioris lotionis aut purgationis suæ a culpa.

Postremo Scotus : Dupliciter, inquit, potest intelligi, Joannem baptizasse. Primo, in forma Baptismatis Christi, quam potuit scire a discipulis Christi aut aliis : et sic non diceretur proprie baptismus Joannis, sicut nunc non dicitur baptismus Petri aut Pauli. Talem namque errorem reprehendit ad Corinthios Paulus. Et si isto modo baptizasset Joannes, non fuissent rebaptizandi, baptizati ita ab ipso. Secundo intelligi potest, Joannem baptizasse proprio baptismo (ut dictum est), et taliter baptizati ab eo, erant baptizandi Baptismate Christi. Hæc Scotus. — Verum non reor Joannem baptizasse Baptismo Christi, quia præcursoris habebat officium, et Scriptura apertissime protestatur eum usum baptismo distincto ac differenti a Baptismate Christi. Nec ulla auctoritas videtur hoc edocere, quod Joannes baptizaverit in forma baptismatis quam tradidit Christus.

I Cor. I, 13.

DISTINCTIO III

A. *Quid sit Baptismus.*

POST hæc videndum est, quid sit Baptismus, et quæ sit forma, et quando institutus, et causa institutionis. Baptismus dicitur intinctio, id est ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. Si enim ablutio fiat sine verbo, non est ibi sacramentum; sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum : non utique ipsum elementum fit sacramentum, sed ablutio facta in elemento. Unde Augustinus : Verbo Baptisma consecratur; detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Unde est hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus intus manens. — In duobus ergo consistit sacramentum Baptismi, scilicet in verbo et elemento. Ergo etsi alia desint quæ ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum sacramentum et sanctum, si verbum sit ibi et elementum. Nam et in hoc sacramento et in aliis, quædam solent fieri ad decorem et honestatem sacramenti, quædam ad substantiam et causam sacramenti pertinentia. De substantia hujus sacramenti sunt verbum et elementum, cetera ad solennitatem ejus pertinent.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. VI, c. 2.

Aug. in Joann. tract. 80, n. 3.

B. *De forma Baptismi.*

Sed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit sacramentum? Veritas te docet, quæ hujus sacramenti formam tradens, ait discipulis : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Invocatio igitur Trinitatis verbum dicitur quo Baptisma consecratur; et hæc est forma ver-

Matth. XXVIII, 19.

borum sub qua traditur Baptismus. Unde Bonifacio episcopo Zacharias Papa ait : De Consecr. dist. IV, c. 83. Firmissime præceptum est in synodo Anglorum, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet : quod omnino verum est. Quod si mersus in fontem Baptismi quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti *Act.* VIII, 12. fuerit baptizatus. Legitur tamen in Actibus Apostolorum, Apostolos baptizasse in Ambr. de Spiritu S. lib. I, n. 44. nomine Christi; sed in hoc nomine, ut exponit Ambrosius, tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim, quum Christum dicis, et Pater, a quo unctus est, et ipse qui unctus est, et Spiritus Sanctus, per quem unctus est. Unde Nicolaus Papa ad con- De Consecr. dist. IV, c. 24. sulta Bulgarorum : A quodam Judæo multos baptizatos asseritis; et quid inde agendum sit, consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizentur, baptizati sunt : unum enim idemque est, ut exponit Ambrosius.

C. *Si in nomine Patris tantum vel Spiritus Sancti possit tradi Baptismus.*

Hic quæritur, an Baptismus esset verus, si diceretur, In nomine Patris tantum, Hugo, de Sacram. lib. II, p. VI, c. 2. vel Spiritus Sancti tantum, ut quum dicitur, In nomine Christi. Ambrosius videtur dicere, quod si fide mysterium Trinitatis teneatur, et una persona tantum nominetur, plenum est sacramentum; et econverso, si tres nominentur, et non recte de aliquo Ambr. op. cit. n. 42. illorum sentiatur, vacuum fit mysterium Trinitatis. Ait enim sic : Ubi non est plenum Baptismi sacramentum, nec principium nec species aliqua Baptismi æstimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium et Spiritum Sanctum fatearis; si unum neges, totum subrues. Et sicut si unum in sermone comprehendas, vel Patrem vel Filium vel Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum; ita etiam, licet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas, et Patris et Filii et Spiritus Sancti minuas potestatem, Ibid. n. 43. vacuum est omne mysterium. Quum enim dicitur, In nomine Christi, per unitatem nominis impletum est mysterium, nec a Christi Baptismate Spiritus separatur, quia *Joann.* I, 33. Christus baptizavit in Spiritu.

D. *Quæstio Ambrosii.*

Ambr. op. cit. n. 44. Nunc consideremus, utrum sicut in Christi nomine legimus Baptismi plenum esse sacramentum, ita etiam Spiritu Sancto tantum nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur : qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est, scilicet Filium, et Spiritum Sanctum, quo unctus est, designasti. Scriptum est enim hunc *Act.* X, 38. esse Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto. Et si Patrem dicas, Filium ejus et Spiritum oris ejus pariter indicas, si tamen id etiam corde comprehendas.

Et si Spiritum Sanctum dicas, Deum Patrem, a quo procedit, et Filium ejus, cujus est Spiritus, nuncupasti. Unde ut rationi copuletur auctoritas, Dominus dicit : Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Ex quo indicat nos recte posse baptizari in Spiritu Sancto. *Act.* I, 5.

E. *Perstringit præmissorum intelligentiam, cum determinatione cujusdam dicti.*

Ex his aperte intellexisti, in nomine Christi verum Baptisma tradi : unde nihilo minus insinuari videtur, verum Baptisma tradi posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus Sancti tantum, si tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat, quæ Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Si autem aliquis perverse credens et errorem inducere intendens, unum de tribus tantum nuncupet, non complet mysterium. Quod vero ait, nominatis tribus vacuum esse mysterium, si baptizans minuat potestatem Patris vel Filii vel Spiritus Sancti, id est, si male sentiat de potentia alicujus horum, non credens unam potentiam trium; intelligendum est hoc super eum qui non intendit nec credit baptizare, qui non tantum caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet. Qui vero baptizat in nomine Christi, baptizat in nomine Trinitatis, quæ ibi intelligitur. Tutius est tamen tres personas ibi nominare, ut dicatur, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti : non in nominibus, sed in nomine, id est in invocatione vel in confessione Patris et Filii et Spiritus Sancti. Invocatur enim ibi tota Trinitas, ut invisibiliter ibi operetur per se, sicut extra visibiliter per ministerium *. Si autem dicatur, in nominibus, non est ibi sacramentum, quia non servatur forma Baptismi. * ministrum

F. *De institutione Baptismi.*

De institutione Baptismi, quando cœperit, variæ sunt æstimationes. Alii dicunt tunc esse institutum, quum Nicodemo Christus ait : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc. Alii dicunt institutionem Baptismi factam, quum Apostolis dixit : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed hoc dixit eis post resurrectionem, præcipiens eis de vocatione gentium; quos ante passionem binos et binos miserat ad prædicandum in Judæa et ad baptizandum, dicens : In viam gentium ne abieritis. Jam ergo institutus erat Baptismus, quia baptizabant simul et prædicabant. Hugo, de Sacram. lib. II, p. VI, c. 4. *Joann.* III, 5. *Matth.* XXVIII, 19. *Ibid.* X, 5.

G. *De forma in qua baptizaverunt Apostoli ante passionem Christi.*

Si vero quæritur, in qua forma tunc baptizaverunt Apostoli; sane dici potest, in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma in qua baptizaverunt postea gentes : quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum. Non ergo tunc

illam formam Christus prius tradidit, quum ad evangelizandum gentibus misit; sed quam ante tradiderat, mittens eos in Judæam, post iteravit, quum ad gentes misit. Commodius ergo dicitur institutio facta quando Christus a Joanne baptizatus est in Jordane : quod dispensavit, non quia mundari voluit, quum sine peccato fuerit, sed quia contactu mundæ carnis suæ vim regenerativam contulit aquis, ut qui postea immergeretur invocato nomine Trinitatis, a peccatis purgaretur. Tunc ergo invocato nomine Trinitatis, institutus est Baptismus Christi, in quo Trinitas, cujus mysterium ibi innotuit, interius hominem baptizat.

Matth. III, 16. Beda, in Luc. III, 21.

H. *Quare in aqua tantum fiat.*

Celebratur autem hoc sacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, ut ait Christus : Nisi quis renatus, etc. Ideoque uniformiter id fieri in aqua præcipitur, ut intelligatur quod sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita Baptismus maculas animæ sordesque vitiorum emundando abstergit. Vel ideo, ut nullum inopia excusaret : quod posset fieri, si in vino vel oleo fieret; et ut communis materia baptizandi inveniretur apud omnes. Quod aqua signavit, quæ de latere Christi manavit, sicut sanguis alterius sacramenti signum fuit. Non ergo in alio liquore potest consecrari Baptismus nisi in aqua.

Ambrosiast. in Rom. VI, 4.

I. *De immersione, quoties fieri debeat.*

De immersione vero si quæritur, quomodo fieri debeat præcise; respondemus, vel semel, vel ter, pro vario more Ecclesiæ. Unde Gregorius : De trina immersione Baptismi nil verius responderi potest, quam quod vos ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa. Quia enim in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismo ter vel semel immergere, quia et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. Nos vero qui tertio immergimus, etiam triduanæ sepulturæ sacramentum signamus. — Secundum hoc licet non modo ter, sed etiam semel immergere tantum. Ibi tamen dumtaxat immergere semel licet, ubi consuetudo Ecclesiæ talis exsistit. Si quis vero id facere incipiat, ubi consuetudo talis non est, vel semel tantum mergendum asserat, reprehensibilem se constituit. Unde Haymo : In suo sensu abundabat Cyprianus, quum semel mergebat in Baptismo parvulos; qui quod intelligebat, studiose implebat, bonis operibus abundando, licet in hoc nesciens delinqueret. Sed quia bonis operibus abundabat, postea correptus a Deo, abundavit altiori sensu, ter illos mergendo. Ecce habemus, quia deliquit qui semel mersit. Sed hoc ideo, quia aliter se habebat consuetudo illius Ecclesiæ, vel quia unam tantum faciendam mersionem asserebat. De trina mersione Augustinus ait : Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus : qui ordo baptizandi duplici mysterii significatione celebratur. Recte

Hugo, Summa Sent. tract. V, c. 4. Gregor. Epist. lib. I, ep. 43. Haymo, in Rom. XIV, 5. Aug. Sermo de Mysterio Baptismi.

enim tertio immersi estis, qui accepistis Baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio immersi, quia accepistis Baptismum in nomine Christi, qui die tertia resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita immersio typum dominicæ exprimit sepulturæ. — Constat ergo, baptizandos tertio debere immergi; et tamen si semel tantum immergantur, verum Baptisma accipiunt. Et qui semel immergit tantum, non peccat, nisi consuetudo Ecclesiæ obsistat, vel hoc modo tantum debere fieri asserat.

K. *Quando circumcisio amisit vim suam.*

Solet etiam quæri, si circumcisio amisit statim vim suam ab institutione Baptismi. Ad quod dicimus, in Christi morte terminata esse legalia omnia. Ex tunc ergo circumcisio perdidit vim suam, ita quod postea non profecerit, sed potius obfuit observatoribus suis. Sed usque ad oblationem veræ hostiæ potuit prodesse. Si enim ante passionem legalia finem habuissent, non ea imminente vetus pascha cum discipulis manducasset. Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 2.

L. *De causa institutionis.*

Causa vero institutionis Baptismi est innovatio mentis, ut homo, qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam Baptismi renovetur : quod fit depositione vitiorum et collatione virtutum. Sic enim fit quisque novus homo, quum abolitis peccatis, ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem; appositio virtutum affert decorem. Et hæc est res hujus sacramenti, scilicet interior munditia.

M. *Quæritur an Baptismus aperuit cœlum, quod non aperuit circumcisio.*

Si quæritur, utrum Baptismus aperuit cœlum, quod non aperuit circumcisio; dicimus, quia nec Baptismus nec circumcisio regni nobis aditum aperuit, sed hostia Salvatoris : quæ si tempore circumcisionis oblata fuisset, illius temporis homines regnum intrassent. Res ergo hujus sacramenti justificatio est.

SUMMA

DISTINCTIONIS TERTIÆ

PRÆMISSIS præambulis et figuris, hic jam incipit pertractare de ipsis legis evangelicæ sacramentis, et primo de Baptismo, quod vocatur et est janua sacramentorum, sicut expositum est. De quo (dist. II, q. 1.) A in ista distinctione primo determinat quid sit. Secundo, quæ sit forma ipsius; et circa hoc movet ac solvit difficiles quæstiones. Tertio, quando sit institutus. Quarto, de ipsius materia. Quinto, de immersione Baptismum suscipientis in fonte Baptismatis. Sexto, quando circumcisio vim suam amiserit, quod jam supra discussum est. (dist. I, q. 5.) Septimo, de causa finali Baptismatis.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur primo, **An definitio Baptismi tradita a Magistro, sit apta.**

dist. I, q. I. Videtur quod non, quia juxta præhabita, sacramentum est materiale atque visibile signum, quod non convenit tinctioni in aqua, quum tinctio illa sit actio aut passio : ergo inconvenienter dicit Magister, Baptismus est tinctio, id est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum. — Præterea, secundum Hugonem, Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Aqua autem et tinctio in aqua, realiter distinguuntur.

Ad hæc Thomas respondet : Juxta Philosophum secundo Posteriorum, triplex est definitio : prima materialis, quam dicimus conclusionem demonstrationis ; secunda formalis, quæ est principium demonstrationis; tertia materialis et formalis simul, quæ est demonstratio positione differens, quoniam habet medium demonstrationis, in quantum continet definitionem formalem, et habet conclusionem, secundum quod continet definitionem materialem, et solum deest ordo verborum. Quumque omne completivum sit quasi formale respectu ejus quod completur, definitio formalis non solum vocatur quæ continet et exprimit formam, sed et illa quæ continet hoc quod est completivum alterius. Et quia in causis talis est ordo, quod materia completur per formam, et forma per efficientem, et efficiens per finem; idcirco interdum definitio materialis nominatur quæ comprehendit tantum materiam rei, formalis autem quæ comprehendit formam : sicut ista, Ira est accensio sanguinis circa cor, dicitur materialis definitio; et ista, Ira est appetitus vindictæ, fertur formalis. Interdum autem definitio materialis comprehendit formam atque A materiam, et formalis causam efficientem: sicut hæc dicitur materialis, Tonitruum est sonus factus in nubibus; et ista formalis, Tonitruum est exstinctio ignis in nube. Interdum definitio materialis comprehendit materiam et formam et efficientem, formalis vero finem : ut hæc, Domus est coopertorium factum ex lapidibus et lignis per talem modum et artem, est definitio materialis respectu hujus, Domus est coopertorium protegens nos a frigoribus et caumatibus. Et hoc præcipue accidit in B instrumentis, quia in eis quasi tota ratio speciei a fine accipitur. Quumque Baptismus, eo quod sit sacramentum, sit quoddam instrumentum, ideo materialis definitio ejus erit quæ comprehendit materiam ejus et formam atque efficientem; et formalis, quæ comprehendit finem. Hinc definitio Baptismi quam ponit Magister, est materialis : continet namque materiam, dicendo, Ablutio exterior; et innuit efficientem, quum addit, Facta; formam quoque, subdendo, Sub forma præscripta C verborum. Denique in sacramento Baptismi sunt tria : unum, quod est sacramentum tantum, ut aqua exterius fluens, et hoc transfluit et non manet; aliud, quod est sacramentum et res, et hoc semper manet, puta character; et aliquid, quod est res tantum, quod quandoque manet, quandoque transit, ut gratia baptismalis interior. Magister autem definit Baptismum quantum ad id quod est sacramentum tantum, quia intendit ipsum materialiter definire. Hæc Thomas in Scripto.

D Sed huic ultimo verbo objici posset, quod non aqua, sed tinctio seu ablutio in aqua, est sacramentum tantum in Baptismo. — Unde et Thomas subjungit : Sacramentum novæ legis est signum et causa gratiæ. Ideo secundum hoc est sacramentum, secundum quod habet significare causareque gratiam : quod non convenit aquæ, nisi in quantum abluenti. Hinc Baptismus essentialiter est ipsa ablutio, quia ad ablutionem interiorem causandam institutus est Baptismus, quam significando exterior

causat ablutio; aqua vero est remota materia, et ipsa ablutio est materiale Baptismi, sicut cuprum quod est tota substantia statuæ, dicitur ejus materia; sed verbum vitæ est forma sacramenti completiva. Itaque Augustinus et Magister definiunt Baptismum per materiam proximam, quæ prædicatur proprie de Baptismo, sicut materia in artificialibus, ut phiala est argentum; Hugo vero per materiam remotam, quæ non ita proprie prædicatur de re nisi per causam remotam. — At vero definitio illa Hugonis complectitur materiam Baptismi, dicendo : Baptismus est aqua; et finem, in hoc quod dicit, Diluendis criminibus; et formam, addendo, Per verbum vitæ sanctificata. Sicque est definitio composita ex materiali et formali, quasi demonstratio positione differens, essentiamque Baptismi complete insinuans, excepto quod actus ablutionis prætermittitur, qui facit materiam proximam Baptismo; qui tamen intelligi potest ex aliis quæ ponuntur. Itaque prædicatio ista, Baptismus est aqua, est impropria et per causam; ista vero est propria, Baptismus fit in aqua.

Insuper divinus Dionysius secundo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo ait : Principium quoddam est sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad aliorum mandatorum divinorum ac sacrarum actionum susceptivam opportunitatem formans nostros habitus animales, et ad supercœlestis quietis anagogen iter nostrum faciens, sacræ et divinissimæ nostræ regenerationis traditio. Ex hac definitione Baptismi S. Dionysius intendit procedere ad ea quæ materialiter in Baptismo requiruntur : unde post hujus definitionis assignationem ritum Baptismi exponit; ideo ponit eam ut demonstrationis principium, et ob id definitio totaliter est formalis. Et in verbis ejus aliquid ponitur ut definitum, et aliquid ut definitio. Tanquam definitum ponitur istud, Traditio sacræ et divinissimæ regenerationis. Ista enim est quasi circumlocutio quædam Baptismi : quod patet ex hoc quod Baptismum ibi non nominat. A Quasi definitio ponitur hic quod dicit, Principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis. Ponitque tria ad quæ Baptismus ordinatur, quæ formaliter complent rationem ipsius. Quorum unum competit ei prout est janua sacramentorum; et quantum ad hoc dicit, quod est Principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, id est hierarchicæ actionis, ut sunt purgare, illuminare, perficere : quæ præcipue in nostra hierarchia consistunt in dispensatione sacramentorum. Quæ qui- B dem actiones nobis sub præcepto sunt traditæ; ad quas principium est Baptismus tanquam janua eorumdem. Aliud competit ei in quantum est causa, videlicet prout characterem imprimit et gratiam confert, per quod homo informatur atque idoneus redditur ad aliorum sacramentorum perceptionem. Et quoad hoc ait, quod per characterem et gratiam est Formans nostros animales habitus (id est animæ vires) ad susceptivam opportunitatem (id est ad idoneam et opportunam susceptionem) di- C vinorum eloquiorum, quantum ad fidei doctrinam, et sacrarum actionum, quantum ad alia sacramenta, quæ nulli non baptizato sunt conferenda. Tertium sibi competit in quantum est signum et figura cœlestium, sicque per Baptismum manuducimur ad cœlestium contemplationem. Et quoad hoc dicit, quod est Faciens iter nostrum (id est, præparans nobis contemplationis viam) ad anagogen (id est sursumductionem) supercœlestis quietis, quæ in divinorum contemplatione consistit, et vocatur pax æter- D nitatis. Vel per secundum tangit proximum finem Baptismi, quantum ad ea quæ sunt viæ; et per tertium finem remotum, quantum ad ea quæ sunt patriæ.

Præterea Damascenus libro quarto definit Baptismum, dicendo : Baptismus est per quem primitias Spiritus Sancti accipimus, et principium alterius vitæ fit in nobis, regeneratio, sigillum, custodia et illuminatio. Quam definitionem venatur ex hoc quod Baptismus regeneratio nominatur. Quum enim generatio sit motus ad

esse, constat quod Baptismus sit sacramentum per quod nobis traditur esse spirituale. Quumque nullus possit exercere actionem alicujus naturæ, nisi prius habeat esse in illa natura, ideo concluditur, quod Baptismus est principium omnium spiritualium actionum. Sicque Damascenus definit Baptismum adhuc per priora quam S. Dionysius, in quantum accipit primum Baptismi effectum, qui est constituere in spirituali vita, ex qua habet quod regeneratio dicitur. Idcirco definit Baptismum ut principium spiritualis vitæ, in hoc quod dicit, Principium vitæ alterius, quæ est alia, id est distincta a vita naturali. Sic quoque est principium eorum quæ consequuntur ad vitam illam, id est supernorum charismatum. Unde subjungit, Per quod fiunt primitiæ Spiritus (id est primi et præcipui effectus Spiritus Sancti) in nobis. Hi demum effectus vel sequuntur ipsam generationem, videlicet filiatio seu aliqua talis relatio, sicque per Baptismum dicimur regenerari in filios Dei, et quantum ad hoc dicitur, Regeneratio; vel consequuntur formam per generationem inductam : et hoc tripliciter. Primo, in ordine ad generantem, secundum quod per formam genitus est similis generanti ; et quantum ad hoc dicit, Sigillum. Secundo, quantum ad esse ipsius geniti, quod per formam conservatur; et quantum ad hoc dicit, Custodia. Tertio, quantum ad actionem ejus, cujus forma exstat principium; et quoad hoc addit, Illuminatio. Unde Dionysius sanctus vim illuminativam Baptismo attribuit : quod competit ei in quantum est fidei sacramentum. Propter quod baptizatus admittitur ad inspectionem sacramentorum, tanquam illuminatus; nec ante est admittendus, ne sancta canibus tradantur, juxta Dionysium. Quamvis autem alicui divina charismata seu primitiæ Spiritus dentur antequam Baptismum recipiat actu, non tamen antequam recipiat proposito seu affectu. — Hæc Thomas in Scripto.

De Eccl. hier. c. v.

Matth. VII, 6.

At vero in tertia parte, quæstione sexa-

A gesima sexta : In Baptismo, inquit, tria considerantur : aliquid quod est sacramentum tautum, etc., ut supra. Id vero quod est sacramentum tantum, est aliquid visibile exterius exsistens, quod scilicet est signum interioris effectus, et illud visibile est aqua et usus ejus, qui est ablutio. Aliqui igitur putaverunt quod ipsa aqua sit sacramentum : quod verba Hugonis prætacta sonare videntur. Quod non est verum. Quum enim sacramenta novæ legis sanctificationem quamdam operentur, ibi

art. 1.

Cf. p. 100 C.

Cf. p. 101 B.

B perficitur sacramentum ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subjectum : ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem. Ideo secundum Magistrum, Baptismus est ablutio corporis. Hæc in Summa. — Idem in Summa contra gentiles, libro quarto.

Concordat Albertus, et addit, quod Ba-
C ptismus est tinctio in aqua, non ex parte tingentis, sed tincti, id est tinctio ejus qui baptizatur, cujus exterior ablutio signum est interioris ablutionis seu emundationis a culpa. — Idem Petrus.

Et addit Richardus : De integritate Baptismi sunt tria : materia, et forma verborum, et unio aliqualis amborum, ad quam concurrit intentio baptizantis. Sed quæri potest, utrum Baptismus sit ablutio activa vel passiva. Dicendum, quod ablutio exterior, in quantum est in abluto, est passio;
D in quantum est in abluente, est actio : quia secundum Philosophum tertio Physicorum, actio et passio radicantur in uno motu, et superaddunt relationes diversas, videlicet actio relationem ad id a quo est, et passio relationem ad id in quo ipsa est. Similiter dico de interiori ablutione. Est enim passio, in quantum est in anima quæ abluitur; et actio, in quantum est ab inabluente. Exterior quoque ablutio in quantum est actio, interiorem activam, atque in quantum est passio, interiorem ablutio-

nem passivam significat. Interioris ergo ablutionis tam activæ quam passivæ, exterior ablutio signum est, et etiam causa. Interior namque ablutio, non solum in quantum est passio, sed etiam in quantum actio, per sacramentum causatur : ideo sacramentum Baptismi non tantum dicit ipsam ablutionem exteriorem in quantum est passio, nec tantum in quantum est actio, sed comprehendit rationem utramque, quamvis immediatius respiciat baptizatum ratione ablutionis passivæ quam activæ. Hæc Richardus.

In quibus videtur insinuari, quod actio et passio realiter idem sint. Alii dicunt, quod sint entitates seu quædam essentiæ realiter ab invicem distinctæ, sicut ponuntur diversa prædicamenta. Prædicamenta autem sunt primo diversa, et eorum essentiæ sunt impermixtæ, juxta Themistii et antiquorum doctrinam. Differunt quoque subjecto et causalitate, ipsaque actio est in agente, formaliter ipsum denominans; et passio ita est in patiente. Interior autem ablutio activa, est potissime ipse-
Job xiv, 4. met Deus abluens, qui solus intus mundum facit de immundo conceptum semine : quemadmodum et activa creatio est Deus creans.

Ad horum demum intellectum valet quod ait Bonaventura. Baptizo in Græco designat lavo in Latino. Unde in libro Judith :
Judith xii, 7. Descendebat in vallem Bethuliæ, et baptizabat se. Ab eo autem quod est lavare, dicuntur lavacrum et lotio. Lavacrum est aqua deputata ad lavandum, et lotio est usus ipsius aquæ. Unde in Canticis dici-
Cant. iv, 2. tur : Dentes tui sicut greges tonsarum quæ
Tit. iii, 5. ascenderunt de lavacro ; et ad Titum, Per lavacrum regenerationis et renovationis, etc. Quumque nomen baptismi æquivaleat lavacro et lotioni, dixerunt quidam, quod Baptismus ut sacramentum, sit lavacrum ; alii, quod lotio seu tinctio in lavacro. Et credo quod utroque modo dictum sit sacramentum. Nam et lavacrum sacræ rei est signum, quoniam aqua extra abluens signum est gratiæ intus mundantis, et lotio

A exterior signum est interioris mundationis. Nec tamen duo sunt sacramenta, sed unum, quoniam unum est propter alterum. Aqua quippe non est sacramentum, nisi in quantum est abluens ; nec lotio est sacramentum, nisi in quantum fit in aqua. Hæc Bonaventura.

Scotus quoque hic scribit : Baptismus ob hoc solum non est proprie definibile, nec definitionem habet perfectam, quia non est ens reale. Habet tamen definitionem ex eo modo quo secundæ intentio-
B nes vel quæcumque relationes rationis definiuntur, etc.

In quibus verbis insinuare videtur, quod Baptismus non sit nisi relatio, imo rationis relatio, non ens reale ; et ita non esset in prædicamento, quoniam ens reale in decem prædicamenta dividitur, secundum Avicennam et ceteros Peripateticos. Porro hoc dictum Scoti simile est ei quod (ut supra patuit) ait de hoc, an sacramentum dist. i, q. i.
sit definibile. Et sicut quod ibi affirmat, improbatum est ibi, ita et istud faciliter
C reprobatur. Absit enim putare quod sacramenta evangelicæ legis non sint realia entia, quum realem habeant operationem, sintque sensibilia signa, seu materialia elementa. Denique dato quod verum esset quod ibi dixit de sacramenti realitate et definibilitate, tamen quod hic ait de Baptismo, stare non posset. Quamvis etenim sacramentum non diceret nisi ens rationis, et Baptismus sit sacramentum, non sequeretur ex hoc, quod Baptismus non sit nisi ens rationis : sicut non sequitur, Spe-
D cies est ens rationis et nomen secundæ intentionis, et homo est species : ergo homo est ens rationis et nomen secundæ intentionis. Alia multa scribit hic, quæ dimitto, quoniam potius esse videntur veritatis involutiones et obscurationes quam declarationes.

Præterea de necessitate sacramenti Baptismi scribit Guillelmus in suo Sacramentali : Scito homines sanctos desuper eruditos dixisse verissime, vitium esse ægritudinem, vetustatem, corruptionem,

putredinem, vermem, bestiam malam, vulnus, mortem, catenam, compedem, carcerem, tenebram, lepram, paralysim, febrem, insaniam et furorem. Virtutes vero contrariis appellaverunt nominibus. Quemadmodum autem perversitas atque corruptio nostræ potentiæ appetitivæ exterioris seu sensitivæ indicat exteriorem corporis ægritudinem, sic error atque perversitas interioris appetitus ægritudinem indicat mentis. Quemadmodum enim error appetitus sensitivi, quo appetuntur carbones et cineres pro vero naturalique corporis cibo, ægritudinem indicat corporis; sic et certum est errorem appetitivæ interioris, quo appetuntur omnino inconvenientia atque contraria pro vero et naturali cibo mentis, qui alius esse non valet nisi veritas et honestas, indicare ægritudinem mentis. Sicut etiam ex errore gustus exterioris, quo dulcia videntur amara, et econtrario, intelligitur ægritudo et mala dispositio corporis; conformiter, dum bona spiritualia, honesta et sancta sapiunt nobis amare, carnalia vero, fœda et vilia bene et delectabiliter, evidenter patet ex hoc nostræ mentis perversitas, ægritudo et dispositio pessima. Hæc autem ægritudo partim nobis innata est et originalis, pejus vero contracta et aucta per vitia propria.

Quum ergo tot mortibus simus oppressi, tot vetustatibus squalidi, indigemus in primis sacramento regenerationis et renovationis, quo a tot læsionibus et occisionibus revocemur ad esse spirituale, ad vitam gratiæ ac virtutum, et renovemur in Spiritu Sancto. Nempe quum nativitas ingressus sit et initium vitæ, mors vero finis desitioque ipsius, necesse est vitam animalem et vitiosam desinere et finiri in nobis, et vitam spiritualem in nobis per regenerationem incipere. Propter quod Veritas dixit (*Joann.* III, 3.): Nisi quis natus fuerit denuo, non intrabit in regnum cœlorum. Et quia ad ea quæ sursum sunt, id est spiritualia et æterna bona, nascimur frigidi et gelidi, atque ad ea quæ deorsum sunt temporalia, carnalia et mundana, ardentes ac fervi- A di, necesse est nobis nascentibus apponi aquam et ignem et in utrumque immergi: in aquam, ut exstinguatur illud perversi ardoris incendium; in ignem, ut solvatur istud mortiferum frigiditatis gelicidium, et succendatur vivifici saluberrimique fervoris caminus. Ardentes quippe nascuntur filii Adæ igne amoris perversi; et illo quasi operto et clauso, flammis nequissimorum desideriorum adhuc erumpere tempore infantiæ non valentibus, eodem igne, quum ad ætatem venerint pubertatis, velut B ingenti ardent fornace. Aquam et ignem spiritualiter dico eamdem Spiritus Sancti caritatem et gratiam, qua incalescimus ad æterna, et ad carnalia ac terrena frigemus. Necesse quoque est et aquam visibilem adhiberi, ut per sensibilia ad interiora promoveamur : sicut de hoc dictum est et (*Cf.* p. 45 B'.) infra dicetur. — Hæc Guillelmus.

Postremo circa hæc loquitur Antisiodorensis : Succedit circumcisioni Baptismus duabus de causis. Prima est, quoniam major gratiæ cumulus significatur et datur C in Baptismo quam in circumcisione. Circumcisio namque in quantum circumcisio, non significat nisi remissionem peccati. Baptismus vero ultra hoc designat gratiæ infusionem, exstinctionem mundanæ et humanæ cupiditatis, et saltum spiritualem in vitam æternam. Quod patet per aquæ proprietates: aqua etenim abluit, reficit, exstinguit, et salit tam alte quantum ab alto loco descendit. Secunda causa est, quia communior est Baptismus : nam convenit maribus et feminis.

D Porro de Baptismi essentia est diversa opinio. Quidam dicunt, quod aqua in quantum abluens, seu ablutio facta in aqua, Baptismus sit. Quod falsum videtur, quia quamdiu baptizatus vivit, habet Baptismum, non tamen aquam abluentem nec ablutionem, quæ transierunt. Hinc alii dicunt, quod Baptismus est quid permanens, puta character impressus animæ ad distinguendum baptizatum a non baptizato : quemadmodum circumcisio distinguebat Judæum a gentili. Sed contra hoc est, quod

sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma seu materiale elementum; character autem est invisibilis qualitas, ut patebit. Præterea, sacramentum est visibilis forma, significativa et effectiva invisibilis gratiæ : quod proprie convenit aquæ abluenti seu ablutioni in aqua. Itaque nobis videtur, quod nec sola aqua abluens, sive ablutio aquæ, nec solus character Baptismus exsistat; sed duo illa, scilicet aqua abluens (seu ablutio) et character simul sumpta, exsistant Baptismus et unum sacramentum ab unitate gratiæ designatæ, quamvis secundum essentiam sint diversa, sicut hæ tres voces, albus, alba, album, sunt unum nomen ab unitate significati. Concedimus tamen, quod tinctio in aqua est Baptismus, et item character : sicut in sacramento Eucharistiæ forma panis et vini est sacramentum; verum quoque corpus Christi, quod sumpsit ex Virgine, sacramentum consistit; et omnia quæ sunt ibi, demonstrant unum Eucharistiæ sacramentum. Manet ergo Baptismus quantum ad impressum characterem et quantum ad suum effectum. Nec oportet quidquid in sacramento est, esse visibilem formam, sed sufficit quod secundum aliquid sui, sit visibilis forma : quia nec in Eucharistiæ sacramento corpus Christi est nobis visibile. — Hæc Antisiodorensis in Summa, quarto libro.

QUÆSTIO II

SEcundo quæritur, **Utrum ista sit tota et invariabilis forma Baptismi : Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.**

Videtur quod non, quoniam Græci Christiani alia forma utuntur, dicendo : Baptizetur servus Christi in nomine Patris, etc. — Secundo, videtur superfluum addere *ego,* quia in verbis primæ personæ subintelligitur. — Tertio, quoniam actus potissime attribui debet principali agenti, non
A instrumentali. Potius ergo dicendum esset, Christus seu Deus te baptizet. — Quarto, secundum Boetium, in entibus aggregatis unio est forma : ergo in forma ista nulla fieri posset additio, subtractio, mutatio, interpositiove verborum.

Cujus oppositum patet in textu, ut infra dicetur.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa sua, quarto libro : Ad sacramentum Baptismi tria exiguntur, videlicet forma
B verborum, intentio baptizandi, et aqua. Et forma verborum est hæc : Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quam formam Christus determinavit. *Matth.* xxviii, 19. Sed videtur, quod hoc verbum, baptizo, non sit de essentia hujus formæ, quia si velim me signare, non oportet ut dicam, Signo me : imo sufficit quod habeam intentionem signandi me, et dicam, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Item, si benedico panem, non oportet me dicere, Ego benedico panem, sed suf-
C ficit quod habeam intentionem benedicendi, et dicam verba prædicta. Ergo similiter si quemquam baptizo, non est necesse dicere, Ego baptizo te, sed sufficit quod habeam baptizandi intentionem, et dicam hæc verba, In nomine Patris, etc. Dicendum, quod verbum illud est de essentia formæ hujus. Et ad objecta respondemus, quod non est simile : quia hæc verba, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad multa se habent, utpote ad signandum, ad benedicendum, ad baptizandum. Bapti-
D smus autem sacramentum est necessitatis : propter quod necesse est baptizantem determinatam habere intentionem et expressam, ne evagetur cor ejus ad alia, quum verba illa ad alia se habere possint. Propter hoc necesse est ut baptizans intentionem baptizandi quam habet, exprimat verbo. Hæc Antisiodorensis. — Verumtamen si baptizans formam hanc proferat tam grandi distractione, et sine actuali intentione atque attentione, adhuc vere baptizat, sicut et vere consecrat celebrans,

quamvis omnino distractus sit verba consecrationis pronuntiando.

Insuper doctor idem de verborum subtractione subjungit : Non est dubium non esse Baptismum, si ita tantum dicatur, Ego baptizo te in nomine Patris. In primitiva tamen Ecclesia fiebat sub hac forma : Ego te baptizo in nomine Christi, duplici ratione. Primo, ut nomen Christi, quod fuit multis incognitum et contemptum, celebrius fieret magisque notum. Secundo, quia in nomine Christi tota Trinitas datur intelligi. Et hoc fecerunt Apostoli familiari consilio Spiritus Sancti. — Quæritur quoque de additione verborum, an vere detur Baptismus, si ita dicatur, Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et B. Petri. Respondent magistri, quod si ex devotione fiat talis additio, nec baptizans intendat aut credat additionem illam esse de essentia formæ verborum Baptismi, exhibetur Baptismus; non autem si putat illam esse de essentia formæ verborum Baptismi. — Similiter quæritur de corruptione verborum, utrum per illam impediatur Baptismus. Dicendum, quod si intendit inducere hæresim qui verba corrumpit, non baptizat : non quia verba corrumpit, sed quia necessariam intentionem non habet ad baptizandum. Si autem ex sola simplicitate fiat aliqua verborum corruptio, ita quod retineantur syllabæ principales, non impeditur Baptismus, ut dicunt magistri. Verum pro quanta corruptione impediatur Baptismus, præcise determinare non est hominis. Hæc Antisiodorensis.

At vero Thomas de his scribens, de integritate formæ baptismalis disseruit : Forma completiva rei, media est quodammodo inter materiam quam perficit, et causam efficientem a qua producitur, ut virtus efficientis mediante forma ad materiam traducatur. Quumque medium complectatur extremorum utrumque, forma Baptismi continet principale efficiens, a quo Baptismus efficaciam habet, et proximam Baptismi materiam, quæ est actualis ab-

A lutio. Hinc ponitur ibi, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, tanquam principale efficiens, a quo Baptismus vim sortitur; et ponitur ibi actus materialis, et ea quæ ipsum circumstant, utpote conferens Baptismum, et recipiens ipsum. Formam autem baptizandi tradidit Christus Apostolis ante passionem, dum misit eos ad prædicandum et baptizandum : ideo non intendebat eis conferre hanc formam, dicens, Docete omnes gentes, sed actum prædicandi et baptizandi ipsis injungere. *Matth.* XXVIII, 19.

B Præterea, dum quæritur, an licet hanc formam mutare; dicendum : quum sacramenta efficaciam habeant ex institutione divina, principaliorque in eis sit forma quam materia, ideo sicut nulli licet sacramentum mutare, aut aliquod novum instituere, ita nulli licet mutare formam sacramenti quantum ad id quod est de essentia formæ, absque speciali consilio Spiritus Sancti, qui virtutem omnipotentiæ suæ verbis illis non alligavit; et si mutatur, nil agitur, et culpa incurritur. Sed C dum aliquid pertinet ad formam ex determinatione Ecclesiæ, si illud mutetur, est sacramentum, sed peccatur. In forma quoque Baptismi essentialius est quod exprimit causam principalem agentem, a qua est tota sacramenti efficacia, quam quod exprimit actum exercitum : ideo quantum ad omnes, invocatio Trinitatis est de essentia formæ; nec aliqui quantum ad hoc possunt formam mutare. Quidam vero dixerunt, quod actus exercitus non est de essentia formæ, et quod in illa invocatione D Trinitatis, essentia formæ tota consistit : quos refellit auctoritas Alexandri Papæ, dicentis non esse Baptismum lavacrum illud quo aliqui in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nil addendo baptizantur.

Hinc secundum opinionem Græcorum, de necessitate formæ est actus Baptismi quantum ad significatum, non quantum ad consignificatum. Persona autem baptizans per ministerium, non est de necessitate formæ, quia ex ea efficaciam Baptismus non habet; persona vero recipiens

est de formæ neeessitate, quoniam aetus ad suseipientem terminatur. Ideo Græei differunt in forma a nobis in tribus. Primo, quia personam ministri in forma non exprimunt; et hoe (ut dieunt) ad removendum errorem qui fuit in primitiva Eeelesia, eorum qui effieaeiam Baptismi baptizanti attribuebant, ut patet in prima
1 Cor. iii, 4. ad Corinthios. Seeundo, in hoe quod signifieant aetum sub alia, hoc est sub tertia, persona, et sub alio modo, utpote subjunetivo vel optativo, ad significandum quod aetus interior exspeetatur a Deo. Tertio, quia personam baptizatam ponunt in nominativo, atque in tertia persona, quia interdum non habet usum rationis ut ad eam possit dirigi sermo. An vero mutent aliquid quod sit de substantia formæ, ut sie oporteat rebaptizari; quamvis quidam hoe dieant, non tamen est determinatum, sed dubium apud quosdam, quibus videtur quod suffieiat actum Baptismi signifieare ad sacramenti perfeetionem, et quod eonsignifieationis determinatio sit ex institutione Eeelesiæ. Verum hoc eertum est, quod forma qua utimur nos, melior sit : tum quia perfeetior, ut constat ex dietis; tum quia plus eonsonat Evangelii verbis in quibus ministri dicuntur baptizantes; tum propter auetoritatem Romanæ Eeelesiæ, quæ formam hanc tradidit seu promulgavit, quæ Eeclesia nunquam a vera fide legitur declinasse, hanc
* retinens ab Apostolis formam reservans *. Idcirco non licet, Latinis præcipue, in forma Græeorum baptizare : quod si præsumerent, seeundum quosdam non esset Baptismus, seeundum alios vere esset, sed graviter peecarent.

Si autem objieiatur, quod actus Baptismi fieri potest ab uno et a duobus, et in unum et in duos : ergo fieri potest formæ mutatio, ut dicatur, Nos baptizamus vos. Item videtur quod possit sie diei, Baptizo te in nomine genitoris et geniti et procedentis ab utroque, quum idem sit sensus. Nee virtus sacramentalis eonsistit in verbis, nisi seeundum quod ad signifieatio-
A nem referuntur : alias non esset alicujus virtutis, nisi tantum in una lingua, quoniam voees non sunt eædem apud omnes. Rursus, apparet quod sufficiat dicere, Baptizo te in nomine Trinitatis : præsertim quum in nomine Trinitatis apertius intelligantur tres personæ quam in nomine Christi. — Et respondendum ad ista, quod unus aetus qui uno agente expleri potest, non progreditur a pluribus agentibus simul : ideo unus baptizans, quum ipse solus baptizare possit, debet signifieare ae-
B tum suum, non ut a pluribus exeuntem, sed ut a se solo; ideo dici non potest, Nos baptizamus. Tamen secundum quosdam dici potest, Ego baptizo vos, si neeessitas adsit; nee est aliqua mutatio formæ quantum ad signifieationem, quia plurale non est nisi singulare geminatum. Potest et alia ratio assignari, quia Baptizo vos, idem est quod Baptizo te et te : ideo per hoc non est mutatio aliqua quantum ad sensum, sed solum quantum ad vocem. Sed, Nos baptizamus, idem est quod ego et ille; non
C autem ego et ego : ideo non omnino est idem. Propter quod qui dieit, Nos baptizamus, nihil facit; qui autem dieit, Baptizo vos, si plures simul baptizaret, baptizatum est; attamen peeeat, nisi ex magna neeessitate id faciat. Quod autem Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, ex familiari fuit eonsilio Spiritus Sancti, nee aliter eis hoc licuisset. Et si modo quis taliter baptizaret, non esset Baptismus, ut communiter dieitur, quamvis quidam dicant eontrarium. Præterea, in nomine Trinitatis
D non exprimuntur ipsæ personæ, sed solus numerus personarum : ideo non sufficit dicere, in nomine Trinitatis; nee esset Baptismus. Nee etiam si dieeretur, In nomine genitoris et geniti, ete. Genitor namque non signifieat personam Patris ut hypostasim subsistentem, ut hoe nomen, Pater, sed per modum actus : ideo non est eadem significatio, si dicatur, in nomine Patris, et, in nomine genitoris. Et idem dieendum de aliis. Quamvis autem non sit eadem vox in Græeo et Latino, tamen est

eadem vocis significatio; atque in qualibet lingua verba illa specialiter pertinent ad formam Baptismi, quæ principalius instituta sunt ad significandum ipsas personas.

De corrupta demum pronuntiatione verborum, sicut ejus qui ex ignorantia Latini sermonis dixit, Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritus Sancta, ut infra narratur, sciendum, quia aut facit ex industria, et sic non videtur intendere quod intendit Ecclesia, et sic non est Baptismus; aut facit hoc ex defectu linguæ seu ignorantia, et tunc dicitur, quod si sit tanta corruptio quod omnino aufert sensum locutionis, non est Baptismus; si autem sensus locutionis remaneat, erit Baptismus. Hocque præcipue accidit, quod sensus non mutatur, quando corruptus sit finis, quia ex parte finis mutatio variat consignificationem, non significationem, ut grammatici dicunt. Mutatio vero ex parte principii variat significationem : unde corruptio talis, maxime si sit magna, sensum locutionis omnino aufert. Porro dum sensus locutionis aliquo modo manet, tunc quamvis mutetur forma quantum ad sonum sensibilem, non tamen mutatur quantum ad significationem. Nam quamvis oratio corrupte prolata, nihil significet ex virtute * impositionis, significat tamen aliquid ex accommodatione usus.

* veritate

Præterea, dum quæritur, an liceat formæ Baptismi aliquid addi aut subtrahi; respondendum, quod de subtractione hoc certum est, quod si subtrahatur aliquid quod sit de essentia formæ, non est Baptismus. Verum aliqui dicunt, quod expressio actus non sit de substantia formæ : ita quod si subtrahatur, sola Trinitatis invocatione facta, erit Baptismus, quamvis peccet ita baptizans. Sed contra est Decretalis Alexandri Papæ tertii asserentis, quod si quis puerum ter in aqua merserit, dicendo, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, si non dicit, Ego baptizo te, talis immersio non facit Baptisma. Oportet enim ut per formam virtus Trinitatis invocatæ ad propositam determinetur materiam,

A quod fit in actus expressione. Similiter expressio personæ baptizatæ est de substantia formæ, quia per eam determinatur actus ad istum Baptismum : ideo si subtrahatur, non erit Baptismus. Expressio autem personæ baptizantis non est (ut fertur) de essentia formæ quantum ad sacramenti necessitatem, sed ex institutione Ecclesiæ, ut intentio magis feratur ad actum illum : ideo si omittatur, erit Baptismus, sed peccat omittens.

Denique de additione duo sunt observanda. B Primum est ex parte addentis : quia si aliquid adderet intendens illud esse de forma, quasi volens per hoc novum ritum adducere, constat quod non intendit formam proferre qua utitur Ecclesia, et ita nec faceret quod facit Ecclesia, ideo non esset Baptismus; secus esset si ex pia causa quid adderet, ut ex devotione quadam. Secundum est ex parte ejus quod additur : quod si sit corruptivum formæ, non est Baptismus, ut si dicatur, In nomine Patris majoris et Filii minoris. Si autem addatur, C Et B. Mariæ, aliqui dicunt non esse Baptismum, quia Baptismus non fit in virtute B. Mariæ; fieret tamen Baptismus si diceretur, Et B. Maria adjuvet puerum istum, vel aliquid tale. Alii probabilius dicunt, quod esset Baptismus, etiam primo modo facta additione : quia secundum Magistrum, in nomine Patris, idem est quod in invocatione Patris. Potest autem in invocatione B. Mariæ fieri Baptismus cum invocatione Trinitatis : non quasi ex virtute ipsius Baptismus efficaciam habeat sicut D ex Trinitatis virtute, sed ut ejus intercessio baptizato proficiat ad salutem. Quidam dicunt tertium attendendum, utpote, quod si fiat additio in principio aut in medio, non est Baptismus ; si autem in fine, est Baptismus. Sed hoc nullam videtur habere rationem. Unde secundum alios, qualitercumque fiat additio non refert, dummodo non sit contraria formæ, et baptizans non intendat mutare ritum Baptismi Ecclesiæ.

Postremo, dum quæritur, an possit fieri

interpositio aut transpositio; respondendum, quod quum forma verborum consistat in tribus, puta in significatione, et integritate verborum, et ordine, dicunt quidam, quod quidquid horum mutetur vel varietur, non erit Baptismus. Sed quoniam formæ sacramentorum sunt quædam fidei professiones, fidem autem non profitentur verba formæ nisi ratione significationis; ideo dicunt alii, quod dummodo servetur intellectus implicite aut explicite, etiam si non adsit integritas vocum nec ordo, erit Baptismus. Sed quoniam sacramentum, quantum ad formam et materiam, ejusdem debet esse significationis*; ideo alii dicunt medio modo, quod requiritur significatio plena, et integra verba quæ sunt de essentia formæ. Si autem ordo, vel aliquid circa verba mutetur, quod non tollit significationem nec integritatem verborum, erit Baptismus. Hinc si fiat tanta interruptio quod intercipiat intentionem baptizantis, non erit una forma, et utraque per se erit imperfecta, nec sufficiet ad Baptismum : ut si dicatur, In nomine Patris, et interponat fabulam longam, deinde dicat, et Filii. Si autem fiat parva interruptio, vel verbi non corrumpentis formam, ut si dicatur, in nomine Patris omnipotentis; aut silentii, aut tussis, quod non discontinuet intentionem ; tunc ab unitate intentionis erit unitas formæ. Constat enim, quod continuitatis forma ex vocibus unitatem habere non valeat, quum oratio sit quantitas discreta. Dicunt autem nonnulli, quod si sit talis ordo qui mutet intellectum, non fit Baptismus : ut si dicatur, In nomine Patris baptizo te, et Filii et Spiritus Sancti ; si vero non mutetur intellectus, Baptismus est. Alii dicunt, quod qualitercumque ordo verborum mutetur, non videtur intellectus mutari : ideo erit Baptismus, quamvis peccet transponens. — Hæc Thomas in Scripto.

* signum

Hæc eadem scribit in tertia parte Summæ, quæstione sexagesima sexta; et scripta ibidem continentur in istis. Similiter scripta Petri et Richardi, itemque Alberti.

A Qui etiam quærit, an pronomen hoc, ego, sit de essentia formæ Baptismi. Respondet : Dicunt quidam quod sic; sed puto quod non sit de essentia, et puto quod potest dimitti, si quis velit, sine magna culpa; securius tamen est quod exprimatur. Hæc Albertus.

Quidquid vero teneatur de hoc, æstimo quod sine grandi culpa omitti non queat scienter et sponte, sicut nec ista conjunctio, enim, in consecratione Eucharistiæ, quam tamen conjunctionem constat non B esse de essentia formæ consecrationis illius. — Quod autem pronomen hoc, ego, non sit de essentia formæ Baptismi, etiam Scotus sentit, et probat per illud, *extra* de Baptismo et ejus effectu, Si quis. Ubi dicit Glossa, quod pronomen hoc, ego, non est de substantia formæ, quoniam plenum sensum generat hæc vox, baptizo, sine pronomine. Iterum argumentum est, de Consecratione, distinctione 4, Retulerunt; ubi dicitur : Si quis dicit, Baptizo te, Baptismus est, si intendit baptizare.

C Denique in his quæ ex Thoma inducta sunt, doctores communiter concordant, Albertus, Bonaventura, Thomas de Argentina, Petrus, Richardus, Durandus, Scotus, et alii. — Durandus tamen affirmat non esse verum Baptismum, si quis jam baptizaret hoc modo, Ego te baptizo in nomine Christi : quia etsi ad tempus licuit taliter baptizare propter rationes et causam prætactam, tamen illa cessante, cessavit hujusmodi forma. — Scotus vero de hoc consultius loqui videtur, dicens se non D audere dicere, quod sub forma illa sit Baptismus, nec oppositum : quia non legi, inquit, ubi fuerit illa dispensatio relaxata, et periculosum videtur in istis aliquid incaute asserere.

p. 107 C'.

QUÆSTIO III

TErtio quæritur, **An sola aqua simplex sit materia sacramenti Baptismatis, et cur hoc.**

Videtur quod non. Primo, quoniam juxta præhabita, sacramentum est materiale elementum; lex autem evangelica perfectissima est : ergo primum ejus sacramentum, quod est Baptismus, debet esse nobilissimum elementum, aut in perfectissimo elemento, quod est ignis, institui. — Secundo, ignis est maxime purgativus; Baptismus autem ad purgandum peccata est institutus. — Tertio, effectus et proprietates ac dispositiones spiritualium rerum ac divinorum potissime designantur per ignem, ut divinus Dionysius protestatur. Unde et Apostolus fatur : Deus noster ignis consumens est. Ergo sacramentum hoc, quod est multarum spiritualium rerum signum, maxime debuit in elemento ignis institui.

Cf. dist. I, q. 1. — De Cœlest. hier. c. xv. — *Hebr.* xii, 29.

Circa hæc scribit Bonaventura : Sacramentum Baptismi est maxime efficax et necessarium inter omnia sacramenta. Efficax, quia in eo character imprimitur, qui animam disponit ad divini luminis susceptionem, quemadmodum transparentia disponit vitrum ad receptionem luminis corporalis; datur quoque gratia mundificans animam in Baptismo, et actus gratiæ ad refrigerandum ardorem concupiscentiæ. Hæc autem oportuit dari in elemento quod sua proprietate multiplici omnia ista designaret, et hoc est aqua, quæ est transparens ac pervia lumini, abluit, mundat. Aqua etiam apud omnes magis habetur in promptu, humanoque corpori convenientius applicatur quam ignis. Et quia lex Moysis lex fuit rigoris et timoris, lex autem Christi lex clementiæ et amoris, convenit evangelicæ legi primum sacramentum Baptismus in refrigerativo dulcique elemento, legi vero Mosaicæ circumcisio cum cultello petrino.

Præterea si quæratur, quando Christus Baptismum instituit; dicendum, quod primo insinuavit ipsum instituendum in Joannis baptismo, et instituendum prædixit in Joanne : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit, etc. *Joann.* III, 5.

A Instituit, ut in Joanne fertur, quum ipse per suos discipulos baptizare exorsus est; confirmavitque institutum facto, quando de latere ejus fluxit sanguis et aqua; et itidem verbo, post resurrectionem suam jubens Apostolis : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, etc. — Hæc Bonaventura in Scripto.

Joann. III, 22. — *Ibid.* XIX, 34. — *Matth.* XXVIII, 19.

Hinc demum in Breviloquio scribit : Quum principium nostrum reparativum, videlicet Verbum incarnatum, tanquam perfectissimum sufficientissimumque principium, B reparare voluerit genus humanum per medicamina sacramentorum, ita quod nihil sit in eis superfluum, nil inordinatum, nil diminutum; ita disposuit Baptismum et alia sacramenta, ut integrarentur secundum quod exigebat sua virtus, nostra salus, et noster morbus. Quumque virtus nos reparans, sit totius superbeatissimæ Trinitatis virtus, quam sancta mater Ecclesia credit in animo, confitetur in verbo, et profitetur in signo, sub trium personarum proprietate, ordine, ac naturali origine; C et etiam virtus passionis Christi, qui fuit mortuus et sepultus, dieque tertia resurrexit : hinc ad horum expressionem, in primo sacramento hoc in quo primo et principaliter virtus hæc operatur, debuit fieri expressio Trinitatis, nominatione distincta, quantum est de forma communi. Debuit etiam fieri expressio actus baptizandi cum trina immersione, ad expressionem mortis Christi, et sepulturæ, ac resurrectionis post triduum. Rursus, quoniam salus nostra requirebat inchoari per D regenerationem seu renovationem in esse gratiæ conferentis esse spirituale, abstergendo immunditiam, effugando caliginem, refrigerando concupiscentiam, quæ labefactat omnem communiter hominem : hinc decuit exhiberi hoc sacramentum in elemento habente conformitatem, ex naturali repræsentatione, ad triplicem istum effectum gratiæ inchoantis nostram salutem. Quumque aqua sua puritate mundet, sua pervietate deferat lucem, et sua frigiditate refrigeret concupiscentiæ ignem, ac inter

omnia liquida maxime sit communis : hinc A sacramentum hoc in aqua convenientissime est institutum. Hæc idem ibi.

In idem redit quod asserit Thomas : Ex institutione (dicens) divina congruentissimum est Baptismum conferri in aqua. Primo, quoniam aqua ratione suæ diaphaneitatis aliquid habet de lumine : sicque convenit Baptismo, qui habet vim illuminativam secundum quod in eo gratia datur. Secundo, quoniam aqua ratione suæ humiditatis habet vim ablutivam : ideo competit Baptismo, in quo sordes culpæ B mundantur. Tertio, quia ratione suæ frigiditatis habet vim refrigerativam, competitque Baptismo, in quo incendium fomitis mitigatur. Quarto, quia ut septimo de Animalibus dicitur, aqua maxime convenit generationi et augmentationi viventium, propter quod in principio mundi animalia ex aqua primitus sunt producta : unde convenit Baptismo, qui est spiritualis regeneratio. Quinto, quoniam aqua in cunctis mundi finibus invenitur. Sexto, quia faciliter et sine pretio potest acquiri : C ideo convenit Baptismo, quod est generalissimum et maxime necessarium sacramentum.

Insuper, dum quæritur, an fieri debeat in simplici aqua ; dicendum, quod mixtio aquæ potest esse duplex. Una, quæ tollit speciem aquæ : sicut dum per putrefactionem aut digestionem transit in aliam speciem. Alia, quæ speciem ejus non tollit : ut dum modicum alterius rei ei miscetur. Itaque in aqua primo modo mixta fieri nequit Baptismus, quia non permanet ve- D ra aqua ; sed in aqua secundo modo mixta. Ut autem sciatur quando aqua sit ita vel ita mixta, pensandum, quod sicut diversitatem speciei in animalibus judicamus ex diversitate figurarum, ita diversitatem specificam in elementis cognoscimus ex diversitate rari et densi : hinc si fiat tanta alteratio sive permixtio aquæ, quod recedatur a termino raritatis et densitatis aquæ, in actu vel in potentia, signum est quod sit species aquæ transmutata. Et dico, in potentia, quando aliquis humor non condensatur et rarefit calido vel frigido, sicut aqua ; sed aliter, ut patet in oleo, vino et lacte. Denique, de lixivio aliqui dicunt, quod speciem aquæ amisit, ideoque Baptismi materia esse non possit. Sed hoc non videtur, quia eadem ratione aqua transiens per mineras sulfureas et terras combustas, materia Baptismi esse non posset : quod falsum est. Lixivium enim ab alia aqua non differt, nisi in hoc quod per cineres transiit. Idcirco videtur dicendum, quod Baptismus in lixivio fieri potest sicut in aquis sulfureis, atque in aliis aquis quæ ex terra per quam transeunt aut exeunt, immutantur.

Quæritur quoque, an in qualibet aqua simplici fieri queat Baptismus. Et respondendum, quod aquarum diversitas quæ est per diversos situs et loca, est accidentalis, idcirco non mutat speciem aquæ : ideo in qualibet aqua tali, videlicet maris, fluminis, cisternæ, fontis et stagni, fieri potest Baptismus. Porro Salvator tangendo in sui baptizatione aquas Jordanis, non illis tantum, sed toti speciei aquæ regenerativam vim contulit, instituendo eam instrumentum Baptismi. In aqua quoque paludis potest dari Baptismus, nisi in tantum esset ingrossata, quod a vera aquæ raritate recederet, ut si exsisteret lutum. — Hæc Thomas in Scripto.

De his etiam scribit in tertia parte, quæstione sexagesima sexta, et addit : Aqua art. 4. suam puritatem et simplicitatem amittere potest dupliciter : primo, per commixtionem alterius corporis ; secundo, per alterationem. Quorum utrumque contingit dupliciter, utpote per artem et per naturam. Ars vero deficit ab operatione naturæ, quia natura dat formam substantialem, ars accidentalem, quamvis applicando activa et passiva ad invicem, dispositive cooperetur ad substantialis formæ productionem. Quacumque ergo transmutatione circa aquam facta per artem commiscendo seu alterando, non transmutatur species aquæ. Ideo in tali fieri valet Bapti-

smus : nisi forte aqua misceatur per artem A
in quantitate tam parva alicui corpori,
quod compositum magis sit aliud quam
aqua, sicut lutum magis est terra quam
aqua, et vinum lymphatum magis est vi-
num quam aqua. Transmutatio vero quæ
fit a natura, interdum speciem solvit aquæ :
sicut dum aqua fit de substantia corporis
mixti. Aliquando autem fit per naturam
transmutatio aquæ sine suæ naturæ speci-
ficæ dissolutione, ut patet de aqua cale-
facta a sole. Et in qualibet aqua quali-
tercumque transmutata sine suæ naturæ B
corruptione, Baptismus fieri valet, non in
aliis. Admixtio autem chrismatis non sol-
vit speciem aquæ. Porro, si ex luto aut
alio ingrossato et inspissato exprimatur
aqua subtilis, fieri potest in ea Baptismus;
consimiliter in lixivio et aquis sulfureis,
quia non incorporantur corporibus mixtis,
sed solum alterationem quamdam sortiun-
tur transeundo per corpora quædam. Aqua
vero rosacea est liquor rosæ resolutus :
idcirco in ea fieri nequit Baptismus, quem-
admodum nec in aquis alchimicis; sed in C
pluvialibus aquis, quoniam nullam pro-
prietatem retinent alicujus corporis mixti :
quod de aquis rosaceis et alchimicis dici
non potest. Hæc in Summa. — Eadem
Petrus.

Consonatque Richardus, et addit : Nihil
aliud ab aqua est materia Baptismi, com-
prehendendo sub aqua ablutionem quæ fit
in aqua (quæ ablutio est materia proxi-
ma), et loquendo de baptismo fluminis,
prout distinguitur a baptismo flaminis et
sanguinis. Materia enim sacramenti natu- D
ralem debet habere similitudinem ad re-
præsentandum effectus sacramenti, etc.
— Sciscitatur quoque Richardus, an aqua
artificialis sit conveniens Baptismi mate-
ria. Videtur quod imo de aqua rosacea,
quæ non est quid mixtum, quoniam omne
mixtum est grossius quacumque aqua na-
turali. Aqua autem rosacea non est gros-
sior aqua qualibet naturali. In oppositum
est quod quarto Meteororum ait Philo-
sophus : Sciant artifices alchimiæ, spe-
cies rerum vere permutari non posse.
Ergo de re quæ est alterius speciei ab
aqua, non potest fieri species aquæ. Di-
cendum, quod nulla artificialis aqua est
Baptismi materia, quia in aqua naturali
dumtaxat instituit eum Christus. Nec aqua
rosacea est veri nominis aqua. Nempe ut
tertio libro loquitur Damascenus, natura
rei per propriam cognoscitur actionem.
Naturalis autem actio aquæ rosaceæ alia
est a naturali actione aquæ veræ ac natu-
ralis, quoniam naturalis aqua etiam effe-
ctive est humida; aqua vero rosacea cor-
pus exsiccat et constringit, et in sapore ac
odore ab aqua distinguitur naturali; sua
quoque frigiditas ac perspicuitas alterius
modi sunt quam perspicuitas et frigiditas
aquæ naturalis, quamvis hoc non semper
sensu percipiatur. Est etiam composita ex
quatuor elementis, et in substantia gros-
sior est quacumque aqua naturali, si hæc
separata exstiterit ab omnibus partibus cu-
juslibet alterius elementi, quamvis propter
admixtionem suam cum terreis partibus
sit in aliqua parte sua grossior quam aqua
rosacea. Hæc Richardus.

Albertus demum prædictis consentit, eo
quod de lixivio dictum est, dempto. In
aqua (inquiens) mixta ubi solvitur spe-
cies aquæ, fieri nequit Baptismus, sicut
est brodium pinguium vel aliorum, quod
infrigidatum congelatur. Et constat, quod
cervisia et urina, et lixivia quædam quæ
multam habet admixtionem corporum acu-
torum, et aquæ quas faciunt alchimistæ
ad mutanda metalla, hujusmodi sunt. Ve-
rumtamen si esset brodium non remotum
a specie elementi, ex hoc quod coctum
est, bene crederem in eo fieri posse Ba-
ptisma. — Hæc Albertus. Cujus dictum de
lixivio, concordari potest cum verbis Tho-
mæ, de lixiviis distinguendo, prout in ver-
bis Alberti insinuatur.

Præterea, contra dicta objicitur de aqua
quæ fluxit tempore passionis de latere
Christi, et fuit significativa Baptismi; non
tamen videtur fuisse aqua pura, quum in
corpore mixto non sit hujusmodi aqua. —

Ad hæc Thomas respondet : Aqua fluens A de latere Christi pendentis in cruce, non fuit humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, quia in tali humore fieri non posset Baptismus, quemadmodum nec in sanguine animalis, neque in vino nec in aliquo humore alicujus plantæ; sed fuit aqua pura, miraculose progrediens a corpore mortuo sicut et sanguis, ad comprobandum veritatem dominici corporis contra Manichæorum errorem, quatenus per aquam ostenderetur vere compositum ex quatuor elementis, et per sanguinem ex quatuor B humoribus. Hæc in tertia parte, quæstione art. 4. sexagesima sexta.

Scotus item concordat inductis et dictis ex Richardo de aqua rosacea, quam non esse univoce aquam probat, quia aquæ artificiales a tota sua specie habent aliquam qualitatem dissimilem aquæ elementari. Idem patet ex generatione istarum. Impossibile namque est toti naturæ creatæ ex uno aliud generare, nisi servando determinatum processum per media determinata. Tota enim natura creata non posset C ex aceto producere vinum immediate et statim, sed oportet redire ad primam materiam eis communem, quæ est aqua, estque attracta in stipite vitis, ut tandem in uva convertatur in vinum. Et hæc est doctrina Philosophi octavo Metaphysicæ. Et patet ad sensum, quod ita est. Aquæ autem artificiales ex quocumque sint, fiunt non servato naturæ processu per media determinata ordinata. Si autem de aliquibus dubium sit, an in eis sit factus verus Baptismus, utendum est tribus ma- D ximis istis. Prima est, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda, si non adest possibilitas, via proxima tutissimæ est tenenda. Tertia, cessante impossibilitate, caute est supplendum quod impossibilitas prohibebat. Hæc Scotus.

Præterea de proprietatibus aquæ propter quas convenientissima materia est Baptismi, scribit Guillelmus in suo Sacramentali : Aquæ sunt septem proprietates et operationes, quibus aquæ vivæ, id est gratiæ sanctæ Sancti Spiritus, comparatur. Prima est ablutio sordium. Secunda exstinctio ardorum. Tertia est submersio, qua necantur et suffocantur quæ vivere nequeunt nisi in sicco. Ita in aqua Baptismi contribulantur capita draconum, id est capitalia vitia infernalium potestatum, originale quoque peccatum, et brutalitas in qua nascimur. Quarta est generativa fecunditas : nam et terræ nascentia sine aquis nequeunt germinare. Quinta est renovatio rerum, quæ ex aquarum irrigatione aut superinfusione innovantur, ut in salicibus cernimus, quæ postquam aruerunt, renovantur per pluvias. Propter quod in Job fertur : Si senuerit in terra radix ejus, et *Job* XIV, 8, 9. in pulvere mortuus fuerit truncus ejus, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi quum primum plantatum est. Merito ergo sacramentum regenerationis et renovationis est in aqua, atque per aquam fit. Sexta operatio est conglutinatio rerum, et congregatio a dispersione, et unitio a divisione, ut patet in pulvere dum aqua perfunditur. Sic aqua Baptismi fideles quasi in unam massam et in unum mysticum corpus conglutinat. Septima operatio est emollitio. Quemadmodum enim terra siccitate indurata, superfusione aquæ mollitur ac apta efficitur ad formas vasorum et impressiones characterum ; sic cor humanum originali ariditate duratum, adspersione aquæ baptismalis ad informationem gratiæ disponitur, verbo Dei aperitur, impressionemque suscipit supernorum charismatum. Hæc Guillelmus.

QUÆSTIO IV

Quarto quæritur, **An immersio in aquam sit de necessitate Baptismi, et quota requiratur.**

Videtur quod necessaria sit. Primo, quoniam tota caro origiuali peccato infecta est : ergo tota immergenda est aquæ. — Secundo, quoniam per Baptismum Chri-

sto configuramur propter nos passo et A sepulto. Christus autem toto corpore passus est, et sub terra in sepulcro absconditus. Ergo et baptizandus totus debet in unda Baptismi immergi, et quasi abscondi, protinusque educi.

In contrarium est, quod in quibusdam Ecclesiis datur Baptismus per solam adspersionem, sicut et quidam Sancti quosdam baptizasse leguntur, urceum aquæ capiti superinfundendo.

Ad hæc Albertus : Inter omnes (inquit) B consuetudines rationabilior est consuetudo Romanæ Ecclesiæ, quæ ter immergit, quia in illa consuetudine actus conformatur formæ sepulturæ, effectuique Baptismi. Nempe (ut asserit Augustinus) una sua morte Christus nos a morte duplici liberavit, utpote culpæ et pœnæ æternæ, seu corporis et animæ : quamvis etenim corpus moriatur, tamen in morte detineri non potest. Si tamen semel tantum immergatur, puto corrigendum esse baptizantem; sed puer nequaquam est rebaptizandus, quoniam C plenum habet Baptismatis sacramentum. Itaque actus debet formæ correspondere, quia in forma Baptismi exprimitur unitas essentiæ, quum profertur, In nomine : cui unitati correspondet in figura unitas Baptismi; trinitati quoque personarum correspondere debet trinitas immersionum, quæ etiam correspondet triduo sepulturæ. Hinc Chrysostomus in homilia super Joannem : Triplex, inquit, fit immersio, ut discas quoniam Patris et Filii et Spiritus Sancti virtus hæc omnia implet. Damasce- D nus quoque libro quarto, capitulo primo, contestatur : Quoniam typus mortis Christi est Baptismus, per tres immersiones tres sepulturæ dies designantur. Sed et divinus et sanctus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia, secundo ait capitulo : Sacra baptizandorum symbolica doctrina mystice docet, tribus in aqua demersionibus et elevationibus divinam triduo sepulturam Jesu signari. Et de hoc Magister in textu plura testimonia adducit.

Verum tunc quæritur de rationibus Ecclesiarum semel tantum immergentium, et cur quædam Ecclesiæ non immergunt, imo semel aut bis baptizandum aqua perfundunt. Insuper aliqui sacerdotes dividunt invocationem Trinitatis secundum numerum immersionum, dicentes in prima immersione, In nomine Patris, et in secunda, In nomine Filii, et in tertia, In nomine Spiritus Sancti. — Et quæritur, an homo sit baptizatus, si prima immersione facta, decedat ante secundam. Videtur quod non, quoniam non est baptizatus secundum formam veram Baptismi a Christo donatam. Dicendum, quod forma non est taliter dividenda, sed continue pronuntianda ad vitandum puerorum periculum. Si tamen eam quis dividat, et parvulus moriatur Patre nominato, ac una immersione completa, dico quod baptizatus est, quoniam supplet tunc summus Sacerdos quod minister explere non potuit. Idem puto dicendum, si Patre nominato, moriatur sacerdos. Insuper dico, quod perfundentes baptizandum aqua per totum corpus, vel quando potior pars, id est caput, immergitur et tingitur aquis, homo sic baptizatur; sed non videtur mihi consuetudo laudabilis. — Porro, quod quidam quærunt, an in balneo fiat Baptismus, aut in calida aqua, constat quod imo : quin imo si sacerdotes facerent moderate calefieri aquam, melius esset, quia interdum parvuli penetrantur sic frigore aquæ, quod mortales contrahunt infirmitates ac moriuntur. — Hæc Albertus.

At vero Thomas circa hæc rationabiliter scribit : Baptismus ablutionem importat. Ablutio autem per aquam fieri potest non tantum immersione, sed etiam adspersione et effusione. Hinc utroque modo fieri potest Baptismus. Et apparet quod Apostoli taliter baptizaverint, quum leguntur una die tria millia, et altera die quinque millia *Act.* II, 41; IV, 4. baptizati. Ideo quando Ecclesiæ consuetudo patitur, necessitasve incumbit propter defectum aquæ, seu propter periculum pueri de cujus morte timetur, aut propter

imbecillitatem sacerdotis puerum sustentare non valentis, potest Baptismus sine immersione celebrari. Verumtamen congruentissime fit trina immersio propter rationes prætactas. Est quoque una totalis ablutio : sicut et in ablutionibus pure materialibus videmus aliqua frequenter in aquas demergi antequam eorum ablutio compleatur. Et hoc unitas intentionis in tribus immersionibus illis facit. Iterum, quum trina immersio non fiat ad significandum rem in sacramento contentam, quam oportet per materiam et usum sacramenti significari, sed significet rem significatam non contentam, quæ significatio non est principalis; ideo trina immersio non est de sacramenti necessitate. Si tamen omittatur contra consuetudinem Ecclesiæ, graviter peccat ita omittens : idcirco per canones pœna adhibetur. Quumque unitas intentionis in tribus immersionibus faciat unitatem Baptismi : hinc dum baptizans intendit ter immergere, prima immersio non terminat ejus intentionem, et per consequens nec esse Baptismi completur, nec per illam solam habet effectum, nisi per ordinem ad alias; unde nec aliæ superfluunt. Si autem unam solam intendit facere immersionem, illa sola complet Baptismum, intentionem terminans baptizantis. Hæc Thomas in Scripto. — Eadem scribit in tertia parte, quæstione sexagesima sexta. Idem Petrus.

Richardus vero addit : In his observanda est consuetudo Ecclesiæ. Ubi enim consuetum est baptizare immergendo, graviter peccat aliter baptizans, nisi quando necessitas imminet aliter agendi. Quæ potest imminere ex debilitate baptizantis, si non adsit alius qui supplere velit ac possit actum baptizandi secundum consuetudinem illius Ecclesiæ; et item ex baptizandi infirmitate, aut quoniam totus natus non est ex utero, seu ex sufficientis aquæ penuria. Ubi autem consuetudo Ecclesiæ est baptizare non immergendo, ibi ita servandum est. Si autem totum corpus ablui nequeat, abluendum est caput tanquam

A principalior pars, potissime facies, quia in ea vigent sensus, atque post caput pectus, quoniam sedes cordis est quasi in pectore; si tamen ambæ hæ partes ablui non valerent, magis abluenda est facies, quia in ea manifestiores sunt animæ operationes. Unde credo, quod si caput infantuli baptizetur antequam alia pars egrediatur (quod aliquando est agendum propter mortis periculum), puer sit baptizatus. Si vero manus aut pes abluatur antequam aliqua alia pars egrediatur, dicunt nonnul-
B li, quod puer sit baptizatus, quoniam anima est in qualibet parte corporis tota. Communius tamen tenetur, quod de lege communi non esset baptizatus, quamvis forsitan pietas Dei in tali casu suppleret. Hinc mortis periculo imminente, semper abluenda est illa pars corporis pueri quæ ablui potest. — Amplius, servanda est consuetudo Ecclesiæ quantum ad numerum immersionum ; convenientior tamen est consuetudo trinæ immersionis, ob causas prætactas. Insuper sacerdos puerum debet
C tenere per latera, et versa facie ad aquam debet immergere : primo ita, quod habeat caput versus orientem, secundo versus aquilonem, tertio versus meridiem, ad significandum reformationem totius imaginis. Quæ initiatur per fidem in rationali, quod significat conversio capitis pueri ad orientem, a qua parte est origo illuminationis hemisphærii nostri, et initium motus cœli, sicut a dextra ejus; et promovetur per spem in irascibili, quod significat conversio capitis pueri ad aquilonem, ubi per
D quamdam similitudinem dicitur esse quasi pes cœli, et in hoc repræsentat soliditatem irascibilis per spem; ubi etiam (secundum Philosophum secundo Meteororum) mare est altius, et designat elevationem irascibilis per spem ; consummaturque prædicta reformatio per caritatem in concupiscibili, quod repræsentat conversio capitis pueri ad meridiem, ubi et unde est magna caliditas, atque superius cœli, secundum Philosophum secundo Cœli. Nulla vero trium immersionum fieri debet verso capite

pueri ad occidentem, quia ibi est occasus luminis, et sinistra cœli, secundum Philosophum secundo Cœli. Hæc Richardus.

Amplius, circa distinctionem hanc quidam doctores quærunt, quid fuerit vis illa regenerativa quam Christus tactu suæ mundissimæ carnis contulit aquis, et de cessatione legalium, et quando institutus fuit et obligare incepit Christi Baptismus, et cur circumcisioni successit, et an eam evacuavit. De quibus pertranseo, quoniam supra de ipsis tractatum est. Et sicut Bonaventura tenuit prima distinctione de sacramento in generali, quod vis eis collata, non sit nisi adsistentia potestatis divinæ, et ordinatio eorumdem ad sacramentales effectus; ita hic tenet de Baptismo in speciali : quemadmodum etiam supra, pro confirmatione suæ opinionis induxit, quod dominus Guillelmus Parisiensis approbavit determinationem magistri Alexandri de Hales taliter sentientis. Et ipse Guillelmus in suo tractatu sacramentali de Baptismo testatur et sentit, dicendo : Si quæsieris, an sanctificatio ex aqua sit; dicendum quod non, sed a solo Deo auctore et datore, qui invocatus ad hoc adest atque adsistit, operaturque intus ad similitudinem et proportionem ejus quod aqua operatur exterius. Et verba ista, Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, invocatio sunt summæ et supergloriosissimæ Trinitatis, et hoc per informationem et insinuationem, ac si diceret : Baptizo te, nominatim invocatis Patre et Filio et Spiritu Sancto ad sanctificandum te. Alii intellexerunt, in nomine, id est virtute vel ex parte et auctoritate Patris et Filii, etc. Hæc Guillelmus.

A

dist. I, q. 4, et q. 8.

dist. I, q. 4, p. 56 D'.

B

De cessatione demum legalium, et specialiter circumcisionis, Scotus scribit hic diffuse et bene, sequens positionem quam et S. Thomas aliique communiter. — Quod autem opinio illa Guillelmi, Alexandri ac Bonaventuræ videatur dictis Sanctorum minus consonare quam aliorum positio, ostensum est supra. p. 59 D, 61 D.

DISTINCTIO IV

A. *Quod alii suscipiunt sacramentum et rem, alii sacramentum et non rem, alii rem et non sacramentum.*

Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 5.

HIC dicendum est, aliquos suscipere sacramentum et rem sacramenti, aliquos sacramentum et non rem, aliquos rem et non sacramentum. Sacramentum et rem simul suscipiunt omnes parvuli, qui in Baptismo ab originali mundantur peccato ; quamvis quidam diffiteantur, illis qui perituri sunt parvulis in Baptismo dimitti peccata, innitentes illi verbo Augustini, Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant : non intelligentes illud ita esse accipiendum, quia quum in aliis efficiant sacramenta remissionem, non hoc eis faciunt ad salutem, sed solis electis. Nam quod omnibus parvulis in Baptismo remittatur peccatum per Baptismum, Augustinus evidenter dicit : A parvulo, inquit, recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a Baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in Baptismo ; sed parvuli tantum originali, majores vero etiam omnibus quæ male vivendo addiderunt ad illud, nisi enormitas vitæ impediat, id est fictio. Adulti quoque qui cum fide baptizantur, sacramentum et rem suscipiunt.

Cf. Aug. de Peccat. meritis, lib. II, c. 27.

Id. Enchirid. c. 43.

B. *De ficte accedentibus.*

Qui vero sine fide vel ficte accedunt, sacramentum, non rem suscipiunt. Unde Hieronymus : Sunt lavacra gentilium, hæreticorum, sed non lavant ad salutem. In Ecclesia etiam qui non plena fide accipiunt Baptisma, non Spiritum, sed aquam suscipiunt. Augustinus etiam ait : Judæis omnibus communia erant sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quæ est virtus sacramentorum ; ita et nunc communis est Baptismus omnibus baptizatis, sed non virtus Baptismi, id est ipsa gratia. Item : Omnis qui jam suæ voluntatis arbiter constitutus est, quum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, quum baptizantur, soli parvuli immunes sunt. His aliisque testimoniis aperte ostenditur, adultis sine fide et pœnitentia vera in Baptismo non conferri gratiam remissionis : quia nec parvulis sine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in Baptismo remissio. Si quis ergo ficte accedit, non habens veram cordis contritionem, sacramentum sine re accipit. — Videtur tamen Augustinus dicere, quod etiam ficte accedenti, qui etiam habet odium fraternum, in ipso momento quo baptizatur omnia condonentur peccata, et post Baptismum mox redeant; sed non hoc asserendo dicit, imo hanc opinionem et præmissam sententiam conferendo. Ait enim sic : His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur, quia Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum ; aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa, iterum per fictionem replicantur, ut etiam illud verum sit, Quotquot in Christo baptizati estis, etc., et illud, Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum : ut induat eum Christum sanctitas Baptismi, et exuat eum Christum pernicies fictionis. Nam redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, aperte Dominus docet etiam in illo servo a quo dominus dimissum debitum petiit, quia ille conservo dimittere noluit. Sic non impeditur Baptismi gratia quominus omnia peccata dimittantur, etiam si fraternum odium in ejus cui dimittuntur animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies et quidquid superest; et solvitur etiam ipsa hora momentumque ante Baptismum et in Baptismo. Deinceps autem continuo reus incipit esse, non solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt. — Hoc autem, ut prædiximus, non sub assertione dixit. Quod ostenditur ex eo quod ait in eodem libro sic : Si ad Baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa ? Eligant quod voluerint. Ecce aperte cernis, si tamen attendis, id dixisse Augustinum non asserendo, sed quærendo et aliorum opinionem referendo. Idem enim ait : Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, quum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Non ergo ficte accedenti peccata dimittuntur.

Hier. in Ezech. XVI, 4. Aug. in ps. 77, n. 2. Id. Sermo 351, n. 2. Id. de Bapt. contra Donat. lib. I, n. 19. *Sap.* I, 5. *Galat.* III, 27. Aug. op. cit. n. 20. *Matth.* XVIII, 34. Aug. op. cit. n. 18. Ibidem.

C. *Quomodo intelligatur illud, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 5. Galat. III, 27.

Quæritur ergo, quomodo illud accipiatur : Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Potest dici, quod qui in Christo, id est in Christi conformitate, baptizantur, scilicet ut moriantur vetustati peccati, sicut Christus vetustati pœnæ, induunt Christum, quem per gratiam inhabitantem habent. Potest et aliter solvi. Duobus enim modis Christum induere dicimur, vel assumptione sacramenti, vel rei perceptione. Unde Augustinus : Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando usque ad vitæ sanctificationem; atque illud primum bonis et malis potest esse commune, hoc autem est proprium bonorum et piorum. Omnes ergo qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt vel secundum sacramenti perceptionem, vel secundum vitæ sanctificationem.

Aug. de Bapt. contra Donat. lib. v, n. 34.

D. *De illis qui suscipiunt rem, et non sacramentum.*

Hugo, ubi supra.

Sunt et alii, ut supra posuimus, qui suscipiunt rem, et non sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Jesu, etsi non sacramentum, rem tamen accipiunt. Unde Augustinus : Quicumque non percepto regenerationis lavacro, pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismi. Audistis, quod passio pro Christi nomine suscepta, supplet vicem Baptismi. — Nec tantum passio vicem Baptismi implet, sed etiam fides et contritio, ubi necessitas excludit sacramentum, sicut aperte docet Augustinus dicens : Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso, B. Cyprianus in libro quarto de Baptismo non leve documentum assumit. Quod etiam atque etiam ego considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi, in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim ille latro pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credit. Quantum ergo fides valeat sine visibilis * Baptismi sacramento (quod Apostolus ait, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem), in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, quum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et Baptismus quidem potest esse, ubi conversio cordis defuerit; conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest. Nec ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, quum Dei sacramentum contemnitur. Ecce hic habes non solum passionem, sed etiam fidem et contritionem conferre remissionem, ubi non contemnitur sacramentum, ut in latrone illo ostenditur, qui non per passionem, sed per fidem salvatus est sine Baptismo. — Sed dicunt quidam hoc retractasse Augustinum. Retractavit quidem exemplum, sed non

Aug. de Civit. Dei, lib. XIII, c. 7.
Id. de Bapt. contra Donat. lib. IV, n. 29.
Luc. XXIII, 43.
* alias visibili
Rom. X, 10.
Aug. op. cit. n. 32.
Id. Retract. lib. II, c. 18.

sententiam. Ait enim : In quarto libro de Baptismo, quum dicerem vicem Baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum, quia utrum non fuerit baptizatus, incertum est. Constat ergo, sine Baptismo aliquos justificari et salvari. Unde Ambrosius de Valentiniano : Ventrem meum doleo, ut prophetico utar eloquio, quia quem regeneraturus eram, amisi; verumtamen gratiam quam ille poposcit, non amisit. Ambr. de Obitu Valent. n. 29, 30. *Jer.* IV, 19.

E. *Quæ videntur obviare prædictis.*

His autem videtur obviare quod Dominus dicit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum cœlorum. Quod si generaliter verum est, non videntur esse vera superius posita. Sed illud intelligendum est de illis qui possunt et contemnunt baptizari; vel ita intelligendum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, id est ex ea regeneratione quæ fit per aquam et Spiritum Sanctum, non salvabitur. Illa autem regeneratio fit non tantum per Baptismum, sed etiam per pœnitentiam et sanguinem. Unde auctoritas dicit, ideo Apostolum pluraliter dixisse fundamentum baptismatum, quia est baptismus in aqua, in sanguine, in pœnitentia. Hoc autem non ideo dicit, quod sacramentum Baptismi fiat non nisi in aqua, sed quia ipsius virtus, id est sanctificatio, datur non modo per aquam, sed per sanguinem vel pœnitentiam interius. Ratio etiam id suadet. Si enim non valentibus credere parvulis sufficit Baptismus, multo magis sufficit fides adultis volentibus sed non valentibus baptizari. Unde Augustinus : Quæris, quid sit majus, fides an aqua; non dubito quin respondeam, Fides. Si ergo quod minus est, sanctificare potest, nonne quod majus est, id est fides, de qua Christus ait, Qui crediderit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet? — Sed dicunt aliqui, nullum adultum in Christum credere vel caritatem habere sine Baptismo, nisi sanguinem fundat pro Domino, subdita introducentes testimonia. Augustinus ait : Ex illo tempore quo Salvator dixit, Nisi quis renatus fuerit, etc., absque sacramento Baptismi, præter eos qui in Ecclesia sanguinem fundunt, aliquis vitam æternam accipere non potest. Item : Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota sacramenta Baptismi complentur. Item : Baptizatis tantum iter salutis esse credimus. Sed quod in his minus dixit, in aliis capitulis supra positis supplevit. Et ideo hæc sic intelligenda sunt, ut illi soli habentes tempus baptizandi, excipiantur. Si enim aliquis habens fidem et caritatem, voluerit baptizari, et non valet necessitate præventus, supplet Omnipotentis benignitas quod sacramento defuerat. Dum enim solvere potest, nisi solvat, tenetur; sed quum jam non potest, et tamen vult, non imputat ei Deus, qui suam potentiam sacramentis non alligavit. — Quod vero invisibilis sanctificatio sine visibili sacramento quibusdam insit, aperte Augustinus tradit super Leviticum, dicens invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis; visibilem vero sanctificationem quæ fit sacramento visibili, sine invisibili posse adesse, non

Hugo, de Sacram. lib. II, p. I, c. 7. *Joann.* III, 5.

S. Bruno, in Hebr. VI, 2; Lyra, ibid. *Hebr.* VI, 1, 2.

Hugo, op. cit. lib. I, p. IX, c. 5.

Joann. XI, 25.

Fulgent. de Fide ad Petrum, n. 43.

Gennad. de Eccles. dogm. c. 41.

Ibidem.

Aug. Quæst. in Heptateuch. lib. III, q. 84.

posse prodesse. Nec tamen visibile sacramentum ideo contemnendum est, quia contemptor ejus invisibiliter sanctificari non potest. Hinc Cornelius et qui cum eo erant, jam Spiritu sanctificati, baptizati sunt. Nec superflua judicanda est sanctificatio visibilis quia invisibilis præcessit. Sine visibili ergo invisibilis sanctificatio esse potest et prodesse; visibilis autem quæ fit sacramento tenus, sine invisibili prodesse non potest, quum illa sit omnis illius utilitas. Simoni mago visibilis Baptismus non profuit, quia invisibilis non adfuit; sed quibus invisibilis adfuit, profuit. Nec tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Ecclesiæ sine sacramento, qui si absque Baptismo fuerint defuncti, etiam quum deferuntur ad Baptismum, damnabuntur, sicut multis Sanctorum auctoritatibus comprobatur. Ad quod hoc unum sufficiat Augustini : Firmissime tene, parvulos qui vel in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, vel de matribus nati, sine sacramento Baptismi de hoc sæculo transeunt, æterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccata non habuerunt, originale tamen peccatum traxerunt carnali concupiscentiæ conceptione. Et sicut parvuli qui sine Baptismo moriuntur, infidelium adscribuntur numero; ita qui baptizantur, fideles dicuntur, qui a fidelium consortio non separantur, quum orat Ecclesia pro fidelibus defunctis. Fideles ergo sunt non propter virtutem, sed fidei sacramentum. Unde ait Augustinus : Parvulum, etsi nondum fides illa quæ etiam in credentium voluntate consistit, jam tamen fidei ipsius sacramentum, id est Baptismus, fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei percipiendo sacramentum.

Act. x, 44, 48. — *Ibid.* viii, 13, 18-24. — Fulgent. de Fide ad Petrum, n. 70. — Aug. Epist. 98, n. 10.

F. *Quid prosit Baptismus his qui cum fide accedunt.*

Solet etiam quæri de illis qui jam sanctificati Spiritu, cum fide et caritate ad Baptismum accedunt, quid eis conferat Baptismus. Nihil enim eis videtur præstare, quum per fidem et contritionem jam remissis peccatis, justificati sunt. Ad quod sane dici potest, eos quidem per fidem et contritionem justificatos, id est a macula peccati purgatos et a debito æternæ pœnæ absolutos, tamen adhuc teneri satisfactione temporali qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Quum autem Baptismum percipiunt, et a peccatis, si qua interim post conversionem contraxerunt, mundantur, et ab exteriori satisfactione absolvuntur, et adjutrix gratia omnisque virtus in eo augetur, ut vere novus homo tunc dici possit. Fomes quoque peccati in eo magis debilitatur. Ideo Hieronymus dicit, quod fides quæ fideles facit, in aquis Baptismi datur vel nutritur : quia non habenti aliquando ibi datur, et jam habenti, ut plenius habeat datur. Sic et de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior, et omni habenti, ibi amplius datur. Quod vero omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius ostendit super illum locum, Sine pœnitentia sunt dona Dei et vocatio, dicens : Gratia Dei in Baptismo non requirit gemitum vel planctum vel aliquod opus, sed et omnia gratis condonat. Quod quidem de exteriori gemitu vel planctu

Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 7. — *Rom.* xi, 29. — Ambrosiast. in Rom. xi, 29.

accipiendum est : nam sine interiori nemo adultus renovatur; sed exteriores satisfactiones et afflictiones, scilicet sordes pœnitentium, ibi dimittuntur. Multum ergo confert Baptismus, etiam jam per fidem justificato, quia accedens ad Baptismum quasi ramus a columba portatur in arcam : qui ante intus erat judicio Dei, sed *Gen.* VIII, 11.
nunc etiam judicio Ecclesiæ intus est. Quum vero in Baptismo peccatum deleatur, et satisfactio exterior non imputetur; quæritur, cur pœnalitas cui pro peccato addicti sumus, non tollatur. Hoc ideo tradunt viri sancti, quia si a pœna homines per Isid. Sent. lib. I, c. 22, n. 3.
Baptismum liberarentur, ipsam putarent Baptismi pretium, non æternum regnum. Ideo soluto reatu peccati, temporalis pœna tamen manet, ut illa vita studiosius quæratur quæ erit a pœnis omnibus aliena. Ideo etiam manet, ut sit fideli et certandi materia et vincendi occasio : qui non vinceret, si non pugnaret; nec pugnaret, si in Baptismo fieret immortalis.

G. *Cujus rei Baptismus qui datur jam justo, sit sacramentum.*

Si quæritur, cujus rei Baptismus ille sit sacramentum qui datur jam justo ; dicimus, sacramentum esse et rei quæ præcessit, id est remissionis ante per fidem datæ, et remissionis temporalis pœnæ, sive peccati (si habetur quod interim committitur), et novitatis ac omnis gratiæ ibi præstitæ. Omnis etenim rei signum est cujus causa est. Nec mireris rem aliquando præcedere sacramentum, quum aliquando etiam longe post sequatur, ut in illis qui ficte accedunt, quibus quum postea pœnituerint, incipiet Baptismus prodesse, in quibus fuit Baptismus sacramentum hujus sanctificationis quam pœnitendo habent. Sed si nunquam pœniterent nec a figmento recederent, cujus rei sacramentum esset Baptismus ab illis susceptus? Potest dici : rei quæ ibi fieret, si non eorum enormitas impediret.

H. *Si parvulis datur in Baptismo gratia qua possunt in majori ætate proficere.*

Solet etiam quæri, si parvulis in Baptismo datur gratia qua quum tempus habuerint utendi libero arbitrio, possint bene velle et currere. De adultis enim qui *Rom.* IX, 16.
digne recipiunt sacramentum, non ambigitur quin gratiam operantem et cooperantem perceperint, quæ in vacuum eis cedit si per liberum arbitrium post morta- II *Cor.* VI, 1.
liter deliquerint, qui merito peccati gratiam appositam perdunt. Unde dicuntur contumeliam Spiritui Sancto facere, et ipsum a se fugare. — De parvulis vero qui *Hebr.* X, 29.
nondum ratione utuntur, quæstio est, an in Baptismo receperint gratiam qua ad majorem venientes ætatem, possint velle et operari bonum. Videtur quod non receperint, quia gratia illa caritas est, et fides, quæ voluntatem præparat et adjuvat. Sed quis dixerit eos accepisse fidem et caritatem? Si vero gratiam non receperint qua bene operari possunt quum fuerint adulti : non ergo sufficit eis in hoc statu gratia in Baptismo data, nec per illam possunt modo boni esse, nisi alia addatur; quæ si

non additur, non est ex eorum culpa, quia justificati sunt a peccato. Quidam putant gratiam operantem et cooperantem cunctis parvulis in Baptismo dari in munere, non in usu, ut quum ad majorem venerint ætatem, ex munere sortiantur usum, nisi per liberum arbitrium usum muneris exstinguant peccando : et ita ex culpa eorum est, non ex defectu gratiæ, quod mali fiunt, qui ex Dei munere valentes habere usum bonum, per liberum arbitrium renuerunt, et usum pravum elegerunt.

SUMMA
DISTINCTIONIS QUARTÆ

JAM supra tractavit Magister de sacramento Baptismi secundum se, nunc tractat de eo per respectum ad suscipientes, et quoad ejus effectus. Et primo ponit divisionem trimembrem suscipientium Baptismum seu alia sacramenta, dicens quosdam recipere sacramentum et rem sacramenti, ut qui recta intentione Baptismum aliudve sacramentum accipiunt; quosdam vero accipere sacramentum tantum, ut qui in mortali peccato communicant; quosdam rem tantum, ut qui spiritualiter solum communionem suscipiunt. Et circa hæc exponit illud Apostoli ad Galatas :
Galat. III, 27. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Deinde prosequitur de his qui rem sacramenti sine sacramento percipiunt : quocirca excludit errorem. Consequenter inquirit, quid prosit Baptismus his qui ante realem suam baptizationem sortiti sunt fidem, caritatem et gratiam ; et item, cujus rei sit sacramentum talis Baptismus. Postremo sciscitatur, an infantulis dentur in Baptismo dona gratiæ gratum facientis.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum non ponentes obicem, recipiant in Baptismo sacramentum et rem sacramenti.**

A Videtur quod non. Primo, quia multi conversi ad fidem, cum ingenti fervore et devotione ad Baptismum accedunt, nec gratiæ obicem ponunt, non tamen recipiunt rem sacramenti, id est gratiam gratum facientem, quia jam habent eam et virtutes ei annexas. — Secundo, gratia non infunditur nisi peccatis expulsis ; una autem et eadem gratia non videtur vitiorum omnium expulsiva.

Circa hæc scribit Bonaventura : Sicut
B magistri concorditer dicunt, in sacramento Baptismi, si ejus efficacia ac medela perfecte suscipiantur, omnis culpa deletur, et restituitur homo in innocentiam pristinam, quantum ad animam. Cujus rei si causa quæratur, dicendum, quod liberalitas Dei est causa quæ tantam efficaciam huic contulit sacramento. Et si hujus rei ratio inquiratur, potest triplex congruitas assignari. Prima est ex parte ejus contra quod ordinatur Baptismus, quod proprie est originale peccatum, quod inter omnia
C peccata pejores relinquit in anima sequelas, et cujus corruptio est universalis et magna : ideo congruebat ut Deus contra illud institueret præcipuæ efficaciæ ac virtutis remedium, quatenus sicut in corruptione morbi originalis peccati, vehementer mirabiliterque ostenditur rigor divinæ justitiæ, sic in ejusdem remedio dulcedo pietatis divinæ sublimiter declaretur, quatenus virtute hujus remedii deleatur non solum originale peccatum, sed et omnia peccata ei annexa et ipsum secuta. Secun-
D da congruitas est ex parte ejus ad quod ordinatur, quoniam ordinatur Baptismus ad spiritualiter regenerandum, ut transfe-

Coloss. I, 13. ratur baptizatus a potestate tenebrarum in adoptionem filiorum Dei : quod fieri nequit nisi omni peccato tam originali quam actuali mortali amoto. Unde ad Titum scri- *Tit.* III, 5, 6. bit Apostolus : Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde. Tertia congruitas est ex parte ordinis et prioritatis sacramenti istius, quod est ceterorum sacramentorum fundamentum, janua atque principium : ideo Deus voluit illud perfecte statuere, et omnium vitiorum deletivum ac sanativum, quatenus ipse baptizatus *Philipp.* III, 13. posteriorum oblitus ac recens effectus, omnino ad interiora extendat se ipsum. Et quia omnipotens Deus disposuit sacramento huic efficaciam dare ita præcipuam, et quod virtus ac meritum suæ passionis in ipso potissime operaretur et adesset; ideo præstitit ei expressam significantiam : ablutio enim ista magis indicat animam fieri mundam et sanctam. Hinc delet omnem culpam, etiam quantum ad pœnam, et hoc non sine gratiæ infusione, si jam ante infusa non fuit. Ideo teste Beda, Baptismus aperit cœlum, et baptizatus mox moriens evolat. Hinc gratia baptismalis duplicem habet comparationem : unam ad bonum, ad quod habilitat; aliam ad malum, a quo curat. Secundum primam comparationem, competit statui incipientium ; sed quantum ad aliam, quum sit medicamentum perfectum, habet vim gratiæ perfectæ.

Denique, dum quæritur, an deleat omnem pœnam; dicendum, quod est distinguendum de pœnis. Nam quædam sunt pœnæ æternales, et aliquæ temporales. Itaque ab omni pœna æternali absolvit Baptismus. De temporalibus vero pœnis est distinguendum, quoniam aliquæ sunt contractæ, ut fames, sitis et mors; quædam impositæ seu assumptæ, ut jejunia et spiritualia ac corporalia exercitia, laboriosaque opera. Baptismus ergo absolvit ab omni pœna temporali satisfactoria seu assumpta, non autem ab omni pœna contracta. Cujus ratio est, quia Deus ad hoc

A non ordinavit Baptismum. Ideo quoque ad hoc non ordinavit ipsum, quoniam congruum fuit quod hujusmodi pœnalitates in nobis relinqueret, ad manifestandum æquitatem divini judicii, ad demonstrandum fructum passionis Christi, et ad promovendum meritum liberi arbitrii. Ad manifestandum æquitatem divini judicii, ut illa sententia quam Deus dictaverat de morte Adæ posterorumque ejus, immobilis perseveret : unde ab illa nemo evadit. Ad ostendendum fructum passionis Christi, B quia si Deus curaret naturam et fomitem, filii nascerentur immunes a culpa, nec indigerent regenerari a Christo : idcirco, ut omnes passione Christi se noscant egere, data est sacramento virtus a Christi passione ; vel ideo ordinatum est ut Baptismus pœnas remittat personales, non naturales, quia remedium respicit personam, non naturam. Ad promovendum quoque meritum liberi arbitrii. Promovent quippe hujusmodi pœnalitates ad bonum multiplici modo : valent enim ad humiliandum C se ipsum, ad sui ipsius cognitionem, et ad stimulationem ad bona. Si autem homines in hac vita consequerentur vitæ immortalitatem et liberationem a siti, fame, infirmitatibusque naturæ, converterentur plures ad Christum accederentque ad Baptismum magis propter ista præsentia commoda, quam propter Deum et veram salutem, nec fides haberet meritum, cui ratio præberet experimentum. — Hæc Bonaventura in Scripto.

Hinc quoque in Breviloquio : Quoniam D (inquit) morbus noster, id est originale peccatum, contra quod est Baptismus, animam privat vita gratiæ, omniumque virtutum rectitudine habilitante, pronamque reddit quodammodo ad omnem culpam; ac aliunde contrahitur et redigit in diabolicam servitutem, atque in potestatem principis tenebrarum : hinc est quod ad hoc quod per illud sacramentum per contrarium sufficiens adhibeatur remedii medicamentum, congruit in eo dari gratiam regenerantem contra privationem vi-

tæ gratuitæ, et gratiam rectificantem in septiformi virtute contra privationem virtutis habilitativæ, et gratiam purificantem ab omni culpa contra pronitatem ad omnem deordinationem vitiosam. Et quoniam peccatum originale trahitur aliunde, faciens parvulum habilem ad concupiscendum, et adultum concupiscentem, necessaria est adulto fides propria et pœnitentia, sed parvulis aliena, quæ est in universali Ecclesia. Debent etiam exorcizari propter dæmonum fugationem, et catechizari contra ignorantiæ caliginem. Hæc ibi.

Hinc Thomas : In omni (inquit) generatione, per introductionem formæ omnis contraria forma expellitur : imo et dispositio ad formam contrariam, nisi interdum relinquatur ex indispositione formam recipientis. Quumque Baptismus sit regeneratio in vitam spiritualem, omne quod est contrarium vitæ spirituali, quod scilicet stare non potest cum gratia, tollit : sicque tollit originalem et actualem culpam mortalem, ac etiam quantum in se est, venialem, quæ ad mortalem disponit, quamvis quandoque culpa venialis maneat post Baptismum, mortali remota, propter indispositionem subjecti recipientis Baptismum. — Et si objiciatur, quod in adultis requiritur contritio; dicendum, quod Baptismus non requirit contritionem quasi concausam ad destructionem actualis peccati, quasi ex se non sufficiat ad hoc, sed solum ad removendum fictionem quæ impedit Baptismi effectum. Nec verum est quod Baptismus solum ordinetur contra originale peccatum : alias circumcisis in primitiva Ecclesia necessarius non fuisset. Potest autem accidere, ut quis in proposito peccandi venialiter baptizetur, et ita ex sua indispositione in veniali remaneat.

Præterea si quæratur, an Baptismus tollat omnem pœnam temporalem actuali peccato debitam; dicendum, quod Christus per mortem suam satisfecit plenarie pro peccatis totius generis humani, etiamsi multo plura essent. Et quoniam homo per Baptismum in morte Christi baptizatur, et (*Rom.* vi, 3, 4.)

A ei commoritur et consepelitur, ut dicit Apostolus; idcirco Baptismus quantum in se est, totam efficaciam passionis influit baptizato, propter quod absolvit non solum a culpa, sed etiam ab omni satisfactoria pœna.

Si autem quæratur, an tollat etiam omnem pœnam originalis peccati; dicendum, quod in originali peccato talis fuit processus, quod persona corrupit naturam, et natura personam. Hinc aliquid consideratur in hoc peccato quod pertinet ad naturam, B et aliquid quod pertinet ad personam. Passio vero Christi sufficienter abstulit originale peccatum quantum ad utrumque. Sed quoniam sacramenta adhibentur personis, ideo Baptismus ab homine tollit quod ex corruptione naturæ in personam redundavit : sic quod culpæ infectionem prout inficit personam, et pœnam illam quæ actum personæ privabat, puta carentiam visionis divinæ, Baptismus aufert; sed actu non aufert infectionem prout inficit naturam (quod patet ex hoc C quod baptizatus, per actum naturæ originale transmittit in prolem); similiter nec pœnam quæ consequitur naturæ principia destitutæ gratia innocentiæ primi status, ut sunt rebellio carnis ad spiritum, mors atque hujusmodi pœnalitates, quæ consequuntur ex hoc quod homo ex contrariis exstat compositus. Sed quia omnes homines in natura communicant, effectus secundum legem communem curationis naturæ erit in fine mundi, quando electis omnibus congregatis, simul cum eis etiam D creatura insensitiva a corruptionis liberabitur servitute. (*Rom.* viii, 21.) — Hæc Thomas in Scripto. Eadem in tertia parte, quæstione sexagesima nona.

At vero Petrus quærit, an parvuli in Baptismo justificantur. Respondet : Duplex est justificatio. Quædam a culpa aliunde contracta, id est originali; quædam a propria culpa, id est actuali. Et utraque est effective a Deo. Utraque quoque requirit ex parte hominis dispositionem præparativam, sed differenter. Mundatio nam-

que culpæ originalis, quum sit aliunde A contracta, potest habere dispositionem sufficientem per alterum; mundatio vero propriæ culpæ requirit dispositionem per se ipsum, juxta illud Augustini : Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Porro dispositio parvuli consistit in tribus : quorum unum habet se ut prima causa disponens, utpote passio Christi ; alterum, ut causa propinqua, puta fides Ecclesiæ ; tertium, ut causa immediata, scilicet sacramentum. Hæc Petrus. — Idem Richardus aliique communiter. B

Et addit Durandus : Istud intelligendum est ad forum Dei, quia humano judicio non solum attenditur qua pœna dignus sit homo quoad Deum, sed etiam in qua sit obligatione quantum ad homines qui sunt læsi et scandalizati seu injuriati per eum. Ideo, quamvis homicida liberetur totaliter a reatu pœnæ quantum ad Deum, tamen remanet quoad homines obligatus, quos justum est ædificari de ejus justa pœna seu satisfactione, sicut scandalizati sunt de ejus culpa et offensione. In talibus C tamen princeps posset pie pœnam dimittere, præsertim si evidentia signa paterent, quod homicida postularet Baptismum ex fidei devotione, non mortis timore. Hi quoque quibus injuriatus est, possent ei satisfactionem dimittere. Hæc Durandus.

Præterea, Argentinensis hic sciscitatur, quid hoc loco vocetur res sacramenti. Respondet : Res sacramenti interdum accipitur large pro omni illo quod datur alicui desuper seu ex ordinatione divina, dum suscipit sacramentum Baptismi, sive sit D donum gratis datum, sive gratum faciens ; secundo, strictius pro dono gratum faciente. Primo modo non sumitur hic : sic enim et character res sacramenti vocatur, quem tamen suscipiunt etiam qui ficte seu in mortali accedunt, dummodo veraciter baptizentur. Sumitur ergo hic modo secundo, intelligendo per gratiam gratum facientem etiam illa quæ hujusmodi gratiam infallibiliter consequuntur, ut sunt expulsio culpæ, remissio pœnæ æternæ.

Postremo, Scotus concordat præhabitis. Aliquas tamen difficultates circa hæc tangit, sic arguens : Non infunditur homini gratia sine fide, quoniam sine fide impossibile est placere Deo ; sed parvuli non recipiunt fidem, quum dicat Apostolus, Fides est ex auditu. Rursus, habens habitum potest eo uti, parvulus autem baptizatus ad usum veniens rationis, non potest exire in actum credendi articulos fidei, nisi aliunde edoceatur. Iterum, habens habitum, aliter habet se ad actum quam non habens ; parvulus autem baptizatus, in solitudine aut inter perfidos enutritus, nec aliunde instructus, non plus exit in actum credendi quam alter non baptizatus. — Ad ista Scotus hic non respondet, sed remittit ad tertium, ubi et se responsurum ad ista insinuat : quo videtur quod scripsit super hunc quartum antequam super tertium. Ad hæc autem argumenta paulo post respondebitur in hac ipsa distinctione, quæstione qua inquiretur an parvulis in Baptismo infundantur virtutes.

Hebr. XI, 6. — *Rom.* X, 17. — p. 126 A.

QUÆSTIO II

SEcundo quæritur **De ceteris Baptismi effectibus.**

Et circa hoc multi multas faciunt quæstiones. Nam et sanctus Doctor, quamvis in Scripto (ni fallor) secundi asserat quosdam nimium multiplicare quæstiones, et videtur tangere Alexandrum, qui præ ceteris quasi innumeras format quæstiones ; attamen et ipse in Scripto hoc quarti non mediocriter multiplicat quæstiones : sicut et hoc loco interrogat, utrum per Baptismum conferantur pueris gratia et virtutes, utrum per Baptismum in adultis virtutes augeantur, utrum effectus Baptismi sit illuminatio, utrum effectus Baptismi sit fecundatio, utrum incorporari Christo sit Baptismi effectus, utrum effectus Baptismi sit apertio januæ regni : ad quæ omnia ex uno fundamento patet respon-

sio. Verumtamen quæstiones has non reor [A] inutiles, nisi quod brevitati studcndum est.

Itaquc circa hæc scribit Antisiodorensis: Concedimus, quod parvulis in Baptismo dantur virtutes. Asserit quippe Augustinus : Fides datur et nutritur in sacramento Baptismi : datur quantum ad parvulos ; nutritur quantum ad adultos. Ergo parvulis in Baptismo infunditur fides : ergo et aliæ virtutes. Insuper, in Baptismo est spiritualis nativitas, ergo et alicujus vitæ spiritualis collatio : quæ non potest esse [B] nisi per fidem, quum juxta Apostolum et Prophetam, justus ex fide vivat. [*Habac.* II, 4 ; *Rom.* I, 17.]

Sed objici potest, quod loquitur Augustinus : Sicut mundatur adultus per fidem, sic parvulus per fidei sacramentum. Ergo parvulus non mundatur per fidem. — Item non habet fidem in actu seu usu (ut constat), neque in habitu. Ille namque dicitur fidem habere in habitu, qui habilitatus est ad credendum in actu, qui dum cogitat de articulis fidei, statim credit ; sed dum iste ad annos venit discretionis, si propo- [C] nantur ei articuli, dicit se eos ignorare.

Dicendum ad Augustini auctoritatem, quod ipse ponit illam distinctionem ad innuendum, quod adultus accedendo cum sua credulitate ad Baptismum, aliquo modo cooperatur ad suam emundationem ; parvulus vero non coopcratur, sed per Baptismum recipit fidem, per quam mundatur. — Ad secundum, quod parvulus habet fidem in habitu, sed est quidam habitus propinquior actui et quidam remotus, et iterum est quidam explicitus et [D] quidam implicitus : quemadmodum aliqua vetula habet implicitam de aliquibus fidem. Similiter iste quum venerit ad annos discretionis, fidem habebit in habitu implicito, et remoto ab actu ; sed aliqua levi explicatione credet in actu. — Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto. Idem Albertus.

Ex quibus patet solutio argumentorum de fide in parvulis, in fine præcedentis quæstionis tactorum a Scoto ; quæ tamen et aliter exquisitius poterunt solvi, sicut patebit.

Præterea Thomas respondendo ad ea quæ ex ejus Scripto sunt tacta, quæsita, et primo ad primum : Circa hoc, inquit, multiplex fuit opinio. Quidam dixerunt, quod parvulis in Baptismo nequaquam dentur virtutes, sed solum ab originali mundentur peccato ; postea vero, quando decedunt, vel ad adultam ætatem pervenerint, eis conferantur virtutes, si innocentiam servent. Quæ opinio stare non valet, quoniam lignum quum præcisum [*Eccle.* XI, 3.] fuerit, ubi ceciderit, ibi erit. Idcirco, si pucris ante mortem non fuissent collatæ virtutes et gratia operans atque cooperans, nec in morte eis conferrentur, et ita non salvarentur : quod falsum est. Videtur demum opinio ista hinc orta, quod virtutes putabant esse tantum actus. — Hinc alii dicunt, quod pueris in Baptismo conferuntur virtutes, non in se ipsis, sed in earum radice, scilicet gratia, quæ est radix virtutum, sicut anima suarum potentiarum ; quumque postea potentiæ aptæ fuerint ad agendum, effluunt virtutes ex gratia in ipsas potentias. Verum nec ista opinio potest stare, quia si puer ante usum rationis verteretur in furiam, nunquam haberet virtutes. — Hinc alii melius dicunt, quod pueris in Baptismo dantur gratia et virtutes, quæ non procedunt in actus nisi tempore opportuno. Verumtamen duplex est actus virtutum, videlicet : actus primus, qui est, formaliter perficere animæ vires, quem actum etiam pueri habent ; et actus secundus, qui est, ex electione spontanee operari, quem actum non sortiuntur nisi in adulta ætate.

Ex his patet, quod per Baptismum virtutes augentur in his qui in gratia ad Baptismum accedunt, siquidem juxta Philosophum secundo Ethicorum, ex eisdem causis virtus generatur et augetur : ideo sicut Baptismus gratiam et virtutes largitur non habenti, nec ficte accedenti, ita habenti eas auget easdem.

Insuper Baptismus est causa illumina-

tionis. Etenim lumen est quo in visionem A alicujus rei dirigimur. Baptismus autem dirigit in visionem spiritualem interiorem et exteriorem. In interiorem, quum sit fidei sacramentum, in quo fides ipsa præstatur, quæ est lux et oculus mentis ad contemplandum divina; in exteriorem, quoniam baptizatis conceditur inspicere Eucharistiæ sacramentum, ut S. Dionysius docet : unde tam ipse quam Damascenus viii illuminativam Baptismo attribuunt. — Quumque in Baptismo tot gratiarum charismata infundantur, quibus baptizatus B in se ipso spiritualiter fecundatur ad bene agendum, recte fecunditas quasi passiva Baptismo adscribitur. Fecunditas autem ad producendum fructum doctrinæ operumque bonorum in aliis, sacramento convenit Ordinis. — Amplius, Christo incorporari contingit dupliciter, scilicet merito et numero. Et merito potest ei homo incorporari antequam actualiter baptizetur, non tamen ante propositum desideriumque Baptismi, tempore gratiæ revelatæ. Numero autem non potest quis de Ecclesia effici C nisi per Baptismum, ante quem ad nullum aliud Ecclesiæ sacramentum admittitur homo.

De Eccl. hier. c. II, III, VI. — Ibid. c. V.

Denique, aperire januam regni cœlestis nil aliud est quam impedimentum quo toti generi humano prohibebatur ingressus in regnum cœlorum propter originale peccatum, auferre. Hoc autem impedimentum Christus sua abstulit passione generaliter quantum ad omnes, pro originali satisfaciendo; particulariter autem fit hoc quantum ad istum vel illum, per hoc quod vir- D tus et meritum dominicæ passionis eis in Baptismo applicatur atque communicatur: sicque Baptismus est causa instrumentalis hujus effectus. Porro aditus regni cœlorum aperitur tripliciter. Primo, quantum ad gloriam animæ; et ita apertus est in Christi passione, quum dixit latroni : Hodie mecum eris in paradiso. Secundo, quantum ad gloriam corporis : et ita apertus est in dominica resurrectione. Tertio, quantum ad locum gloriæ congruentem : et sic in ascensione apertus est. Tribus quoque his modis instrumentaliter agit Baptismus in isto. Agit namque in virtute passionis et resurrectionis et ascensionis, in quantum homo Christo configuratur passo per immersionem, qua Christo quodammodo consepelitur, et ei resurgenti, quantum ad nitorem qui resultat ex aqua, et ascendenti, quantum ad elevationem baptizati de sacro fonte. Unde Baptismus passioni appropriatur, quum et gloria animæ principalior sit et causa quodammodo aliorum : in cujus signum aperti sunt cœli super Dominum baptizatum. — Hæc Thomas in Scripto. Concordant Petrus, Richardus aliique communiter.

Luc. XXIII, 43. — *Matth.* III, 16.

QUÆSTIO III

Tertio quæritur, **An fictio impediat Baptismi effectum, et rem seu gratiæ infusionem, ita quod fictione abjecta infunditur gratia.**

In qua quæstione duo tanguntur. Primum, an fictio gratiæ infusionem impediat. Secundum, an fictione submota, gratia infundatur.

Videtur quod fictio non impediat infusionem gratiæ baptismalis. Christus namque sua passione sic totius mundi peccata delevit, quod etiam ipsum peccatum crucifigentium eum, merito suæ passionis tulit et expiavit, ut super Joannem loquitur Augustinus. Quum ergo Baptismus in virtute passionis dominicæ operetur, etiam ipsam fictionem accedentis ficte, consumere et auferre videtur, ac suum effectum sortiri. — Nec videtur humana malitia divinæ posse virtuti resistere, nec causa creata supernaturalis causæ effectum impedire.

Circa hæc scribit Albertus : Quadruplex fictio ex dictis B. Augustini colligitur. Triplex tamen fictio præcipue ponitur in suscipiente Eucharistiæ sacramentum, et si-

mile est in suscipiente Baptismum. Itaque fictio est vel ex parte dantis sacramentum, aut ex parte suscipientis. Vel aliter et melius, fictio est aut ex parte ritus seu actus sacramenti, aut ex parte operis operati quod facit Ecclesia. Si primo modo, tunc est ejus qui aliter suscipit quam ipsa Ecclesia ritum exercet. Quod intelligo de eo qui deridet ritum Ecclesiæ, et tamen intendit accipere quod facit Ecclesia : ille enim percipit sacramentum. Si autem sit fictio ex parte operis operati : tunc aut est secundum rationem, et tunc est non credens; aut secundum concupiscibilem, et tunc est indevotus; aut ex parte irascibilis, et tunc est contemnens. Porro indevotus hic dicitur a privatione habitus devotionis; et hoc est, quando est in statu et affectu peccati mortalis, quoniam talis non recipit nisi characterem. Contemptus quoque est duplex. Unus qui abjicit actum seu opus Baptismi, et ille impedit impressionem characteris, quia non subdit se sacramento. Alter est contemptus vilipendens ipsum opus, quod tamen facere seu sumere intendit, et ille non impedit characteris impressionem. Itaque fictio impedit, ex eo quod obicem ponit Spiritui Sancto per actualem voluntatis dissensum ad sacramentalem effectum, volendo id quod simul stare non valet cum gratia sacramentali. Hæc Albertus.

Qui consequenter ad secundum respondet : Aliter est de opere Dei omnipotentis, aliter de opere hominis imbecillis, quoniam opus hominis potest produci ab homine mortuum et mortificatum, quod a libero procedit arbitrio spiritualiter non viventi. Opus autem Dei non potest esse mortuum, et hoc est sacramentum, in quo divina virtus secretius operatur. Sed fictus obicem ponit ne operetur in eo. Character vero stare potest cum fictione, et quocumque peccato mortali, sicut et fides informis. Character quippe est lumen spirituale imaginis creatæ, distinguens fidelem ab infideli secundum fidei statum; estque splendor quidam procedens a cha-
A ractere increato in imaginem creatam, ad distinctionem baptizati a non baptizato. Per quem characterem Baptismus virtualiter manet in baptizato, et ipse character est proprie sacramentum; ideo, dum non habet obstaculum, utpote fictione cessante, gratiam operatur eo modo quo causa est, utpote dispositive, et Deus tunc causat gratiam effective. Peccata demum quæ fictus commisit post suum baptismum, non delentur virtute Baptismatis, sed contritione, et pro eis imponenda est sibi pœ-
B nitentia exterior; virtute autem Baptismi delentur peccata ante commissa. Hæc idem.

Præterea Thomas : Duplex est (inquit) effectus Baptismi. Primus, qui est res et sacramentum, puta character, qui quum non imprimatur ad præparandam hominis voluntatem ut aliquid bene seu meritorie fiat, quum non sit habitus, sed quædam potentia; ideo indispositio voluntatis non impedit eum, dummodo aliqua sit voluntas recipiendi Baptismum. Alius est effectus, qui est res et non sacramentum, vide-
C licet gratia : ad quem requiritur remotio seu expulsio omnis dispositionis sibi contrariæ, puta mortalis peccati, quia per istum effectum Baptismi, præparatur et formatur voluntas ut meritorie velit ac operetur.

Denique talis indispositio voluntatis recte fictio nuncupatur. Ad hoc enim quod aliquid recipere debeat effectum agentis, oportet quod habeat se in debita dispositione ad causam agentem, et ad percipiendum ejus effectum. Hinc indispositio
D voluntatis quæ effectum Baptismi ultimum (scilicet gratiam) impedit, duplex est : una per respectum ad sacramentum; alia per respectum ad sacramenti effectum. Ad sacramentum vero contingit voluntatem indispositam esse dupliciter : primo, per subtractionem necessarii; secundo, per positionem contrarii. Quumque actio omnis sit per contactum, necessarium est quod recipiens sacramentum, quodammodo contingat ipsum per intellectum, quem contactum efficit fides; et

per affectum, quod facit devotio. Ideo indispositus reputatur, tam qui non credit quam qui indevotus accedit. Duplex quoque est contrarium quod tolli oportet. Unum ex parte eorum quæ extra aguntur : et sic indispositus est qui aliter celebrat, quam ritus habet Ecclesiæ. Aliud est ex parte virtutis intrinsecæ, quæ secretius operatur salutem : et sic indispositus est qui contemnit. Similiter, per comparationem ad effectum Baptismi, oportet quod disponatur homo adhibendo necessarium, utpote fidem, quæ purificat mentem, et quod tollat contrarium, puta culpam, per contritionem. Ideo ait Ambrosius, quod non sunt necessaria ex hac parte nisi fides et contritio; tamen contritio in devotione includitur. — Si autem objicitur, quod fictio non est secundum omne genus peccati; respondendum, quod fictio proprie est, quum aliquis ostendit dicto vel facto quod non est in rei veritate. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando ex hac intentione aliquid dicitur vel fit, ut aliud ostendatur quam rei veritas habet : sicque fictio est speciale peccatum, et ita non sumitur hic. Secundo, quando ostenditur aliquid quod rei veritas non habet, dicto aut facto, etiam si non propter hoc dicatur aut fiat : sicque accipitur modo. Quicumque enim ad Baptismum accedit, ostendit se veteri vitæ abrenuntiare et novam inchoare. Unde si voluntas ejus adhuc in vetustate vitæ remaneat, aliud ostendit quam veritas habet : idcirco est fictio. — Hæc Thomas in Scripto. In ceteris sicut Albertus. Concordant Petrus et Richardus, alii quoque communiter.

Præterea Bonaventura sciscitatur, utrum invitus seu coactus Baptismum accipiat. Respondet : Coactio duplex est. Una sufficiens seu simpliciter dicta, et penitus violenta; et hæc impedit sacramentum, ita quod taliter lotus, non est baptizatus. Neminem enim cogit Deus ad bona. Alia est coactio inductiva. Et si quis sic immergatur in aqua, utpote flagellis aut minis, ita quod potius vult Baptismum suscipere quam occidi, distinguo. Quoniam vel intendit illudere alios et mortem evadere : et tunc quoniam non est ibi intentio Baptismi, non baptizatur, quum nec ille dicatur baptizatus qui consentit se immergi ad jocum; vel vult potius circa se fieri illud quod facit Ecclesia, quam adversa tolerare seu mortem : et sic sive credat, sive non credat, et sive velit recipere gratiam, sive non, dico quod recipit sacramentum, quia non est ibi simpliciter involuntarium : ideo suscipit characterem, non gratiam. — Hæc Bonaventura, et communiter sic tenetur.

Denique huic quæstioni est similis ista, utrum adultus non consentiens, potest recipere effectum Baptismi.

Ad quod Thomas de Argentina, Scotus et alii quidam satis concorditer dicunt, quod non consentiens intelligi potest dupliciter, utpote contrarie et negative : negative, tantum negat actualem consensum; contrarie, ponit actualem dissensum. Et constat quod non sit idem, non velle et nolle. Si ergo accipiatur contrarie pro actualiter dissentiente (seu dissentiente simpliciter, seu secundum quid), et si iste sit utroque modo dissentiens, non recipit sacramentum : quoniam Deus, qui dixit per Sapientem, Fili mi, præbe cor tuum mihi, *Prov.* XXIII, 26. non vult aliquem omnino invitum familiæ suæ adscribi. Si autem secundum quid dissentiat, simpliciter vero consentit in illam ablutionem eo modo quo intendit Ecclesia facere, simpliciter recipit sacramentum. De adulto quoque distinguo : quia aut non utitur ratione, nec usus est, ut fatuus natus; aut non utitur nunc ratione, tamen aliquando usus est; aut utitur nunc actualiter ratione. De primo dicendum sicut de parvulo; attamen si speratur ipsum tandem curandum, aut ratione usurum, exspectandum est tempus illud, ut cum majori reverentia suscipiat sacramentum. De secundo autem, qui scilicet non utitur ratione, tamen aliquando usus est, dico quod supponitur nunc habitualiter consentiens sive dissentiens, secundum quod se habuit

actualiter immediate in sanitate ante istud impedimentum; et dico, immediate, ita quod inter illum actum, puta consensionem aut dissensionem, et inter istud impedimentum, non intervenit motus contrarius voluntatis : sicque iste habitualiter consentiens, potest recipere sacramentum. Verumtamen si speratur reditus ad usum rationis, expedientius est tempus hoc præstolari, sicut de dormiente expedit tempus vigiliæ exspectare, et in furioso tempus lucidi intervalli. De tertio membro, puta adulto ratione utente, distinguo hoc quod quæritur, an possit non consentiens baptizari : quia *non consentiens* potest intelligi negative et contrarie, sicut expressum est et responsum. Hæc præfati doctores.

Et addit Argentinensis : Propter reverentiam sacramenti, dormiens vel phreneticus baptizari non debet, quamvis constet de consensu eorum ante somnum seu phrenesim, nisi urgeat extrema necessitas : ut si phreneticus sit in periculo mortis, vel etiam dormiens sit in mortis periculo, quia interdum lethargica passio tantum invalescit, quod homo dormit usque ad mortem. Etiam læsus a serpente qui dicitur dipsas, moritur dormiendo.

QUÆSTIO IV

Quarto quæritur, An Baptismus, in universis qui baptizantur, æqualem causet effectum seu gratiam æque magnam.

Videtur quod non. Quod enim in circumcisis in veteri Testamento fecit circumcisio, hoc tunc fecit sanctificatio in utero matrum, et hoc in novo Testamento facit Baptismus, utpote purgationem ab originali. Sed sanctificati in utero in veteri Testamento, non fuerunt æqualiter sanctificati : beatissimus enim Joannes Baptista excellentius fuit sanctificatus in utero quam sanctus Jeremias ; sacratissima quoque et incomparabilis Virgo, multo valde

A eminentius quam Joannes. Ergo aut certum aut verisimile sive probabile est, quod in novo Testamento quidam electiores, fuerunt abundantiorem gratiam in Baptismo sortiti. — Rursus, quidam ex suæ nativitatis et baptizationis primordio, cernuntur minus proni ad mala et magis apti ad bona, et aliqui innocentiam baptismalem custodiunt, aliqui mox hanc perdunt : quod ex majori et minori gratia eis in Baptismo concessa videtur accidere. Sed et angeli, prout in naturalibus eminentiores fuerunt,

B gratiam seu gloriam majorem seu minorem mox in sua creatione adepti sunt. Sed tam pueri quam adulti qui baptizantur, in naturalibus magis et minus perfecti sunt : ergo secundum hoc dona gratiæ in diverso recipiunt gradu.

In oppositum est, quod originale peccatum contra quod Baptismus directe ordinatur, in omnibus illis exsistat æqualiter.

Ad hæc Thomas respondens, primo determinat, an Baptismus in omnibus habeat

C effectum æqualem quantum ad mali amotionem : Baptismus, inquiens, in eo qui non ficte accedit, universaliter aufert culpam inficientem personam, quam invenit; et sic accedit ad terminum. Ea autem quæ in termino sunt, intensionem non capiunt. Ideo quantum ad culpæ remotionem, æqualem effectum habet Baptismus in omnibus. Consimiliter est de pœna personali quæ correspondet culpæ originali prout est personam inficiens, utpote de carentia visionis divinæ. Sed contra aliam pœnam

D ex corruptæ naturæ principiis consequentem, sicut est fomes seu concupiscentia, adhibetur remedium in Baptismo per gratiam quæ in illo confertur : ideo simile est de pœna illa et de gratia.

Deinde respondens ad istud, an æqualis gratia in Baptismo omnibus conferatur : Actus (ait) activorum recipiuntur in passivis secundum eorum dispositionem. Hinc quamvis Baptismus, seu passio Christi quæ operatur in eo, respectum habeat parem ad omnes ; attamen quoniam inter adultos

quidam enim majori præparatione ad ipsum A accedunt, majorem præ aliis gratiam consequuntur. Nullus enim gratiam in termino recipit, ut intendi nequeat per Baptismum. Itaque quando adultus baptizatur, non solum requiritur ad percipiendum effectum Baptismi, remotio prohibentis, utpote fictionis, sed et dispositio quasi materialis, videlicet fides atque devotio recipientis Baptismum.

Consequenter respondet ad istud, an pueri in Baptismo æqualem gratiam sortiantur : In pueris (dicens) baptizatis nihil B ex parte eorum requiritur, sed pro dispositione quasi materiali ad salutem, habent fidem Ecclesiæ, et pro effectivo salutis, habent virtutem seu meritum passionis Christi, quæ operatur in Baptismo. Et hæc duo se habent æqualiter ad pueros omnes : idcirco non differunt quantum ad suscipiendum Baptismi effectum, sed omnes in Baptismo æqualem suscipiunt gratiam. Nec simile est de ipsis et angelis : quia de angelis probabile est, quod secundum gradum et proportionem eorum in naturali- C bus, fuit conatus ad gratiam, ad quam in infantulis nullus conatus est. Hæcque gratia in pueris baptizatis non facit necessitatem, sed inclinationem quamdam ad bonum : ideo dum ad adultam pertingunt ætatem, possunt diversimode gratia uti recepta. Unde quidam manent proficiuntque in ea, quidam deficiunt : et hoc non ex diversitate gratiæ in Baptismo receptæ. — Hæc Thomas in Scripto.

Porro in tertia parte, quæstione sexage- art. 8. sima nona : Duplex, inquit, est effectus D Baptismi. Unus per se, aliusque per accidens. Per se effectus Baptismi est, ad quem per se institutus est, utpote generare homines in vita spirituali : quem æqualiter facit in omnibus qui æqualiter ad Baptismum se habent. Effectus autem Baptismi per accidens est, ad quem Baptismus directe non ordinatur, sed omnipotentia Dei in eo miraculose operatur. Unde super il- *Rom.* vi, 6. lud ad Romanos, Ut ultra non serviamus peccato, Glossa effatur : Hoc non præstatur in Baptismo, nisi forte miraculose aliquibus ineffabili clementia Creatoris, ita ut lex peccati, quæ est in membris, penitus exstinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus, etiam si cum æquali devotione accedunt ; sed dispensantur seu dantur secundum ordinationem providentiæ Dei. Hæc in Summa.

Præterea Petrus circa hæc scribit : Quadruplex est effectus Baptismi in adultis. Unus, impressio characteris, qui effectus in omnibus est æqualis. Secundus est infusio gratiæ, qui differt secundum dispositionem et devotionem suscipientium. Tertius, restitutio innocentiæ, qui penes terminum a quo, potest esse inæqualis ; sed penes terminum ad quem, semper est æqualis, quoniam quamvis ab inæquali impuritate, tamen ad æqualem puritatem restituit. Quartus, repressio fomitis seu concupiscentiæ, et quantum ad hunc inæqualis exsistit, secundum quod unus recipit in Baptismo gratiam majorem quam alius. — Denique, quantum est de privilegio gratiæ, plus gratiæ dari potest uni parvulo in Baptismo quam alteri ; sed quantum est de lege communi, non datur. Bonitas autem complexionis ex parte corporis, est remota dispositio gratiæ, seu etiam gratiæ amplioris. Dispositio vero propinqua ad gratiam in voluntate consistit, quam infusio gratiæ major aut minor consequitur. Hæc Petrus.

In præinductis sententialiter continetur Richardi responsio, qui præinducta compendiose perstringens : In Baptismo, asserit, removetur malum culpæ et pœnæ, atque confertur bonum gratiæ. Quantum ad prima duo, effectus Baptismi in omnibus parvulis est æqualis, sicut originale peccatum in omnibus illis æquale est, nec unus ad majorem pœnam obligatur quam alter. De lege quoque communi non datur uni eorum gratia major quam alteri in Baptismo. In adultis vero plus delet de malo culpæ quam in parvulis, secundum quod in adultis plus aut minus invenit de propriis culpis eorum. Verumtamen, quo-

niam unicuique plus suffragatur fides propria quam aliena, adulti, qui per propriam fidem ad Baptismum se præparant, plus gratiæ in Baptismate sortiuntur quam parvuli, qui non fide propria, sed per fidem Ecclesiæ ad Baptismatis gratiam disponuntur. Hæc Richardus. — Concordant Bonaventura, Albertus aliique communiter.

QUÆSTIO V

QUinto quæritur, Utrum carentibus usu rationis Baptismus sit exhibendus, utpote infantulis, furiosis, phreneticis, stultis.

Videtur quod non, quoniam spiritualis medicina fidem requirit in recipiente: quia
Rom. xiv, 23. ut ait Apostolus, quod non est ex fide peccatum est. — Rursus, in Baptismo est justificatio quædam; sed Augustino testante, qui creavit te sine te, id est sine tua cooperatione, non justificabit te sine te.
Cf. p. 129 D' et s. Verum de hac materia dictum est supra, ideo non nisi pauca addenda.

Itaque secundum Thomam, Albertum, Bonaventuram ac alios plures, infantes cito sunt baptizandi, quoniam circa eos periculum maximum est in mora. Primo, quoniam propter imbecillitatem naturæ de facili mori poterunt ac damnari. Secundo, quia minorem potestatem dæmones habent in pueris baptizatis, nec spiritualiter nec corporaliter possunt eis tantas inferre molestationes ut aliis pueris: imo pueri baptizati sunt angelis sanctis amabiliores, utpote per supernaturalia charismata gratiæ et donorum atque virtutum ipsis similiores, propter quod diligentius custodiuntur ab ipsis. Tertio, quia ab infantia et pueritia homo facilius ad bona inducitur, melius assuescit, firmiusque adhæret. Unde secundo Ethicorum ait Philosophus: Non parum refert, a juventute confestim bonis vel malis assuefieri. Et hanc rationem sanctus assignat Dionysius in fine Ecclesiasticæ
cap. vii. hierarchiæ, dicens: Tradit summus sacer-
A dos puerum sacris symbolis, id est sacramentalibus signis, ut cum eis conversetur, et nec imitetur alteram vitam nisi jugiter divina contemplantem. Et iterum ibidem divinus Dionysius protestatur: Divini nostri duces (puta Apostoli) probaverunt infantes recipi ad Baptismum. — Et si objiciatur, quoniam magis afficitur homo ad ea quæ ex se acquirit et sponte consequitur, quam ad ea quæ accipit aliunde: propter quod hi qui ex propria acquisitione, diligentia et labore habent divitias, non
B sunt communiter tam liberales ut qui ab aliis eas sortiti sunt: ergo expediret in parvulis tempus adultæ exspectare ætatis. Dicendum, quod verum esset, nisi aliunde tot et tanta obviarent pericula quibus subjicitur vita humana: ideo securior via est eligenda. Nec verum est quod spiritualis ista Baptismi medicina non sit usu rationis carentibus applicanda. Nempe ut in libro LXXXIII Quæstionum sanctus loquitur Augustinus, diversi status mundi assimilantur diversis hominis ejusdem æta-
C tibus. Hinc sicut in nullo statu mundi præclusa fuit humano generi via salutis, ita in nulla ejusdem hominis ætate præcluditur aut negatur ei salutis via: unde nec in infantia parvulis originali peccato obnoxiis.

QUÆSTIO VI

SExto quæritur, Utrum sine Baptismo, tempore Evangelii divulgati, nemo queat salvari; et de multiplici genere Baptismi, ac comparatione eorum ad invicem.
D

Videtur quod sine Baptismo aquæ seu fluminis nullus salvari nunc valeat, quum dicat Salvator et judex: Nisi renatus quis *Joann.* iii, 5.
fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc.

In oppositum est, quod multi martyres sine tali Baptismo sint coronati. Sed et bona efficaxque voluntas, a Deo pro opere reputatur. Item in littera non nisi tres spe-

cies seu modi Baptismi tanguntur, quum tamen Damascenus libro quarto enumeret novem.

Circa hoc scribit Albertus : Magister non tangit hic nisi Baptismum aquæ, et Baptismata ei similia in principali effectu, qui est remissio culpæ, in qua includitur infusio gratiæ. Et illa non sunt nisi duo, scilicet : pœnitentia, ubi articulus necessitatis, non contemptus religionis, sacramentum excludit; atque effusio sanguinis, ubi impediente tyranno aut alio impedimento, aqua haberi non valet. Nec hi duo Baptismi characterem imprimunt, quum character pars sacramenti exsistat, sed totum supplent sacramenti effectum quantum ad salutem requiritur. Ea vero quæ sunt de sacramenti essentia non exhibent : quoniam materia Baptismi (quæ est aqua) et forma verborum in ipsis non sunt. Præterea Baptismus sanguinis in hoc aliis præeminet, quod secundis sordibus non inquinatur, quia post eum sic baptizatus non peccat, et quia adducit aureolæ meritum, et quoniam falce suæ acerbitatis adhærentiam venialium abradit culparum : quorum nullum facit Baptismus aquæ; deficit autem ab illo, quia characterem non imprimit. Pœnitentia quoque non supplet vicem Baptismi, nisi in quantum Baptismus est in proposito et affectu; similiter neque martyrium. Hæc Albertus.

At vero Thomas diffusius loquens : Unum (inquit) est tantum Baptisma, proprie loquendo, quod celebratur in aqua sub determinata forma verborum. Alia vero dicuntur Baptismata per ordinem et comparationem ad illud, et hoc tripliciter. Primo in quantum aliquid fuit signum hujus Baptismi : sicque diluvium vocatur baptismus, quia nostrum designavit Baptismum quantum ad salvationem vitæ spiritualis, per salvationem generis humani in vita naturali tunc facta in arca, ut patet ex prima (I *Petr.* III, 20, 21.) Petri Canonica; similiter transitus maris Rubri, designando nostrum Baptismum quantum ad liberationem a servitute dæ-
A monum. Alio modo aliquid vocatur baptisma quasi aliquo modo causa nostri Baptismi : sicque baptismus Joannis fertur baptismus, ut ad nostrum Baptisma disponens; et baptismus quo baptizatus est Christus, ut efficaciam nostro præstans Baptismo. Tertio aliquid vocatur Baptismus secundum proportionem ad eumdem effectum, et sic dicitur Baptismus pœnitentiæ, et Baptismus sanguinis, de quibus Magister hic loquitur; vel quantum ad effectum secundarium, qui est con-
B summatio in bono, et sic dicitur Baptismus Spiritus, de quo legitur in Actibus. Et (*Act.* I, 5.) hæc novem genera Baptismatum ponit Damascenus.

Si autem interrogetur, an Baptismus pœnitentiæ sufficiat ad salutem, similiter Baptismus sanguinis; respondendum, quod aliquid dicitur sufficere ad salutem dupliciter. Primo simpliciter et absolute : sicque Baptismus pœnitentiæ ad salutem non sufficit, quia non habet vim regenerandi, nisi cum voto et proposito Bapti-
C smatis aquæ. Alio modo, secundum quid et in casu : et sic sufficit in articulo necessitatis, ut patuit. Denique aquæ Baptismus efficaciam habet a passione Christi, in quantum eam sacramentaliter repræsentat. Baptismus vero sanguinis conformat passioni dominicæ, non sacramentali sed reali repræsentatione. Idcirco in his quæ sacramentalia sunt, Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismatis aquæ, ut est impressio characteris, et hujusmodi; sed in eo quod est res tantum, supplet
D totaliter vicem Baptismatis aquæ, quando necessitas sacramentum excludit. Quemadmodum enim in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente et pœna, ita in Baptismo sanguinis. Quod convenit huic Baptismo, non solum ex opere operante, nec quantum ad pœnam qua aliquis martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; nec quantum ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit quod voluntate informata caritate majori aliquis sine mar-

tyrio non potest omni supplicio liberari; A sed habet hoc potissime ex imitatione dominicæ passionis. Hinc de martyribus dicitur in Apocalypsi (Apoc. vii, 14.) : Laverunt stolas suas in sanguine Agni. Ideo pueri quamvis non habeant usum liberi arbitrii, tamen si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizantur. Denique, in aliis supererogationis et perfectionis operibus aut statibus, non est tam expressa conformitas ad Christi passionem ut in Baptismo sanguinis, imo nec in Baptismo pœnitentiæ : ideo non oportet quod in illis omnis seu tota pœna B dimittatur. Legitur tamen in Vitaspatrum, quod quidam Patrum vidit eamdem gratiam descendentem super eum qui habitum religionis assumit, et super eum qui baptizatur. Sed hoc non est quia talis a satisfactione absolvatur, sed quoniam eo ipso quod suam voluntatem in servitutem redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato satisfecit, quam cariorem habet omnibus rebus mundi, de quibus tantum posset dare, quod eleemosynis cuncta peccata redimeret, etiam quantum ad C pœnam.

Porro si quæras, quis Baptismus sit potior; dicendum, quod quia Baptismus aquæ conformat passioni Christi sacramentali repræsentatione, et Baptismus sanguinis realiter, ideo quantum ad sacramentalia, Baptismus aquæ excedit, ut quantum ad impressionem characteris; sed quantum ad ea quæ sunt res, excedit Baptismus sanguinis, quia et gratia in Baptismo sanguinis magis augetur habenti, et non habenti amplior datur. Efficacior quoque et D fructuosior remissio peccatorum in Baptismo sanguinis condonatur, quia secundis maculis non inquinatur, ut asserit Damascenus. Hinc Augustinus de comparatione horum ait Baptismatum : Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore; ille post professionem adspergitur aqua, hic sanguine; ille per impositionem manus pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti. Unde et pueris qui occiduntur pro Christo, in eorum occisione infunditur gratia. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea in tertia parte, quæstione sexagesima sexta (art. 11.) : Convenienter (ait) distinguuntur tria Baptismata, utpote, aquæ seu fluminis, et flaminis seu pœnitentiæ, et sanguinis, ut tangit Glossa super illud ad Hebræos (Hebr. vi, 2.), Baptismatum doctrinæ. Baptismus namque aquæ efficaciam habet a Christi passione, cui homo per Baptismum conformatur, et ulterius ac principaliter a Spiritu Sancto tanquam a prima causa. Et quamvis effectus a prima causa dependeat, causa tamen excedit effectum, nec dependet ab ipso. Ideo præter Baptismum aquæ potest quis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur patiendo pro ipso. Unde in Apocalypsi legitur (Apoc. vii, 14.) : Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Eadem etiam ratione potest quis consequi per virtutem Spiritus Sancti effectum Baptismi, non solum sine Baptismo aquæ, sed et sine Baptismate sanguinis, in quantum cor alicujus per Spiritum Sanctum movetur ad credendum diligendumque Deum, et ad pœnitendum salubriter; unde vocatur Baptismus pœnitentiæ, juxta illud Isaiæ (Is. iv, 4.) : Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion spiritu judicii et ardoris. Hinc uterque Baptismus iste supplet vicem Baptismatis aquæ. Unde Augustinus libro quarto de Unico Baptismo parvulorum, disseruit : Baptismi vicem quandoque implere passionem, non leve documentum assumit Cyprianus de latrone cui dictum est non baptizato (Luc. xxiii, 43.), Hodie mecum in paradiso eris; quod et fidem conversionemque cordis posse invenio, si ad celebrandum Baptismi mysterium, in angustiis temporum succurri non potest.

Præterea effusio sanguinis pro Christo, (art. 12.) et operatio Spiritus Sancti interior, dicuntur Baptismata, in quantum efficiunt effectum Baptismatis aquæ. Baptismus autem aquæ efficaciam habet a passione Christi

et a Spiritu Sancto. Quæ duæ causæ operantur in quolibet horum trium Baptismatum, excellentissime tamen in Baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur in Baptismo aquæ per quamdam figuralem repræsentationem ; in Baptismo autem flaminis seu pœnitentiæ, per quamdam affectionem ; sed in Baptismo sanguinis, per operis imitationem. Consimiliter, virtus Spiritus Sancti operatur in Baptismo aquæ seu fluminis per latentem virtutem ; in Baptismo pœnitentiæ, per cordis commotionem ; in Baptismo autem sanguinis, per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, juxta illud Joannis : Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hinc nec effusio sanguinis pro Christo rationem habet efficaciamque Baptismi, nisi ex caritate procedat, juxta illud Apostoli : Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quo constat, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, non econtra. Idcirco perfectior comprobatur et præeminentiam habet Baptismus sanguinis, non solum ex parte passionis dominicæ, sed item ex parte Spiritus Sancti. — Hæc in Summa.

Joann. XV, 13.

I Cor. XIII, 3.

In quibus pro maxima parte continentur scripta Petri et Richardi de ista materia, qui nihilo minus dicunt Baptismata ista ita comparari ad invicem, quod quantum ad aliquid, unum est eminentius alio; et quantum ad aliquid, econtrario. — Bonaventura quoque fatetur, quod habent se sicut excedentia et excessa. Nam et Baptismus aquæ generalior est, et pluribus servit, atque characterem imprimit, quod nulli convenit aliorum Baptismatum. Nihilo minus Bonaventuræ videtur, quod absolute loquendo, sanguinis Baptismus sit potior : quod verum reor, et Thomæ consonat ac Alberto. — Insuper ait Bonaventura, quod Baptismus sanguinis non est proprie sacramentum, quia nec institutum est a Deo ad repræsentandum quid sacrum ex similitudine, etc.

QUÆSTIO VII

Septimo quæritur, **An Judæorum ac aliorum infidelium filii ac filiæ baptizandi sint invitis parentibus.**

Videtur quod sic. Primo, quia si infideles pueros suos vellent submergere, aut alias crudeliter trucidare, essent prohibendi, piumque esset pueris subvenire, a temporali eos interitu trahendo : multo plus a mortis æternæ periculo sunt eruendi, invitis parentibus, quos constat ipsos suæ infidelitati velle innectere. — Secundo, infidelium proles est Dei Patris, quantum ad animam, magis quam parentum carnalium : pium ergo et justum est, eos Patri spirituum per Baptismatis gratiam consecrare. — Tertio, infideles, præsertim Judæi, juste subduntur christianis principibus; filii autem servorum sunt in potestate dominorum suorum parentum : ergo principes christiani licite poterunt filios Judæorum eis subditorum facere baptizari.

Sed contra est, quod in Toletano habetur concilio : De Judæis præcepit synodus sancta, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ.

Ad istud Thomas in secunda secundæ, decima quæstione, respondet : Maximam auctoritatem habet consuetudo Ecclesiæ, quæ semper est æmulanda. Nam et catholicorum dicta doctorum ab Ecclesia auctoritatem suscipiunt, propter quod multo major est auctoritas Ecclesiæ quam Hieronymi aut Augustini. Nunquam autem consuetudo Ecclesiæ fuit, ut pueri Judæorum invitis parentibus baptizarentur, quum tamen præteritis temporibus fuerint reges et imperatores christiani multum religiosi, quibus valde familiares fuerunt sancti episcopi, ut Constantino Sylvester, Theodosio Ambrosius, qui istud non omi-

art. 12.

sissent facere aut impetrare ab ipsis principibus, si licuisset. Ideo periculosum esset istud nunc recenter inducere, quod pueri tales sic baptizarentur. Primo, propter periculum fidei, quam pueri tales postea forsan de facili desererent inductione parentum, cognito quod taliter ad Baptismum venissent. Secundo, quoniam hoc repugnaret naturali justitiæ, qua proles debet esse sub cura parentum usque ad usum rationis : unde jus paternæ potestatis non est parentibus auferendum. Hæc loco prætacto.

Præterea in tertia parte, quæstione sexagesima octava (art. 10.) : Pueri (ait) infidelium aut habent usum rationis, aut non habent. Si habent, tunc quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, incipiunt esse suæ potestatis : ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Si autem usum rationis nondum sortiti sunt, de naturali jure sunt sub potestate et cura parentum, nec ipsis invitis sunt baptizandi. — Ad objecta ergo dicendum, quod nec a morte corporali est aliquis eruendus contra ordinem juris civilis. Ideo in derogationem juris naturalis non est proles potestati et curæ parentum subtrahenda ante liberi arbitrii usum. Hæc idem ibi.

Concordat Richardus infra in quæstionibus sextæ distinctionis, et addit : Non est consuetudo in Ecclesia Dei, nec esse debet, ut parvuli Judæorum et paganorum invitis parentibus baptizentur, quoniam baptizati aut restituerentur suis parentibus, et sic tempore suo averterent eos a fide, aut male tractarent; vel non restituerentur parentibus, et sic esset periculum quod interficerent parvulos suos, ne fierent christiani. Verumtamen alii sunt qui dicunt, quod si esset consuetudo Ecclesiæ, quod parvuli illi baptizati nutrirentur de facultatibus Ecclesiæ, nec restituerentur parentibus, tunc bonum esset eos invitis parentibus baptizare, ac baptizatos supremo Domino consecrare; sed consuetudo Ecclesiæ non est talis. Hæc Richardus.

His concordat Durandus quantum ad id quod dictum est de pueris Judæorum adultæ ætatis. De pueris vero nondum ratione utentibus, refert tres esse opiniones. Una est, quod principes christiani possunt licite ac meritorie auferre pueros Judæorum qui in suis exsistunt dominiis, et eos Baptismo offerre invitis parentibus : ad quod inducunt rationes ad hoc introductas; et item quoniam principes christiani possunt filios illos in terrenam redigere servitutem, ergo multo plus in servitutem divinam. Dicit quoque opinio ista, quod pueri tales suscipiunt verum Baptismum. Secunda opinio est, quod istud omnino illicitum sit propter motiva præhabita. Et quamvis pueri tales de facto taliter baptizentur, non tamen accipiunt verum Baptisma, quoniam ad suscipiendum Baptismum ad minus requiritur intentio directa vel interpretativa. Interpretativa autem parvulorum illorum voluntas videtur esse voluntas parentum : unde et olim in lege naturæ in fide salvabantur parentum. Tertia opinio est, quod non liceat parvulos tales baptizare invitis parentibus; tamen si fiat, vere sunt baptizati, quemadmodum etiam si filii christianorum parentum, invitis ipsis parentibus baptizentur, baptizati vere sunt. — Hæc Durandus, qui se fatetur secundæ opinioni potius consentire, quantum ad id quod dicit illicitum esse pueros illos baptizari contra voluntatem parentum; attamen dubitare se perhibet de hoc, an pueri illi in casu illo veraciter baptizentur. Quocirca sciendum, quod secunda illa opinio est quam sequitur Thomas, quantum ad hoc in quo et Durandus concordat. Sed non puto id fuisse de mente B. Thomæ, quod parvuli tales non baptizentur in casu hujusmodi : imo videtur sensisse contrarium, dicendo, quod periculosum esset pueros illos sic baptizare, propter periculum fidei, utpote quoniam pueri sic baptizati, facili occasione forsan desererent, inductione suorum parentum, fidem susceptam. In quibus verbis videtur sentire, quod si baptizen-

Cf. p. 135 A'.
Cf. p. 135 C' et s.

tur, fidem recipiant, et eadem ratione cetera dona ac virtutes quæ in Baptismate infunduntur.

Insuper Scotus circa hæc scribit : De parvulis Judæorum et infidelium aliorum dicitur, quod non sint baptizandi invitis parentibus, quia aut redderentur parentibus baptizati, et tunc subverterentur ; aut non redderentur parentibus, et sic fieret istis injuria, quia dum parvuli sunt, parentes habent jus super eos. Verum hæc ratio etsi concludat de privata persona, non tamen videtur concludere de principe cui subjecti sunt illi in regimine reipublicæ. Hinc breviter dico, quod si princeps hoc faceret cum cautela bona, ita ut parentes non præcognoscerent hoc futurum, ne pueros ipsos occiderent, baptizatos quoque faceret religiose educari, bonum esset. Imo quod plus est, crederem religiose fieri, si princeps etiam ipsos parentes incredulos minis atque terroribus cogeret ad Baptismum : quod probari videtur, quia simile commendat concilium Toletanum, factum tempore religiosissimi principis Assebuci*, etc. Hæc Scotus. [* Sisebuti]

Qui de his plura conscribit, in quibus quidquid sit de veritate principalis quæsiti, videtur sibi ipsi contrarius. Siquidem paulo ante in hac ipsa distinctione asseruit : Deus, qui dixit per Sapientem, Fili, præbe cor tuum mihi, non vult aliquem omnino invitum adscribi familiæ suæ. [*Prov.* xxiii, 26.] Assumens autem Baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi. Insuper theologi et juristæ concorditer dicunt, quod hi qui nunquam fuerunt in fide, non sunt cogendi ad fidem. Unde dum Constantinus imperator conversus et baptizatus, volebat Romanos ad fidem compellere, S. Sylvester persuasit ei oppositum. Jacobus quoque apostolus dixit : Non est nostræ disciplinæ, quemquam ad fidem compellere. [Legenda aurea, cap. 94.] Præterea, quod Scotus allegat pro sua opinione ex Toletano concilio, militat contra ipsum, quia ibidem sic legitur : Præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre, etc., ut supra. Quo constat,

A quod etsi ante hoc exstitit factum, synodus illa prohibuit hoc fieri ultra.

Itaque in hac re consentio responsioni Thomæ, non tamen propter ejus motiva, quoniam non videntur concludere. Quum enim omne jus naturale ac divinum ab æterna et increata lege ac sapientia supergloriosissimi Creatoris profluxerit, et sit quædam expressio, directio ac determinatio ejus, constat quod nullum jus naturale seu divinum aut positivum obliget et adstringat, nisi in quantum manet sub

B regula, tenore ac ordine juris divini et increati. Quum ergo ex jure increato parentibus sit concessum, ut auctoritatem, curam et dispositionem habeant super sobolem suam, præsertim ante usum liberi arbitrii, ad hoc ut salubriter provideant, dirigant et gubernent eamdem secundum dictamen et exigentiam juris increati ; dum certum est quod parentes hac auctoritate et potestate totaliter abutantur, et sobolem suam secum æternæ aversioni a Deo ac condemnationi involvere quærant,

C non est ipsis in hoc deferendum. Nec fit eis injuria, si habens auctoritatem subtrahat eorum abusui, perversitati, infidelitati filios eorum ac filias, quatenus salubriter educentur : quemadmodum etiam prælato superiori licitum est prælato inferiori prorsus perverso, scandaloso, subversionem suorum quærenti, resistere et ipsum deponere, ac subditos periclitantes idoneo prælato committere. Denique, sicut in ultima distinctione libri secundi circa finem, copiose et evidenter monstratum est, [dist. xliv, q. 5.]

D in coordinatione potestatum potestas inferior non obligat in his quæ sunt contra superioris potestatis imperium et censuram. Ad istud quoque probandum valet ratio, in hujus quæstionis principio posita. [p. 135 A'.]

Hinc quantum ad principale, consentio Thomæ, ob alia tamen motiva, potissime quantum ad Judæos, de quibus Omnipotens in sua providentia statuit, ut usque in finem mundi in suis remaneant posteris, quatenus prædestinati ex ipsis, tempore desuper præstituto nascantur, con-

vertantur, martyrizentur, ac aliis modis A salubriter consummentur. Ob alias quoque utilitates vult Deus ut inter Christianos vivere permittantur suosque ritus saltem in parte exercere. Unde et Christus prote-
Ps. LVIII, 12. statur in Psalmo : Deus ostendit mihi super inimicos meos, Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. — Quod si objiciatur, ob hoc non oportere tam multos Judæos manere incredulos ; dicendum, quod nobis incertum est, quos et ex quibus velit producere Deus. Imo, quoniam
I Cor. III, 22. (teste Apostolo) omnia propter electos, pu- B to quod nec alios incredulos, nec reprobos Christianos superbonus et supersapiens Deus taliter continuaret et multiplicaret, nisi quidam, imo multi et quasi innumerabiles electi essent nascituri ex eis, sive ob alia bona quæ elicit Deus ex malis. Nihilo minus pium videtur, ut si principes christiani prosternant in bello incredulos, et terras eorum jure prælii adipiscantur, parvulos eorumdem faciant baptizari, et inter fideles corporaliter ac spiritualiter enutriri. — Postremo primum illud Tho- C mæ motivum, quod scilicet maximam auctoritatem habet consuetudo Ecclesiæ, rationabilis persuasio esse videtur. Infra demum habebitur, quod infideles qui nunquam christiani fuerunt, non sint ad Baptismum cogendi.

Præterea, adhuc aliqua circa istam distinctionem quæruntur, videlicet utrum sanctificati in utero essent baptizandi ; et item, utrum jam justi et virtuosi baptizandi exsistant. — Et videtur quod non, quum Baptismus contra originale ordinetur peccatum, a quo illi jam purgati sunt. Quumque in caritate et fide formata consistant, non videtur eis aliquid plus necessarium ad salutem.

Ad ista respondetur ab aliquibus infra. Sed responsio breviter stat in isto, quod propter generalitatem divini præcepti sint baptizandi, et hoc prodest eis ad gratiæ ac virtutum profectum, et ad obedientiæ commendationem. Et quamvis non indigeant propter remedium, id est propter originalis peccati purgationem, cujus remedium est Baptismus, indigent tamen propter præcepti impletionem : quia Baptismus ex consequenti et secundario ordinatur etiam ad fidelium ab infidelibus distinctionem, et ad gratiæ incrementum. Et quamvis quis esset in caritate, tamen nisi in isto obtemperaret, per suam inobedientiam amitteret caritatem.

Quæritur quoque de infantulo exposito de quo ignoratur an sit baptizatus, an sit baptizandus. Ad quod concorditer respondetur, quod nisi per inquisitionem possit agnosci quod sit baptizatus, sit sub conditione baptizandus, dicendo : Si baptizatus non es, ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. — Consimilia quædam rara quæruntur, quæ infra forsan quærentur.

DISTINCTIO V

A. *Quod Baptismus æque sanctus est a bono et a malo datus, bono vel malo.*

Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 8.

POST hæc sciendum est, sacramentum Baptismi a bonis et a malis ministris dari, sicut a bonis et a malis sumitur. Nec melior est Baptismus qui per meliorem datur, nec minus bonus qui per minus bonum datur, nec malus qui per malum datur ; nec majus munus datur in Baptismo dato a bono, nec minus

in Baptismo dato a malo, sed æquale : quia non est munus hominis, sed Dei. Quod totum subditis declaratur testimoniis. Augustinus ait : Baptismus talis est, qualis ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur. Item : Prorsus fieri potest, ut aliqui verum habeant Baptisma, et non habeant veram fidem. Item : Si inter bonos ministros, quum sit alius alio melior, non est melior Baptismus qui per meliorem datur, nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem Baptismus datur : et ideo per ministros dispares, Dei munus est æquale, quia non illorum, sed ejus est. Idem : Quum baptizat malus, illud quod datum est, unum est, non impar propter impares ministros, sed par et æquale propter hoc, Hic est qui baptizat. Item : Ego dico, et nos dicimus omnes, quia justos oportet esse per quos baptizatur, justos oportet esse tanti judicis ministros. Sint ministri justi, si volunt; si autem noluerint esse justi qui sedent in cathedra Moysis, securum me facit magister meus, scilicet Christus, de quo Spiritus Sanctus dicit, Hic est qui baptizat. Item : Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit. Si quos ergo baptizavit ebriosus, homicida, adulter; si Christi erat Baptismus, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attendo per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat. Item : Homicida dedit Baptismum Christi : quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur. Item : Si in hæresi quacumque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Baptismi sacramentum acceperit, integrum sacramentum accepit; sed salutem, quæ virtus est sacramenti, non habebit, si extra Ecclesiam catholicam ipsum sacramentum habuerit. Debet ergo ad Ecclesiam redire, non ut sacramentum Baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere, sed ut in societate catholica vitam accipiat. Baptismus enim extra Ecclesiam nequit prodesse. Ibi enim cuique prodesse potest Baptismus, ubi potest prodesse eleemosyna, id est in Ecclesia. Item Isidorus : Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit qui baptizat. — In his perspicue cernis, Baptismum verum bonis et malis dari, et a bonis et a malis ; et ipsum tamen æque sanctum esse, et munus ejus æquale, sive a bonis, sive a malis baptizetur.

Aug. in Joann. tract. 5, n. 6. — Id. de Unico Bapt. n. 18; Contra Cresconi. lib. III, c. 6. — Id. in Joann. tract. 6, n. 8. — Joann. I, 33. — Aug. in Joann. tract. 5, n. 15. — Ibid. n. 18. — Ibid. n. 19. — Fulgent. de Fide ad Petrum, n. 43. — Ibid. n. 44. — De Consecr. dist. IV, c. 23.

B. *De potestate Baptismi et ministerio.*

Quia ministerium tantum habent, non potestatem Baptismi : potestatem enim sibi retinuit. Quod novit Joannes, quum vidit columbam descendentem super Christum. Unde Augustinus : Quid noverat Joannes Baptista ? Dominum. Quid non noverat? Potestatem dominici Baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum : potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat potestatem Domini. Quid facit tibi minister malus, ubi bonus est Dominus? Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Si superbus

Matth. III, 16. — Aug. in Joann. tract. 5, n. 11. — Ibid. n. 15. — I *Cor.* III, 7.

fuerit minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi : quod per illum fluit, purum est. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas; in canali lapideo nil generatur, sed hortus fructus plurimos affert. — Habent ergo non modo boni, sed etiam mali ministerium baptizandi, sed neuter potestatem Baptismi. Ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem retinuit sibi : quam si vellet, poterat servis dare, ut servus daret Baptismum suum tanquam vice sua. Et potestatem suam constituere poterat in aliquo vel in aliquibus servis suis, ut tanta vis esset in baptismo servi, quanta est in baptismo Domini; sed noluit, ne servus in servo spem poneret. Baptizat servus ut minister, baptizat Dominus tanquam potestatem habens : quam si daret servis, ut scilicet ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot servi, ut sicut dictus est baptismus Joannis, sic diceretur baptismus Petri vel Pauli. Quod ne fieret, retinuit sibi Dominus potestatem Baptismi, servis autem ministerium dedit. Si ergo servus dicit se baptizare, recte dicit, sed tanquam minister baptizat : et ideo non differt, sive bonus sive malus baptizet. Inde etiam nemo dicit, Baptismus meus; quum tamen dicat, Evangelium meum, prudentia mea, licet sint hæc a Deo. In quibus differentia est : alius enim alio melius operatur in evangelizando, et alius alio prudentior est; alius autem alio magis minusve baptizatus, sive ab inferiori sive a superiori baptizetur, dici non potest.

Aug. in Joann. tract. 5, n. 7.

Id. de Bapt. contra Donat. lib. v, n. 16.

C. *Quæ fuit potestas Baptismi quam potuit Christus dare servis.*

Hic quæritur, quæ sit illa potestas Baptismi quam Christus sibi retinuit et potuit dare servis. Hæc est, ut plurimi volunt, potestas dimittendi peccata in Baptismo. Sed potestas dimittendi peccata quæ in Deo est, Deus est. Ideo alii dicunt, hanc potestatem non potuisse dare alicui servorum, quia nulli potuit dare ut esset quod ipse est, vel ut haberet essentiam quam ipse habet, cui hoc est esse quod posse. Dicunt enim : Si hanc potentiam alicui dare potuit, potuit ei dare creaturas creare, quia non est hoc majoris potentiæ quam illud. Ad quod dici potest, quia potuit eis dare potentiam dimittendi peccata, non tamen ipsam eamdem qua ipse potens est, sed potentiam creatam qua servus posset dimittere peccata (non tamen ut auctor remissionis, sed ut minister, nec tamen sine Deo auctore), ut sicut in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio haberet interius mundare : sicut illud facit Deo auctore, qui cum eo et in eo operatur illud exterius, ita interius mundaret Deo auctore, qui ejus verbo velut quodam ministerio uteretur. Ita etiam posset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tanquam auctorem, sed per ministrum cum quo et in quo operaretur : sicut in bonis operibus nostris ipse operatur et nos, non ipse tantum, nec nos tantum, sed ipse nobiscum et in nobis; et tamen in illis agendis ministri ejus sumus, non auctores. Ita ergo potuit dare servo potestatem dimittendi peccata in Baptismo, id est, ut in mundatione interiori servus cum Domino operaretur : non servus sine Domino, nec Dominus sine servo, sed

Dominus cum servo et in servo, sicut in exteriori ministerio Dominus operatur cum servo et in servo. Unde et Dominus dicitur sanctificare, et servus; sed Dominus invisibili gratia, servus visibili sacramento. Unde Augustinus super Leviticum : Dominus ait, Ego Dominus qui sanctifico; et de Moyse etiam dictum est : Et sanctificabis eum. Sed Moyses sanctificabat visibilibus sacramentis per ministerium; Dominus autem invisibili gratia per Spiritum, ubi est totus fructus visibilium sacramentorum. Sine hac sanctificatione visibilia sacramenta nihil prosunt. — Si quis hoc melius aperire poterit, non invideo.

Aug. Quæst. in Hepta-teuch. lib. III, q. 8. *Lev.* XXI, 15. *Exod.* XXIX, 24.

SUMMA
DISTINCTIONIS QUINTÆ

JAM determinatum est de sacramento Baptismi in se, deinde de eodem in ordine ad suscipientes; hic tractatur de eo per respectum ad dantes, puta a quibus valeat exhiberi, seu qui sint qui possunt baptizare. Quocirca declarat, quod a bonis ac malis, a catholicis et ab hæreticis atque schismaticis possit præstari : quoniam non consistit nec datur in virtute et merito baptizantis ministri, sed Christi, et in virtute et omnipotentia Dei. Deinde prosequitur, qualiter Christus ministerium dedit servis, non ipsam potestatem Baptismi, prout hoc infra exponetur. Tertio perscrutatur, quæ sit illa Baptismi potestas quam Christus sibi retinuit, nec contulit servis, quum tamen hanc eis dare potuerit.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum hæretici et schismatici ac pagani, aliique quicumque possint vere baptizare.**

Videtur quod non. Primo, quoniam baptizare est spiritualiter regenerare : qui actus convenire non potest spiritualiter mortuis. — Secundo, in Ecclesiastico legitur : Ab immundo quid mundabitur? Quum ergo Baptismus sit lotio atque mun- *Eccli.* XXXIV, 4.

A datio spiritualis, ab immundis et vitiosis conferri non poterit. — Tertio, ecclesiastica sacramenta non nisi ab ecclesiasticis sunt administranda personis. — Quarto, nemo alteri confert quod ipse non habet. Quum ergo baptizans aliquo modo conferat gratiam baptizato, et aliquo modo ejus cooperetur saluti, necesse est ipsum esse in statu gratiæ ac salutis.

Ad hæc respondet Antisiodorensis : Apud hæreticos verum est Baptisma, verusque B Ordo et sacerdotium verum, idcirco et vera potestas conferendi Baptisma. Dum ergo baptizant, servatis debita forma ac materia, vere est baptizatum. Insuper, secundum Augustinum, nulli sacramento est facienda injuria. Sacramento autem facit injuriam qui dicit ipsum pollui per impuritatem et indignitatem ministri : nempe si radius solis quantacumque immunditia perfundatur, nequaquam polluitur, quanto minus sacramentum?

Si autem objiciatur : Hæretici quosdam C baptizant. Aut ergo faciunt eos filios Ecclesiæ et filios regni, aut non : si sic, ergo filii hæreticorum (utpote regenerati ab eis) sunt filii Ecclesiæ, et ita ipsi hæretici exsistunt Ecclesia; si non, ergo Baptismus non est spiritualis generatio ad salutem. — Ad quod dicimus, quod Baptisma ab hæreticis administratum generat aliquos, videlicet parvulos, qui non ponunt obicem gratiæ Dei; quosdam non, puta adultos hæreticis doctrinis imbutos, qui verum Baptismum recipiunt atque characterem, D non gratiam, eo quod obicem ponant : ideo

ad Ecclesiam per pœnitentiam redeundo, A gratiam consequuntur. Qui autem ab hæreticis baptizati sunt, nati Ecclesiæ, dicuntur filii Ecclesiæ, non quasi baptizati a veris Ecclesiæ filiis, sed tanquam renati ex Spiritu Sancto, et associati ac incorporati Ecclesiæ per ministerium hæreticorum. Vel possumus dicere, quod Deus genuit illos de Ecclesia, id est de hæreticis seu paganis, secundum id quod cum Ecclesia habent commune. — Hæc Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto.

Præterea de his Thomas conscribit, pri- B mo respondens ad istud, an non baptizati valeant baptizare : Baptismus, inquiens, inter omnia sacramenta est maximæ necessitatis, tum quia pueris non potest aliter subveniri, tum quoniam nec adultis quantum ad totius pœnæ remissionem. Hinc quæ ad Baptismum necessario requiruntur, oportuit communissima esse, tam ex parte materiæ (quæ est aqua, et potest haberi ubique), quam ex parte ministri, ita ut quilibet homo baptizare possit in necessitate. Verum sicut sanctificatio aquæ C et benedictio Baptismum præcedens, non sunt de necessitate sacramenti, sed de ejus solennitate, quam sine rationabili causa non licet omittere, propter institutionem Ecclesiæ; sic et ordinatio ministri non est de necessitate sacramenti Baptismi, sed de solennitate. Et peccat qui non ordinatus baptizat, nisi imminente necessitate; tamen sacramentum confert. Sicque actum istum hierarchicum Deus universis concessit propter necessitatem, quemadmodum omnibus aquis regenerativam vim D contulit.

Deinde respondens ad istud, an baptizare sit proprium ordinis diaconorum : In potestatibus ordinatis, quidquid potest potestas inferior, potest superior, non econtra. Quumque potestas sacerdotalis sit supra potestatem diaconi, sacerdos habet vim purgativam et illuminativam, diaconus tantummodo purgativam. Et quia in omnibus legis evangelicæ sacramentis est illuminatio gratiæ cum purgatione : hinc diaconus non est proprius minister Baptismi, nec alicujus sacramenti, sed aliquorum sacramentalium, ut exorcismi et expulsionis immundorum a divinis, ut quum clamat, Si quis Judæus est, abscedat; et eruditionis eorum qui ignorant qualiter habere se debeant, ut quum dicit, Flectamus genua, vel, Humiliate vos, ad benedictionem, aut simile aliquid. — Si autem objiciatur, quod Baptismus habet purgare : ergo diaconis convenit; et rursus, quod ad diaconos pertinet Evangelium prædicare, quod est illuminare : ergo possunt Baptismum et alia sacramenta conferre. Dicendum, quod Baptismus non solum habet purgare, sed etiam illuminare, ut S. Dionysius loquitur. De Eccl. hier. c. v. Ad diaconum quoque pertinet Evangelium prædicare ad purgandum, quod est quasi linguis loqui; ad sacerdotem vero pertinet interpretari et exhortari, quod est quasi prophetare. Hinc secundum Isidorum, baptizandi ministerium nec diaconis ipsis est licitum.

Præterea nemo se ipsum potest baptizare, quia se ipsum non potest gignere. Attamen non baptizatus potest alium baptizare, ut dictum est. Verumtamen, quod Innocentius III ait in Decretali, quod Judæus qui se ipsum mersit in aquam, dicens, Ego baptizo me in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, si protinus decessisset, ad patriam evolasset, intelligendum est propter vim contritionis et devotionis, ex cujus magnitudine hoc procedere videbatur, quod inter Judæos exsistens, obtulit se periculo mortis. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea circa hæc quærit et alia multa, quorum tamen ex dictis potest patere solutio. Primum est, utrum mali possint conferre sacramentum Baptismi. Secundum, utrum per eos conferatur res sacramenti. Tertium, utrum Baptismus per meliorem ministrum collatus, meliorem sortiatur effectum in baptizato. Quartum, utrum malus minister peccet baptizando. Quintum, utrum recipiens in se vel in alio sacramentum a malo sacerdote, excedat.

Ad quorum primum respondet, quod

quum bonitas vitæ ministri non sit de essentia sacramenti Baptismi, potest Baptismus dari per vitiosum ministrum, sicut et fieri potest in aqua immunda, quamvis propter reverentiam sacramenti utrumque vitandum sit. Debitus ergo minister Baptismi debito congruitatis seu convenientiæ, est sacerdos, imo et bonus sacerdos; debitus vero debito necessitatis, est quilibet homo.

Ad secundum respondet : Agens principale in Baptismo, est omnipotentia virtutis divinæ per auctoritatem, deinde Christus secundum quod homo, cujus meritum operatur in Baptismo; atque ex plenitudine bonitatis divinæ sicut ex causa principali, et ex merito Christi sicut ex causa meritoria quodammodo instrumentali, provenit gratia ad baptizatum. Baptizans vero est agens tantum instrumentale : idcirco non refert ad rem sacramenti percipiendam, utrum baptizans sit virtuosus an non.

Ad tertium autem respondens : Aliquid, inquit, dicitur effectus alicujus dupliciter, utpote per se, et per accidens. Per se, quod per aliquid ad hoc ordinatum producitur : sicut domus ab ædificatore; per accidens vero, quod conjungitur ei quod est effectus per se : ut inhabitatio domus est effectus domificatoris. Itaque dico, quod effectus per se Baptismi est æqualis, a quocumque detur Baptismus, bono seu malo, ceteris paribus ex parte baptizati. Sed cum effectu Baptismi potest aliquid aliud baptizato conferri, sive pertineat ad salutem corporis sive animæ, ex merito baptizantis; quod tamen non est proprie effectus Baptismi : quia Baptismus non est nisi causa instrumentalis, nec est instrumentum agens in virtute ministri, qui et ipse instrumentum est, sed in Christi virtute ac Dei.

Respondens quoque ad quartum, affirmat : Quicumque in mortali peccato exsistens, exhibet se ministrum Ecclesiæ, etiam in quocumque spirituali, peccat, juxta quorumdam opinionem satis probabilem, quæ
Epist. vii. auctoritate divini Dionysii confirmatur, ut A infra melius ostendetur. Idcirco sacerdos in mortali cum solemnitate baptizans, quasi ministrum Ecclesiæ se exhibens, peccat mortaliter. Si autem baptizet simpliciter in necessitatis articulo, non ut minister Ecclesiæ, sed prout vetula baptizare posset, non peccat in hoc.

Ad quintum vero respondet : Malus minister aut est præcisus ab Ecclesia, aut non. Si primum, sic peccat qui ab eo suscipit sacramentum, nisi in necessitate, in qua etiam posset a pagano seu Judæo recipere. B Si autem ab Ecclesia non sit præcisus, non peccat sacramentum ab eo sumens, nisi per accidens, ut si ejus peccato communicet. Denique dato quod malus sacerdos peccet baptizando, non tamen oportet quod peccet sacramentum ab eo suscipiens vel requirens, propter duas rationes. Primo, quia ei non est certum quod sacerdos ille sit in mortali peccato, quum in uno instanti Deus justificationem impii operetur. Secundo, quoniam iste petit quod justum est, quia a suo sacerdote debet sa- C cramentum suscipere. Nec ob hoc cogit aut inducit illum ad peccandum, quoniam ille potest facere quod debet, non peccando.

Sed quæri potest, quid agendum sit, si sacerdos baptizare non velit nisi pretio sibi dato, per quod simonia committeretur. Dicendum, quod is qui baptizandus est, vel est adultus, aut non. Si est adultus, sufficit ei ad salutem petere Baptismum, quoniam baptizatur Baptismo flaminis; nec debet ob hoc simoniam committere. Si ve- D ro sit puer, tunc ipsemet potius debet puerum baptizare, quam pretium sacerdoti pro baptismo pueri simoniace dare. Attamen licitum est ei emere aquam, si eam alias habere non valet, quia aqua non est quid sacrum. Et si sit sanctificata, non operatur ad Baptismum ut sanctificata, quasi sanctificatio de necessitate exigatur, sed ut aqua : idcirco non emit aquam sanctificatam, sed aquam. Aliqui vero dicunt, quod potest pretium dare : quoniam hoc non est simoniam committere, sed vexa-

tionem suam redimere. Primum tamen verius videtur. — Hæc Thomas in Scripto.

In tertia vero parte, quæstione sexagesima septima, protestatur : Quemadmodum cœlestium ordinum proprietates et eorum officia ex ipsorum nominibus considerantur, secundum B. Dionysium septimo capitulo Hierarchiæ cœlestis ; ita ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi quasi ministri, quia ad eos principaliter non pertinet aliquod sacramentum ex proprio ipsorum officio præbere, sed ministerium adhibere majoribus in exhibitione sacramentorum. Hinc ad diaconum non pertinet baptizare, nisi in necessitate. (art. 1.)

(art. 2.) Porro tam docendi quam baptizandi officium Christus injunxit Apostolis, quorum vicem gerunt episcopi, aliter tamen et aliter. Officium namque docendi seu prædicandi commisit eis, ut illud tanquam principalissimum personaliter exercerent; unde in Actibus dicunt (*Act.* VI, 2.) : Non est æquum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Officium autem baptizandi ipsis commisit tanquam exercendum per alios, sicut ad Corinthios Paulus ait (I *Cor.* I, 17.) : Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Et hoc ideo, quia in baptizando nil operatur meritum baptizantis nec sapientia ejus, sicut in prædicando : in cujus signum ipsemet Christus non baptizavit, ut habetur in Joanne (*Joann.* IV, 2.). Nihilo minus possunt episcopi baptizare, quoniam potest potestas superior quod inferior.

(art. 3.) Istud demum, an non baptizatus possit in necessitatis articulo baptizare, Augustinus in libro secundo contra epistolam Parmeniani reliquit sub dubio. Postea vero determinavit Ecclesia quod sic. Unde Nicolaus Papa ad Bulgarorum consulta respondit, quod baptizati a paganis sub debita forma Trinitatis, non rebaptizarentur. Si autem sub hujusmodi forma non essent ab illis baptizati, essent denuo baptizandi. Et ita est intelligendum quod Gregorius III scripsit Bonifacio episcopo, ut scilicet ba-

A ptizati a paganis, rebaptizarentur. — Hæc in Summa.

Concordant Albertus, Petrus, Richardus, Argentinensis, aliique communiter; redeuntque in idem scripta Bonaventuræ dicentis : Baptismus est sacramentum ecclesiasticum, necessarium et primum. Et quia ecclesiasticum, ideo ejus administratio primo et principaliter commissa est clericis, et inter hos sacerdotibus. Quumque sit necessarium, et sacerdos non semper adsit, ideo ejus administratio etiam se extendit

B ad laicos, divina misericordia id agente, quæ neminem vult perire (II *Petr.* III, 9.). Et quia est primum, a nullo alio sacramento dependet : propter quod potestas ministerii ejus se extendit ad omnes qui faciunt ea quæ pertinent ad integritatem sacramenti istius. Denique, quum sacramentum sit visibile signum, ideo regulariter exhiberi debet a ministro visibili, scilicet homine, non a spiritu, potissime malo, quamvis visibiliter apparente. Et quia est unum, dispensari debet ab uno administratore, non a

C pluribus. Et quia est verum, debet esse et manifestum, ut alius sit baptizans, et alius baptizatus. Nam et in forma ejus duplex persona exprimitur, quum dicitur : Ego baptizo te. — Hæc Bonaventura. Qui circa hæc scribit diffuse, cujus scripta sufficienter videntur præhabita.

Præterea Durandus et Scotus satis consonant præinductis. Et addit Scotus : Distinguitur hic de malo ministro, quia aut est præcisus ab Ecclesia totaliter, vel ad tempus; vel non est præcisus. De primo

D sunt duæ opiniones. Una, quod tenetur quis a tali Baptismum recipere, si alium non possit ministrum habere, quia Baptismus est sacramentum necessitatis. Alia, quod tenetur non recipere ab eo, et recipiendo peccat mortaliter. Nam baptizandus vel est adultus, aut parvulus. Si adultus, sufficit sibi Baptismus flaminis, quando Baptismum fluminis habere non valet a licito ministro cui communicare possit, præsertim in sacramentalibus. Si autem sit parvulus, potest a quocumque bapti-

zari. Potest autem teneri media hic via, A quod scilicet adulto liceat sumere a præciso, in necessitatis articulo : quia præceptum de Baptismo suscipiendo, majus est præcepto Ecclesiæ de præciso vitando. Idem videtur dicendum de parvulo, quod scilicet habens seu deferens eum ad Baptismum, potius debeat eum offerre præciso ad baptizandum, si aliter baptizans non queat haberi, quam permittere quod non baptizatus decedat, et per consequens æterna felicitate privetur. — Porro de malo ministro non præciso, non publice malo B nec scandaloso, satis conceditur quod possit quis ab eo sacramentum suscipere, aut pro suo parvulo postulare : quoniam propter peccatum non notorium non debet aliquis in actibus notoriis vitare proximum suum. Hæc Scotus.

QUÆSTIO II

SEcundo hic quæritur, **Qualem pote-** C **statem intus mundandi a peccato habuit Christus ut homo, et qualem potestatem dedit ministris cooperandi ad purgationem interiorem.**

Videtur quod Christus ut homo, non habuit potestatem baptizandi interius, seu relaxandi et dimittendi peccata, nisi instrumentalem et ministralem, seu meritorie concurrentem : quia solius Dei est auctoritative peccata dimittere, gratiamque infundere, et mentem purgare. Humanitas D autem Christi unita est Verbo ut instrumentum animatum, immediatum et proprium. Talem autem potestatem contulit Christus Deus suis discipulis, quibus dixit: *Matth.* xviii, 18. Quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlis. Atque (ut patuit) dist. i, q. 4. sacramenta evangelicæ legis efficiunt quod figurant et signant. Itaque supernaturalis quædam virtus in ipsis est, et ita per potestatem ordinis sacerdotalis, minister sacramenti legitimus causaliter cooperari videtur ad purgationem internam a culpa.

Circa hæc doctores diversas ac varias proferunt quæstiones, videlicet : an Christus secundum quod homo, habuit potestatem dimittendi peccata; utrum ministris suis præstitit potestatem cooperandi ad interiorem mundationem; utrum potestas hæc potuit eis conferri; item, quæ sit illa potestas quam Christus potuit dare discipulis et non dedit ; utrum potestas excellentiæ soli Christo homini sit collata. Et quia in textu tangitur de communicatione potentiæ creandi, quærunt hic aliqui, utrum potentia creandi potuit creaturæ communicari : de qua quæstione dictum est satis super secundum, circa princi- dist. i, q. 3. pium.

Ad primum horum Bonaventura respondet : Loquendo de potestate effectiva dimittendi peccata, sic solus Deus dimittit peccata. Nam Christus intus baptizat, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus. Loquendo autem de potestate dispositiva, utpote per modum meriti, sic Christus meruit nobis peccata dimittere et quantum ad pœnam et quantum ad culpam. Hinc quia Deus, dedit dona homi- *Ephes.* iv, 8. nibus, condonavitque culpam; et quoniam innocens fuit, accepit dona in nobis, id *Ps.* lxvii, 19. est, meruit ut nos acciperemus, juxta illud Joannis : De plenitudine ejus nos accepi- *Joann.* i, 16. mus omnes, gratiam pro gratia. Meruit autem Christus nobis remissionem culpæ relaxationemque pœnæ sua passione, quæ fuit Deo gratissima atque in se acerbissima, nullo modo ex debito* suo, sed ad solvendum debita nostra. Et in hoc Christus in quantum homo, excellit in potestate dimittendi pœnam, quia per se potest totum condonare : quemadmodum condo- *Joann.* viii, 11. navit mulieri in adulterio deprehensæ, et nunc quoque hoc potest sine clave. Alii autem homines si hoc possunt, hoc est potestate quam Christus eis commisit ad passionis suæ thesaurum ac meritum dispensandum, tanquam custodibus sui thesauri. Et per hanc distinctionem solvi de

* delicto

facili possunt objecta quæ hic ad utramque possunt partem formari.

Præterea, dum quæritur, quæ sit illa potestas quam potuit Christus dare ministris nec dedit; dicendum, quod circa Baptismum possunt sex virtutes seu potestates notari, ut videamus quam Christus potuit dare nec dedit. Prima est potestas auctoritatis, qua Deus a se ipso, non aliunde, habet potestatem mundandi interius a peccatis. Secunda est potestas cooperationis, ut homo divinitus accepta potentia in tali actu esset cooperator. Tertia est abundantis excellentiæ, ut secundum abundantem gratiam in baptizante exsistentem, majorem conferret gratiam baptizato. Quarta est invocationis, ut homo in nomine Petri baptizare possit, sicut in nomine Christi seu Trinitatis. Quinta est potestas institutionis, ut sicut Christus habuit potestatem instituendi Baptismum in aqua, ita et alius talem haberet potentiam. Sexta est ministerii, qua unus alteri exhibet sacramentum. Primam Christus nec dedit nec dare potuit suis, quoniam incapaces fuerunt. Ultimam potuit dare et dedit. De omnibus vero intermediis dicunt magistri, quod eas discipulis dare potuit, sed non dedit. Nempe secundam et tertiam non donavit, ne spes salutis in homine poneretur, quia si unus homo alium spiritualiter posset sanare, aut suis meritis plus de gratia dare, speraret homo ab homine gratiam et veniam. Quartam quoque et quintam non dedit, ne tot sint Baptismi quot baptizantes. Hinc unus solus instituit, ut unus solus invocetur.

De potestate demum cooperationis est controversia, quia Magister dicit, quod Christus illam potuit dare : quod communiter non tenetur. Sed quoniam Augusti-
Cf. p. 139 B. nus videtur hoc dicere, advertendum quod alteri cooperari contingit dupliciter. Primo, per modum causæ efficientis : sicut natura cooperatur Deo in productione naturalium rerum; liberum quoque arbitrium gratiæ, faciendo meritorium opus. Alio modo, per modum disponentis : sicut co-
A operatur homo Deo quantum ad gratiam, se disponendo ad illam. Primo modo, quidquid Magister dicere videatur, Deus homini dare non potuit hujusmodi potestatem cooperativam, quia creatura capax non fuit. Nec ita intelligit Augustinus, ut tactum est primo libro, distinctione decima *Cf.* t. XIX,
quarta. Sed secundo modo potuit dare, ut p. 522 A et s.
scilicet homo homini gratiam impetret dispositive : sicut dedit homini virtutem faciendi miracula, non quod ea efficiat homo, sed virtute sibi collata impetret ea
B desuper fieri. Ex quibus innotescit, quomodo intelligenda sunt verba Augustini quæ allegat Magister; et quod rursus super illud Joannis, Hic est qui baptizat, Augusti- *Joann.* I, 33.
nus testatur : Joannes didicit quod potestatem mundandi a peccatis Christus potuit dare ministris, sed non dedit. — Hæc Bonaventura.

Qui et circa id quod dictum est de Baptismo non suscipiendo a malo ministro, disseruit : Ille qui baptizat, aut est in peccato notorio, aut occulto; et sive sic,
C sive sic, adhuc distinguendum est : quia aut est necessitas baptizandi, et timetur scandalum nisi baptizet, et tunc non peccat baptizando, sed in hoc quod se negligit præparare, et cum timore et reverentia ad sacramentum accedere. Si autem non sit necessitas, nec scandalum formidatur si non baptizat; non debet baptizare, nisi prius se præparet ad justificationem. Quod si non fecerit, non solum peccat negligendo, sed etiam quantum in se est, sacramento contumeliam faciendo, et usur-
D pando id ad quod non exsistit idoneus. Si vero notorius est, peccat scandalizando. Ideo asserit Augustinus : Mundos oportet esse ministros.

Objici quoque potest contra id quod ait Augustinus : Si baptizavit ebriosus, etc., *Cf.* p. 139 A.
baptizatum est. Ebrietas namque aufert vim rationis, atque intentionem, quæ est necessaria ad Baptismum : ergo ebriosus non baptizat. Dicendum, quod differentia est inter ebrium et ebriosum. Ebrius namque dicitur in actu, ebriosus in consue-

tudine; et potest aliquis solitus inebriari, aliquando sobrius esse actu, tuncque baptizatum est, si baptizet. Si autem ebrius habeat rationem adeo ligatam, quod baptizandi intentio ab eo tollatur, ita quod nescit quid faciat, non baptizat. Porro, si ratio soluta est tantum, quod scit quid facit, attamen non est omnimodo bene compos sui, judicandum est quod vere baptizet, etiam si lingua ejus aliquo modo balbutiat, quoniam hoc non est semper efficax signum ligaminis rationis, quum quidam ex modico balbutiant vino. Distinguendum est tamen de ligamine linguæ : quia si verba intelligibiliter format, perfecte baptizatus est homo; si autem ita corrupte profert, quod non intelligi potest, et si formam ita infringit, ut convenienter intelligi nequeat, rebaptizandum est.

Cf. p. 139 B. Insuper quæritur de hoc quod dicit, quia noverat Joannes Baptista Dominum. Videtur etenim dicere contra Hieronymum et Chrysostomum, asserentes quod non noverat eum esse Christum; sicque videtur contrarietas esse. Et quæritur, quis melius dicat. Et videtur quod Augustinus, quia dum Joannes vidit Jesum venientem ad se, dixit : Ego a te debeo baptizari. Ergo jam noverat eum. (*Matth.* III, 14.) Quod autem Chrysostomus melius dicat, apparet quoniam quando Joannes a Deo missus est ad baptizandum, dictum est ei : Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat. (*Joann.* I, 33.) Ergo antequam Christus venit ad Joannem, Joannes sciebat quod ipse Jesus esset solus qui intus baptizaret, quamvis eum exterius non cognoverat facie. — Dicendum, quod utrumque horum est verum. Primo quippe Joannes noverat Christum in infantia notitia corporali, deinde intravit desertum; et tunc post longum tempus, quando missus est ad baptizandum, dictum est ei quod Christus potestatem baptizandi intus sibi servaret; sed jam ex magna mora fuit oblitus quis et qualis esset in facie Christus, et quod ipse esset qui peccata dimitteret et Spiritum

A Sanctum daret. Utrumque ergo sciebat Joannes in generali, sed postmodum didicit in speciali. Prius tamen cognovit quis esset, quam cujus potestatis consisteret. Et primum scivit per conversationem infantiæ, secundum per revelationem propheticæ. — Hæc Bonaventura circa litteram.

In quibus videtur primo obscurum quod dicit, beatissimum Joannem ex longa mora oblitum quod ipse Jesus esset qui peccata dimitteret et Spiritum Sanctum daret. Hoc enim cognovit Joannes ex revelatione divina,

B nec ex mora temporali fuit hoc oblitus : imo potius in illa cognitione profecit, sciens se missum ante Christi manifestationem, ac certus quod esset Jesus Deus et homo, rex Messias, mundi Salvator. — Secundo quod dicit, S. Joannem prius cognovisse quis esset ipse Jesus, quam cujus consisteret potestatis. Nempe quis esset ipse Jesus, non videtur cognovisse nisi post nativitatem amborum, per conversationem infantiæ, ut in verbis prætactis innuitur. Sed cujus potestatis esset

C Christus, cognovit adhuc clausus in utero, quando ad Christi præsentiam in sacratissimæ Virginis utero, exsultavit, præventus supernaturaliter usu rationis atque prophetica notitia Salvatoris. Et si dicatur, quod non exsultavit veraciter, nec actualiter novit, sed solum per modum exsultantis se habuit, ut imaginatur Udalricus; ostensum est suis locis hoc falsum esse, et sancti Patres expresse dicunt contrarium. (*Cf.* t. XI, p. 391 B, et Serm. de Sanctis.)

Denique, de his Thomas compendiose locutus est : Joannes antequam intravit

D desertum, Christum cognovit personaliter ex conversatione, quum fuerit ejus cognatus per carnem. Scivit etiam Christi dignitatem ex revelatione prophetica; sed propter longam moram amiserat vultus ejus imaginationem : unde personaliter eum non cognoscebat. Ideo Christo veniente ad baptismum, Joannes didicit tria, secundum Sanctos diversos : quia secundum Chrysostomum, didicit quod iste in persona esset ille quem prædicavit venturum; secundum Augustinum vero, didicit

quod ipse Christus haberet potestatem excellentiæ in Baptismo, quam sibi retineret, quamvis posset eam servis largiri : quod tamen in generali sciverat prius, sed tunc hoc in speciali de hac persona cognovit; secundum Hieronymum autem, didicit quod per Baptismum Christi non solum gratia conferretur mundans a culpa, sed etiam ab omni pœna absolvens : quod habet a Christi passione. Hæc Thomas circa textum. — Ex quibus forsitan solvi posset quod primo contra verba Bonaventuræ objectum est.

Prætcrea ad prætactas quæstiones Thomas respondet : Triplex est potestas abluendi peccata in Baptismo. Una auctoritatis, quæ solius est Dei : ideo Christus secundum quod homo, tali potestate peccata remittere non valebat. Alia est potestas ministerii, competens eis qui sacramenta ministrant, in quibus divina virtus secretius operatur salutem. Tertia est media inter has duas, quæ dicitur potestas excellentiæ : quam præ ceteris habuit Christus. Attenditur autem excellentia ista in tribus. Primo, in hoc quod ex merito suæ passionis Baptismus efficaciam habet, non ex merito alicujus alterius baptizantis : ideo non est melior Baptismus a meliore baptizante datus. Secundo, in hoc quod Christus sine sacramentis, sacramentorum effectus tribuere potuit, tanquam sacramentorum institutor ac dominus : quod de aliis non est verum. Tertio, in hoc quod ad invocationem nominis ejus dabatur aliis remissio peccatorum in Baptismo, in primitiva Ecclesia.

Verum his objici potest, quod Christus
Matth. IX, 6. in Evangelio loquitur : Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata. Et rursus, quod ipse vocatur salvator atque redemptor, quemadmodum angelus
Ibid. I, 21. dixit ad Joseph : Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Augustinus quo-
Joann. V, 21. que super illud Joannis, Sicut Pater suscitat mortuos, etc., ait : Judicat et suscitat corpora non Pater, sed Filius, secundum

A humanitatis dispensationem. — Et respondendum, quod Filius hominis non secundum quod homo, sed secundum quod Deus, habuit potestatem dimittendi peccata per auctoritatem; tamen ut homo, habuit potestatem cujusdam excellentiæ in relaxando peccata, in baptizando, suscitandoque corpora, per modum prætactum, ex unione suæ humanitatis cum Verbo. — Hæc Thomas.

Deinde Thomas respondens ad istud, utrum Christus suis ministris contulit po-
B testatem cooperandi ad interiorem mundationem : Cooperari, inquit, agenti quadrupliciter accidit. Primo, ut adjuvans. Secundo, sicut consilium præbens. Tertio, sicut quo mediante primum agens suum producit effectum : sicque cooperantur instrumenta principali agenti. Quarto, sicut disponens materiam ad effectum principalis agentis suscipiendum. Primis duobus modis nihil cooperatur omnipotenti ac sapientissimo Deo; unde Isaias : Quis adjuvit Spiritum *Is.* XL, 13.
Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ?
C Sed tertio modo aliqua creatura cooperatur Deo in aliqua actione, non in omnibus. Quum enim Deus sit prima causa naturalium omnium actionum, quidquid agit natura, hoc efficit ut instrumentale agens cooperans primo agenti; quædam vero Deus retinuit sibi, immediate operans ea. Quarto etiam modo cooperatur aliquid Deo, sicut in creatione animæ rationalis, quam Deus per se immediate producit; natura tamen disponit materiam ad animæ susceptionem. Quumque recreatio animæ correspon-
D deat ejus creationi, ideo animæ emundationem Deus immediate nullo cooperante operatur; sed aliquis in hoc ipsi cooperatur quarto modo, dupliciter. Primo, ex opere operante, vel docendo vel promerendo : et sic homines ei cooperantur in peccatorum remissione, de quibus ad Corinthios dicitur, Dei adjutores sumus. Se- I *Cor.* III, 9.
cundo, ex opere operato, sicut qui conferunt sacramenta, quæ disponunt ad gratiam, per quam fit remissio peccatorum; et hæc est cooperatio ministerii, quæ ministris

Ecclesiæ competit, de quibus ad Corinthios ait Apostolus : Sic nos existimet homo ut ministros Christi. *I Cor.* IV, 1.

Porro dum quæritur, an ministris Christi conferri potuit potestas cooperationis; dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid non posse creaturæ communicari. Primo, quoniam nulli creaturæ communicari potest. Secundo, quoniam communicari potest alicui, quamvis non isti. Quidquid enim communicatum alicui, traheret ipsum extra terminos suæ speciei, non potest ei communicari, ut equo esse rationale, quod communicatum est homini. Quod autem communicatum alicui, traheret ipsum extra terminos creaturæ, non potest alicui creaturæ communicari, ut est potestas auctoritatis : quapropter omnes fatentur illam creaturæ communicari non posse. Sed de potentia cooperationis est duplex opinio. Magister namque in littera videtur sentire, quod potentia cooperationis ad emundationem interiorem, posset alicui creaturæ conferri, quamvis non sit collata : quod intelligi nequit de cooperatione per modum dispositionis, quoniam hæc collata est ministris Ecclesiæ. Alii dicunt, quod conferri non potuit. Utraque vero opinio potest modo aliquo sustineri. Cooperatur enim Deo aliquid instrumentaliter duobus modis. Uno modo per vim aliquam absolutam, habentem in rerum natura esse completum ad producendum effectum, non solum secundarium, sed principalem : sicut ignis cooperatur Deo in productione alterius ignis. Sic conferri non valet homini, cooperari Deo in emundatione interiori, quæ fit per gratiam : quoniam gratia elevat hominem ad vitam quæ est super conditionem supremæ naturæ creatæ. Ideo agens quod propria virtute animam assimilat sibi per gratiam, oportet esse super omnem naturam creatam : sicque talis cooperatio excedet prorsus terminos naturæ creatæ. Alio modo aliquid cooperatur Deo, non per virtutem habentem esse perfectum in natura, neque ad ultimum et principalem effectum pertingendo directe, ut dictum est de sacramentis prima distinctione : sicque Deo cooperari in emundatione interiori, potuit, secundum quosdam, homini communicari sine sacramentis, sicut facit sacramenta præbendo : sicque Deo cooperari, pertinet ad excellentiæ potestatem in Christo. Potestatem quippe excellentiæ potuit Deus homini puro conferre; tamen non decuit, ne spes in homine poneretur, et ut unum tantum esse caput Ecclesiæ ostendatur, a quo cuncta Ecclesiæ membra spiritualem sensum et motum recipiunt. — Hæc Thomas. quæst. 1.

Postremo, quamvis Thomas frequenter determinet potentiam creandi non esse communicabilem creaturæ, quia tamen Magister hoc loco et alibi tenet contrarium, exponit qualiter ejus opinio posset sustineri; et de hoc dictum est plenius super secundum. dist. I, q. 3.

Hæc eadem scribit in tertia parte, quæstione sexagesima quarta : In sacramentis, art. 4. inquiens, habuit Christus duplicem potestatem : unam auctoritatis, in quantum Deus; aliam excellentiæ respectu potestatis servorum, secundum quod homo, quam potuit communicare ministris, dando eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ita quod ad invocationem eorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent instituere ea, atque per merita sua sacramentorum effectum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum principali agenti conjunctum, quanto fortius fuerit, tanto plus virtutem suam instrumento separato tribuere, ut manus baculo. Hæc in Summa.

Concordat Albertus præhabitis, et potestates circa sacramenta a Bonaventura expressas commemorat, quamvis non ponat nisi quinque. Et addit : Potestas excellentiæ dupliciter a diversis accipitur. Primo, ut secundum gradus ac merita baptizantium excellentior esset seu minus excellens Baptismi effectus. Quam potestatem potuit Christus dare ministris, sed noluit, ne tot essent Baptismi quot baptizantes :

quoniam unum debuit esse Baptisma, sicut est una passio Salvatoris quæ operatur in eo, et unum originale peccatum quod in ipso curatur. Secundo, ut potestas excellentiæ attendatur in actu, ut scilicet sine ritu Baptismi quis possit absolvere a peccato, utpote sine clave regnum aperire. Et hanc dicunt soli Christo collatam, ne sint plura Ecclesiæ capita. Hæc Albertus.— In his Petrus, Richardus, Durandus, Argentinensis, aliique communiter consonant.

Nihilo minus adhuc circa distinctionem hanc quæritur, an angelo bono aut malo convenire valeat baptizandi potestas. Ad quod omnium concors exsistit responsio, quod angelo malo nullatenus competat, nec ex officio, nec ex speciali mandato, quum non sit minister officiorum salutis, nec aliquem purgare intendat. Nec etiam convenit angelis sanctis ex generali officio, sed bene ex speciali mandato. Unde quidam Sancti leguntur a beatis angelis baptizati. Et beatissimus Michael ecclesiam suam in monte Gargano dedicavit. Denique dispensatio sacramentorum non est commissa nisi hominibus, qui cum Verbo incarnato conveniunt in natura, a cujus passione sacramenta efficaciam sortiuntur. Nec cum sacramentis conveniunt angeli in continendo in se aliquid corporale, atque in illo spiritualem virtutem : ipsi enim sunt spiritus simplices. Illis etiam decuit sacramentorum dispensationem committi quorum est conversatio cum hominibus, et qui possunt in prompto haberi, ac proportionabiliter hominibus applicari : quæ non simplicibus illis spiritibus, sed corporeis constat convenire hominibus.

DISTINCTIO VI

A. *Quibus liceat baptizare.*

[Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 8. Isid. de Eccles. offic. lib. II, c. 25, n. 9.] NUNC quibus liceat baptizare addamus. De hoc Isidorus ait : Constat Baptismum solis sacerdotibus esse traditum ; ejusque ministerium nec ipsis diaconibus implere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris cogat necessitas : quod etiam laicis fidelibus permittitur. [De Consecr. dist. IV, c. 20.] Item ex concilio Carthaginensi quarto : Mulier quamvis sancta, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente. — De illis vero qui ab hæreticis baptizantur, utrum rebaptizandi sint, quæri solet. Ad quod breviter dicimus, quia quicumque sit qui baptizet, si servatur forma a Christo tradita, verum Baptismum dat : et ideo qui illum sumit, non debet rebaptizari. [Ibid. c. 51.] Unde Beda : Sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est, a bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio et Trinitatis invocatio videatur annullari. [Dialog. Oros. et Aug. q. 59.] Item Augustinus : Quamvis unum sit Baptisma et hæreticorum, scilicet eorum qui in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizant, et Ecclesiæ catholicæ; tamen qui foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem Baptismum, sed ad perniciem, habentes formam sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes : et ideo Ecclesia non eos rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, et ipsa est forma sacramenti. [Aug. Epist. 23, n. 2.] Item : Rebaptizare hæreticum qui hæc sanctifi-

cationis signa perceperit, omnino peccatum est; Catholicum vero, immanissimum scelus est. Ex his aperte colligitur, quod qui etiam ab hæreticis baptizati sunt, servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt, sed tantum impositione manus reconciliandi, ut Spiritum Sanctum accipiant, et in signum detestationis hæreticorum. — Sunt tamen nonnulli Doctorum, ut Cyprianus et alii quidam, qui dicere videntur, ab hæreticis non posse tradi Baptismum, et eos esse rebaptizandos, quum veniunt ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizati. Sed hoc de illis verum est qui extra formam Ecclesiæ baptizare præsumunt. Cyprianus tamen ibi a veritate deviasse videtur, qui ait de hæretico : Quomodo sanctificare aquam potest, quum ipse immundus est, et apud quem Spiritus Sanctus non est, quum Dominus dicat
in lege : Quæcumque tetigerit immundus, immunda erunt? Quis potest dare quod *Num.* xix, 22.
ipse non habet? Hoc ergo * ex ignorantia eum dixisse Augustinus innuit, dicens : * vero
Martyrem Cyprianum gloriosum, qui apud hæreticos vel schismaticos datum Bapti- Aug. de Unico Bapt. n. 22.
smum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii secuta sunt, ut et caritatis qua excellebat luce, obumbratio illa fugaretur, et si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur. Nec nos qui Baptismi veritatem et hæreticorum iniquitatem agnoscimus, ideo Cypriano meliores
sumus, sicut nec Petro, quia gentes judaizare non cogimus. *Galat.* ii, 14.

B. *Quod nullus in utero materno baptizatur.*

Hoc etiam sciendum est, quod licet ter immergatur propter mysterium Trini- Hugo, Summa Sent.
tatis, tamen unum Baptisma reputatur. Illud etiam ignorandum non est, quod in tract. v, c. 12.
materno utero nullus baptizari potest, etiam si mater baptizetur. Unde Isidorus :
Qui in maternis uteris sunt, baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Isid. Sent.
Adam non est, secundum Christum non potest renasci; neque regeneratio in eum lib. i, c. 22, n. 5.
dici potest in quem generatio non præcessit. Item Augustinus : Non potest quisquam Aug. Epist.
renasci, antequam natus sit. — Si vero opponitur de Jeremia et de Joanne Baptista, 187, n. 31. *Luc.* i, 15.
qui ab utero sanctificati leguntur, quod etiam de Jacob quidam putant; dicimus, si sanctificatio ibi accipitur interior emundatio, in miraculis divinæ potentiæ esse
habendum, ut Augustinus ait, ambigue super hoc loquens : Si usque adeo, inquit, Aug. op. cit.
in illo puero acceleratus est usus rationis et voluntatis, ut intra materna viscera n. 24.
jam posset agnoscere et credere, quod in aliis parvulis exspectat ætas ut possint, in
miraculis habendum est divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplum *Num.* xxii, 28.
naturæ. Nam quando voluit Deus, etiam jumentum locutum est. Idem : De Jeremia Aug. op. cit.
legitur, Priusquam exires de ventre, sanctificavi te. Illa tamen sanctificatio qua n. 32. *Jer.* i, 5.
efficimur templum Dei, non nisi renatorum est. Nisi enim quis renatus fuerit ex Aug. op. cit. n. 33.
aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. Nemo autem renascitur, *Joann.* iii, 5.
nisi prius nascatur. Unde illa sanctificatio potest secundum prædestinationem accipi. Aug. op. cit. n. 37.
— Ecce videtur dubitanter loqui, qui etiam in eodem dicit : Non dictum est quia Ibid. n. 23.
credidit infans in utero, sed, Exsultavit; nec Elisabeth dicit, Exsultavit in fide, sed, *Luc.* i, 41, 44.

Exsultavit in utero meo. Et potuit esse hæc sanctificatio, tantæ rei a majori cognoscendæ indicium, non a parvulo cognitæ. Absque assertione de hac sanctificatione loquitur, non definiens qualiter intelligenda sit illa sanctificatio, an sit signum futuræ rei, an veritas justificationis per Spiritum factæ. Sed melius est ut dicamus illos præter communem legem in uteris justificatos et gratia præventos, dimissis omnibus peccatis : quod etiam multis Sanctorum testimoniis edocetur.

C. *Si Baptismus fit verbis corrupte prolatis.*

Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 9. De Consecr. dist. IV, c. 86.

Quæri etiam solet, si corrupte proferantur verba illa, an Baptismus sit. De hoc Zacharias Bonifacio scribit : Retulerunt mihi nuntii tui, quod fuerit sacerdos in eadem provincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nescius Latini eloquii, infringens linguam, diceret : Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritus Sancta; et propter hoc considerasti rebaptizare. Sed si ille qui baptizavit, non errorem inducens vel hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam baptizans dixisset ; non possumus consentire ut denuo baptizetur.

D. *Baptizandi sunt illi de quibus ignoratur an sint baptizati.*

De Consecr. dist. IV, c. 113.

Præterea sciendum est, quod illi de quibus nulla exstant indicia inter propinquos vel domesticos vel vicinos, a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne pereant : in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur : quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.

E. *De illo qui pro ludo immergitur.*

Hugo, ubi supra.

Aug. de Bapt. contra Donat. lib. VII, n. 102.

Id. Epist. 98, n. 5.

Solet etiam quæri de illo qui jocans sicut mimus, commemoratione tamen Trinitatis immergitur, utrum baptizatus sit. Hoc autem Augustinus non definit, ita inquiens : Si totum ludicre et mimice et localiter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis miraculum oratione implorandum esse censerem. Videtur tamen sapientibus non fuisse Baptisma; ut quum aliqui in balneum vel in flumen merguntur in nomine Trinitatis, non est tamen Baptismus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc et in aliis sacramentis, sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda. Illud etiam non te moveat, quod quidam non ea fide parvulos ad Baptismum ferunt, ut per Spiritum ad vitam regenerentur æternam, sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem : non enim propterea illi non regenerantur quia nec ab illis hac intentione offeruntur.

F. *Quod duo tempora erant in quibus baptizabantur homines.*

Agnoscendum est etiam, in baptizandis electis duo tempora esse servanda, id est Pascha et Pentecosten, ut in sabbato Paschæ vel Pentecostes Baptismi sacramentum celebretur. Qui vero necessitate mortis vel periculi urgentur, omni tempore debent baptizari. (De Consecr. dist. IV, c. 12.)

G. *De responsione patrinorum.*

Porro cuncti ad Baptismum venientes fidem suam profiteri debent, et exponere quid petendum venerint ad Ecclesiam. Unde etiam a baptizando quæritur : Quid venisti ad Ecclesiam petere? Qui si adultus est, pro se respondet : Fidem, id est sacramentum fidei, et doctrinam. Ita etiam per singula interrogatus, respondet se credere in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Si autem parvulus est, non valens credere vel loqui, alius pro eo respondet. Unde Isidorus : Parvuli alio profitente baptizantur, qui adhuc loqui vel credere nesciunt : sicut etiam pro ægris, mutis, vel surdis, alius profitetur dum baptizantur. Sic et de pœnitentibus agendum est. (Isid. de Eccles. offic. lib. II, c. 25, n. 7. De Consecr. dist. IV, c. 77.) Si vero pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet, sicut dictum est : Ætatem habet, pro se loquatur. (Joann. IX, 21.) — Si vero quæritur, ex quo sensu pro parvulo dicatur, Credo, vel, Fidem peto; dicimus, de sacramento fidei id esse intelligendum, quod respondetur petere, quum defertur ad Ecclesiam, et habere fidem, quum baptizatur : ut sit sensus, quum dicitur, Fidem peto, id est, sacramentum fidei præsto sum recipere; Credo, id est, sacramentum fidei suscipio : quod est, hic parvulus præsto est sacramentum fidei accipere. Unde Augustinus : Nihil est aliud credere, quam fidem habere; et ideo quum respondetur credere parvulus, qui fidei nondum affectum habet, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum. (Aug. Epist. 98, n. 9.) — Sed adhuc quæritur, ex quo sensu pro parvulo respondeatur, Credo in Deum Patrem et in Jesum Christum et in Spiritum Sanctum. (Hugo, Summa Sent. tract. V, c. 11.) Numquid de sacramento fidei, an de fide mentis ibi agitur? Si de sacramento, cur nominatim distinguuntur personæ? Si vero de fidei affectu, quomodo verum est, quum ea parvulus careat? An illud facturus parvulus spondetur quum creverit, sicut et omnibus pompis diaboli spondetur abrenuntiare, quod si non servaverit factus adultus, tenebitur ipse vel sponsor? Sane etiam dici potest ibi sponderi pro parvulo, quod ad majorem ætatem si venerit, et pompis diaboli renuntiabit, et sanam fidem tenebit, cujus tunc sacramentum recipit. Hac autem sponsione parvulus pro quo fit tenebitur, non sponsor; si tamen ut cautio impleatur, quantum in se est operam dederit : quia exigitur a patrino, ut sit diligens circa eum pro quo spopondit sollicitudo. De hoc Augustinus : Certissimam emisistis cautionem, qua renuntiare pompis diaboli spopondistis. (De Consecr. dist. IV, c. 73.)

H. *De catechismo.*

Hugo, Summa Sent. tract. v, c. 13. Illa autem interrogatio et responsio fidei fit in catechismo, cui additur exorcismus. Ante Baptismum enim fit catechismus et exorcismus; post catechismum sequitur exorcismus, ut ab eo qui jam fide instructus est, adversaria virtus pellatur. Exorcismus de Græco dicitur in Latinum adjuratio; catechismus, instructio. Catechizare est instruere, ut de Symbolo ac rudimentis fidei; exorcizare est adjurare, ut : Exi ab eo, spiritus immunde. Symbolum est signum, vel collatio : signum, quia eo fideles ab infidelibus discernuntur; collatio, quia ibi totius fidei sufficientia et integritas est collata. Catechismus et exorcismus neophytorum sunt, magisque sacramentalia quam sacramenta dici debent. Neophytus novitius interpretatur, vel rudis; et dicitur neophytus nuper ad fidem conversus, vel in disciplina religiosæ conversationis rudis. Hæc ergo præcedunt Baptismum : non quod sine istis non possit esse Baptismus verus, sed ut baptizandus de fide instruatur, et sciat cui debitor fiat deinceps, et ut diaboli potestas in eo minuatur. Unde Rabanus : (Raban. de Instit. cleric. lib. i, c. 25.) Ante Baptismum catechizandi debet in homine prævenire officium, ut fidei catechumenus accipiat rudimentum, et sciat cui debitor fiat deinceps. Item Augustinus : (Aug. de Symbolo ad catechum. sermo 1, n. 2.) Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut ab eis pellatur potestas diaboli, ne jam contendat eos subvertere, ne Baptismum consequantur. Non ergo ab infantibus creatura Dei exsufflatur vel exorcizatur, sed diabolus, ut recedat ab homine.

SUMMA
DISTINCTIONIS SEXTÆ

Declarato præinducta distinctione, quibus liceat baptizare vel regulariter vel in necessitatis articulo, et de multiplici potestate in exhibitione Baptismi; jam declarat Magister, quibus liceat legitime, ordinate ac regulariter baptizare. Et in hac distinctione multa tanguntur de quibus in præcedenti distinctione tractatum est, ideo repetenda non sunt, puta de eis qui ab hæreticis et schismaticis baptizantur, de quibus et gloriosus ac sanctus martyr, doctor et præsul Cyprianus errasse cognoscitur, qui hæreticos atque schismaticos tam vehementissime detestabatur, quod baptizatos ab illis etiam sub debita forma, rebaptizandos dictavit. De qua re S. Augustinus in libro de Baptismo contra Donatistas scribit diffuse, recitans qualiter S. Stephanus Papa scribit A B. Cypriano, ne illos rebaptizaret. Tuncque Cyprianus convocato concilio episcoporum Africæ, contulit cum eisdem de ista materia, qui una cum Cypriano manserunt in sua opinione, non tamen animo rebellandi contra Romanum Pontificem, nec intentione introducendi aliquod schisma, sed suis motivis quæ rationabilia æstimabant, persuasi, quamvis decepti. Consequenter docet Magister, infantulos baptizari non posse in uteris matrum. Inquirit quoque, quid de corruptione verborum formæ Baptismi sit sentiendum; (Cf. dist. iii, q. 2.) et B de baptizatione puerorum expositorum, (Cf. p. 138 C.) prout hoc jam supra discussum est; eorum etiam qui joculariter seu mimice et ludicre baptizantur. Consequenter agit de duobus solennibus temporibus in quibus Baptismus generalius dari solebat; et de petitione, responsione ac protestationibus quæ in Baptismo fieri solent, qualiter intelligantur. Postremo de catechismo et exorcismo qui Baptismum præcedunt.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **An parvuli in uteris matrum sint capaces Baptismi.**

Itaque arguitur primo, quod pueri in uteris matrum valeant baptizari: jam enim vere sunt nati, id est, substantiale esse adepti per infusionem animæ rationalis; et crudele improvidumque videtur, nullum eis superesse salutis remedium. — Habent quoque angelos suos suæ custodiæ deputatos : ergo et hoc minus bonum, videlicet contra originale remedium, non decet eis deesse. — Insuper lex Christi est lex vere piissima : quum ergo in lege naturæ fuerit talibus de remedio salutari provisum, potius in lege gratiæ ita erit.

Ad istud doctores concorditer dicunt, quod quum infans in utero nequeat aquis intingi, non potest inibi baptizari.

Et de hoc ait Thomas in Scripto : Baptismus, secundum B. Dionysium, est hierarchica actio; ideo per ministros Ecclesiæ est præstandus, aut per eos qui in necessitate vicem obtinent ministrorum : quorum actioni et lotioni infans in utero subdi non potest, nec est hominibus notus. Quidam vero assignant alias causas, quæ parvi sunt ponderis. Una est, quia divina justitia exigit non dimitti peccatum sine aliqua pœna, quam sentit parvulus in Baptismo : quod esse non potest, dum adhuc est in utero matris. Sed hoc nihil est, quia Baptismus (secundum Ambrosium) non requirit pœnam exteriorem. Peccato quoque originali non debetur sensibilis pœna inflicta. Alia est, quod gratia dat esse ordinatum : ideo regeneratio gratiæ præsupponit generationem naturæ. Alia est, quod puer quamdiu manet in utero, adhuc conjungitur causæ originalis peccati : idcirco non potest ab eo mundari. Verum hæ duæ causæ repugnant sanctificationi in utero sicut et Baptismo. Alia causa est, quod in Baptismo debet esse aqua et Spiritus, contra infectionem carnis et animæ per originale : ideo Baptismo oportet præexsistere nativitatem in utero, qua infunditur anima, et nativitatem ex utero, qua nascitur corpus. Sed neque hoc est, quia nativitas non est animæ neque corporis, sed conjuncti : hinc in nativitate in utero nascitur corpus et anima. Primæ igitur rationi est standum.

De Eccl. Hier. c. II.

Itaque ex defectu divinæ misericordiæ non est, quod pueris in utero matris non adhibetur remedium contra originale peccatum, sed quia non sunt capaces sacramenti, per quod secundum legem communem efficiantur participes meriti passionis dominicæ, a qua fluit remissio peccatorum : quoniam nequeunt subjici operationi ministrorum Ecclesiæ, per quos talia remedia ministrantur. — In baptizatione autem parvulorum nascentium exspectanda est egressio totalis ex utero, nisi mortis periculum timeatur ; tuncque principali parte egressa, videlicet capite, in quo operationes animæ clarius manifestantur, baptizari debet. Secus de aliis partibus, ut manu vel pede, quamvis non noceat si tunc illæ partes adsperguntur, quia divina misericordia non est arctanda. Et si deinde plene nascatur, non est rebaptizandus. Attamen nihil periculi accidit si ad majorem cautelam rebaptizetur sub hac forma : Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, etc. Nec scindenda est mater ut puer extractus baptizetur : quia non sunt facienda mala ut veniant bona, ut ait Apostolus. Ideo potius debet homo dimittere infantem perire, quam ipse pereat, homicidii crimen in matre committens. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus quod ait, Quam ipse pereat, referendum est ad id quod præmisit, Potius debet homo dimittere, etc. *Rom.* III, 8.

Eadem in tertia parte, quæstione sexagesima octava, ubi et addit : Si mortua fuerit mater prole vivente, debet aperiri, ut puer baptizetur. art. 11.

Concordant Petrus et Richardus. Qui addit, quod parvuli in uteris matrum fiunt martyres, si matres eorum pro fide interficiantur, quamvis intentio interficientium non feratur nisi ad matrum occisionem.

Idem affirmat Argentinensis, et addit, quod puer in utero matris potest baptizari Baptismo flaminis, eo ipso quod rationalem animam habet, per quam capax est gratiæ Spiritus Sancti. Nec requiritur usus liberi arbitrii in tali infante : alioqui nullus infantium esset sanctificatus in matris ventre.

Consonat Scotus, et addit : Si puer corio involutus poneretur in aqua, nec tangeretur ab ea, non baptizaretur; si vero ea tangeretur, baptizaretur, aliis ad hoc necessariis concurrentibus. Si vero infans de ponte projiciatur in flumen vel puteum, non baptizaretur, quia hoc non est ordinatum ad vitam et lotionem, sed ad mortem. Hæc Scotus, distinctione quarta.

Verum distinctione quinta super hoc plenius scribit, quærendo an aliquis debeat ministrare sacramentum Baptismi, quando præsumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis ejus qui suscipit. Respondet : Aut talis præsumptio certa est atque ex certis signis, utpote si quis non habens aquam quam possit attingere, nisi puerum propellat de ponte in fluvium, aut projiciat in puteum, ex quo actu certum est subsequi mortem, quia submersionem, quantum est ex parte actus; et quum mors ita præsumitur, nequaquam debet hoc fieri, quia peccaret mortaliter, agens hoc. Quilibet autem tenetur vitare peccatum mortale in se ipso, potius quam salutem quærere proximi : quoniam ordinata caritas magis est ad se. Dicitur quoque, quod talis sic projectus non esset baptizatus, quia Baptismus est ablutio ordinata ad vitam baptizati, non sic illa immersio. Esset ergo in tali casu aliquis pannus demittendus in flumen aut puteum, si non haberetur vas in quo posset aqua hauriri, et ex panno illo aqua exprimenda qua

A talis baptizaretur. — Porro, si præsumptio de morte imminente vel acceleranda propter Baptismum, non sit certa, sed levis, vel forte irrationabilis, puta si baptizandus sit in articulo mortis; dico, quod habens conscientiam de acceleratione mortis talis infirmi per baptizationem ejus, habet conscientiam erroneam, quæ si nullus alius adsit qui baptizet, facit eum perplexum : quum nemo ex lege divina perplexus sit, sed potest perplexus esse ex erronea conscientia. Unde si ille decedat
B sine Baptismo, perit, et iste de salute illius tenebitur, quia illum tenetur de necessitate salutis (si nullus alius adsit qui baptizet) baptizare, ne damnetur. Magis namque tenetur diligere vitam illius æternam quam temporalem. Etenim si peccaret mortaliter non salvando vitam ejus corporalem extrahendo eum de aqua quum posset, multo plus peccaret mortaliter permittendo eum sine Baptismo mori. Debet ergo abjicere conscientiam illam erroneam, quia nec multum potest nocere
C ægro adspergi modica aqua in capite; et si frigida noceret, saltem tepida non obesset. Hæc Scotus.

Verumtamen in isto casu projectionis baptizandi in flumen aut puteum, intentione baptizandi eumdem, quamvis peccaret stulte projiciens, sperandum tamen videretur, quod projectus submersus infantulus non periret. Et dato quod non baptizaretur Baptismo fluminis, baptizaretur tamen (ut apparet) Baptismo flaminis, imo et sanguinis : quoniam pro justitia et pro
D consequendo sacramento salutis ac fidei moreretur.

At vero Bonaventura : Ratio, inquit, cur quis non purificatur nec baptizatur in utero, est institutio Dei, cujus tamen aliquæ causæ traduntur. Una, quoniam æquitas Dei requirit ut infans aliquid pro suo originali sustineat : quod reprobatur, quia in lege naturæ parvuli justificabantur sola fide parentum. Posset quoque nunc parvulus baptizari aqua calida seu tepida, quod esset ei solatium magis quam pœna. —

Hæc Bonaventura. Qui plura scribit de his, A et alias quorumdam causas assignat ac improbat, sicut et Thomas.

Deinde subjungit : Triplex status in homine distinguitur post animæ infusionem. Primus est in utero ; secundus extra uterum, in statu infantiæ ; tertius in statu naturæ adultæ. In primo statu notus est Deo ; in secundo hominibus ; in tertio sibi ipsi. In primo igitur statu, quum soli Deo sit notus, potest ejus voluntate, pietate ac liberalitate sanctificari absque cooperatione humana, quum nondum sit de foro Ec- B clesiæ, nec notus eidem. In secundo statu, quia notus est Deo atque Ecclesiæ, remedium potest habere a Deo et Ecclesia sine propria cooperatione. In tertio statu, in quo jam notus est Deo et Ecclesiæ ac sibimetipsi, habet adjutoria a Deo, mediante Ecclesia, concurrente propria sua devotione ac fide. Prima sanctificatio est per privilegium, secunda per legem communem datam, tertia per legem indictam, qua homini Deus indixit ut pro venia et gratia ad Deum recurrat. Prima est paucorum, C puta eorum qui ad aliquod magnum officium desuper deputabantur. — Hæc Bonaventura. In quibus aliquid tangitur de sanctificatione in utero, de qua non prosequor magis, quoniam inde tractatum est
Dist. iii, q. 1. super tertium.

QUÆSTIO II

SEcundo hic quæritur, Utrum ad Baptismum requirantur fides et devotio, recta quoque intentio, tam ex parte baptizantis quam baptizati.

Ad quod ex præhabitis habetur respon-
Dist. iv, q. 5. sio. Quum enim infantuli natique fatui, et alii quidam rationis usu carentes, sint baptizandi, constat quod ex parte baptizandi non requiratur fides propria neque devotio, sed fides devotioque Ecclesiæ. Rursus,
Dist. v, q. 1. quum dictum sit, quod in necessitate baptizare posset quilibet homo, etiam infidelis, hæreticus, schismaticus, patet non exigi ex parte baptizantis fidem veram, devotionem et intentionem omnifarie rectam, quanquam recta intentio aliqualiter exigatur. — Qualiter in adultis baptizandis exigantur fides atque devotio, declaratum est supra, distinctione quarta, ubi osten- quæst. 3.
sum est quomodo fictio Baptismum impediat.

Itaque Bonaventura primo ostendens, quod intentio ad Baptismum requiratur : In omni (ait) sacramento necessaria est intentio, quoniam sacramenta esse suum non habent a natura, sed ab institutione. Unde si ante institutionem Baptismi, immersisset puerum quis in aquam sub præscripta forma verborum, non fuisset Baptismus. Dicunt igitur quidam, ut magister Hugo de S. Victore, quod sacramenta instituta sunt ut exhibeantur et fiant rationabiliter et ex intentione : ideo nisi adsit intentio, non est sacramentum. Propter quod loquitur Hugo : Vide quoniam rationabile oportet esse opus ministrorum Dei, nec per solam formam præjudicare, ubi intentio nulla est agendi. Denique ad hoc quod sit sacramentum, oportet quod forma et materiale elementum ordinentur ad unum : quod non est ex se, quum forma et elementum indifferentia sint ad multa. Ideo supervenit institutio Christi, quæ utraque illa ordinat ad aliquem unum effectum certum et signatum. Et quamvis institutio verba ad unum ordinavit, non D tamen arctavit, quia ad alium usum possunt sumi et sumuntur. Idcirco ad hoc quod ordinentur et arctentur, necesse est intervenire intentionem ministri, qua intendat illo actu et verbo talem effectum præstare, vel saltem quod facit Ecclesia facere, aut certe quod Christus instituit dispensare : alioqui verbum et elementum ut disjuncta, vel ad aliud unita, non operabuntur hunc baptismalem effectum. In Baptismo quoque fides est sicut agens universale; intentio, sicut agens particulare,

applicans fidem ad istum vel illum : ideo fides salvatur in generalitate Ecclesiæ.

Si autem objicias, quia si intentio illa requiritur, nemo certus est se veraciter esse baptizatum, quum baptizantium intentio incerta sit baptizatis, et ita oportebit rebaptizari, aut committere se ipsum discrimini; dicendum, quod non oportet nec sequitur istud, quoniam baptizatus fecit quod in se est : idcirco ad amplius non tenetur, præsertim si defectus intentionis nequivit cognosci ex aliquo signo. — Utrum vero sit baptizatus, est duplex opinio. Una, quod Deus deputat illum baptizatum, non tantum Ecclesia, quum dicat Isidorus : Quacumque arte verborum quis juret, Deus sic accipit sicut ille cui juratur intelligit. Sed hoc intelligitur quantum ad culpam, non quantum ad rationem voti aut sacramenti : et hoc manifestum est et in matrimonio et in voto. Hinc alii dicunt, quod non est ibi sacramentum, quamvis ibi sint verba : quia ut in Moralibus ait Gregorius, non debet intentio deservire verbis, sed verba intentioni : quod in sacramentis maxime habet locum. Idcirco in tali casu non est Baptismus, quantum est ex parte ejus quod per hominem gestum est. Et si adultus baptizetur ut debet, fides interior supplet; si parvulus, pie credendum est quod suppleat summus Sacerdos, qui tamen voluit nos aliquo modo esse de nostra salute incertos, ad humiliandum superbiam nostram, et ad excitandum diligentiam nostram.

Præterea si quæratur, an ad Baptismum necessaria sit recta intentio : et videtur quod imo, quoniam sicut ad Baptismum requiritur intentio, ita ad verum Baptismum vera et recta intentio; respondendum, quod intentio idem est quod voluntas regulata, prout in finem dirigitur. Finis vero est duplex : unus, qui est rei complementum seu terminus; alter, qui est rei utilitas. Sic in Baptismo primus finis est unio verbi et elementi; secundus finis est fructus seu utilitas ex Baptismo proveniens baptizato seu baptizanti. Sicut quis fa-

A ciens domum, intendit eam consummare atque inhabitare; ita in sacramento intendit quis prima intentione sacramentum Ecclesiæ ministrare, deinde intendit suam utilitatem parvulive salutem, seu quidquid sit illud. Prima intentio est de necessitate sacramenti; secunda est de congruitate. Prima quoque intentio non habet rectum et obliquum, sed secunda. — Hæc Bonaventura. Concordat Albertus.

Thomas quoque eadem aliis exprimit verbis : Unius effectus (inquiens) una est

B causa. Ideo si ex pluribus causis unus procedat effectus, oportet quod illæ causæ aliquo modo factæ sint unum ad invicem. Quumque ad effectum sacramenti Baptismi multa concurrant, videlicet materia, forma, minister, etc. ; non queunt hæc connecti ut eumdem producant effectum, nisi per baptizantis intentionem, qui formam ad materiam applicat, et suum ministerium ad utrumque, atque hoc totum ad sacramenti collationem : hinc requiritur intentio baptizantis. Sicque in omnibus

C sacramentis requiritur ministri intentio cum determinata forma atque materia, non solum ad consequendum sacramenti effectum, sed etiam ad sacramenti perceptionem.

Non autem requiritur recta baptizantis intentio. Etenim rectum est cujus medium non egreditur ab extremis. Baptismus autem est quo mediante acquiritur baptismalis effectus in anima baptizati. Idcirco tunc recta est intentio baptizantis seu baptizati, dum ordinat sacramentum ad sa-

D cramenti effectum, qui est salus. Si ergo adsit intentio in baptizante, quia intendit sacramentum conferre, sed desit rectitudo, quoniam ordinat sacramentum ad finem indebitum; non impeditur ob hoc perceptio sacramenti in suscipiente, quia ad hoc fertur intentio baptizantis; neque effectus sacramenti, quia interior mundatio a ministro non est : hinc ejus intentio ad hoc nihil facit. Si vero in baptizato sit intentio percipiendi sacramentum, sed desit rectitudo intentionis, recipit quod in-

tendit recipere, utpote sacramentum, et A per illud characterem in Baptismo, sed non rem sacramenti, quoniam obicem posuit. — Hæc Thomas in Scripto. Qui insuper quærit hic, utrum intentio seu voluntas requiratur in baptizato : ad quod patet dist. IV, q. 3. responsio ex dictis superius de ficte et non ficte accedentibus. — Insuper quærit hic, utrum in baptizato exigitur fides, an etiam in baptizante, et utrum recipientes ab hæreticis, consequantur rem sacramen- dist. V, q. 1. ti : ad quæ omnia patet ex dictis responsio. Immoderata demum multiplicatio quæ- B stionum, et frequens repetitio eorumdem, tædium parit.

Præterea ad argumentum prætactum, quod fideles essent incerti an vere consisterent baptizati, si requireretur intentio baptizantis, respondet S. Thomas in Scripto sicut jam ex Bonaventura responsum est : Quidam (inquiens) dicunt, quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert sacramentum Baptismi. Attamen in adulto supplet fides atque devotio effectum Baptismi, quatenus periculum nul- C lum sit baptizato, qui baptizantis intentionem ignorat. Si autem sit infans, creditur pie, quod Deus supplet defectum, salutemque tribuit parvulo : quod et si non fecerit, non facit injuste, quemadmodum nec in illo qui sacramento non subditur. Alii dicunt, quod in Baptismo ac aliis sacramentis quæ in forma sua habent actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit intentionis expressio per verba a Christo seu ab Ecclesia instituta. Idcirco si forma verborum servatur, D nec quidquam exterius dicitur quod intentionem designet contrariam, vere est baptizatum. Non enim sine causa in sacramentis necessitatis, puta Baptismo et quibusdam aliis, actus ejus qui sacramentum administrat, tam sollicite exprimitur ad explicationem intentionis. Hæc in Scripto.

Porro in tertia parte, quæstione sexage- art. 8. sima quarta, testatur : Una opinio dicit, quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit, non perficitur sacramentum : quem defectum in pueris Christus supplet, in adultis fides atque devotio. Quod in sacramentis dici posset quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis; sed quantum ad effectum qui est res et sacramentum, puta characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum. Hinc alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus minister est. In verbis autem quæ proferuntur, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit quantum ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exprimatur exterius ex parte ministri vel suscipientis. — Verum his denuo objici potest, quia intentio actualem attentionem requirit : ergo dum minister esset distractus, non adesset intentio. Dicendum, quod ille qui aliud cogitat, quamvis non habeat actualem attentionem et intentionem, habet intentionem habitualem, quæ sufficit ad sacramenti perfectionem. Quum enim sacerdos accedit ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia : quamvis ergo in actu baptizandi distrahatur, tamen ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. Verumtamen studiose debet conari, ut tunc actualiter sit attentus. Hæc in Summa.

Concordant Petrus, Richardus, aliique communiter, secundum quos in adultis accedentibus ad Baptismum requiritur fides propria, saltem informis, ad percipiendum ultimum Baptismi effectum, qui est res tantum et gratia, quæ nulli infunditur adulto carenti intentione.

At vero Scotus : Intentio, inquit, necessario requiritur ad actum Baptismi, quoniam aliter non esset humanus, et sufficit quod intendat facere quod facit Ecclesia, quamvis credat hoc nihil valere. Et hoc statuit Christus propter necessitatem Baptismi, ne infidelitas ministri noceat baptizatis.

Et si objiciatur, quod instrumentum non habet intentionem, ut quum homo

secat securi ; dicendum, quod instrumentum sumitur pluribus modis. Primo, pro causa secunda, quæ licet agat per propriam formam, quam habet in esse quieto, attamen agit in virtute causæ prioris cui subordinatur. Secundo dicitur instrumentum, id quod non attingit effectum principalis agentis, sed solum præviam aliquam dispositionem. Sicque qualitas alterans dicitur instrumentum substantiæ ad generandum substantiam : non quod in alterando sit instrumentum, imo est alterationis perfectum principium, ita quod si posset per se esse, posset per se alterare ; sed quoniam agit ad formam, quæ est dispositio ad substantiam. Dicitur etiam instrumentum ipsa pars respectu totius : sicque Philosophus organa vocat partes. Rursus, instrumentum dicitur de instrumentis artificum, a quibus et nomen instrumenti primo est tractum. Itaque instrumentum animatum intellectualis naturæ habet intentionem.

Sed rursus objici potest, quia de essentia sacramenti non sunt nisi materia et forma verborum, non ergo intentio aut minister. Dicendum, quod materia seu materiale elementum, et forma verborum, sunt partes essentiales intrinsecæ sacramenti ; minister autem seu ejus intentio, est sicut principium extrinsecum sacramenti, quantum ad ejus usum sive effectum. — Hæc Scotus.

Qui consequenter refert positionem communem dicentium, quod ad Baptismum non exigitur necessario attentio et intentio actualis, sed sufficit habitualis. Et probat divisionem illam intentionis in actualem et habitualem non esse sufficientem : imo tertiam, utpote virtualem, esse superaddendam. — Ad quod breviter respondendum, quod doctores in illa ac simili divisione, habituale sumunt extense, prout contra potentiale et actuale dividitur, sicque includit in se virtuale. Sic ergo quum disputatio et reprehensio illa in quid nominis consistere videatur, parvi est ponderis.

QUÆSTIO III

TErtio quæritur, **An Baptismus queat reiterari; et de pœna iterantium illum.**

Videtur quod valeat iterari : est enim regeneratio spiritualis, quæ licite, imo salubriter iteratur. Quotiescumque namque quis peccat mortaliter, toties spiritualiter moritur ; et quoties pœnitet ac resurgit, spiritualiter regeneratur. Rursus, Eucharistia, quæ est dignior eo, reiteratur.

Ad hoc Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto, respondet : Juxta Augustinum, injuria fit Baptismo si iteretur. Hujus autem initerationis causa multiplex assignatur. Prima est, quoniam Baptismus, quum deleat omnem culpam et pœnam, si posset iterari, homines sine freno peccarent, atque in extremis rebaptizari se facerent et evolarent. Secunda causa est allegoria. Baptismus enim a Christi passione efficaciam habet, et ejus passioni ac resurrectioni per Baptismum assimilamur. Ideo sicut Christus semel passus est et resurrexit, ita semel dumtaxat baptizamur. Tertia causa efficacior est, quam Augustinus assignat, videlicet ne Baptismo fiat injuria, quia character baptismalis perpetuus indelebilisque consistit : unde et remanet in hæreticis ac damnatis. Imo sicut radius solis per quæcumque loca immunda diffunditur, nec inquinatur ; ita character nec polluitur, nec frangitur, nec deterioratur, nec annihilatur, quæcumque vitia sint in anima baptizati. Si ergo Baptismus iteraretur, videretur character baptismalis annihilatus esse vel deterioratus, aut certe pollutus. Nec est simile de Eucharistia, quoniam corpus Christi non manet semper in homine. Hæc Antisiodorensis.

Præterea Guillelmus Parisiensis in suo scribit Sacramentali : Character est sanctitas quædam atque habilitas adjuvans ad gratiam obtinendam ac conservandam. Et

ista est causa, quod nec potest nec debet iterari Baptismus. Si enim iteraretur, character denuo imprimeretur ejusdem speciei, aut non. Si non imprimeretur, ergo non relinqueretur sanctitas hujusmodi in ipso. Quemadmodum enim non est sanctificatio basilicæ quæ sanctificationem basilicarem non relinquit, sic non est sanctificatio baptismalis quæ in baptizato non relinquit sanctitatem sibi congruentem. Si vero imprimeretur, essent duæ formæ ejusdem speciei in eodem secundum idem. Et si non imprimitur, non est sanctificatio baptismalis. Semel ergo sanctificatos Baptismo impossibile est denuo sanctificari sanctificatione Baptismatis. — Hæc Guillelmus. Qui et aliam hujus rei causam assignat nunc præinductam.

Consonat Thomas, et quartam rationem adjungit : Baptismus, dicens, nequaquam est iterandus, quum sit directe medicina contra originale peccatum, quod non iteratur. Item, sicut in Eucharistiæ sacramento sanctificatur materia, sic in Baptismo baptizatus, per characteris impressionem. Ideo, sicut fieret injuria Eucharistiæ, si hostia consecrata rursus consecraretur; sic Baptismo, si semel vere baptizatus rebaptizetur. Hæc Thomas in Scripto. — Idem in tertia parte, quæstione sexagesima sexta. art. 9. Ubi et addit de Cataphrygis aliisque hæreticis, qui ad Ecclesiam redeuntes rebaptizabantur, quia non erant in forma verborum debita baptizati. Et in his doctores concordant.

De pœna vero rebaptizantium et rebaptizatorum addit Richardus : Qui secundo se sese faceret baptizari, quamvis ignoraret se baptizatum irregularis est, secundum quosdam. Unde de Consecratione, distinctione 4, Qui bis : Qui baptizati sunt bis, ignoranter, pro hoc non indigent pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt nisi magna cogat necessitas. Quod additum est, quoniam imminente necessitate, cum tali dispensandum est. Cum illo vero qui se scienter faceret rebaptizari, non posset episcopus dispensa-

A re. Quod statutum est propter Baptismi reverentiam, atque in detestationem injuriantium sacramento. Alii dicunt, quod talis non esset irregularis. Nam quamvis hoc olim fuerit observatum in odium rebaptizantium, nunc tamen possunt promoveri, quia ignorantia facti omnino excusat. Nonnulli quoque dicunt, decretum illud esse intelligendum de ignorantia juris, quæ non excusat. Hæc Richardus.

Concordat Scotus, qui et prolixe scribit de pœna istorum, sed pertranseo, quum magis B pertineat ad juristas. — De initerabilitate quoque Baptismi testatur : Ponuntur aliquæ rationes de hoc. Una est, quoniam Christus non nisi semel est baptizatus*, et Baptismus virtutem habet a passione Christi. Prima vero gratia seu absolutio non datur inimico nisi per meritum mediatoris, et tamen Pœnitentia iteratur. Alia ratio ponitur, quia in Baptismo character imprimitur, qui indelebilis est. Quæ ratio probat propositum per immanifestius. A principio enim evangelicæ legis patuit Baptismum C non esse iterandum. Quod autem in Baptismo imprimatur character, non ita a principio institutionis Baptismi innotuit, neque ex tota Scriptura, nec etiam ex multis evidentibus auctoritatibus Sanctorum. Et præcipue hoc videtur, quoniam si fuisset multum inde tractatum a Sanctis, Magister Sententiarum mentionem inde fecisset ; qui tamen in tota ista distinctione et tractatu de Baptismo nullam inde efficit mentionem in ea significatione qua doctores nunc inde loquuntur. Non enim nisi semel D exprimit nomen hoc, quum ait in ista distinctione, primo capitulo, dicens : Qui ab hæreticis baptizati sunt, servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt. Ubi character Christi vocatur forma Baptismi, sicut apparet ex auctoritate Augustini præmissa, ex qua Magister infert hoc dictum. Dico ergo, quod ratio initerabilitatis institutio est divina, cujus non est alia causa prior, nisi voluntas ejus. Quæ tamen institutio rationabilis est, ut patet ex rationibus jam induetis. Hæc Scotus.

* *alias* mortuus

In cujus scriptis videntur multa obscura. Et breviter dico, quod rationes a doctoribus convenienter sunt traditæ, et ejus objectiones infirmæ. Nempe, quum Christi actio nostra sit instructio, ex una sola Christi baptizatione sumitur rationabilis causa quod semel dumtaxat baptizandi sint Christiani, prout in his quæ fidei sunt, ratio potest dari. — Quod autem objicitur de Pœnitentia, dico, quod non solum illa et Baptismus, sed cetera quoque sacramenta a Christi passione habent virtutem, quorum tamen quædam sunt iteranda, et quædam non. Non enim uniformiter, nec ad eosdem effectus virtus et meritum dominicæ passionis participantur ab ipsis. Baptismus quippe, Ordo et Confirmatio ad tales effectus participant virtutem ac meritum passionis, ut nequaquam sint iteranda, ut de Baptismo jam patuit, de aliisque patebit. — Ad aliam instantiam dico, quod ratio illa datur per manifestiora naturæ et a priori, quamvis non per manifestiora quantum ad nos. Quumque assumitur, quod a principio non ita innotuit in Baptismo characterem imprimi, sicut Baptismum non posse iterari; dico, ipsis gloriosis Apostolis et primis fidei prædicatoribus desuper illuminatissimis datam divinitus cognitionem impressionis characteris, prout Christus ipsis in Cœna promisit : Quum venerit (inquiens) ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et hanc cognitionem creditur divinus Dionysius a beatissimo Paulo sumpsisse ; et ipse S. Dionysius (ut paulo post elucescet) de charactere sacramentali locutus est et conscripsit. In Apocalypsi quoque de charactere nominis Christi et servorum ejus mentio fit : quumque character Baptismi sit signum distinctivum fidelium ab infidelibus, potest hoc ipsum de charactere baptismali convenienter interpretari, quamvis et aliter queat exponi. An vero et Augustinus de charactere secundum istam acceptionem locutus sit, nunc ista distinctione pandetur. Quod autem divina institutio ac voluntas Dei, causa sit non solum initerabilitatis Baptismi, imo et omnium rerum causa sit fontalis, prima ac principalis, nulli ignotum est sapienti.

Joann. xvi, 13. — *Apoc.* xiii, 16.

Præterea, circa hæc adhuc quatuor sunt quærenda. Primum est, an unus possit baptizari simul a pluribus, et plures simul ab uno. Secundum, cur in primitiva Ecclesia differebatur Baptismus specialiter usque ad duo profesta, videlicet Paschæ et Pentecostes. Tertium, utrum jlocaliter seu ludicre baptizati sint rebaptizandi. Quartum, de ritu Baptismi quantum ad catechismum et exorcismum, ac alia quædam.

QUÆSTIUNCULA I.

De primo istorum scribit Thomas hoc loco : Si plures simul unum immergerent in Baptismo, ita quod uterque diceret, Ego baptizo te, baptizatum esset, quamvis peccarent, ritum Ecclesiæ non servantes ; nec tamen essent puniendi tanquam iterantes Baptismum, nisi intenderent hoc, quia contingit eamdem actionem et ab uno et a pluribus exerceri. Non autem potest eadem actio esse, quæ in temporibus fit diversis. Si autem dicerent, Nos baptizamus te, non esset Baptismus, quia non servaretur debita forma. Similiter Baptismus non erit, si unus sit mancus et alius mutus, uno proferente verba et alio immergente, quoniam verba formæ ostendunt quod immersio atque verborum pronuntiatio ab eodem fieri debeant. Hæc Thomas in Scripto.

Porro in tertia parte, quæstione sexagesima septima, videtur aliter respondere : Sacramentum (dicens) Baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quam Apostolus nominat verbum vitæ, ad Ephesios. Considerandum est ergo, qua forma uterentur, si plures simul baptizarent eumdem. Nempe si dicerent, Nos te baptizamus in nomine Patris, etc., dicunt quidam, quod non esset verus Baptismus, quia non servaretur forma Ecclesiæ, quæ sic habet : Ego te baptizo in nomine Patris, etc. Sed hoc excluditur per formam Baptismi qua utitur Græcorum Ecclesia. Possent etenim dicere, Baptizetur servus Christi, sub qua forma Græci Baptismum suscipiunt ; quæ

art. 6. — *Ephes.* v, 26.

A tamen forma multo magis dissimilis est formæ Ecclesiæ, qua nos utimur, quam si dicerent, Nos te baptizamus. Sed considerandum, quod ex hac forma, Nos te baptizamus, exprimitur talis intentio, talisque sensus, quod plures conveniant ad conferendum unum Baptismum : quod videtur esse contra ministerii rationem. Homo enim non baptizat nisi ut Christi minister, et vicem ipsius gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet unum esse ministrum qui Christum repræsentet. Propter quod signanter ait Apostolus : Unus (Ephes. IV, 5.) Deus, una fides, unum Baptisma. Hinc contraria intentio videtur excludere Baptismi sacramentum. Si vero uterque diceret, Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, uterque exprimeret suam intentionem quasi ipse singulariter baptizaret : quod posset contingere quando uterque contentiose conaretur aliquem baptizare. Et constat, quod ille tunc baptizaret qui verba prius finiret, et alius quantumcumque jus baptizandi haberet, nil faceret. Et si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si vero ambo simul omnia verba proferrent, et hominem immergerent sive adspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, non de iteratione Baptismi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare; et uterque quantum in se est, baptizaret. Sed Christus intus baptizans unum sacramentum per utrumque conferret. — Porro in casu necessitatis, unus potest simul plures baptizare sub hac forma, Ego vos baptizo etc., ut gladio imminente, ita quod sigillatim baptizari non possent. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi geminatum singulare, præsertim quum pluraliter dicatur apud (Matth. XXVIII, 19.) Matthæum, Baptizantes eos. Nec est simile de baptizante et baptizato, quoniam Christus, qui principaliter baptizat, est unus, sed multi per Baptismum efficiuntur unum in Christo. Hæc in Summa.

Quibus objici posset, quia si plurale non est nisi geminatum singulare, ideoque non mutatur forma Ecclesiæ quum dicitur, Ego baptizo vos, videretur nec hic mutari, Nos baptizamus te; sed aliud forsitan obviat.

Hinc Richardus : De necessitate (ait) unius actus baptizationis, unitas est ministri, ad vitandum peccatum ex parte baptizantis, nisi forte in casu plures necessarii essent ad puerum abluendum. Non autem est de necessitate quantum ad efficaciam sacramenti. Modus enim exprimendi actum baptizandi, atque expressio personæ B ministri, non sunt de necessitate efficaciæ sacramenti, quum sint ex traditione Ecclesiæ. Unde non videtur repugnare efficaciæ sacramenti, puerum simul a pluribus baptizari seu ablui. Hæc Richardus. — Cui opinioni videtur Petrus plus concordare.

Albertus quoque fatetur, quod dum in sacramentis servatur id quod est ex institutione divina, quamvis omittatur quod est ex institutione Ecclesiæ, sacramentum confertur, quamvis peccetur nisi excuset C necessitas. Circa istud diversi diversimode sentiunt, quibusdam adhærentibus uni opinioni, aliis alteri.

Scotus demum magis consentit opinioni ex Richardo narratæ, et prolixe scribit de his, præsertim dum nascitur monstrum de quo ignoratur an sit unus homo vel duo, et qualiter id possit cognosci. Recitatque in Francia monstrum fuisse (ut dicitur) quod habuit capita duo, duasque animas. Quod patuit inde, quod in adulta ætate per unum caput una anima responD dit se aliquid velle, ut velle continenter et sobrie vivere, et mox aut simul alia anima per aliud caput respondit se velle lascivire ac epulari; dumque unum per os suum excederet, clamabat reliquum se gravari. Istud ex Scoto.

Dum autem discerni pro certo non posset an sit unus homo vel duo, putarem unam baptizationem esse absolute faciendam, et aliam sub conditione sicut est tactum de infante exposito de quo ignoratur an sit baptizatus. p. 138 C'.

Quæstiuncula 2. Præterea duo sunt tempora celebriori ac communiori Baptismati deputata. Et de hoc loquitur S. Thomas : In Baptismo duo considerantur, videlicet substantia sacramenti, atque solennitas. Quantum ad primum, non est aliquod tempus determinatum Baptismo : imo quolibet die et qualibet hora potest impendi. Quantum ad secundum, deputatum est Baptismo sabbatum duplex, quoniam Baptismus ex duobus efficaciam habet, puta ex Christi passione, cujus morti homo per Baptismum configuratur, quasi consepultus ei in mortem, ut dictum est : ideo celebratur solenniter in sabbato Paschæ; et item ex virtute et gratia Spiritus Sancti : ideo in vigilia Pentecostes solenniter exhibetur, quia tunc solennitas est Spiritus Sancti. Verum in necessitate non est exspectandum. Unde, *de Consecratione*, distinctione 4, habetur : De catechumenis baptizandis decretum est, ut in paschali festivitate, vel Pentecostes, veniant ad Baptismum. (Sed ut in pluribus, modo ista tempora non exspectantur.) Pueri autem ad vitandum periculum tempestive sunt baptizandi. Nec in Epiphania solenniter dabatur Baptismus, quamvis Christus tunc exstitit baptizatus : quia tunc solum præparata fuit materia, utpote aqua, ad actum Baptismi. Virtus vero activa in Baptismo, est passio Salvatoris et virtus Spiritus Sancti. Agens autem, principalius est materiali principio. Hæc in Scripto.

Rom. vi, 4.

Cf. p. 113 D' et s.

Idem Albertus, Bonaventura, aliique communiter, et addunt, idcirco Epiphaniæ vigiliam seu festivitatem non esse deputatam ad solennem Baptismum, quemadmodum sabbata duo præfata, ad confutandum hæresim confingentium nullo die esse dandum Baptismum nisi in Epiphania, eo quod tunc baptizatus est Christus, et vim regenerativam aquis tunc contulit.

Quæstiuncula 3. Ad tertium, quid scilicet sit censendum de his qui jonculariter baptizantur, scribit Albertus : Intentio ex parte baptizantis exigitur ad Baptismum; non intentio aliquid consecrandi, sed faciendi quod facit A Ecclesia. Et hoc exprimitur per verbum istud, baptizo, quum dicitur, Ego baptizo te. Hinc si forma debita joculatorie proferatur super non baptizatum, cum præfata intentione, baptizato non reclamante, verus Baptismus est; nec tunc totum est mimicum, quia intentio in verbo primæ personæ expressa, mimica non est quantum ad talem intentionem, quamvis ultra referatur ad ludum. Hæc Albertus.

Consonat Thomas dicendo : Ludus quandoque excludit intentionem, aliquando non. B Quum enim ludo fieri dicantur quæ præter utilitatis alicujus intentionem fiunt ad solam delectationem, ludus baptizantium ludo potest excludere intentionem respectu utriusque effectus ablutionis, videlicet sacramenti, et rei sacramenti; et tunc non intendit facere quod facit Ecclesia in collatione sacramenti. Sicque talis ludus evacuat intentionem quæ in Baptismo exigitur. Vel excludit solum secundam utilitatem, ut scilicet de eo velit facere ludum ex eo quod confert Baptismum, non propter san-C ctificationem, quam nec credit inesse Baptismo; tuncque manet intentio sufficiens ad Baptismum. Hinc Augustinus dixit in isto casu dubium esse, et implorandum Dei judicium. Hinc quum Athanasius adhuc puer, quosdam pueros quasi ludens, et se episcopum simulans, baptizasset, S. Alexander episcopus puerum examinans, atque inveniens ipsum habuisse intentionem baptizandi, cujus signum fuit quod non nisi catechumenos baptizavit, judicavit sic baptizatos non esse rebapti-D zandos. Hæc Thomas circa litteram.

Hinc ait et Bonaventura : Ludus non semper excludit intentionem, ut asserit Hugo, imo interdum serium comprehendit. Et ponit exemplum, quoniam velle ludicre dare contingit duobus modis : primo, volendo ludere et nullatenus dare; secundo, ita quod vult ludere, et nihilo minus dare. Sicque primo excludit dandi intentionem, quam secundo modo includit, et ita est in proposito. Propter quod dicit Augustinus implorandum esse divi-

num oraculum, et si Dominus non revelat, rebaptizandus est sub conditione. Hæc Bonaventura. — In his doctores concordant.

Quæstiuncula 4. Nunc de quarto agendum est, puta de exorcismo, catechismo, et ceteris quæ concernunt Baptismum. De quibus in Summa sua, libro quarto, Antisiodorensis testatur: Antecedentia Baptismum sunt orationes quas facit sacerdos, et exorcismus ac catechismus. Est autem exorcismus adjuratio qua dæmonem sacerdos adjurat, dicens : Exi ab eo, spiritus immunde; da honorem Deo vivo et vero. Quæritur ergo, utrum per tales adjurationes dæmon expellatur a puero. Videtur quod imo, quia ex exorcismo Salomonis fugabantur dæmonia. Rursus, ad hoc ordinati sunt exorcismi. Objicitur autem, quoniam infans non habet mortale, sed solum originale peccatum : ergo diabolus in eo non habet mansionem et potestatem. Ad hoc multi respondent, quod per exorcismum expellitur, non quantum ad peccatum, sed quantum ad hoc quod non habeat potestatem nocendi corporaliter puero. Alii dicunt, quod expellitur quantum ad diminutionem peccati. Unde dixit Præpositivus, quod si statim decederet parvulus post exorcismum, minores tenebras sustineret, quam si non esset exorcizatus, et magis participaret de dulcedine spiritualium. Exorcismi vero Salomonis erant solum ad fugandum dæmones a corporibus obsessorum. Nobis autem videtur, quod exorcismus, catechismus ac salis linitio, fiunt propter honorem et solennitatem Baptismi; secundo, propter spiritualem eorum quæ ibi aguntur intelligentiam, quia salis linitio discretionem designat, quæ tribuitur in Baptismo. Hinc dum ponitur lumen in manu pueri, non propter hoc mox illuminatur anima ejus actu, sed significatur actualiter illustranda. Pium quoque est credere, quod major gratia detur puero in Baptismo quando exorcismus præcedit, quam alias.

Catechismus demum est quædam instructio baptizandi. Debent enim baptizandi instrui de articulis fidei. Sed quum infantuli non sint susceptivi talis doctrinæ, cur instruuntur ? Iterum, dum quærit sacerdos, Credis in Deum ? et, Vis baptizari ? respondet patrinus, Credo, volo. Et videtur mentiri, quia nec ipse vult baptizari, nec puer, qui nondum utitur ratione. Dicendum, quod in primitiva Ecclesia baptizabantur adulti, et ante hoc instruebantur in fide, sicque instructi baptizabantur in sabbato Paschæ, ad designandum quod per Baptismum resurgebant a morte peccati; vel in vigilia Pentecostes, ad significandum quod per Baptismum daretur Spiritus Sanctus. Unde ait B. Dionysius, quod baptizatus ducebatur ad hierarcham, id est episcopum, ab anadocho, id est patrino, ab *ana*, quod est sursum, et *duco*, quia patrinus baptizandum erigit ad superna. (De Eccl. hier. c. II.) Itaque ad innuendum quod adhuc sit idem Baptismus qui olim, observantur quæ tunc fiebant, et patrinus in persona respondet infantis. Idcirco obligatur satagere ut tempore opportuno parvulus in fide et in necessariis ad salutem instruatur. Hinc secundum Ambrosium, magis diligere debemus spirituales filios quos de sacro fonte levamus, quam quos carnaliter generamus, videlicet quoniam illi in quantum sunt filii spirituales, magis sunt diligendi, quam isti in quantum filii sunt carnales. Denique catechismus non est proprie sacramentum, nec sacramentale, sicut nec exorcismus. Sed exsufflatio quam facit sacerdos, est sacramentalis : significat namque, quod per Spiritus Sancti inflatum exsufflatur potestas diaboli. Saliva quoque sacramentalis est, et divinam sapientiam recte significat : per cujus immissionem in os et aures pueri, designatur quod in Baptismo aperitur os spirituale ad Dei laudem, et aures spirituales ad audiendum verbum ipsius. Inungitur etiam oleo puer in pectore, ad innuendum quod corde credat; et inter scapulas, ad significandum quod onus legis divinæ deportet. Inungitur item ad desi-

gnandum quod baptizatus fit spiritualiter A rex et sacerdos, juxta illud beatissimi Pe-
Petr. ii, 9. tri, Vos genus electum, regale sacerdoti-
Apoc. i, 6. um; et illud Apocalypsis, Fecit nos regnum et sacerdotes Deo nostro. Insuper, post Baptismum inungitur parvulus chrismate in vertice, ad designandum quod baptizatus debet habere nitorem conscientiæ, et odorem bonæ famæ. Chrisma enim conficitur ex oleo et balsamo. Oleum autem suo nitore signat conscientiæ puritatem; balsamum vero suo odore, bonæ famæ fragrantiam. Deinde datur baptizato B vestis, et dicitur ei, Accipe sanctam vestem : quæ notat mundam conversationem, et pia virtuosaque opera, quibus omnis baptizatus debet jugiter operiri, decorari ac protegi. — Hæc Antisiodorensis.

Præterea de his diffuse conscribit Thomas : Prosequitur, inquiens, S. Dionysius ritum Baptismi qui in primitiva Ecclesia servabatur in solenni celebratione Baptismi, quando adulti ad Baptismum veniebant. Hinc quatuor per ordinem ponit : quorum primum spectat ad catechismum, C secundum ad exorcismum, tertium ad Baptismum, quartum ad Baptismatis complementum. Ad catechismum pertinent ista per ordinem. Primo, instructio de fide per prædicationem episcopi; secundo, conversio infidelis ad fidem, et accessus ejus ad episcopum mediante patrino, quem anadochum vocat; tertio, gratiarum actio, atque oratio ab episcopo et clericis facta; quarto, petitio Baptismi, et professio observantiæ christianæ religionis; quinto, impositio manus, et signatio baptizati signo D crucis; sexto, conscriptio ejus ac anadochi. Quantum ad exorcismum autem, ponuntur quatuor. Primo, exsufflatio versus occidentem, et abrenuntiatio; secundo, manuum ad cœlum erectio, cum sacra fidei confessione et christianæ religionis professione; tertio, oratio, benedictio et manus impositio; quarto, denudatio et unctio oleo sancto. Quantum etiam ad Baptismum, ponit trinam immersionem, cum aliis quæ ad Baptismum requiruntur. Quantum vero ad Baptismi perfectionem, ponit tria, videlicet : vestis traditionem, chrismatis linitionem in capite, et perceptionem Eucharistiæ.

Si autem objiciatur, quod per manus impositionem datur Spiritus Sanctus ad robur in Confirmatione, ergo non debet fieri in Baptismo; dicendum, quod triplex manus impositio datur. Una in catechismo, ut baptizandus roboretur in fide in se ipso. Alia in exorcismo, ut roboretur in pugna contra diabolum. Tertia in Confirmatione, ut roboretur in confessione fidei contra pressuras mundi. — Denique de sacramentalibus istis quæ pertinent ad solennitatem Baptismi, quædam fuerunt in primitiva Ecclesia quæ modo non sunt, et quædam superaddita sunt. Unde in exorcismo aliquid est subtractum, ut patet per ritum quem Rabanus docet, puta conversio ad orientem et occidentem; et aliquid additum est, ut salis cibatio, et aurium ac naris cum sputo linitio : de quorum significatione jam dictum est. — Præterea, Cf. p. 165 D'.
circa Baptismum est triplex inunctio. Una quæ fit oleo sancto quantum ad catechumenos, quæ secundum beatos Dionysium et Ambrosium, fit in signum pugnæ contra inimicum, sicut athletæ inunguntur; vel secundum Rabanum, ut nullæ reliquiæ latentis inimici remaneant. Secunda fit post Baptisma cum chrismate in vertice, ut sicut per aquæ ablutionem denotatur emundatio a peccatis, ita per chrismatis linitionem in vertice significetur gratia collata in mente ad bene operandum, ut boni odor exempli ad alios diffundatur. Tertia fit in Confirmatione, de qua infra.

Debet autem catechismus Baptismum præcedere. Nam sicut in aliis scientiis atque doctrinis quædam sunt communia, quibus ignoratis ars ignoratur; quædam vero sunt propria, quæ sine ignorantia illius artis possunt ignorari : ita in doctrina fidei sunt quædam communia, ut articuli fidei, providentia Dei, futurum judicium, et consimilia, de quibus instruendi sunt baptizandi ante Baptismum; de aliis

vero specialibus et secretioribus, postea. A — Et si quæratur, an ista instructio ad sacerdotem pertineat; respondendum, quod triplex est instructio fidei. Una admonitoria, qua quis ad fidem convertitur. Et hæc est propria sacerdotum, quorum est publice docere et prædicare : unde et S. Dionysius hanc episcopo attribuit. (De Eccl. hier. c. v.) Alia est instructio disciplinalis, qua quis instruitur qualiter ad Baptismum accedere debeat, et quid credere. Et hæc pertinet ad officium diaconi, et per consequens sacerdotis : quoniam quidquid diaconi est, est etiam sa- B cerdotis. Tertia, quæ sequitur Baptismum, et pertinet ad anadochum et ad prælatos Ecclesiæ. Prælati enim Ecclesiæ generalem habent doctrinam, quæ per officium anadochi ad istum aut illum specialiter adaptatur. — Cur autem parvuli catechizentur, prætactum est. (Cf. p. 165 A'.) Nunc quoque quando parentes parvulorum sunt Christiani, non imminet tanta sollicitudo anadocho circa levatum de fonte, sicut in primitiva Ecclesia, quando parentes frequenter in infidelitate manserunt. C

Præterea quæritur, an exorcismus etiam Baptismum præcedere debeat. Et respondendum, quod propter peccata hominum, dæmones potestatem acceperunt in homines, atque in omnia quæ in eorumdem veniunt usum, in nocumentum eorum. Quumque nulla conventio sit Christi ad Belial, (II Cor. vi, 15.) hinc quandocumque consecrandum est aliquid ad cultum divinum, prius exorcizatur, ut liberatum a potestate diaboli, qui illud in nocumentum hominis assumere poterat, Deo consecretur : quod pa- D tet in consecratione aquæ et templi. Unde quum prima sanctificatio qua homo Deo consecratur, sit in Baptismo, oportet ut homo exorcizetur multo plus quam inferiora, antequam baptizetur : præsertim quum in homine sit causa, utpote culpa, propter quam in ipsum et in alia dæmon potestatem accepit. Hocque designant ea quæ in exorcismo dicuntur, videlicet, Recede ab eo, Satana, etc.; similiter ea quæ ibi fiunt, quia exsufflatio designat dæmonis expulsionem, et alia quæ sunt ibi, habent spiritualem significationem et mysticam rationem, sicut expositum est. (Cf. p. 165 D'.) — Si autem objiciatur, quod exorcismus est contra energumenos, sed non omnes baptizandi sunt energumeni; dicendum, quod energumeni dicuntur interius laborantes, ab ἐν, quod est in, et ἔργον, labor. Quamvis ergo non omnes baptizandi sunt energumeni, nec interius laborantes, quasi corporaliter a dæmonibus vexati, interius tamen laborant aut infirmantur propter fomitis infectionem, diabolo aliquid potestatis in ipsis habente. Et quia diabolus nos impugnat ab intus et ab extra, aqua benedicta ordinatur contra impugnationem diaboli ab exteriori, exorcismus contra impugnationem ejus ab interiori.

Insuper, circa exorcismi effectum est duplex opinio. Una, quod ea quæ in exorcismo aguntur, sunt tantum signa eorum quæ postea in Baptismo complentur, in quo potestas dæmonis totaliter evacuatur, juxta illud B. Cypriani : Scias diaboli nequitiam permanere posse usque ad salutare Baptisma, et in eo omnem potestatem amittere. Sed hoc est contra Gregorium sanctum, dicentem : Sacerdos dum per exorcismi gratiam manus imponit credentibus, et habitare in eorum cordibus spiritus malignos contradicit, quid agit nisi dæmonia ejicit ? Et etiam est contra ea quæ in exorcismo dicuntur, quæ frustra dicerentur, nisi aliquem haberent effectum : præsertim quum per modum imperii, non solum orationis, dicantur : ut quum dicitur, Ergo maledicte diabole, exi ab eo. Idcirco dicendum, quod aliquid efficiunt, sicut alii dicunt, et non solum in corpore, sed item in anima, quum in utroque sit infectio fomitis. Hic autem effectus est debilitatio potestatis dæmonis, ne tantum possit in homine sicut ante, ne Baptismum et alia bona in ipso valeat impedire : quæ potestas in Baptismo omnino aufertur, quemadmodum Pharao prius flagellatus, (Exod. vii-xii.) deinde in mari Rubro omnino submersus est. (Ibid. xiv, 28.) Præpositivus autem dixit, quod

exorcizatus ante Baptismum decedens, minores tenebras patietur. A Sed hoc nihil est, quoniam tenebræ illæ in sola carentia divinæ visionis consistunt, quum non habeant aliam sensibilem pœnam. Et hoc in omnibus æqualiter erit. Idcirco dicendum, quod non habet effectum in collatione gratiæ, sed solum in debilitatione potestatis diaboli. Denique, ut Baptismi uniformitas observetur, oportet ut si exorcismus prætermissus fuerit, post Baptismum suppleatur; et tunc solum significat; vel forsitan additur coercitio aliqua impugnationis diaboli, B quum et etiam dum post Baptismum aqua benedicta adspergimur, potestas dæmonis aliqua reprimatur.

Postremo, exorcizare spectat ad exorcistas, ex proprio eorum officio; nihilo minus est etiam ordinum superiorum. Attamen ad ostendendam unitatem Baptismi, consuetum est in Ecclesia, ut totum quod ad Baptismum pertinet expleatur ab uno, puta a sacerdote. In primitiva vero Ecclesia frequenter grandis turba simul ad Baptismum confluxit, fueruntque tunc pauci C saccrdotes : ideo sacramentalia illa fiebant a minoribus ordinibus. Completa autem potestas in exorcizando, competit sacerdoti. — Hæc Thomas in Scripto.

De his scribit in tertia parte, quæstione septuagesima prima. Et quæ ibidem inducit, in nunc introductis satis contineri censentur; similiter ea quæ scribit Albertus, et quæ Petrus.

Richardus vero adjicit : Secundum Hugonem secundo libro dc Sacramentis, forma exorcismi ita perficitur : Baptizandus D primo signatur signaculo crucis in fronte, in pectore, in oculis, in naribus, in auribus, in ore, ut totius corporis sensus hoc signaculo muniantur, cujus virtute sacramenta cuncta complentur, et omnia diaboli figmenta frustrantur. Postea datur sal bencdictum in os ejus, ut sapientia conditus, odore careat iniquitatis, nec ultra putrescat vermibus vitiorum. Deinde exsufflatur maliguus spiritus, ut spiritus spiritu pcllatur. Postea tanguntur ei narcs et aures saliva, ut tactu supernæ sapientiæ aures ejus aperiantur ad audiendum verbum Dei, et nares similiter ad discernendum odorem vitæ ac mortis. His completis, venit sacerdos ad fontem. Consecratur fons in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, quatenus sanctitas sacramenti non ex eo qui ministrat, sed ex eo qui sanctificat, esse noscatur. Traditur quoque novæ vitæ auditoribus Symbolum fidei, in quo apostolicæ doctrinæ forma consistit. Postremo, interrogatus baptizandus, Abrenuntias Satanæ et omnibus pompis ejus? respondet, Abrenuntio. Quo facto, ungitur oleo sacro in pectore, tanquam muniatur adversus hostem, ne ultra persuadeat fœda et noxia. Ungitur et inter scapulas, ut confortetur ad portandum onus Dei suave. Et interrogatus, Credis? dato responso, mergitur ter in aqua. Baptizatus autem ascendens de fonte, ungitur chrismate sacro in vertice, ut spiritum Christi participando, deinceps merito Christianus vocetur, coheres regni et gloriæ sacra unctione effectus. Deinde traditur ei candida vestis, ut habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur item caput ejus sacro velamine, ut intelligat se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri. Ad ultimum datur ei cereus accensus in manu, ut doceatur implere evangelicum illud : Sic luceat lux vestra coram hominibus, etc. *Matth.* v, 16. Hæc Richardus ex Hugone. — De his quoque Guillelmus in suo Sacramentali, et Bonaventura in Scripto conscribunt, quæ cum prædictis coincidunt.

Refert item Richardus, qualiter quidam dixerunt exorcismum naturali virtute dæmonem effugare, et ejus potestatem reprimere, poncntes exemplum de David, qui sonitu citharæ suæ fugavit a Saul dæmonium; 1 *Reg.* xvi, 23. quod tamen Glossa innuit factum in quantum cithara fuit crucis figura. Et alii dicunt Saulem perpessum hujusmodi passionem ex grosso humore melancholico ascendente, quem agitavit dæmonium, ad cujus motionis repressionem potentior fiebat anima Saulis, confortata et consolata

citharæ melodia, in qua et naturaliter delectabatur. Exorcismum vero æstimo operari non naturali virtute, nec supernaturali aliqua potestate subjective exsistente in ipso, sed omnipotentia Dei quasi ex quodam decreto adsistente et operante. Hæc Richardus.

Postremo Henricus primo Quodlibeto
q. 22-24. tres movet quæstiones circa Baptismum. Prima est, an infans delatus ad Baptismum, moriensque in via sine Baptismo, damnetur. Secunda est, an minorem habeat pœnam in limbo quam parvulus Sarraceni. Tertia, an sit in cœmeterio sepeliendus. — Ad quas breviter respondet, dicendo, quod quantum est de lege communi, infans ille non renatus damnatur, quamvis certum sit Deum omnipotentem cum anima hujusmodi posse agere quidquid sibi placuerit. Ad secundum respondet, quod quum pro originali peccato nulla pœna sensus infligatur, in qua reperitur majus et minus, sed solum pœna damni, in qua non est majus et minus, ideo unus talium parvulorum non habet minorem quam alius pœnam. Ad tertium dicit, quod cœmeterium locus sit sepelitionis membrorum Christi, filiorum Ecclesiæ. Unde et corpora excommunicatorum non recipiuntur ibidem : ideo nec talis infautulus est in cœmeterio sepeliendus.

Amplius sexto Quodlibeto interrogat, an
q. 14. monstro capita duo habenti imponi debet
q. 15. nomen unum vel duo; et utrum, dicendo, Ego te baptizo, ambo sint baptizati, vel unus tantum. Ad quæ multum magistraliter, quamvis prolixe, respondet : Quia si sint in monstro hujusmodi animæ duæ, sunt utique homines duo, et duo nomina conveniunt eis, suntque ambo sigillatim baptizandi. An vero sint in eo animæ duæ, perquirendum est per hoc, an in eo sint duo corda materialia, et si sic, sunt ibi animæ duæ. An vero sint duo corda, oportet perpendere ex lateribus, quomodo concurrant in medio pectoris atque in spina dorsi. Nempe si ibi appareat prominentia major in corpore uno, et maxime si appareant quasi duæ gibbositates in longum protensæ, quasi ex lateribus concurrentes, hoc est evidens signum quod intus sunt duo corda latentia. Quale erat monstrum duorum capitum et perfcetorum collorum, quod unum habuit caput nigrum et austerum, multumque pingue; alterum vero caput album, valde macilentum, sed pium; et quatuor brachia, attamen imperfecta. Erant autem duo brachia perfecta cum manibus suis, sita suis locis : unum procedens ex humero lateris unius capitis, aliud ex alio humero ex latere alterius capitis; et alia duo brachia parva cum manibus parvis, exibant inter duo capita ex parte dorsi, ac si duo a lateribus jungerent se strictissime, et brachia laterum contingentium se tenerent extenta ad partem inter eos posteriorem. Quibus suppositis, videbitur forte aliquibus sentiendum, quod talia corpora, quamvis appareant unum continuum in quadam parte, non tamen sunt vere continuata, sed opere naturæ imperceptibiliter consolidata per totum, ab humeris usque ad unum latus, ita quod nullum membrum aut organum, aut partem membri, habent commune. Sic enim duæ formæ et duæ animæ rationales eamdem perficerent materiam : quod omnino est impossibile in natura. Sed huic omnino contrariatur sensus, cui durum est contradicere in re tam patenti, etc. Hanc difficultatem Doctor solennis curiose prosequitur, quod brevitati studens transilio.

De charactere baptismali, de ejus necessitate, essentia, definitione, subjecto, divisione, effectu et indelebilitate, secundum Guillelmum aliosque doctores.

De charactere quorumdam sacramentorum evangelicæ legis præcipua est difficultas, quid sit, et cur oporteat eum esse : præsertim quia antiqui sancti Doctores parum aut nihil inde locuti videntur.

Itaque de hoc scribit in suo Sacramentali Guillelmus : Restat nobis declarare, quid ipsa sanctificatione baptismali imprimatur animabus sanctificandis : an gratia sola, qua Deo accepti ac placiti fiunt, an et character et signaculum, quod amissa gratia maneat; et quid sit tale signaculum, quis fructus et effectus ipsius. Primo igitur dicimus, quod necesse est aliquid manere in anima, gratia jam amissa. Si enim nil maneat, tantumdem videtur ac si non essent baptizati. Nempe si totum quod Baptismi sacramento collatum est, ita deletur per quodcumque mortale peccatum, ut nihil ejus remaneat, sic se videtur habere ac si homo nunquam fuerit baptizatus. Hinc in hoc consenserunt doctores, quod præter gratiam gratum facientem, et præter totum decorem virtutum atque donorum, quibus Deo placetur et quæ baptizatis præstantur, imprimitur et character : quamvis non satis declaraverint, quid sit in specie iste character. Quumque dicant ipsum esse in genere qualitatis, non determinant, qualem efficiat animam baptizati seu baptizatum. Quod si dixerint, quod non efficit ipsum nisi baptizatum, idem est ac si dicatur, quod percussione imprimitur character qui facit percussum, et distinguit percussio percussum a non percusso, sicut Baptismus baptizatum a non baptizato. Sed et hoc dixerunt proprium esse characteris hujus, distinguere baptizatum a non baptizatis.

Contra quod dupliciter objicitur. Primo, quia non potest dici effectus proprius alicujus, quod æqualiter convenit omni qualitati, actioni, passioni, omnique rei. Nihil autem est in tota rerum universitate, quod habentem illud non distinguat a non habente, quum et pes distinguat habentem hoc membrum a carente eodem. Ideo sic distingui, necessario sequitur unamquamque rem per se ipsam. Non ergo oportet characterem ponere ob hoc solum, utpote ut distinguat, quum nullus novus effectus aut operatio inducatur per hoc. Si enim attribuerimus characteri alium effectum

A proprium, principalem et immediatum, nihilo minus sequitur eum iste : quemadmodum albedo, etsi proprium habeat effectum, facere album seu disgregare visum, nihilo minus competit ei a nigro distinguere. Hi ergo errant dupliciter. Primo, quoniam principalem effectum dicunt illum qui ex necessitate consequitur. Secundo, quoniam primum ac principalem effectum deglutiunt seu omittunt. Impossibile quippe est esse qualitatem, et non esse in aliqua specie qualitatis, et quæ denominationem non

B habeat specialem. Distinguere autem seu dissimilare, est denominatio relativa sive ad aliquid. — Secundo, opinio illa destruitur, quia si nullus esset non baptizatus, frustra esset talis character, imo non esset : non enim distingueret. Præterea quibus seu propter quos fit illa distinctio, quum character nec habentibus eum, nec aliis sit apparens, nec per eum unus ab alio se distinguat? Insuper, dicendo quod character causa sit gratiæ gratum facientis, dupliciter errare videntur, quia non

C potest poni causa gratiæ nisi ut causa efficiens, et talis causa gratiæ solus est Deus. Rursus, quod agit seu efficit qualitas, agit subjectum ipsius : sicut quod agit calor, efficit ignis; et sic anima in qua est character, esset causa gratiæ et virtutis, atque justitiæ suæ, et justificaret ac sanctificaret se ipsam.

Nos igitur dicimus, quod illud quod imprimitur in Baptismo præter gratiam, et quod remanet ea amissa, est sanctitas quædam : cujus exemplum et figura est sancti-

D tas basilicarum consecratarum, et vasorum sacrorum. Consecrata namque basilica, quantumcumque post consecrationem polluatur aut profanetur, remanet sancta : alioqui violatores ejus non essent sacrilegi. Sic ergo et sanctitas ista in Baptismo collata nequit auferri; propter quod spirituale sacrilegium in se ipso committit et violat templum Dei Christianus, quocumque mortali peccato se polluens. Qualis autem sit sanctitas ista, et quis ejus effectus, apparet ex ejus figura et signo,

id est ex sanctitate basilicæ. Quemadmodum enim ex illius sanctitate arceantur dæmones, ut minus noceant introeuntibus eam, orantibus, psallentibus et sacrificantibus in ipsa, et ut illi facilius exaudiantur et acceptentur in ipsa; ita ex sanctitate baptismali debilitatur vis dæmonum contra eos, ita quod incomparabiliter minus potest contra eos quam alios. Facilius quoque gratia devotionis illustrantur ac pœnitent, et ipsis dæmonibus sunt metuendi, qui et gravius cruciantur si eos tentando invaserint ac traxerint ad peccandum: sicut et sanctitas sanctorum locorum potestatem minuit sæcularium principum. Denique, ex hac sanctitate, baptizati sunt de sorte et parte Dei. Unde et citius eos recognoscit ut suos, et ad suum jus pertinentes, ac replet eos spiritualibus donis; et sanctitas ista signum est gratiæ gratum facientis, quemadmodum annulus regius signum est doni quo quis investitur per regem et annulum illum. Quemadmodum etiam ad sigillum regium dispensator regis dat dona regalia; sic dispensator charismatum dat baptizatis dona regis regum, plenam remissionem culpæ ac pœnæ. Porro causa efficiens hujus sanctitatis, id est characteris baptismalis, Deus est solus, et aliud nihil. Estque character habilitans, adjuvans ad gratiam obtinendam ac conservandam: ideo Baptismus iterari non potest nec debet. — Hæc Guillelmus. Cujus positio quantum ab aliorum positione differat et discordet, et qualiter cum eis valeat concordari, ex sequentibus elucebit.

At vero de his Thomas tractans diffuse, primo sciscitatur, utrum character sit. Respondet: Characterem in quibusdam imprimi sacramentis, omnes fatentur moderni. Verum in modo ponendi partim differunt, partim conveniunt. In hoc namque omnes conveniunt, quod dicunt per characterem importari triplicem relationem, quia character est signum distinctivum et configurativum. Et ut signum, importat relationem ad signatum; in quantum vero est distinctivum, notat relationem ad ea a quibus distinguit; in quantum autem est configurativum, designat relationem ad ea quibus assimilat. — Differunt demum in hoc, quoniam quidam ponunt istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum, sed fundari eas immediate in anima. Quod esse non potest. Nam signum per formam quam sensui aut intellectui imprimit, facit aliud in cognitionem venire. Nil quoque distinguitur ab alio nisi per aliquam formam. Similitudo etiam est relatio super unitate qualitatis fundata, ut quinto Metaphysicæ dicitur. Hinc quælibet relationum quam importat character, requirit aliquam formam sibi substratam. Quumque non sit forma substantialis, relinquitur quod forma substrata sit qualitas quædam, cujus unitas similitudinem configurationis inducit. — Ideo dicunt quidam, quod est in genere qualitatis, non tamen in aliqua specie ejus, quum et Philosophus in Prædicamentis testetur: Forsitan apparebunt et alii modi qualitatis. Sed hoc est fuga quædam. Nam quamvis sint alii modi, tamen reducuntur ad quatuor species quas expressit: quod constat ex hoc quod nulla species alia interim potuit inveniri. — Propterea alii dicunt, quod sit in quarta specie qualitatis: quoniam configuratio quam character importat, dicit unitatem figuræ, quæ est in qualitatis specie quarta. Hancque figuram quidam dicunt esse crucem Christi. Quod stare non valet, quia aut figura sumitur proprie, aut metaphorice. Si proprie, sic terminationem importat et dimensionem, quam constat in anima non esse. Si metaphorice, oportet quod metaphora reducatur ad proprietatem. Non enim res ponitur in genere per id quod de ea metaphorice dicitur: sicut non dicitur quod Apostoli sunt in genere qualitatis, quoniam dictum est de eis: Vos estis lux mundi. Nec poterit aliquid in quarta qualitatis specie reperiri, quod sit in anima secundum proprietatem. Hinc character fundari nequit super qualitatem quartæ speciei illius. — Idcirco alii dicunt, quod sit in tertia parte, quo- *Matth.* v, 14.

* mulcebrem

niam muliebrem* quamdam passionem ingerit sensui spirituali, in quantum animam ornat atque decorat. Quod etiam improbatur, quia (ut septimo Physicorum probat Philosophus) tertia species qualitatis non est nisi in sensibili animæ parte, character autem est in parte intellectiva. Illæ quoque qualitates semper ordinem habent ad transmutationem aliquam corporalem, vel quam inferunt, vel a qua causantur. — Hinc secundum alios, ponitur in prima specie qualitatis, et est quasi media inter dispositionem et habitum. In quantum enim est difficile mobilis, convenit cum habitu; atque in quantum non est ultima perfcctio, sed disponit ad gratiam, convenit cum dispositione. Quibus objicitur, quia secundum Philosophum Ethicorum secundo, habitus est quo habemus nos bene aut male ad passiones; et universaliter consideranti apparet hæc differentia inter habitum et potentiam, quod potentia est qua simpliciter aliquid possumus, habitus vero est quo possumus illud bene aut male : sicut intellectus est quo consideramus, scientia qua bene consideramus. Similiter est de dispositione, quæ non est nisi habitus imperfectus. Quum ergo character ordinetur ad aliquid simpliciter, et non ad illud bene vel male, quia sacerdos potest bene et male conficere; ideo qualitas super quam fundatur relatio characteris, non potcst habitus esse, sed magis potentia.

Unde relinquitur, quod ad secundam speciem qualitatis reducatur, ut quidam alii dicunt : quod sic patet. Sicut cujuslibct exsistcntis in aliqua natura, sunt aliquæ operationes propriæ, ita et ejus quod in spirituali regeneratum est vita, ut S. Dionysius ait secundo Ecclesiasticæ hicrarchiæ capitulo. Cujus autem sunt propriæ operationes, oportet quod sint propria illarum operationum principia. Unde sicut in aliis sunt potentiæ naturales ad proprias actiones, ita in spiritualcm vitam renati habent quasdam potentias per quas possunt opera illa. Quæ potentiæ similes

A sunt virtutibus a quibus sacramenta efficaciam sibi inditam habent : quoniam sicut sacramenta gratiam instrumentaliter causant, ita recipientes characterem operantur divina ministerialiter. Minister autem est sicut instrumentum ejus cui ministrat : ideo tam virtus sacramenti quam minister, cujus est character, instrumentalis est causa. Denique quod hujusmodi potentia sit character, patet diligenter consideranti verba divini Dionysii, a quo prima traditio characteris nobis advenit. Assignans

B enim ministerium ritus cujusdam qui in primitiva erat Ecclesia, quando baptizabantur adulti, quod accedenti ad Baptismum hierarcha, id est pontifex, manum imponebat, signabatque eum signo crucis, et jubebat eum describi inter nomina Christianorum, quatenus de cetero cum aliis ad divina admitteretur, dicit, quod sic accedentem, puta ad vitam spiritualem, divina beatitudo in sui participationem recipit, sicut sacerdos baptizandum in* lumine proprio quasi quodam signo

* *alias* :, et

C tradit sibi sui participationem, perficiens ipsum communicantem divinorum. Quo patet, quod per hoc signum, aliud nil intendit quam quod facit eum participativum operationum divinarum : sicque hoc signum nil aliud est quam quædam potentia qua baptizatus potest in actiones hierarchicas, quæ sunt ministrationes ac receptiones sacramentorum, et aliorum quæ pertinent ad fideles. Ad hoc quoque quod has operationes bene exerceat, indiget habitu gratiæ, sicut et aliæ potentiæ

D egent habitibus. Itaque character reducitur ad secundam speciem qualitatis. Et est alius modus ab illo quem Philosophus ponit, quia Philosophus non cognovit nisi operationes atque potentias naturales. Constat enim, quod apud nos necesse sit ponere potentias spirituales supernaturales, ut potentiam conficiendi et absolvendi, etc., et quod ad secundam qualitatis speciem reducantur, quemadmodum habitus infusi in eadem sunt specie qualitatis cum habitibus naturalibus acquisitis.

Nunc de definitionibus characteris disserendum. Itaque divino Dionysio hæc characteris definitio attribuitur : Character est signum sanctum communionis fidei et sanctæ ordinationis, accedenti datum a hierarcha. Quocirca sciendum, quod definitio ista nusquam invenitur a B. Dionysio tradita, sed ex prætactis ejus verbis accipitur ; imo convenientius exprimeretur, dicendo : Character est signum communionis potestatis divinorum et sacræ ordinationis fidelium, datum a divina beatitudine accedenti. In qua tanguntur quatuor causæ characteris. Primo genus ejus, quum dicitur, Signum, quod pertinet ad causam formalem. Secundo tangitur finis characteris, qui datur ad duo : primo, ut recipiens Christo configuretur, tanquam adscriptus ad communicandum sacramentis divinis et actionibus sacris, et quantum ad hoc dicitur, Communionis divinorum potestatis; secundo, ut configuretur coordinandus aliis quibus eadem potestas data est, et hoc tangitur ibi, Et sacræ ordinationis fidelium. Quæ duo excommunicatio suspendit ad tempus, privando hominem participatione divinorum, et communione fidelium. Tertio ponitur materia in qua, dicens, Datum accedenti. Quarto, causa efficiens, ibi, A divina beatitudine. Definitio quoque alia potest salvari, et redit in idem, ut hoc quod dicit, Communionis fidei, referatur ad participationem sacramentorum et actionum fidelium ; atque quod addit, Et sanctæ ordinationis, designet coordinationem ejus ad alios; et quod subditur, Accedenti datum a hierarcha, denotet causam efficientem instrumentalem, quæ consignatione exteriori figurat interiorem. — Character itaque accipit rationem signi, secundum quod per sacramentum visibile exterius efficitur et significatur. Cum qualibet etenim potestate datur exterius aliquod visibile signum illius potestatis : sicut regi in signum regiæ potestatis dantur corona et sceptrum ; pontifici mitra, annulus et baculus. Similiter, cum spirituali potestate quæ in sacramentis

A confertur, datur signum sacramentale exterius ; et per comparationem ad illud, ipsa spiritualis potentia seu character dicitur signum, in quantum homo per eam configuratur et determinatur ad actiones spirituales.

Præterea magistralis definitio characteris est hæc : Character est distinctio a charactere æterno impressa animæ rationali secundum imaginem, consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti, et distinguens a non configuratis
B secundum statum fidei. In qua definitione tanguntur etiam quatuor causæ characteris, puta : causa formalis seu genus, quum dicitur, Distinctio, id est signum distinctivum ; et causa efficiens, quum sequitur, A charactere æterno, id est a Filio, qui est figura substantiæ Patris, ut dicitur ad Hebræos. *Hebr.* I, 3. Causa quoque materialis, ibi, Animæ rationali impressa secundum imaginem. Causa vero finalis ponitur duplex, videlicet : configuratio, quum dicitur, Consignans trinitatem, id est configurans ; atque di-
C stinctio, quum subditur, Et distinguens. Et sicut hic ponitur genus proximum, ita et proximus finis ; proximum quoque subjectum, quod est anima rationalis ; et efficiens appropriatum, quod est Unigenitus Patris. Sicque definitio ista excedit præcedentem, in hoc quod per proximas datur causas. — Quod si quæratur, cur et propter quos datur signum istud distinctionis ; dicendum, quod primo propter hominem qui suscipit illud, qui eodem accipit distinctum posse ab aliis ; et propter ho-
D mines alios, qui ipsum ad spirituales actiones admittunt, ex consignatione exteriori sacramentali interiorem pensantes ; et quoad Deum, qui actionibus ejus spiritualibus efficaciam præbet. — Denique definitio ista magis respicit fidem quam caritatem : quoniam fides hominis nota est ei, juxta illud Augustini : Nihil alicui certius est sua fide. Non autem certus est homo se esse in caritate. Nec tamen fides sufficienter distinguit fidelem ab infidelibus, quantum ad actus spirituales qui fi-

delibus competunt, quia ad hos exercendos seu suscipiendos oportet spiritualem addi potentiam.

Præterea, si quæratur de subjecto characteris ; respondendum, quod natura proportionabiliter spiritualitati substernitur, quemadmodum perfectibile suæ perfectioni. Hinc sicut gratia, quæ est spiritualis vitæ principium, est subjective in essentia animæ ; sic character, qui est spiritualis potentia, est subjective in naturali vi animæ, non in ejus essentia, nisi mediante potentia. — Si autem objiciatur, quia dispositio et habitus sunt in eodem subje- Cf. p. 172 B. cto ; quum ergo juxta præhabita, character sit dispositio ad gratiam, erit in essentia animæ sicut et gratia. Respondetur, quod dispositionem et habitum esse in eodem subjecto non oportet, nisi dum dispositio fit habitus, sicut scientia imperfecta fit perfecta ; non autem oportet, quando dispositio et habitus essentialiter differunt : sicut operatio sensitiva est dispositio ad intellectivam.

Quæritur quoque, an character sit magis in affectiva quam intellectiva. Dicendum, quod imago principaliter consistit in cognitiva, quoniam ex memoria et intellectu oritur voluntas : sicque tota imago est in intellectiva veluti in radice ; ideo omne quod attribuitur homini ratione imaginis, principaliter respicit vim intellectivam, et ex consequenti affectivam. Ex intellectiva etenim parte seu rationali perfectione habet homo quod sit homo ; ex vi vero affectiva, quod sit bonus aut malus. Quumque character respiciat imaginem, principaliter est in intellectu.

Quæritur item, an character possit deleri, et utrum fuit in Christo. Dicendum ad primum, quod impressio characteris est per quamdam animæ rationalis sanctificationem, prout sanctificatio dicitur deputatio alicujus ad aliquod sacrum. Ad quam sanctificationem non magis active comparatur anima sanctificanda quam aqua sanctificanda, vel chrisma aut oleum, nisi quod homo adultus se subjicit tali

A sanctificationi per consensum : ideo qualitercumque anima varietur per proprias operationes, nunquam amittit characterem ; sicut nec chrisma vel oleum panisve consecratus, sanctificationem. Hæc autem indelebilitas characteris est partim ex parte subjecti, quod est incorruptibile ; partim ex parte causæ suæ effectivæ, quæ est invariabilis Deus. Gratia tamen et caritas possunt amitti, quoniam dispositive et conservative dependent ex suo subjecto. — Porro si quæras, an character manet in B patria ; respondendum, quod homo per characterem configuratur Deo ad hoc quod sit de cœtu fidelium, atque hierarchicarum particeps actionum. Ecclesiasticæ autem hierarchiæ succedit, quantum ad electos fideles, hierarchia cœlestis : ideo ad communionem fidelium in triumphanti Ecclesia, et ad participationem actionum cœlestis hierarchiæ character in patria perficiet ; et sic erit ibi ad alios actus, sicut virtutes et dona. Manet etiam in damnatis ; sed hoc est per accidens præter in- C tentionem imprimentis characterem, quod recipiens condemnetur. Idcirco character non est ibi ordinatus ad aliquem finem : quia quæ præter intentionem fiunt, carent ordine ad finem. Deus tamen qui nihil inordinatum relinquit, elicit inde aliquod bonum, ut quod justior apparet eorum damnatio, qui tantum munus neglexerunt.

Ad secundum illud quæsitum dicendum, quod secundum quosdam, Christus non habuit characterem baptismalem, quoniam a Baptismo nihil accepit, sed habuit chara- D cterem Ordinis, qui pertinet ad quemdam eminentiæ statum. Verumtamen verius dicitur, quod Christus nullum characterem habuit, quoniam habuit potestatem plenitudinis in sacramentis, sicut ea instituens et efficaciam eis præbens. Unde sicut potuit inducere effectum sacramenti in aliquem sine sacramento exteriori, ita ex parte ipsius ad hoc non requirebatur aliquid sacramentale exterius. — Et si objiciatur, quod habere characterem est perfectionis, ergo maxime fuit in Christo ;

dicendum, quod fuit in Christo per modum sublimiorem. Nam et aliquid est perfectionis in nobis quod non esset perfectionis in Christo, ut gratia adoptionis ; et ita de charactere est dicendum. A

Quod autem in circumcisione et ceteris sacramentis veteris legis, character non imprimebatur, dictum est supra. (*Cf. dist. 1, q. 7.*) Nec tamen in omnibus sacramentis novæ legis character imprimitur, sed in tribus dumtaxat, quæ nec iterantur, et sunt Baptismus, Confirmatio, Ordo. Quod de Baptismo nunc patuit; de aliis duobus infra patebit. (*Cf. dist. 1, q. 4.*) B Sæpe enim dictum est quod omnia sacramenta sunt quædam sanctificationes. Sanctificatio autem dupliciter sumitur : primo, pro emundatione; secundo, pro mancipatione seu deputatione ad aliquod sacrum, quemadmodum vestis, ecclesia, altare, sanctificantur. Omnia itaque sacramenta sunt sanctificationes primo modo, quoniam purgant a culpis, suntque remedia contra vitiorum defectus. Quædam vero sacramenta sunt sanctificationes etiam modo secundo, quia per ea mancipatur homo ad sa- C cra, sicut per Ordinem sacerdotalem ad sacrificandum et offerendum, et per Confirmationem ad spiritualem hostium expugnationem, ac per Baptismum ad actus spiritualis regenerationis, sicut in definitione characteris expositum fuit. — Dicitur quoque character a Dei Filio imprimi, per quamdam appropriationem ad proprium Filii, qui est imago Patris, figura seu character substantiæ ejus (*Hebr. 1, 3.*) : sic enim character iste creatus, est assimilatio et configuratio animæ ad characterem increatum. D Nihilo minus realiter imprimitur a tota superbeatissima Trinitate, cujus indivisa sunt opera. — Hæc in Scripto.

Præterea in tertia parte, quæstione sexagesima tertia : (art. 1.) Sacramenta (ait) novæ legis ordinantur ad duo, videlicet ad remedium contra peccatum, et ad perficiendam animam in his quæ spectant ad cultum Dei secundum ritum christianæ conversationis. (art. 2.) Cultus autem divinus consistit in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo hæc aliis : ad quorum utrumque requiritur quædam potentia, quoniam ad tradendum aliquid aliis, exigitur activa potentia, et ad recipiendum, passiva. Hinc character importat quamdam spiritualem potentiam, ordinatam ad ea quæ sunt cultus divini, quæ est potentia instrumentalis, ut dictum est supra de potentia quæ consistit in sacramentis. (*Cf. p. 172 A'.*) Habere enim sacramenti characterem, competit Dei ministris, qui se habent per modum instrumenti per respectum ad Deum. Ideo sicut virtus quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed reductive, quum sit quoddam fluens et incompletum; ita nec character, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis. Hic character proprie appellatur character Christi, (art. 3.) quia per eum homines insigniuntur et consignantur ac deputantur ad Christi obsequium. Qui enim ad aliquid (art. 1.) certum deputantur, solent aliquo signo denotari : quemadmodum milites qui ad militiam deputantur ac adscribuntur, solebant olim quibusdam characteribus corporalibus insigniri. Sacramenta vero characterem imprimunt, in quantum per ea deputamur ad cultum Dei secundum ritum christianæ religionis. — Hæc in Summa, in qua scribuntur multa de ista materia, quæ jam sententialiter sunt inducta.

Concordat Petrus, qui tamen indifferenter se habet, an character ponatur in prima specie qualitatis, an in secunda. Et addit : Character est signum spirituale, indelebile, distinguens populum fidelem ab infideli. Propter primum, videlicet quoniam signum est, oportet in aliquo signo visibili exhiberi, a quo rationem significandi sortitur : ideo non confertur in virtutibus, id est non semper simul cum virtutibus, quia et ficte accedentes, non recipientes gratiam et virtutes, recipiunt characterem. Propter secundum, quia spirituale est, non conferebatur in sacramentis carnalibus veteris Testamenti. Propter tertium, quoniam indelebile, non confertur in sacramentis quæ iterantur. Propter quartum, quia distinguit secundum fidem, idcirco

confertur triplex character in tribus sacramentis, secundum triplicem fidei statum, quoniam status fidei in Ecclesia militanti est triplex. Et secundum hoc, est triplex distinctio : quemadmodum in exercitu, prima distinctio communis est totius alicujus exercitus ab exercitu alio; secunda est distinctio specialis militum a popularibus; tertia specialissima ducum ab utrisque. Prima distinctio respicit statum fidei conservandæ in se ipso, seu suscipiendæ in se; et hoc fit per Baptismi characterem. Secunda respicit statum fidei defendendæ contra incredulos; et hæc fit per characterem Confirmationis. Tertia respicit statum fidei multiplicandæ ac edocendæ in aliis; et hæc fit per characterem Ordinis. — Verum his objici potest, quod etiam in veteri Testamento erant aliqua sacramenta non iterabilia, ut circumcisio, et consecratio pontificum : ergo saltem in illis imprimebatur character. Dicendum, quod initerabilitas illa non fuit tota atque sufficiens ratio impressionis characteris, sed potius ratio distinctionis secundum statum fidei perpetuum, non temporalem, et spiritualem, non carnalem. Status autem veteris Testamenti erat carnalis ac temporalis. Hæc Petrus.

Richardus quoque pro majori parte consonat præinductis. Et contra opinionem dicentium, quod character non sit nisi relatio, arguit, quia juxta communem theologorum doctrinam, et secundum quod ex dictis divini Dionysii comprobatur, character significat, disponit, distinguit, assimilat. Significat enim gratiam gratum facientem, disponitque animam ad ejus susceptionem; distinguit quoque baptizatum a non baptizato, atque assimilat animam Deo, quum sit quædam participatio potestatis divinæ, alia ab illa quæ est per naturam, et ab illa quæ est per gratiam gratum facientem. Hæc autem attribuere soli relationi, non est ita conveniens sicut formæ absolutæ. Præterea, quum per susceptionem cujuslibet sacramenti, in anima suscipientis causetur relatio ad aliquam

A sacram passionem aut actionem, in susceptione cujuslibet sacramenti imprimeretur character : quod est falsum. Hinc dico, quod sit quid absolutum, in quo tamen fundatur respectus. Et quum sit quædam supernaturalis potentia, reducitur ad secundam speciem qualitatis, quæ est naturalis potentia vel impotentia. Potest etiam dici, quod in quantum est dispositio ad gratiam, habet similitudinem cum prima specie qualitatis; et in quantum est spiritualis configuratio animæ, cujus est si-

B gnum distinctivum, similitudinem habet cum specie quarta. Hæc Richardus.

Qui consequenter respondendo, an character sit indelebilis, recitat rationem quam Thomas assignat ad hoc, jam expressam. p. 174 D. Quæ ratio non videtur ei sufficiens : quia ex consecratione olei et chrismatis ac consimilium inanimatorum, non causatur in eis aliquid absolutum, sed sola relatio. Verumtamen ratio illa quam Thomas assignat, verior aptiorque videtur quam aliæ quæ traduntur, quoniam quantum ad illud

C propositum ad quod Thomas inducit argumentum, est simile quod consecrationes durant perpetue.

Albertus quoque hic scribit, quod character præter relationem dicit aliquid absolutum in genere qualitatis, habens se per modum habitus; et est donum gratiæ gratis datæ, ac lumen supernaturale assimilans Trinitati æternæ, in quo fundatur relatio ista characteris, sicut similitudo fundatur in qualitate. — Porro de numero et ordine characterum dicit, quod a diver-

D sis diversimode sumitur numerus seu distinctio characterum. Probabilior autem videtur acceptio penes numerum distinctionis secundum fidei statum : sicut in familia David fuerunt tres distinctiones. Prima generalis, populi Dei ab incredulis. Secunda fortium David, qui strenue de- II *Reg.* xxiii, 8. fendebant cultum ac populum Dei. Tertia prælatorum ac sacerdotum. In primis significatur character Baptismi, in secundis character Confirmationis, in tertiis character excellentior Ordinis. Denique Chri-

stus in quantum sapientia docens fidei veritates, imprimit characterem baptismalem; et in quantum virtus fortiter pugnans pro fidei defensione, imprimit characterem Confirmationis; atque in quantum summus sacerdos instituens, exhibens et ostendens sacrificium novæ legis ac fidei, imprimit characterem Ordinis. Hæc Albertus.

Præterea etiam Bonaventura de hac materia scribit diffuse, sciscitans primo, an character sit habitus. Et respondet : Quidam dixerunt, quod characterizatio non sit nisi consignatio, et character non sit nisi signum quod nihil reale addit supra nudas potentias, et quod sit ibi secundum institutionem et actum consignantis, nulla facta mutatione iu anima, sicut consecratio est in materiali ecclesia. Sed hoc stare non valet, quia character dicit aliquam assimilationem et configurationem ad Christum, sicut character bestiæ ad diabolum in Apocalypsi. *Apoc.* XIV, 9, 11. Assimilatio autem fundatur super qualitatem. Et nisi character ille sit aliquid reale, non erit anima per ipsum realiter similis Christo, nec haberet character effectus seu actus reales, cujus oppositum ex verbis divini Dionysii et Damasceni probatur, ac patuit. *Cf.* p. 101 C et s. — Hinc alii dicunt, quod importet relationem et qualitatem realem, super quam fundatur illa relatio : quæ qualitas est dispositio ad recipiendum lumen caloremque gratiæ, sicut siccitas ligni dispositio est ad inflammationem, atque pervietas vitri ad lucem. Ideo posuerunt characterem in secunda specie qualitatis. Quod stare uequit, quia secunda species illa est naturalis potentia vel impotentia; character vero est habitus, ut dicetur. — Alii ergo dixerunt, quod character non est solum ad disponendum, sed etiam ad distinguendum ; estque qualitas animam fidelem decorans et ornans, per quod ab infideli distinguitur, propter quod infert animæ muliebrem * passionem : idcirco est passibilis qualitas, et in tertia specie qualitatis. Quod stare non valet, quia non dicitur passibilis qualitas,

* mulcebrem

A quæ infert passionem sensui interiori vel intellectui. Quum enim omnis veritas objectum sit intellectus, omne verum esset in tertia specie qualitatis. — Alii igitur dicunt, quod character dicit configurationem, et est in quarta specie qualitatis, quæ est forma et circa aliquid constans figura. Et si objiciatur, quod figura est in quantitate, quæ in anima locum non habet; respondent, quod duplex est quantitas, scilicet spiritualis et corporalis. Quibus objicitur, quod figura prout est species B quarta qualitatis, est clausio terminorum, cui non est similis assimilatio spiritualis ; nec figura est in spiritualibus nisi translative. — Ideo dicunt alii, quod non est in aliqua specie qualitatis a Philosopho assignata, quum ipse non ponat nisi species qualitatis innatas vel acquisitas. Verum istud est quærere fugam, quum virtutes theologicæ et aliæ virtutes infusæ in prima specie qualitatis ponantur. — Hinc dicendum, quod character non est passio nec potentia, sed habitus. Habitus autem C dupliciter sumitur. Primo proprie, prout distinguitur coutra dispositionem, sicut perfectum coutra imperfectum. Secundo communiter, prout comprehendit utrumque, omnem videlicet qualitatem auimam disponentem, sive facile sive difficile mobilem, sive perfectam sive imperfectam. Sicque accipitur quum ait Philosophus tria esse in anima, potentiam, passionem et habitum. Sicque character est habitus ; tamen quum ultra disponat ad gratiam, est quodammodo dispositio, non habitus D stricte, quum nec perficiat ultimate. Estque lumen spirituale semiplenum, et calor gratis datus : et ita ponitur iu prima specie qualitatis.

Secundo quærit Bonaventura, ad quid utilis aut necessarius sit character. Respondet : Character est signaculum sacramentale a Deo impressum. Et quum sit signaculum sacramentale, significat gratiam, et præparat ad eamdem, et cum gratia quamdam similitudinem habet : ideo configurat atque assimilat mentem Deo,

quum gratia sit supernaturalis quædam similitudo divinæ essentiæ. Hinc quoque character assimilat gregem Dei, id est credentes, inter se, et eos distinguit ab aliis. — Verum contra hoc objici potest, quia hæretici baptizati habent characterem ; sed et aliqui non baptizati, sunt de Ecclesia merito et numero, utpote Baptismo flaminis expurgati et sanctificati. Dicendum, quod character appropriate assimilatur Filio, qui est Dei Patris character : nam et *Galat.* III, 27. baptizati dicuntur induere Christum, qui est caput et dux exercitus fidelium. Ratio autem distinguendi, in charactere venit ex ratione significandi. Character quippe significat gratiam fidei secundum aliquem statum. Unde distinguit fidelem ab infideli ; et si permiscentur, hoc non est ex vitio signi, sed signatorum : velut si quis assumat regis signum ad designandum quod sit de ejus exercitu, attamen potest esse de parte contraria ; nec est falsitas in signo, sed in accipientibus illud.

Tertio quærit, in quo sit subjective character. Respondet : De hoc fuit triplex opinio. Una, quod sit in tota anima, quia distinguit ovem a non ove, quæ distinctio attenditur præsertim secundum substantiam. Item quia disponit ad gratiam, et purgat ab originali : gratia autem ponitur in essentia animæ, et originale respicit animam totam. Secunda opinio est, quod sit in parte cognitiva, quum sit ratio cognoscendi et discernendi, et quia conformat : cognitio autem fit per assimilationem. Tertia, quod sit in tota imagine, propter rationem configurandi. Et ista opinio verior est, ita quod vere et proprie est in imagine, sed appropriate in intellectu.

Quarto quærit, per quid character imprimitur. Respondet, quod per sacramenta, non per virtutes, de necessitate. Est enim signum interius distinctivum ; significare autem non convenit ei nisi ratione signi visibilis, quod est sacramentum. Porro triplex distinctio populi christiani secundum statum fidei per characterem triplicem, præfigurata fuit in populo Israel : prima,

A quum omnes distincti fuerunt ab Ægyptiis *Exod.* XI, 7. ad veniendum in terram promissionis ; secunda, dum fortes ab infirmis, ad pugnan- *Deut.* XX, 8. dum in bello ; tertia, dum Levitæ a ceteris *Num.* I, 49. Israelitis, ad ministrandum in templo.

Quinto quærit, an character sit indelebilis. Respondet quod imo, sicut expositum *Cf.* p. 174 D. est : quia imprimitur ad distinguendum, non directe ad bene vel male agendum ; et quoniam configurationi qua Deo conformat, non potest esse configuratio opposita. Solus etenim Deus suam potest imaB ginem consignare. — Hæc Bonaventura.

In quibus hoc ultimum verbum videtur obscurum, quia imago in homine multipliciter deformatur, atque per vitia dæmonibus assimilatur, et anima Deo relicto, adultera diaboli fieri perhibetur. Unde in Apocalypsi quidam dicuntur habere characterem bestiæ, id est diaboli seu An- *Apoc.* XIV, 9, 11. tichristi : cujus character, secundum expositores, est mortale peccatum. Secundo, quod superius dixit characterem proprie esse in tota imagine. Character namque C quum sit simplex et indivisibilis immaterialisque forma, non potest subjective et immediate in pluribus esse potentiis.

Amplius Argentinensis : Antiqua (ait) fuit opinio, quod character non ponit aliquam entitatem realem. Quam opinionem nunc nullus tenere debet Catholicus, ut videtur : quia ut dicitur *extra* de Hæreticis, Abolenda, de sacramentis Ecclesiæ sentiendum est sicut sentit Romana Ecclesia; et hæc expressit characterem imprimi in Baptismo. Unde Innocentius *extra* de Ba- D ptismo, testatur : Qui ficte accedit ad Baptismum, characterem suscipit. Denique S. Augustinus in libro de Baptismo parvulorum, expresse ponit characterem, dicens: Character dominicus, quum ovis errans ad christianam rediens unitatem ab errore liberatur, agnoscitur, non improbatur. Et rursus ibidem : Characterem multi lupi imprimunt, qui videntur esse oves ; verumtamen ad ovile Domini non pertinere, morum suorum fructibus cognoscuntur. Præterea, quod immediate terminat actio-

nem realem, de necessitate est ens absolutum, aut quid reale. Character autem terminat actionem realem. Virtus enim divina reali actione agit in animam cujuslibet baptizati. Sed in eo qui ficte accedit, talis actio nullum habet terminum nisi characterem, ut constat ex dictis. De his doctor ille plura conscribit, quæ tangentur. *Cf.* dist. IV, q. 3.

At vero Scotus primo hic recitat positionem antiquam jam tactam, prosequens an possit teneri, et conatur probare quod positio ista de realitate characteris, a nullo Sanctorum habeat auctoritatem. Et quid quid dicat de hoc, jam ante ostensum est ex doctoribus senioribus, præclarioribus, exercitatissimis, quod ex dictis divini Dionysii habeat ortum, imo potius ex Scriptura canonica, deinde ex verbis Damasceni et Augustini : quamvis tantorum verba Doctorum ac Patrum possint ab hominibus proprii perversique sensus aliter explanari ac trahi, vel potius obscurari atque perverti. Nec tamen reor negandum, quin rationes quæ adducuntur ad probationem characteris, possint solvi : quia ea quæ fidei sunt, demonstrative non valent per rationes adduci. Rationabiliter tamen satis probatum est, characterem verum realem in Baptismo imprimi et conferri. Quod quum tot ac tanti doctores concorditer tueantur, stultum est aliter opinari : imo quum Romana Ecclesia hoc affirmet, sicut jam patuit, prorsus illicitum est contrarium perhibere. Hinc et Scotus hujus auctoritatis mole pressus, tandem concedit characterem aliquid esse reale, vel magis ad aliquid, id est relationem, sicut supra tenuit de sacramento in generali : quod reprobatum est ante. *Cf.* p. 172 B' et s. — *Cf.* p. 103 A' et s.

Specialiter autem invehitur contra sanctum Doctorem, dicendo : Hic nota contra Thomam, quod non sit ponere virtutem aliquam supernaturalem in sacramento, quia illa nunquam posset corrumpi, eodem modo quo characterem ponit indelebilem esse. — Ad quod dico, istud non sequi. Thomas namque non negat quin character corrumperetur si subjectum ejus cor-

A ruptibile esset, sicut subjectum supernaturalis virtutis sacramentalis corruptibile exsistit; nec supernaturalis illa virtus corrumpitur, manente ejus materia, quæ et suam consecrationem non perdit quamdiu perdurat.

Deinde Scotus subjungit : Concedit idem Thomas, quod circumcisio characterem non impressit; et tunc contra eum est argumentum de efficacia sacramenti respectu gratiæ, cujus sacramentum non est causa nisi instrumentalis. Potest ergo con-
B cedi, quod circumcisio impressit characterem sicut Baptismus. — Ad hæc dico, quod non solum S. Thomas, sed et doctores præcipui Ordinis S. Francisci, Alexander, Bonaventura, Richardus, alii quoque communiter dicunt, quod in circumcisione non imprimebatur character. Nec hoc obviat verbis B. Thomæ, qui virtutem causalem supernaturalem sacramentorum dicit non esse completam in esse neque in agere, et suo modo instrumentaliter, dispositive, causaliter, cooperari ad gratiam. Et supra dist. I, q. 4 in fine.
C ostensum est ex verbis Sanctorum, quod positio illa Thomæ plus consonat dictis Sanctorum, qui concorditer protestantur sacramenta evangelicæ legis efficere quod designant, quanquam alia opinio magnos doctores habeat defensores. Doctores etiam Thomam sequentes, non negant quin Deus per suam absolutam potentiam possit delere characterem.

Insuper Scotus videtur sequi erroneam opinionem dicentium, quod character non sit nisi relatio : cujus oppositum jam pa-
D tuit ex S. Thoma, Alberto, Bonaventura, Richardo, ac Petro de Tarantasia, qui fuit Pontifex summus. Probat autem Scotus suum propositum, et dicit Thomam sibi ipsi contrarium, eo quod dicat characterem esse signum, non tamen essentialiter relationem, quum tamen signum exsistat relatio : quod supra solutum est in quæstione de sacramento in generali, an exsistat relatio, quum sit signum. — Deinceps videtur Scoto characterem potius ponendum esse in voluntate quam intellectu, dist. I, q. 1.

quia caritas realiter est idem cum gratia : ergo et gratia in voluntate est subjective; et in eadem vi, eodemque subjecto, in quo est gratia, poni debet character tanquam dispositio ad gratiam. Verum in his multa dicuntur quorum oppositum in scriptis super secundum et tertium est ostensum.

lib. II, dist. xxvi, q. 2; III, dist. xxvii, q. 1.

Denique de his quæ Scotus inducit pro se et contra S. Thomæ doctrinam, et de solutione illorum, diffuse scribit Argentinensis : Multi sunt (inquiens) qui dicunt, quod character formaliter sit quidam respectus, quum essentialiter ac formaliter sit signum, quod ponitur in ejus descriptione pro genere. Et rursus, quia omne accidens absolutum, est delebile a suo subjecto, non autem character. Rursus, character est signum configurativum et distinctivum : ergo formaliter dicit respectum. Signum namque refertur ad signatum. — Sed ista solvuntur de facili. Character enim consideratur dupliciter. Primo, secundum id quod nomine characteris importatur quidditative, quod scilicet est de intellectu ejus primario. Secundo consideratur connotative, utpote quoad id quod est de suo cointellectu. Primo modo character dicit rem absolutam. Alio modo dicit non solum unum respectum, sed plures, puta : respectum signi, quia significat gratiam; respectum configurativi, in quantum configurat baptizatum baptizato; et respectum distinctivi, prout distinguit baptizatum a non baptizato, confirmatum a non confirmato, ordinatum a non ordinato. Itaque signum non est proprie characteris genus, quoniam definitio illa data est per additamenta; potest tamen signum dici genus relationis quam fundat character. — Et si objiciatur, quoniam si character dicit absolutum et respectum, videtur esse ens per accidens : quia quod dicit res diversorum prædicameutorum, hoc est ens per accidens, ut quarto Metaphysicæ dicitur. Respondeo, quod character nou dicit proprie absolutum et respectum, sed absolutum sub respectu : sicut scientia exprimit qualitatem absolutam, attamen sub respectu ad scibile.

A

Insuper non est verum, quod omne accidens absolutum exsistat delebile, quia nec esse coloratum a mixto, ipso mixto manente. — Ad aliud respondetur, quod quamvis character sit signum configurativum ac distinctivum, non tamen dicit formaliter illos respectus, sed connotanter, fundatque eos : quemadmodum per albedinem est aliquis similis albo, atque dissimilis nigro. Albedo tamen non dicit formaliter illos respectus, imo nullum prædicamentum dicit merum respectum, nisi solum prædicamentum relationis. Tria namque sunt prædicamenta dicentia entitatem absolutam, puta substantia, quantitas, qualitas. Unum vero dicit respectum dumtaxat, puta relatio. Alia sex dicunt absolutum sub respectu, id est sub aliqua connotatione respectus.

B

De specie demum ad quam reducitur character dico, quod character Baptismi reducitur ad primam speciem qualitatis, quum sit dispositio immediata atque sufficiens ad habitum gratiæ, nisi aliunde sit impedimentum. Quod autem dispositio dicitur qualitas facile mobilis, verificatur de ea quæ est imperfecta realitas habitus, tendens ad habitum stabilem. Characteres autem Confirmationis et Ordinis suut reductive in secunda specie qualitatis, quum sint quædam potestates a Deo collatæ ad principiandum quasdam operationes spirituales, ut infra magis patebit. Sed objici potest, quia naturale et supernaturale differunt specie. Dicendum, quod etsi differant specie specialissima, conveniunt tamen specie subalterna. Species autem quatuor qualitatis sunt species subalternæ. Communiter demum fertur, sicut et infra dicetur, quod character Confirmationis est potestas tradita ad fidei defensionem, et character Ordinis ad fidelium multiplicationem. — Subjective autem character baptismalis est in esseutia animæ, sicut et gratia ad quam dispouit. Qualitates etenim ita se habentes quod una immediate disponit

C

D

ad aliam, sunt in eodem subjecto. — Postremo, character est productive a solo Deo, quum sit terminus creationis; dispositive vero et instrumentaliter est a sacramentis in quorum administratione imprimitur et quæ iterari non licet. Quæ quum iterari non valeant, ordinavit divina clementia ut effectum stabilem indelebilemque habeant in anima, puta characterem dispositivum ad gratiam sacramentalem talium sacramentorum. — Hæc Argentinensis.

Durandus quoque fatetur, quod character sit quædam potestas.

Ecce de charactere sacramentali in genere, et de charactere baptismali in specie, jam dicta sunt multa, et ex tanta opinionum varietate patet difficultas hujus materiæ. Solenniores autem doctores concordant in hoc, quod character sit quid reale et absolutum de genere qualitatis, immediate a Deo creatum, indelebile, datum ad conformandum et distinguendum, dispositivum ad gratiam. Differunt autem in hoc, quod secundum quosdam est habitus, secundum quosdam potestas. Et ex hoc consequenter procedit, quod secundum quosdam est in prima specie qualitatis, secundum quosdam in secunda. Et hæ duæ differentiæ parvæ sunt. Et quod a quibusdam vocatur dispositio, ab aliis habitus, facile concordaretur, considerando diversas proprietates et distinctiones dispositionis et habitus. In omnibus quoque præinductis, positio S. Thomæ videtur rationabilior esse. Patet etiam ex inductis, quod positio illa Guillelmi Parisiensis de charactere, in principio hujus quæstionis expressa, sit communi doctrinæ contraria, et in hac parte non minime defectiva. Thomas quoque, Bonaventura, et alii quidam præallegati, multo diffusius scribunt de ipso charactere quid sit, et de ejus necessitate, essentia, operatione, causa, subjecto ac specie, quam ipse Guillelmus. Objectiones ejus etiam non procedunt, quia character imprimitur non solum ad distinguendum, sed et ad distinguendum secundum statum fidei; nec solum ad hoc, sed ad configurandum Creatori, ad disponendum ad gratiam, et ad alios quosdam actus, sicut expositum est. Nec character ponitur causa gratiæ effectiva, principalis, immediata, sed instrumentalis et dispositiva.

DISTINCTIO VII

A. *De Confirmationis sacramento.*

NUNC de sacramento Confirmationis addendum est; de cujus virtute quæri solet : forma enim aperta est, scilicet verba quæ dicit episcopus, quum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. Hoc sacramentum ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur peractum; nec ab aliis quam ab illis qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur et vacuum, nec inter ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte. Virtus autem hujus sacramenti est donatio Spiritus Sancti ad robur, qui in Baptismo datur ad remissionem. Unde Rabanus : A summo sacerdote per impositionem manus

Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 1. De Consecr. dist. v, c. 4.

Gregor. Epist. lib. iv, ep. 26.

Raban. de Inst. cleric. lib. i, c. 30.

Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum
De Consecr. dist. v, c. 1. aliis illud quod ipse in Baptismo consecutus est. Item : Omnes fideles per manus impositionem episcoporum, post Baptismum accipere debent Spiritum Sanctum, ut pleni Christiani inveniantur.

B. *Quomodo Confirmatio danda sit ab episcopis, et a jejunis accipienda.*

Ibid. c. 3. Scitote utrumque esse magnum sacramentum, sed unum majori veneratione tenendum, sicut a majoribus datur. Ecce majus dicit sacramentum Confirmationis, sed forte non ob majorem virtutem et utilitatem quam conferat, sed quia a dignioribus datur, et in digniori parte corporis fit, scilicet in fronte; vel forte quia majus augmentum virtutum præstat, licet Baptismus plus ad remissionem valeat. Quod
Raban. de Inst. cleric. lib. I, c. 30. videtur innuere Rabanus, dicens, in unctione Baptismi Spiritum Sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam; in hac vero, ejusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venire in hominem. — Hoc sacramentum
De Consecr. dist. v, c. 6. tantum a jejunis accipi et jejunis tradi debet, sicut et Baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec Baptismus vel Ordo. Nulli enim sacramento facienda est injuria : quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Sed utrum aliqua vel nulla iterari possint, quæstio est. Nam de Baptismo et Ordine, quod non
Aug. Contra Parmenian. lib. II, n. 28. debeant iterari, aperte Augustinus dicit : Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur : illud quidem, quum baptizatur; illud vero, quum ordinatur. Ideoque in Ecclesia catholica utrumque non licet iterari, quia neutri facienda est injuria. Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est. De aliis vero utrum iterari valeant vel debeant, postea disseremus.

SUMMA

DISTINCTIONIS SEPTIMÆ

COMPLETO tractatu de sacramento Baptismi, qui est sacramentum introeuntium, et ceterorum janua sacramentorum, nunc agit Magister de sacramento Confirmationis, quod est sacramentum progredientium in Dei itinere, et post Baptismum mox necessarium ad persistendum in bonis, ad corroborationem gratiæ baptismalis, ad præliandum idonee in acie contra adversarios fidei, contra tentamenta diaboli. Itaque de hoc sacramento in hac sola distinctione compendiose tracta- A tur. Et primo tangitur forma ejus, quæ est series verborum quæ profert episcopus in confirmando. Tangitur quoque pars corporis ubi datur, puta in fronte; et exhibitor seu minister sacramenti ejusdem, qui est solum episcopus. Deinde exprimitur vis sacramenti istius, quæ est collatio gratiæ Spiritus Sancti ad robur; et ad quos spectet sacramentum istud recipere, puta ad universos fideles; et quando, utpote dum adhuc jejuni consistunt; B itemque quod nequeat iterari, quemadmodum nec Baptismus. Sed et de comparatione horum duorum sacramentorum ad invicem hic agitur, quod eorum præstantius, et in quibus unum aliud sit excedens.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum Confirmatio sit sacramentum, et ab omnibus suscipiendum, ac ipso Baptismo sublimius.**

Videtur quod non sit sacramentum. Confirmatio enim ab actu confirmandi nomen sortitur, sed unumquodque sacramentum confirmat, gratiam largiendo. Gratia nam-
Hebr. XIII, 9. que confirmat, dicente Apostolo : Optimum est gratia stabiliri cor. — Secundo, quia non videtur institutum a Christo, nec præfiguratum in veteri Testamento.

Videtur quoque quod ad omnes fideles non spectet, ita quod non est sacramentum salutis, quia sine eo salvantur baptizati infantuli, imo et multi adulti. — Rursus, fides et caritas, ac gratia gratum faciens, sufficiunt ad salutem, quæ omnia in Baptismate infunduntur.

Insuper Baptismus est spiritualis regeneratio, et ita ordinatur ad spirituale esse, et confert esse ac vivere spirituale. Confirmatio autem ordinatur ad quoddam complementum illius esse. Ergo sicut esse est dignius sua completiva et accidentali perfectione, ita Baptismus est dignior Confirmatione.

Circa hæc scribit Antisiodorensis : Confirmatio est sacramentum proficientium atque pugnantium contra mundum, carnem et dæmones. Circa essentiam sacramenti istius quinque exiguntur. Primum est forma verborum. Secundum, intentio confirmantis. Tertium, dignitas conficientis, quem oportet esse episcopum. Quartum, materia, utpote chrisma. Quintum, locus in quo chrisma confertur, scilicet frons. Forma hæc est : Confirmo te signo crucis, consigno te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Datur autem sacramentum hoc ad robur, ut idonei simus spiritualiter præliari, et nomen Christi portare coram regibus et

A principibus : ad quod significandum, datur in fronte, ne erubescamus nomen Christi confiteri coram hominibus, quia non sufficit corde tantummodo credere, sed oportet quandoque etiam ore confiteri. Hinc materia hujus sacramenti est chrisma. Nam et pugiles inunguntur, propter quod difficilius ab adversariis capiuntur. Conficitur quippe chrisma ex oleo et balsamo. Oleum autem significat nitorem conscientiæ bonæ et spiritualem lætitiam, per quæ in spiritualibus præliis prævaletur. Balsamum
B autem significat bonæ vitæ odorem, per quem interficiuntur serpentes, id est dæmones, qui fugantur odore cedri, quo odore occiduntur serpentes. — Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto, ubi de his plura conscribit, quæ infra ex doctoribus aliis plenius inducentur.

Porro Guillelmus in suo Sacramentali : Sanctificatis in Baptismo et ad sanctam et spiritualem militiam adscriptis, restant certamina ac bella acerrima contra dæmones et peccata. Hinc post suscepta ornamenta
C virtutum et vestes charismatum in primæ sanctificationis, id est Baptismi, sacramento, quis dubitet militantibus atque pugnantibus necessaria esse robur et refectionem? Robur, quo hostes viriliter præfocent, et eos graviter fortiterque feriant; deinde cibus et refectio, quo non solum non deficiant vita, sed in spirituali quoque pinguedine ac interiori augmento proficiant. Sicque post Baptismum sequuntur ac necessaria exsistunt duo hæc sacramenta, Confirmatio et Eucharistia. Quod si quis
D dixerit, quia in Baptismo præstatur gratiæ robur, spiritualisque fortitudo, virtutes et dona : quale ergo robur datur in Confirmationis sacramento, aut ad quid necessarium est hujusmodi sacramentum ? Respondemus, quod alia est fortitudo membrorum, alia nervorum et cutis, alia quoque armorum. Quumque omnia arma virtutum quas plenitudo sanctificationis seu Baptismi requirit, quisquam acceperit, adhuc manet in eo membrorum debilitas, propter quam arma ei interdum sunt oneri : quemadmo-

dum naturaliter iracundis clypeus patientiæ frequenter est onerosus, unde et facile eum abjiciunt. Econtra se habet in mansuetis, qui in magnis ictibus adversitatum ac tunsionibus persecutionum, clypeum patientiæ tam fortiter tenent, ut ab eis nec excuti facile queat nec erui. Potest igitur dici, quod robur sacramenti Confirmationis non est sicut robur armorum, sed ut robur membrorum, quo roborantur sacramento illo ad portandum pondus armorum ac cetera dura quæ imminent. Rursus, per gratiam ac virtutes in Baptismo susceptas, bene se habent in se ipsis; per robur vero gratiæ quod in Confirmatione suscipiunt, bene et constanter, amicabiliter ac strenue se habent ad alios. Denique virtuti irascibili duo imminent bella, unum opprobriorum, aliud injuriarum ab aliis adversantibus : propter quod adjuvanda et roboranda exstitit contra illa, et hoc factum est per sacramentum Confirmationis. Adjutorium vero et robur est impudentia sancta, et sancta procacitas : quarum altera, confirmatus non reputat nec veretur opprobrium, sed esse ac fieri cupit Dei cultor et consors Sanctorum; per alteram vero paratus est confiteri Christum in quocumque discrimine. Idcirco in fronte tanquam in sede pudoris, fit insignitio atque impressio sacramenti istius. Præterea intentio Confirmationis dicitur comparatione juris, sicut jus quodcumque seu hereditas alicui dicitur confirmari; soletque confirmatio talis litteris aut verbis principis fieri, ut dum Papa aliusve prælatus dicit : Electionem de tali persona factam, auctoritate nostra confirmamus. Et ita de sacramento Confirmationis est intelligendum. Jus namque cœlestis hereditatis, ad quod baptizatus assumptus est divina vocatione ac baptismali sanctificatione, confirmatur eidem sacramento Confirmationis; ac roboratur quatenus firmius illud obtineat, immobiliusque possideat. Hæc Guillelmus Parisiensis episcopus.

Præterea, in quæstione proposita tria tanguntur. Primum, an Confirmatio sit A sacramentum. Secundum, an sit omnibus necessarium ad salutem. Tertium, an sacramentum hoc dignius sit Baptismo.

Ad quorum primum Thomas respondet : Actiones ordinatæ ad effectus aliquos proprios et determinatos, recipiunt distinctionem secundum proportionem ad suos effectus. Unde si ad duos distinctos ordinentur effectus, erunt diversæ duæ actiones; si autem ordinentur ad unum effectum, ita quod una disponat vel impedimentum removeat, alia vero perficiat, et alia ornet B perfectum, tunc totum computatur pro una integra actione, ut in operibus patet artificum. Quumque sacramenta, secundum Dionysium divinum, sint quædam hierarchicæ actiones ordinatæ ad quosdam (De Eccl. hier. c. v.) salutis effectus : hinc dum plures sacramentales actiones ordinantur ad unum, una ut disponens impedimentumve tollens, alia ut perficiens, aut aliquo modo ornans; tunc in illa quæ causat principalem effectum, essentialiter consistit ratio sacramenti; aliæ autem non dicuntur per C se sacramenta, sed sacramentalia, ut exorcismus et catechismus. Quando vero sunt plures actiones ordinatæ ad effectus omnino distinctos, tunc sunt sacramenta diversa. Quumque Confirmatio habeat effectum per se distinctum ab effectu Baptismi, non est ipsi Baptismati sacramentale, sed sacramentum proprium, speciale. — De institutione autem sacramenti Confirmationis dictum est supra, in quæstione de sacramentorum institutione. (dist. II, q. 2 et 3.) — Quamvis etiam ministri Ecclesiæ utantur materia D sacramenti istius, videlicet chrismate, in aliis sacramentis quibusdam; tamen hoc sacramentum non consistit in materia tantum, sed et in forma verborum et actu (sicut et sacramentum Baptismi) quibus non utuntur in aliis sacramentis : ideo est speciale sacramentum. At vero, quia hoc sacramentum institutum est ad gratiæ perfectionem, et status legis erat status imperfectionis, juxta illud Apostoli, Nihil ad perfectum adduxit lex; (*Hebr.* VII, 19.) idcirco hoc sacramentum non habuit aliquid sibi corre-

spondens in lege, quamvis aliquo modo sit figuratum in unctione pontificum, qua significata est unctio Christi, a quo hæc unctio derivatur.

Ad secundam quæstionem respondens : Triplex est, inquit, necessitas. Una absoluta, ut Deum esse. Alia coactionis, quæ est ex causa efficiente. Tertia ex suppositione finis. Et ista est duplex : una sine qua non potest acquiri, sicut gloria non potest sine fide et gratia adipisci; alia sine qua finis non potest convenienter et expedite acquiri. Primis duobus modis nullum sacramentum est necessarium, sed tertio modo; et quædam secundum primum modum illius tertiæ necessitatis, ut Baptismus et Pœnitentia post ruinam; quædam vero penes secundum modum necessitatis illius, ut Confirmatio, quoniam sine ea non potest quis tam apte et bene adipisci salutem, sicut ea suscepta. In Baptismo autem dicitur aliqua plenitudo gratiæ, quantum ad sufficientiam; in Confirmatione vero, quantum ad copiam. Sciendum quoque, quod dupliciter expellitur morbus peccati. Primo, quoad culpam originalem in Baptismo, et actualem in Pœnitentia. Secundo, quoad pœnam inclinantem ad culpam : sicque expellitur in Confirmatione et aliis sacramentis.

Ad tertiam vero respondet : Quintupliciter unum sacramentum dicitur dignius alio. Primo, quoad rem sacramenti seu ejus effectum : sicque Baptismus, qui delet omnem culpam et omnem aufert pœnam, est maximum sacramentorum. Secundo, ratione contenti : et sic Eucharistia, in qua Christus realiter continetur, est sacramentorum dignissimum. Tertio, quantum ad gradum dignitatis in quo constituit hominem : et sic dignissimum sacramentum est Ordo. Quarto, quantum ad ministrum : et ita Confirmatio ac etiam Ordo sunt digniora, quia per solum episcopum conferuntur. Quinto, quoad significatum, et non contentum : et sic Matrimonium est maximum sacramentum, quia significat unionem naturarum in Christo, conjunctionem quoque Christi et Ecclesiæ. Si autem hæ dignitates comparentur ad invicem, illa est maxima, quam sacramentum habet ex contento, quia essentialior est : ideo sacramentum Eucharistiæ est absolute dignissimum, et ad ipsum cetera ordinantur. Dignitas quoque in efficiendo, prævalet dignitati in significando; et illa quæ est effectiva boni, simpliciter præeminet ei quæ est ablativa mali. Hinc loquendo simpliciter, post Eucharistiam nobilius sacramentum est Ordo, per quem homo in gratia et gradu ponitur dignitatis; et post hoc Confirmatio, per quam gratiæ confertur perfectio; deinde Baptismus, per quem fit plena remissio culpæ ac pœnæ; deinceps Matrimonium, quod maximam habet significationem. Pœnitentia vero et Extrema Unctio ponuntur inter Baptismum et Matrimonium, quoniam ordinantur directe ad mali remotionem, quamvis in hoc Pœnitentia habeat minorem efficaciam quam Baptismus, quia ordinatur contra actualem culpam dumtaxat, nec delet pœnam totaliter; et adhuc minor est Extrema Unctio, quæ contra peccati reliquias ordinatur. Denique, quum Confirmatio præsupponat Baptismum, dupliciter comparantur ad invicem. Primo, ut accipiatur Confirmatio cum præsuppositione Baptismi : et sic Confirmatio nobilior est Baptismo simpliciter, quemadmodum esse substantiale perfectum per accidentalia, simpliciter nobilius est ipso esse substantiali nude accepto. Secundo, cum præcisione Baptismi : et ita Baptismus quodammodo exsistit nobilior, quantum ad majorem efficaciam in tollendo malum. — Hæc Thomas in Scripto.

Porro in tertia parte Summæ, quæstione septuagesima secunda, testatur : Quoniam art. 1. sensibilia et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem, idcirco ex his quæ in vita corporali specialiter aguntur, percipere possumus quid in vita spirituali gratiæ speciale exsistat. In corporali autem vita, specialis quædam manifesta perfectio est quod homo ad perfectam ætatem perveniat, et perfectas hominis ac-

tiones efficere possit : hinc post motum generationis est motus augmenti. Sic spiritualiter post sacramentum Baptismi, quod est regeneratio spiritualis, est Confirmatio tanquam spirituale augmentum et spiritualis vitæ corroboratio. Propter quod ait Melchiades Papa : Spiritus Sanctus qui super aquas Baptismi salutifero illapsu descendit, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam ; in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam ; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Hæc in Summa.

Concordat Petrus, et item Richardus. Qui addit, quod sacramentum Baptismi sit dignius Confirmatione, quoniam illud sacramentum est dignius, cujus major est virtus præstantiorque effectus. Major autem est virtus Baptismi, et gratiam largitur majorem. Per susceptionem namque Baptismi efficitur homo membrum Christi, et civis regni ejus, utpote militantis Ecclesiæ. Reges autem ampliorem gratiam exhibent eis super quos de novo regnare incipiunt. Baptismus quoque expressius repræsentat mortem Christi, ex qua sacramenta suas efficacias sortiuntur. Baptismus etiam aufert totam culpam et pœnam. Attamen sacramentum Confirmationis, secundum quid dignius est Baptismo, quia a digniori datur ministro, puta episcopo, et nobiliorem habet materiam, videlicet chrisma : et hoc, quoniam non est tantæ necessitatis sicut Baptismus. Hæc Richardus.

In præinductis autem responsis Thomæ, sententialiter continentur scripta Alberti, Bonaventuræ, Durandi, ac plurium aliorum de his.

Postremo ad clariorem intelligentiam prædictorum valent quæ Scotus hic scribit : Circa hanc (inquiens) distinctionem multa quæri possent proportionabiliter, quæ quæsita sunt de Baptismo ; sed præmitto quamdam hujus sacramenti rationem, ex qua patet multarum solutio quæstionum, et suppono quod relationis quæ

A formaliter in isto est sacramento, fundamentum totale sit unctio determinata, concomitantibus multis aliis requisitis. Et potest assignari ratio talis. Sacramentum Confirmationis est unctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel nondum ratione utentis, facta in fronte in figura crucis, cum chrismate sanctificato, a ministro idoneo cum intentione debita inungente certaque verba proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem per gratiam roborantem ad confitendum

B dum cum fiducia fidem Christi. Ex quibus patet quæ sit sacramenti hujus materia, de qua tamen potest distingui, sicut supra (dist. III, q. 1 et 2.) de materia Baptismi : quia proxima Confirmationis materia est unctio facta in fronte, etc. ; materia autem remota est chrisma compositum ex oleo olivæ ac balsamo, sanctificatum a præsule aut ab eo cui potest sanctificatio illa committi. Ex parte demum ministri requiritur facultas in faciendo actum utrumque, videlicet unctionis et prolationis, debita quoque intentio :

C quæ omnia intelligenda sunt sicut supra (dist. VI, q. 2) expositum est de ministro in baptizando. Exterior vero unctio frontis, interiorem unctionem significat mentis. — Hæc Scotus, qui de his plura scribit compendiose, quæ infra tangentur.

QUÆSTIO II

D **Secundo quæritur, Utrum chrisma sanctificatum sit Confirmationis materia.**

In hac quæstione unum supponitur, quod scilicet sacramentum Confirmationis habet materiam. Et virtualiter duo quæruntur : primum, an materia ejus sit chrisma ; secundum, an oporteat illud esse sanctificatum.

Videtur quod non habeat materiam. Christus namque confirmavit Apostolos, quando post resurrectionem insufflavit in eos et dixit, Accipite Spiritum Sanctum ; nec (Joann. XX, 22.)

usus est ibi chrismate. Apostoli quoque confirmabant manus imponendo, non chri-
Act. VIII, 17. sma applicando, juxta illud Actuum : Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. — Item nec chrisma nec oleum olivarum sunt apud omnes, nec ad Baptismum necessaria est aqua consecrata, ergo nec ad Confirmationem hujusmodi chrisma.

Ad hæc Thomas respondet : Materia sacramenti dicitur res illa visibilis sub cujus tegumento divina virtus secretius operatur salutem. Idcirco ad hoc necessaria est sacramenti materia, ut ad effectum ad quem virtus humana nullatenus attingit nec operando nec cooperando, divina virtus in re visibili operans perducat. Hinc in Pœnitentia et Matrimonio, quorum effectus aliquo modo dependent ex operatione humana, puta dolore contritionis de peccato, et consensu in copulam conjugalem, non requiritur talis materia. Quumque effectus Confirmationis, qui est plenitudo Spiritus Sancti, seu gratia ejus ad robur, sit penitus ab extrinseco, non per aliquam operationem humanam, certum est quod in sacramento Confirmationis requiratur materia. Porro plenitudo Spiritus Sancti non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, juxta illud Joannis :
Joann. VII, 39. Spiritus nondum erat datus, quia nondum erat Jesus glorificatus. Ideo secundum unam opinionem, ea quæ ad Confirmationis pertinent sacramentum, non fuerunt ante Christi ascensionem instituenda. Sed aliquo modo præfiguratum fuit hoc sacramentum in impositione manuum Christi super parvulos, quamvis illa impositio manuum magis possit referri ad impositionem manuum super catechumenos. Nec refert an Dominus per se ipsum instituit istud, an Apostoli ex ejus præcepto. Secundum aliam opinionem, Christus personaliter materiam sacramenti hujus instituit, sicut et adventum Spiritus Sancti promisit Apostolis; tamen commisit denuntiandum quando usus sacramenti hu-

A jus competebat, videlicet post plenam Spiritus Sancti missionem. — Denique Apostoli non confirmabant sine materia, nisi forte quando (præter legem communem) visibilibus signis Spiritus Sanctus descendit super eos quibus Apostoli manum imposuerunt. Tunc namque visibilis apparitio illa supplevit locum corporei elementi. Quod vero aliquando materia uterentur, patet per divinum Dionysium quarto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ dicentem : Est quædam divinissima operatio, quam duces
B nostri, id est Apostoli, chrismatis hostiam vocant, per hostiam communiter intelligens omnem ritum sacramenti. — Hoc quoque sciendum, quod sicut sacramentum Baptismi incepit in Christi baptismo, sic sacramentum Confirmationis in adventu Spiritus Sancti super Apostolos. Quumque principia rerum debeant esse notissima, ideo utrobique Spiritus Sanctus evidenter apparuit, in baptismo in forma columbæ, in confirmatione Apostolorum in igneis linguis : ideo non oportuit
C ibi esse materiam aliam in qua Spiritus Sanctus secretius operaretur.

Sequitur responsio ad secundum : Insuper sacramentum hoc, sumpsit initium in adventu Spiritus Sancti in discipulos, qui quamvis jam ante habuerunt Spiritum Sanctum in munere gratiæ ad exercendum pertinentia ad particulares eorum personas, tamen in die Pentecostes acceperunt Spiritum Sanctum in munere gratiæ quo perficiebantur ad promulgationem fidei Christi ad aliorum salutem. Hinc apparuit
D Spiritus Sanctus super eos in igneis linguis, loco quarum nil aptius esse potuit pro materia Confirmationis quam chrisma, id est oleum balsamatum : quoniam oleum lucet, et nutrimentum est ignis; linguæ vero balsamum competit per significationem, quoniam sicut balsamum est dulcis odoris, ita per linguæ confessionem ac prædicationem odor bonus notitiæ Dei ubique diffusus est. Itaque, sicut visibilis apparitio Spiritus Sancti fuit in igne figuram linguæ habente, ita materia

Confirmationis est oleum balsamatum, ut A oleum pertineat ad conscientiæ puritatem, quam oportet nitidam esse, et balsamum ad bonæ famæ fragrantiam, qua oportet ornari fidei confessores. Oleum autem et balsamum possunt ubique haberi per deportationem aut germinationem. Proprietates quoque olei in oleo olivæ perfectius reperiuntur, et ipsa oliva jugi suo virore aliquid confert ad significationem mysterii. Significatur item unctione hac Confirmationis, spiritualis unctio hominis Christi, qua tanquam summus sacerdos et B rex perpetuus unctus est a Patre oleo lætitiæ præ consortibus suis. (*Ps.* xliv, 8.) Unde et a chrismate dicitur Christus, quasi chrismate unctus, et a Christo christianus : propter quod etiam B. Dionysius per chrisma Christum significari fatetur. (De Eccl. hier. c. iv.)

Consequenter respondet ad tertium : Materia sacramenti est quasi instrumentum sanctificationis, imo materia sacramenti est instrumentum principalis agentis atque ministri. Quodlibet autem sacramentum determinat sibi principale agens, quan- C tum ad necessitatem sacramenti, quia efficaciam nullam habet nisi ex auctoritate Dei et merito Christi; sed non quodlibet sacramentum determinat sibi ministrum, quantum ad necessitatem sacramenti, sed quandoque solum quantum ad solennitatem, sicut Baptismus. Ideo ut materia sacramenti correspondeat tam principali agenti quam ministro, illa sacramenta quæ sibi ministrum determinant, sanctificatam materiam exigunt, quatenus dispensatio sacramenti ostendatur a ministris Eccle- D siæ descendere. Sacramentum autem quod non determinat sibi ministrum nisi quantum ad solennitatem, non habet sanctificatam materiam nisi quantum ad solennitatem, in cujus materia chrisma etiam effunditur in crucis figura. Quumque sacramentum Confirmationis determinet sibi ministrum, videlicet præsulem, idcirco materiam requirit sanctificatam a suo ministro episcopo.

Sed objici potest, quia (secundum Augustinum) accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Si ergo oportet materiam Confirmationis sanctificari prius aliquibus verbis, tunc ipsum chrisma per se esset quoddam sacramentum, et non materia, seu pars sacramenti istius. — Rursus, sanctificatio non est iteranda circa idem; sed per formam sacramenti sanctificatur materia, ut patet in Baptismo, cujus materia est aqua verbo vitæ sanctificata, quod verbum supra, distinctione tertia, dixit Magister esse formam Baptismi : ergo (*Cf.* p. 95 B) ante prolationem formæ sacramentalis, non debet aliqua sanctificatio circa Confirmationis materiam adhiberi.

Et respondendum ad primum, quod aliqui dicunt ipsum chrisma esse sacramentum Confirmationis : quod falsum apparet esse ex hoc quod usus chrismatis in pluribus est quam sacramentum Confirmationis, quia et baptizatus chrismate in fronte linitur; pontifex quoque in capite inungitur chrismate. Hinc sacramentum Confirmationis non est chrisma, sed linitio chrismatis sub forma præscripta verborum. Illa vero vocalis benedictio chrismatis non est forma sacramenti, sed magis quædam benedictio sacramentalis, sicut benedictio aquæ sive altaris. — Ad secundum, quod sicut instrumentum instrumentalem virtutem requirit dupliciter : primo, dum formam accipit instrumenti; secundo, dum movetur a principali agente; sic sacramenti materia sanctificatione indiget duplici : una, qua fit propria materia sacramenti; alia, quando applicatur ad effectum, quæ per formam fit sacramenti. Idcirco non fit injuria sanctificationi sacramenti, si duplex sanctificatio in talibus adhibetur. — Hæc Thomas in Scripto.

Porro in tertia parte, quæstione septuagesima secunda : Christus, inquit, ex potestate excellentiæ quam habet in sacramentis, contulit Apostolis rem hujus (art. 2.) sacramenti, id est plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti ad robur, sine sacramento, in die Pentecostes. Aliquid tamen conforme tunc ibi apparuit, scilicet ignis et

Cf. p. 187 B'. art. 3. linguæ, sicut expositum est. — Hoc quoque sciendum, quod illa sacramenta quibus Christus personaliter usus est, ut Baptismus et Eucharistia, non requirunt de necessitate materiam sanctificatam : imo pro tali prævia sanctificatione sufficit illorum materiis quod Christus usus est eis, sicut suo sanctissimi corporis tactu contulit aquis vim regenerativam. Visibilibus autem unctionibus Christus non est usus, ne derogaretur suæ invisibili unctioni : idcirco tam chrisma quam oleum sanctum ac oleum infirmorum prius benedicuntur, antequam ad usum sacramentorum adhibeantur. — Hæc in Summa, quibus aliorum scripta communiter consonant.

Verumtamen verbo huic Thomæ, dicentis quod Christus non est usus visibilibus unctionibus, etc., objicit frater Durandus, quod in Evangelio scriptum sit, quod Maria unxit pedes Jesu ; et rursus, quod effudit oleum super caput ipsius. (*Joann.* XII, 3. *Matth.* XXVI, 7.) Verum istæ objectiones inutiles sunt, quum sanctus Doctor de unctionibus visibilibus sacramentalibus id loquatur. — De institutione quoque hujus sacramenti dictum est supra. (dist. II, q. 2.)

Bonaventura autem hic scribit, quod nec a Christo, nec a sanctis Apostolis, sed ab eorum successoribus, Ecclesiarum rectoribus, sanctis episcopis, dictante ac inspirante Spiritu Sancto, institutum est sacramentum hoc, sic quod Apostoli nec formam neque materiam hujus sacramenti dispensaverunt : quod præinductis supra, de institutione sacramentorum evangelicæ legis, non satis concordare videtur. (ibidem.)

Denique, sicut tangit Albertus, possent hic multa quæri de sacramento Confirmationis, prout supra quæsita sunt de sacramento Baptismatis, videlicet, an oportet ministrum hujus sacramenti esse virtuosum, et vere catholicum, et rectam intentionem habentem, etc.; ad quæ ex præhabitis de Baptismo patet responsio. (dist. VI, q. 2.) — In prædictis etiam sententialiter continentur quæ Bonaventura in Breviloquio de hoc asserit sacramento; conformiter ea quæ Thomas scribit de eo in Summa contra gentiles, libro quarto. (cap. 60.)

Præterea de institutione sacramenti hujus rationabiliter scribit Scotus, et conformiter ad prædicta : Si objiciatur, inquiens, quod Christus non instituit hoc sacramentum; dicendum, quod Christus non alligavit suam potentiam sacramentis. Ideo tam in terris quam in cœlis post ascensionem exsistens, potuit confirmare Apostolos sine tali materia talique forma. Cum Apostolis quoque in primitiva Ecclesia potuit dispensare, maxime quia in Confirmatione quam conferebant, erant aliqua sensibilia signa, ut descensus Spiritus Sancti super confirmatos, et donum linguarum. Cessantibus autem miraculis talibus, ministri debuerunt præfatas materiam et formam Confirmationis servare. Supponitur enim eas institutas esse a Deo, quamvis tempus et modus hujus institutionis in Scriptura non legatur; forsitan quia historiographi Scripturam sive historiam usque ad illud tempus non perduxerunt : non enim perduxerunt ultra tempus Apostolorum. Toto autem tempore Apostolorum forsitan mansit donum linguarum in sacramento Confirmationis. Nec est improbabile, multa esse tradita authentice a Christo per Apostolos quæ in Scriptura non legimus, ut loquitur Damascenus libro quarto, capitulo quarto, loquens de adoratione imaginum. Hæc Scotus.

Postremo præhabitis consonat Argentinensis, et addit, quod habens plenam opportunitatem suscipiendi hoc sacramentum, nec illud suscipiens ante mortem, peccat mortaliter, quoniam despicit sacramentum, quum in Decreto, *de Consecratione*, dicatur : Omnes fideles per impositionem manus episcoporum, post Baptismum suscipere debent Spiritum Sanctum, ut pleni Christiani inveniantur.

Durandus demum testatur : Sacramentum Confirmationis in casu necessarium est, quando videlicet imminet persecutor coram quo fides est confitenda, habeturque copia. Nempe in tali casu effectus

sacramenti hujus necessarius est, ergo et causa ipsius, scilicet Confirmatio. Unde qui in tali casu renueret Confirmationem accipere, peccaret mortaliter. Propter quod dicit Melchiades Papa : Quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.

QUÆSTIO III

TErtio quæritur, **Utrum forma sacramenti Confirmationis convenienter in textu ponatur, videlicet : Consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.**

Videtur quod non, quia hæc forma nullibi reperitur in Scriptura canonica. — Item, forma sacramentalis sacramentorum novæ legis non solum est significativa, sed etiam effectiva : ergo quum effectus sacramenti istius sit unus et simplex, non videtur in forma ejus utendum duobus his verbis, consigno et confirmo, sed uno dumtaxat.

Ad hoc Bonaventura respondet : Forma illa jam dicta, est de necessitate sacramenti istius. Datur enim in hoc sacramento gratia ad robur fidei, quantum ad confirmationem in corde et quantum ad liberam confessionem in ore. Quumque difficillimum et arduissimum fuerit Christum crucifixum confiteri, tum propter opprobrium, juxta illud Apostoli, Prædicamus Christum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; tum propter periculum, quoniam a persecutoribus occidebantur qui Christum confitebantur : hinc decuit duplicem actum in forma confirmationis poni et exprimi : unum, qui respicit liberam Crucifixi confessionem, quasi eam semper ferret in fronte; alterum, qui respicit cordis stabilitionem. Ad (1 Cor. i, 23.)

A primum actum pertinet illud, Consigno te signo crucis; ad secundum, Confirmo te, etc. Ex quibus constat, cur in forma Confirmationis specialiter mentio fit de cruce, quia hoc confiteri arduissimum est, et ignominiosum videtur. De materia quoque fit mentio in hac forma, quia est consecrata; vel ut alii dicunt, propter præcipuam hujus efficaciam sacramenti, et gratiam specialem ac singularem quæ datur in eo ad pugnam. Hæc Bonaventura in Scripto.

B Porro in Breviloquio : Quemadmodum, inquit, Verbum incarnatum in corde Patris æternaliter est conceptum, temporaliterque ac sensibiliter in carne apparuit; sic neminem salvat, nisi ipsum concipiat corde per fidem, et ore confiteatur tempore opportuno per confessionem veridicam, plenam, non solum speculativam, nudam, informem, sed etiam practicam, intrepidam, amorosam, constantem, ut nec pudore nec timore omittat dicere veritatem. Quumque timor ac pudor appareant præsertim C in facie, idcirco ad omnem erubescentiam formidinemque hujusmodi propulsandam, imprimitur signatio et confirmatio ista in fronte. Hæc idem.

Insuper, super his loquitur Thomas : Ministri sacramentorum operantur in sacramentis benedicendo et sanctificando ac administrando; quod sub certa forma verborum fieri oportet. Aliqui vero dicunt Christum confirmasse, quando parvulis manum imposuit. Sed illa impositio manus non fuit sacramentum Confirmatio- D nis, quam non decuit ante missionem Paracleti exhiberi; sed vel erat signum Confirmationis futuræ, vel talis qualis fit in catechismo et exorcismo, ut dictum est supra. (Cf. dist. v quæstiuncula 4.) Alii quoque dicunt, quod Apostoli propter eorum auctoritatem et dignitatem confirmabant sine forma atque materia, per solam manuum impositionem : quod non videtur, quoniam non habebant excellentiæ potestatem in sacramentis. Idcirco dicendum, quod aliqua forma utebantur, quamvis non sit scripta. Multa namque

servabant Apostoli circa sacramenta, quæ non volebant divulgari propter gentilium irrisionem vitandam, ut patet per illud
I Cor. XI, 34. Apostoli ad Corinthios : Cetera, quum venero, disponam. Et loquitur de celebratione Sacramenti altaris. Et hoc est quod etiam divinus Dionysius in fine Ecclesia-
cap. VII. sticæ recitat hierarchiæ : Consummativas invocationes, id est verba quibus perficiuntur sacramenta, non est justum scriptas ex occulto in commune adducere, sed ut nostra sacra habet traditio, occulte ea docere. Ex quibus verbis tria eliciuntur. Primo, quod Apostoli in sacramentis utebantur certa forma verborum, quum et
cap. I. ipse in eodem libro testetur, quod tradidit ritum sacramentorum sicut Apostoli docuerunt. Secundo, quod in occulto tradebantur sacramentalia in primitiva Ecclesia. Tertio, quod in verbis formarum sacramentorum est aliqua virtus : quod quidam negant. — In forma demum sacramenti istius non est apud omnes mera identitas, quum aliqui dicant, Chrismate sanctificationis. Sed hoc tolerabile est, dum sensus redit in idem et substantia formæ manet.

Prætacta autem forma conveniens est. Nam sicut definitio perfecta indicat totum esse rei, ita per formam sacramenti innotescere debet totum quod spectat ad sacramentum. Sacramentum autem ad finem aliquem ordinatur, et a quadam principali causa efficaciam sortitur. Hinc tria in forma hujus sacramenti ponuntur; quorum primum pertinet ad finem suæ institutionis, qui est confessio fidei christianæ, cujus summa in Christi passione consistit, cujus etiam fides præcipuam habet difficultatem : ad quod pertinet quod dicitur, Consigno te signo crucis, ne de cruce Christi erubescat, sed publice confiteatur. Secundo ponitur ipse actus sacramentalis cum sua materia et effectu : sicque tangitur in hac forma id quod est sacramentum tantum, quum dicitur, Chrismate; et id quod est res et sacramentum, quum dicitur, Confirmo, id est, sacramentum confirmans exhibeo; id quoque quod est res tantum, quum subditur, Salutis. Causa quoque principalis tangitur, quum additur, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Consignatio autem quæ ponitur in hac forma, non refertur ad interiorem consignationem characteris, sed ad exteriorem signationem crucis in fronte, chrismatis linitione, propter confessionem fidei crucis. Et talis consignatio non fit in Baptismo, quoniam baptizatus in Baptismo non consecratur ad aliquid speciale, sed universaliter ad vitam spiritualem. Consignatio autem importat quamdam adscriptionem ad aliquod speciale. — Hæc in Scripto. Eadem scribit in tertia parte, quæstione septuagesima secunda.

Concordant Petrus, Richardus, aliique communiter. Richardus tamen hic addit aliquid de forma sacramenti istius, quod proprie sit quid resultans ex intentionali unione, id est ex unione materiæ et præfatæ formæ hujus sacramenti, facta per intentionem ministri, qui connectit utrumque, et refert ad eumdem actum sacramentalem. Et videtur consideratio ista procedere ex similitudine in naturalibus, in quibus ponitur forma partis, et forma totius resultans ex essentialium partium unione.

Albertus item de his scribit diffuse, cujus scripta dictis ex Thoma concordant, et addit : Sacramentum hoc est et valet contra debilitatem ex fomite consurgentem, eo quod non totus purgatur in Baptismo, sed manet debilitatus ad exercitium pugnæ. Major vero difficultas est in confessione Christi et crucis ejus, eo modo quo confitendus est etiam in adversis et coram persecutore, ex cordis devotione, ore et opere. Idcirco ad hoc necessaria est Confirmatio ista. Et puto quod Apostoli sine prolatione formarum nunquam confirmaverunt. Et instituta est forma a Christo, atque Apostolis tradita. Oportet autem duplicem actum habere in confirmando : unum, qui sit initiativus et demonstrativus ejus ad quod confirmatio principaliter est et tendit; et alterum, qui exprimat operationem

propriam sacramenti. Idcirco præmittitur per modum insinuationis, Consigno te signo crucis; et sequitur, Confirmo te. Et primum est propter interiorem difficultatem credendi; secundum, propter difficultatem exteriorem in confitendo modo prætacto. Hæc Albertus.

Concordat Antisiodorensis, qui addit : Primo fit quædam inunctio in Baptismo, deinde specialior in Confirmatione. In cujus significationem Christus bis dedit Spiritum Sanctum; et David primo unctus est in domo patris sui, secundo in Hebron super duas tribus. Unctus est quoque ibidem tertio super Israel universum : per quod præfigurata est unctio gloriæ in futuro, qua data, perfecte dominabimur hostibus cunctis. — Si autem dictis objiciatur, quia sacramentum Eucharistiæ sufficiens est ad confirmationem, ergo istud superfluit; respondemus, quod sacramentum Eucharistiæ quibusdam est panis, quibusdam lac. Est enim lac his qui in humanis virtutibus Christum imitantur, quos non confirmat sufficienter, ex indispositione eorum. Grandibus vero est panis, qui Christum non solum in humanis, sed in divinis quoque sectantur virtutibus. Sacramentum vero Confirmationis ad hoc est, quod confirmat tam parvulos quam grandævos. Idcirco non superfluit Confirmationis sacramentum. Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto.

QUÆSTIO IV

Quarto quæritur **De effectu Confirmationis, an scilicet characterem imprimat, et gratiam largiatur.**

Et nunc patet ex introductis quod imo, et quod character est sacramentum et res : quia est signum gratiæ quæ est res tantum, et est res seu signatum atque effectus exterioris unctionis seu confirmationis. *Cf.* p. 170 et s.

A Itaque, super his scribit Albertus : Tria sacramenta characterem imprimunt, ideo reiterari non queunt, videlicet Confirmatio, Ordo, Baptismus, ut dictum est sæpe. Et si objiciatur, quod etiam in lege naturæ et lege scripta hominibus erant impugnationes ac prælia contra aciem vitiorum ac dæmonum, et tamen tunc nullum fuit sacramentum characterem imprimens, ergo nec modo; dicendum, quod antiquis temporibus nondum fuit tempus sacramenti istius, quod est sacramentum

B plenitudinis gratiæ, sicut jam patuit. Nondum etiam habuerunt ducem belli, quoniam Christus adversariarum potestatum vitiorumque expugnator, nondum fuerat missus, cujus dominationi ac exercitui per characteris impressionem conscriberentur. — Præterea si quæratur, quem ordinem habeat character Confirmationis ad characterem Ordinis ac Baptismi; dicendum, quod ad characterem Baptismi habet ordinem necessitatis, quoniam confirmari non potest nisi baptizatus, quum Baptismus sit *Cf.* p. 184 in fine.

C ceterorum sacramentorum fundamentum ac janua. Ad characterem vero Ordinis ordinantiam seu habitudinem ordinariam habet congruentiæ, non necessitatis, quia non confirmatum ordinari non decet nec congruit. Nempe qui ordinatur ad dispensandum aliis sacramenta, firmus et gratia plenus debet consistere. Tamen si non confirmatus ordinetur, recipit sacramentum, quum nec effectus sacramentorum dependeat a ministris. Hæc Albertus de primo.

D De alio autem, an scilicet Confirmatio gratiam conferat, quærit tria. Primum, an conferat gratiam, loquendo in generali. Secundum, an gratia illa sit gratia gratis data, an gratum faciens. Tertium, an sit distincta a gratia Baptismi. Ad primum respondet : Ut patuit supra, gratia sacramentorum realiter differt a gratia virtutum atque donorum, nec una habita habetur mox alia. Sacramentum autem Confirmationis dat gratiam contra debilitatem relictam ex fomite deprimente. Ba- *Cf.* dist. 1 q. 5.

ptizatus ergo habens gratiam sacramenta- A
lem quæ in Baptismo confertur, adhuc est
in potentia ad gratiam quæ in Confirmatione donatur. Quæ gratiæ differunt specie, sicut et sacramenta. Conveniunt tamen in hoc, quod subjectum suum faciunt Deo acceptum, et opus gratum, et expeditas reddunt virtutes ad operandum. Differunt autem, quia diversorum mor-
Cf. p. 84 B'. borum sunt curativæ, ut supra ostensum est. Qui autem gratiam gratum facientem habet, recipiendo gratiam sacramentorum,
non recipit gratificationem suæ personæ, B
nec operis sui, quia jam ante habuit ista; sed recipit gratiam sacramentalem differentem quantum ad morbi curationem. Hinc ad secundum dicendum, quod gratia quæ in Confirmatione præstatur, est gratum efficiens, quum detur contra peccatum, et ordinetur directe ad salutem. Gratia quoque Confirmationis differt a gratia Baptismi, et unaquæque proprios habet actus. Unde etsi conveniant genere in hoc quod est gratificare, specie tamen distin-
guuntur in hujusmodi actu, secundum C
quod unus in pluribus est Deo acceptus quam alter, et alio modo. Hæc Albertus.

Quibus concordat Thomas. Idcirco ut hæc clarius intelligantur, dicta ipsius Thomæ his annectentur quæ ad quæstionem de impressione characteris in Confirmatione respondet. Character est signum distinctivum, quo quis ab aliis distinguitur ad spirituale aliquid deputatus. Ad spirituale vero potest quis tripliciter deputari. Primo, ut in se spiritualia participet sive
recipiat : quod fit in Baptismo, quoniam D
baptizatus potest esse particeps omnis spiritualis receptionis. Secundo, ut spiritualia in aliorum cognitionem perducat per fortem Christi confessionem : ad quod deputatur homo in Confirmatione. Propter quod tempore persecutionis aliqui eligebantur ad manendum in loco persecutionis, ad confitendum publice nomen Christi, aliis occulte credentibus, ut patet in Legenda S. Sebastiani. Tertio, ut spiritualia aliis tradat : ad quod homo per sacramentum Ordinis deputatur. Ideo sicut in Baptismo et Ordine, sic in Confirmatione character imprimitur. — Præterea differunt characteres isti ab invicem essentialiter. Quælibet namque potentia ex propria ratione importat ordinem ad aliquid; idcirco oportet omnem potentiam esse proportionatam actui ad quem ordinatur. Nam proprius actus non fit nisi in propria potentia*, * alias materia
secundum Philosophum secundo de Anima. Hinc oportet distingui potentias per distiuctiones actuum ad quos ordinantur, sive sint potentiæ activæ sive passivæ. Quumque character sit spiritualis potestas, et character Confirmationis ordinetur ad alios actus quam alii duo characteres, patet quod distinctus sit ab illis. — Præsupponit autem character Confirmationis characterem Baptismi. Nihil enim potest participare actionem aut proprietatem alicujus naturæ, nisi prius subsistat in illa natura. Quumque per Baptismum tanquam per spiritualem regenerationem homo acquirat subsistentiam in vita spirituali christianæ religionis, non potest non baptizatus aliquid eorum quæ ad hanc spiritualem pertinent vitam participare : ergo nec Confirmationis characterem. Et hanc rationem assignat B. Dionysius secundo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo, dicens : Nihil divinitus traditum* operari potest non * traditorum
regeneratus per Baptismum. Quod intelligendum est ita, quod sibi hoc competat ex officio : alioqui etiam multi non baptizati facti sunt martyres gloriosi, et sancte vixerunt solo desiderio baptizati.

Insuper gratia gratum faciens in Confirmatione donatur. In quolibet etenim sacramento est sanctificatio aliqua. Verum quædam sanctificatio talis communis est omnibus sacramentis, ut emundatio a peccato reliquiisque peccati. Quædam vero sanctificatio talis specialis est sacramentis characterem imprimentibus, ut deputatio ad aliquid sacrum. Utraque quoque sanctificatio gratiam gratum facientem requirit. Quod enim directe contrariatur peccato, est gratia; contraria autem contrariis

curantur. Hinc idem remedium adhiberi A nequit contra peccatum et ejus reliquias seu sequelas, nisi per gratiam gratum facientem : ideo in omni sacramento gratia gratum faciens datur. Consimiliter accessus ad sacra non licet immundis, nec ab immunditia quis purgatur nisi per gratiam, nec aliter effici potest idoneus ad sacra administranda vel percipienda. Quumque Confirmatio sit legis evangelicæ sacramentum, characterem imprimens, ex duplici parte necessarium est ut gratiam gratum facientem contribuat. — Verum- B tamen in Baptismo non datur gratia gratum faciens, distincta a gratia gratum faciente quæ inerat baptizato. Baptismus enim est sacramentum necessitatis : ideo gratia quæ confertur in eo, ordinatur in communem statum salutis, non in aliquem specialem effectum. Confirmatio autem non est necessitatis sacramentum, et gratia ejus ad specialem ordinatur effectum : hinc gratia quæ confertur in ea, additur gratiæ quæ perficit in statu vitæ communi. Præterea, sicut dictum est distinctione C
quæst. 1. secunda, sacramentales gratiæ ab invicem distinguuntur secundum distinctiones actuum atque effectuum ad quos ordinantur, quemadmodum et virtutes : quamvis gratiarum illarum distinctio non ita appareat sicut virtutum distinctio, quia earum effectus et actus non sunt tam manifesti ut actus virtutum. In virtutibus autem moralibus cernimus, quod ubi est specialis difficultas, ibi et specialis est virtus. Quumque gratia Confirmationis ordinetur ad difficillimos actus, ut est Christum constanter D confiteri, contra persecutores consistere; ideo differt a gratia baptismali, quæ perficit in pertinentibus ad salutem in statu communi. — Hæc Thomas in Scripto, quæ procedunt secundum ejus opinionem qua posuit gratiam sacramentalem differre a gratia virtutum et donorum; gratiam quoque sacramentalem unius sacramenti, a gratia sacramentali alterius, prout hoc infra magis patebit. Cujus opinionis oppositum multi tenent doctores, quos in hoc supra, distinctione prima, secutus sum. quæst. 5.
Unde quæ hic dicuntur, ex dictis ibidem clarius patent.

Petrus quoque sicut supra, sic et hic p. 62 D'.
consentit positioni contrariæ dictis B. Thomæ, dicens has gratias differre non essentialiter, sed penes diversos effectus et efficientias varias, sicut essentialiter idem est radius liquefaciens et indurans, et idem calor effectus multiplices ac contrarios habens. — Idem per omnia tenet Richardus.

Argentinensis quoque tuetur hoc ipsum, atque alterius opinionis tangit motiva, dicendo : Virtutes et dona realiter diversificantur ac differunt, ergo et gratiæ diversorum sacramentorum. Præterea, sicut morbi distinguuntur, ita et medicinæ; sed gratiæ sacramentales contra diversos morbos dantur et ordinantur. Rursus, gratia Baptismi prior est tempore gratia Confirmationis : ergo non sunt realiter idem. Iterum, nisi sic, frustra confirmarentur baptizati, quia de novo nil gratiæ ex Confirmatione consequerentur. Amplius, diversificatis causis et signis, diversificantur effectus et signata. Sacramenta autem sunt signa et causæ gratiæ : ergo in diversis sacramentis diversæ gratiæ conferuntur. — Sed respondetur ad primum dicendo, quod non est simile, quoniam gratia est sicut radix ramificans in diversos virtutum donorumque habitus, et ipsa ponit animam in esse spirituali divino : ideo permanet una, sicut unius non est nisi unum esse. Ad secundum, quod eadem medicina diversimode applicata, potest diversos morbos curare. Ad tertium, quod idem secundum esse suum imperfectum, est prius se ipso secundum esse perfectum, sicut dispositio prior est habitu, a quo tamen non differt realiter : sic in eodem supposito puer prior est viro. Ad quartum, quod in sacramento Confirmationis præcedens gratia baptismalis perficitur et augetur, nisi obex ex parte confirmati ponatur. Ad quintum, quod eadem causa est plurium causa, et idem potest multa significare, nec

oportet tantam esse diversitatem in causis Cf. p. 194 A'. sicut in causatis, sicut jam patuit de radio et calore. Dato etiam quod causæ et signa distinguantur secundum rationem atque formaliter respectu causatorum ac signatorum, non tamen oportet ut realiter diversificentur; sed et idem causatum potest plures causas habere, et idem signatum plura signa, quum ejusdem sint quatuor causæ, et Eucharistiæ signa sint plurima. Itaque, sicut eadem est gratia præveniens et gratia subsequens, sic eadem est gratia Baptismi et Confirmationis. Quemadmodum etiam eadem est caritas baptizati et confirmati, sic utriusque eadem est gratia. Etenim sicut caritas facit carum, sic gratia gratum. Hæc Argentinensis. — Opinio demum Durandi et Scoti de his, patuit supra.

Postremo Bonaventura quoque huic positioni consentiens : Confirmatio, inquit, dat gratiam gratum facientem, ut Rabanus, Hugo et Magister in littera protestantur. Sed advertendum, quod gratia gratum faciens dupliciter dicitur. Primo, quasi de non grato faciens gratum, ut in Pœnitentia et Baptismo, in quibus peccator justificatur, gratiam recipiendo de novo. Secundo, quasi jam gratum magis gratum faciendo; et talis est gratia Confirmationis, quæ gratiam ante acceptam ampliat et confirmat. Quamvis ergo baptizatus habeat gratiam gratum facientem, non tamen ad illum effectum, nec in illo statu in quo habet eam post Confirmationem. Hinc gratia Confirmationis quamvis directe dicatur esse contra pœnam, est tamen ex consequenti et contra culpam. Est autem contra pusillanimitatem et timorem humanum. Denique quidam dixerunt, quod gratia Baptismi et gratia Confirmationis essentialiter differunt, sicut virtutes et dona : quoniam in Baptismo datur gratia quæ influens in potentias facit virtutes; in Confirmatione vero præstatur gratia quæ influens in potentias facit dona; in Ordine autem gratia condonatur quæ influens in potentias facit beatitudines. Quæ positio, A etsi pulchra videatur, a veritate tamen est aliena. In sacramentis namque non est connexio quemadmodum in virtutibus et in donis. Alii dicunt, quod gratiæ illæ essentialiter manent diversæ ac differentes subjecto, ita quod nec una perficiat aliam nisi per accidens, in quantum perficit eumdem hominem. Tertii dicunt, quod quantum ad fundamentum habitumve substratum, una realiter sit gratia gratum faciens, sed secundum diversa sacramenta varios sortitur effectus, et propter diver- B sitatem effectuum diversæ gratiæ appellantur. Hæc Bonaventura.

Ex quibus satisfieri potest dictis Sanctorum qui dicunt in sacramentis diversas gratias condonari. Frequenter enim gratia sumitur pro quocumque dono seu munere, gratuito aut supernaturali, habituali seu actuali, secundum quod dicimus, quod compunctio seu lacrimarum copia est gratia magna. Itaque ponere tantam pluralitatem gratiæ gratum facientis, sive tot gratias gratum facientes simul in eodem C subjecto sine necessitate, non videtur conveniens, quum aliter omnia illa rationabiliter possint salvari. Unde et Antisiodorensis in Summa sua huic concordat sententiæ, imo in tantum affirmat gratiam Baptismi esse eamdem re cum gratia Confirmationis, quod et utriusque sacramenti characterem asserit esse numero unum in eodem subjecto : quod tamen præinductis non consonat nec tenetur.

D

QUÆSTIO V

Quinto quæritur **De ministris Confirmationis, an a solis detur episcopis.**

Videtur quod non, quoniam dignissimum sacramentum Eucharistiæ datur a simplici sacerdote, ergo plus istud quod illo inferius est. — Item, laicus potest in necessitatis articulo baptizare, ergo et simplex sacerdos confirmare, quum dignitas

pontificalis minus excedat sacerdotalem, quam sacerdotalis statum vulgarem seu laicalem.

Ad hoc Antisiodorensis respondet quarto libro suæ Summæ: Dicunt quidam, quod solis episcopis licitum est confirmare, quoniam sacramentum Confirmationis est perfectivum et gratiæ consummativum. Consummatio autem a solo est Christo; initium vero boni potest a nobis esse, dum facimus quod in nobis est. Episcopi autem successores sunt Apostolorum, qui erant vicarii Christi, juxta illud Apostoli : Pro Christo legatione fungimur. Sed ista solutio nulla videtur, quoniam sicut Dominus præcepit sibi dari decimas, sic et primitias, ad innuendum quod sicut consummatio et perfectio boni ab ipso est, sic et initium boni. Ideo respondetur, quod quædam sacramenta sunt magna quantum ad prærogativam effectus ac dignitatem, ut Ordo et Confirmatio, quæ a solis dantur episcopis. Episcoporum namque est confirmare, ordinare, benedicere et consecrare, tanquam majorum. Unde et in primitiva Ecclesia, per manuum impositionem confirmabant baptizatos. In Confirmatione autem fit consecratio et consummatio baptizatorum ad arduissimos actus, per quos in arce ac acie constituuntur contra adversarios suæ salutis ac fidei. Hæc Antisiodorensis.

II Cor. v, 20.

Porro de hoc Thomas scribens diffusius: In omnibus (ait) artibus atque potentiis ordinatis ac habitibus, ultima perfectio reservatur inducenda per supremam artem aut potestatem in genere illo. Quumque episcopi in ecclesiastica hierarchia teneant locum supremum, id quod ultimum est in actionibus hierarchicis eis exstitit reservandum. Et quoniam perficere alios ad hoc quod sint supra statum aliorum communem, sit in actionibus hierarchicis summum, sacramenta Confirmationis et Ordinis, quibus hoc fit, solis reservantur episcopis dispensanda. Nec valet objectio de Eucharistia, quæ quamvis sit perfectiva et sacramentum supremum, tamen id quod in ipsa est sacramentum et res, habet in se, non in suscipiente : ideo per susceptionem Eucharistiæ non acquirit homo perfectionem ultra statum communem, quum non imprimatur in ea character, sed perficit unumquemque in statu suo. In Confirmatione vero et Ordine, id quod est sacramentum et res, est aliquid in suscipiente acquisitum et ei impressum : ideo promovent suscipientem ultra communem statum fidelium. Denique episcopi auctoritatem et excellentiam habent super simplices sacerdotes quantum ad mysticum corpus Christi. Hinc circa fideles multa conveniunt solis episcopis, ut promovere, consecrare, velare, ordinare et confirmare, ut infra dicetur.

Sed quæri potest, utrum ex commissione domini Papæ simplex sacerdos valeat confirmare. Respondendum, quod de hoc multiplex exsistit opinio. Nam aliqui dicunt quod non. Et quod in littera dicitur de Gregorio, exponunt quod illi presbyteri ex mandato Papæ non conferebant sacramentum Confirmationis, sed aliquid sacramentale, sacramento Confirmationis consimile, sicut alicui porrigitur panis consecratus loco Eucharistiæ. Sed non videtur quod simulationem talem induxerit S. Gregorius in dispensatione sacramentorum, aut sustinuerit : quoniam dispensatio sacramentorum ad doctrinæ pertinet veritatem, quæ non est propter scandalum dimittenda. Hinc alii dicunt tantam esse Papæ auctoritatem quod ejus mandato quilibet potest conferre quod habet, ut confirmatus confirmationem, diaconus diaconatum, sacerdos sacerdotium; non autem quod non habet, ut diaconus ordinem sacerdotalem. Verum hæc opinio est nimis ampla, ideo media via secundum alios est tenenda. — Unde sciendum, quod quum episcopatus non addat aliquid super sacerdotium per relationem ad corpus Christi verum, sed solum per comparationem ad corpus Christi mysticum, Papa per hoc quod est summus episcoporum, non dicitur habere ple-

Cf. p. 181 in fine.

nitudinem potestatis per eomparationem ad corpus Christi verum, sed ad mystieum ejus eorpus. Quumque gratia saeramentalis descendat a eapite Christo in mystieum ejus corpus, omnis operatio in mysticum eorpus saeramentalis per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Christi verum : ideo solus saeerdos potest absolvere in foro pœnitentiali, et ex offieio baptizare. Ideo promovere ad illas perfeetiones quæ non respieiunt eorpus Domini verum, sed solum mysticum eorpus, potest a Papa eommitti saeerdoti, qui habet actum summum super eorpus Domini verum, non autem diaeono, neque alieui inferiori. Nee potest simplici saeerdoti committere promovere ad perfeetionem quæ aliquo modo respieit eorpus Domini verum. Ideo simplex saeerdos, ex eommissione Papæ non potest eonferre saeerdotii ordinem : quoniam ordines saeri habent potestatem super eorpus Christi verum, aut super ejus materiam. Potest autem Papa eoneedere simpliei saeerdoti quod conferat ordines minores, quia hi nullam habent potestatem super verum Christi eorpus nee super ejus materiam, nee etiam super eorpus mysticum habent aetum per quem gratia conferatur; sed habent ex offieio quosdam seeundarios ae præparatorios actus. Similiter potest eoncedere saeerdoti alieui quod eonfirmet, quoniam Confirmatio perfieit eum in actu mystiei corporis, nec aliquam habet relationem ad corpus Domini verum, quod seilicet sumpsit ex Virgine. — Hæc Thomas in Scripto. Eadem scribit in tertia parte, quæstione septuagesima seeunda. Idem Petrus et Riehardus.

Albertus vero tenet, quod sacerdos simplex non præsul, nequaquam valeat confirmare, ob causas præhabitas. Et quod objieitur de S. Gregorio, quod eoncessit hoc, respondet, quod nunquam permisit ut esset Confirmatio quæ collata fuit a simplici sacerdote, sed propter quorumdam scandalum, abusum et ignorantiam non correxit. Vel dieendum, quod erat benedietio

A quædam eonfirmandis eollata, sieut panis benedictus datur quibusdam Euebaristiæ loeo. Et hoe ad tempus permisit Gregorius. Pertinet vero ad episeopum eonfirmare, non solum ex ordine, nee tantum ex jurisdietione, sed pariter ex utroque, quia annexum est episeopali offieio, quemadmodum conseeratio eeelesiarum, ordinatio elerieorum, velatio virginum. — Hæc Albertus. Cujus opinioni eonsentiunt pauei; estque præinducta responsio Thomæ verior atque communior. Tamen ut ait
B Richardus, ordinaria potestate ad solos speetat episeopos confirmare. Argentinensis etiam positionem illam sequitur, seilieet S. Thomæ.

At vero Seotus eirea hæe seribit prolixe, indueendo materiam quæ infra magis loeum habebit, videlieet an tempore Apostolorum fuit distinctio inter episeopos et saeerdotes, et arguit satis idonee pro utraque parte, ae magis eonsentire videtur in hoc quod non, et ita tune eunetis presbyteris lieuisset confirmare. — Verum infra
C patebit, quod a tempore Apostolorum, et ex institutione divina seu immediata Christi ordinatione, fuit a principio Eeelesiæ inter episeopos et simpliees saeerdotes distinctio quantum ad rem et potestatem, quamvis in nomine eommunieabant. Si autem verba S. Gregorii rite pensentur, eonstat quod presbyteris ad tempus eoneessit licentiam eonfirmandi veraeiter. Sie quippe Januario seribit episeopo : Pervenit ad nos, quosdam ex tuis seandalizatos fuisse, eo quod presbyteros ungere ehri-
D smate eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Sed si omnino de hae re aliqui contristentur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos ehrismate tangere debeant, concedimus. Quod si Gregorius istud simulatorie admisisset, peccasset mortaliter, veritatem doetrinæ dimittendo, et subditos graviter decipiendo, ita quod se confirmatos putassent, quum confirmati non essent.

Postremo Bonaventura : Hoe (inquit) sacramentum nee potest nee debet nisi per

episcopos dispensari. Et si alii id præsumunt, nil faciunt, quia auctoritas Ecclesiæ fuit a capite derivata ad membra secundum ordinem Ecclesiæ primum. Hinc sicut soli Apostoli poterant confirmare in primitiva Ecclesia, sic postmodum soli eorum successores episcopi. Et ipsis solis traditum et commissum est istud officium, quoniam ipsi sunt in tota Ecclesia principales prælati. Prælati autem est duplex officium : unum, inferiores in gradu statuere, atque in ordine collocare; secundum, pro grege murum se ponere, ac ipsum defendere. Idcirco ipsorum dumtaxat est confirmare et ordinare, id est ordines dare. Et rursus, quia in ipsis est ecclesiasticæ auctoritatis plenitudo, idcirco ipsorum est dispensare Confirmationis ac Ordinis sacramenta, in quibus gratiæ plenitudo confertur. Iterum, quia ipsorum est curam habere de omnibus, placuit Spiritui Sancto ut subditi aliqua recipiant sacramenta immediate ab ipsis. — Hæc Bonaventura. In quibus videtur sentire

p. 197 D. sicut paulo ante. Verumtamen hæc expressit ad hunc sensum, quod solis episcopis ordinario jure ista conveniunt. Quod constat ex eo quod circa litteram scribit : Quamvis sacerdos non valeat auctoritate propria confirmare, tamen pro necessaria causa summus Pontifex potest hoc ei committere, sicque pontificalis auctoritas necessario ad hujus sacramenti administrationem concurrit.

Restant adhuc aliquæ quæstiones minores sine argumentis breviter expediendæ, ut vitetur prolixitas.

QUÆSTIUNCULA 1. Prima est, an Christus debuit sacramentum Confirmationis accipere.

Ad quod Thomas : Suscipere (inquit) Baptismum, est in præcepto; ideo Christus voluit baptizari, ut formam obedientiæ daret. Propter quod dixit B. Joanni : Sic decet nos implere omnem justitiam. (*Matth.* III, 15.) Justitia namque consistit in obedientia legis, ut quinto dicitur Ethicorum. Confirmatio autem non est sacramentum necessitatis,

A sed utilitatis consequendæ causa accipitur. Quumque Christus a sacramentis nihil acceperit, non debuit sacramentum Confirmationis accipere, sicut nec Ordinis, quia potestas excellentiæ in sacramentis, et plenitudo Spiritus Sancti ab incarnationis exordio fuit in ipso.

QUÆSTIUNCULA 2. Secundo quæritur, an mulieribus et pueris conveniat sacramentum Confirmationis accipere. Dicendum, quod perfectiones quæ in Confirmatione et Ordinis sacramento conferuntur, in hoc distinguuntur,
B quod perfectio Ordinis est ad aliquid dispensandum; Confirmationis autem perfectio est ad fortiter standum in se per gratiam specialem in adversis. Ad hoc autem quod dispensatio alicujus rei detur seu committatur alicui, requiritur idoneitas aliqua præexsistens in eo cui fit illa commissio, ad vitandum periculum seu peccatum quod imminet ex dispensatione indigna : ideo perfectio Ordinis non committitur pueris. Verum perfectio qua quis in se ipso perficitur, non præexigit
C aliquam perfectionem, sed ipsa fit homo idoneus seu perfectus, nec ex hoc periculum imminet. Hinc Confirmatio potest pueris tradi, et congrue traditur, quoniam ætas infantilis caret fictione qua impeditur sacramenti effectus. Ideo quamvis non competat ei tunc pugnare et confiteri, plene tamen effectum suscipit sacramenti, per quem tempore opportuno erit ad confitendum atque pugnandum idoneus, nisi interim collatam gratiam perdat peccando. Nec ab hoc sacramento excludendæ
D sunt puellæ et mulieres, quum innumerabiles personæ sexus feminei in spirituali pugna triumphaverint gloriose.

QUÆSTIUNCULA 3. Tertio quæritur, an universis adultæ ætatis, etiam mutis et morientibus, Confirmatio sit præstanda. Dicendum, quod perfectio in Confirmatione collata, non præexigit aliam perfectionem, sed per eam homo in propria persona perficitur, ut sit ad spiritualem pugnam idoneus. Quumque unicuique adulto expediat fortitudinem hanc habere, nullus ipsorum dummo-

do baptizatus sit, a Confirmatione debet A excludi. Nam et muti possunt nutibus confiteri, atque propositum confitendi habere. Morientes quoque quamvis abstrahantur a pugna, tamen ad præmii pergunt locum, in quo secundum mensuram gratiæ datur mensura gloriæ, et in ipsis extremis impugnantur confortationeque indigent. — Hæc Thomas in Scripto.

Hinc demum in tertia parte, quæstione
art. 8. septuagesima secunda : Per sacramentum (ait) Confirmationis promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam : quæ pro- B motio seu profectus competit universis. Unde et morientibus exhibendum est, ut in resurrectione perfecti appareant. Hinc asserit Hugo : Omnino periculosum est, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contigerit : non quoniam damnaretur ita emigrans, nisi forsan propter contemptum, sed quoniam perfectionis detrimentum pateretur. Ideo pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem gratiam sunt sortiti. Nec obstat quod ait Melchiades Papa : Continuo C transituris sufficiunt regenerationis beneficia. Verum est enim quod sufficiunt ad salutem, nec propter periculum pugnæ eis necessaria sunt Confirmationis auxilia post egressum. Hæc in Summa. — In quibus Albertus, Bonaventura, Petrus, Richardus, aliique communiter consonant.

Quæstiuncula 4. Quarto quæritur de ritu Confirmationis, an scilicet sit sumenda a jejunis, confessione præmissa, et aliquo confirmandum tenente.

Ad hoc Bonaventura respondet : Hoc D sacramentum tantum a jejunis et solis adhuc jejunis tradi debet ; nec obstat quod datur ad robur, cui cibus non obstat. In hoc namque sacramento datur gratia roborans, et affinitas quædam contrahitur. Ideo Patres antiqui statuerunt tria hæc observari : primum, ut jejuno stomacho detur, pro ampliori gratia obtinenda; secundum, ut confirmandus in signum propriæ imbecillitatis, præsertim spiritualis, ab aliquo teneatur; tertium, ut sit consimilis sexus, propter periculum affinitatis. (Hoc autem est secundum quamdam congruentiam, non necessitatem.) Ne etiam obex ponatur sacramenti gratiæ, confessio habet præmitti. Hæc Bonaventura.

Hic Thomas : Confirmandus, inquit, tenetur ab alio, ad insinuandum quod non præsumit se habere robur standi spiritualiter a se ipso, imo nec habet hoc. Spiritualis autem fortitudo est per Christum, in quo non est masculus neque femina, ut inquit Apostolus. Idcirco non differt utrum Galat. III, 28. vir mulierem, vel mulier virum teneat, quamvis quidam dicant contrarium, quod scilicet mulier virum tenere non potest. — Hæc Thomas. Cujus hoc ultimum verbum videtur contra id quod ait Bonaventura, requiri sexum consimilem ad tenendum. — Cur autem debeat dari in p. 190 D. fronte, præhabitum est.

Quinto quæritur, an sacramentum Con- Quæstiuncula 5. firmationis valeat iterari. Ad quod doctores respondent quod non, quia characterem imprimit. Cur autem tria sacramenta hæc, Baptismus, Confirmatio, Ordo, quæ characterem imprimunt, non iterentur, frequenter expositum est. Ligatur autem frons Cf. p. 160 C' et s. confirmati, propter reverentiam sacramenti, aut ne ipsa linitio aut chrisma superlinitum contrahat sordes, quum sit patens et nuda pars ipsa frons. Per frontem quoque significatur fortitudo, quum apud Ezechielem Dominus dicat : Ecce dedi fron- Ezech. III, 8. tem tuam duriorem frontibus eorum. Atque ut asserit Hugo, confirmatus post suam confirmationem per septem dies debet manere in disciplina custodiendi chrisma, ne caput lavet, propter septem dona Spiritus Sancti : quemadmodum Ecclesia celebrat septem diebus adventum Spiritus Sancti in Christi discipulos. — Datur demum Confirmatio contra infirmitatem ut est per originale peccatum, et infirmitas ut sic contracta non redit, quamvis redeat interdum ut aucta aut renovata. Hæc Thomas.

Amplius, Richardus hic sciscitatur, utrum Quæstiuncula 6. episcopi degradati possint confirmare. De

qua quæstione duas narrat opiniones, et A magis videtur sentire quod non. Verum hæc quæstio infra potius locum habet, ubi de suspensione, degradatione, interdicto, excommunicatione tractabitur, in tractatu de sacramentis Ordinis et Confessionis.

Quæstiuncula 7. Scotus præterea sciscitatur, quæ sit pœna iterantium hoc sacramentum. Respondet : Dicunt canonistæ, etc., sicut supra dictum est de pœna iterantis Baptismum. Cf. p. 171 D. Quod probant a simili per illud capitulum de Consecratione, distinctione 4, Qui bis. Sed aliter dico, videlicet quod universaliter nulla pœna canonica non inflicta a Papa condente jus, incurritur ipso jure. Nec propter argumenta exponentium canones, sive a simili, sive a contrario, est aliquis tali pœna adstrictus, quia possunt exponere jus conditum, non autem per suas expositiones condere novum. Unde Innocentius qui exstitit Papa, quum fecisset magnum opus, jus canonicum exponendo, requisitus quale robur vellet habere hoc opus, respondit, quod non vellet ipsum esse authenticum, sed tantummodo magistrale. Quum ergo non inveniatur in jure canonico expresse pœna irregularitatis inflicta pro iteratione Confirmationis, sequitur quod non incurritur ex hoc, præsertim quum constitutiones pœnales sint restringendæ, non ampliandæ. Et si voluisset legislator pœnam talem infligere pro iteratione Confirmationis sicut Baptismi, potuisset hic expressisse sicut ibi. Confirmatur quoque per capitulum illud, de Consecratione, distinctione 5, Dictum est, ubi nulla pœna hujusmodi infligitur episcopo Confirmationem iteranti; neque suscipienti, nisi quod soli Deo sub habitu regulari vel clericali ipsum in religione Deo famulari decretum est: quod non innuit pœnam irregularitatis, sed magis oppositum, puta exercitium officii clericalis. Etenim in executione ordinum, præsertim in consecratione Eucharistiæ, clericus Deo suo religiose famulatur. — Hæc Scotus. Quæ recitative magis quam assertorie tango, quoniam plena horum responsio inquisitionem requirit majorem, et concordi canonistarum responsioni in tali materia magis videretur consentiendum.

Circa materiam istam sacramenti Confirmationis scribit Guillelmus in suo Sacramentali, tractatu de Confirmatione : Tempore belli, ecclesiæ consueverunt incastellari, superædificatisque turribus aut propugnaculis infortiari. Quod si bellum corporale, pro temporalibus rebus tuendis nos ad hoc inducit, quanto magis bellum B spirituale incomparabiliter periculosius, spirituales ecclesias incastellari compellet, et templa spiritualia muniri ac exaltari in arces? Nempe non aliud est rite baptizatus nisi templum Dei. Confirmatus vero non est aliud nisi templum exaltatum in arcem, et murus cui superædificata sunt propugnacula, juxta illud in Canticis : Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea. *Cant.* VIII, 9. Incastellatio ista sanctitati non detrahit, sed auget ac roborat eam. Porro si quæras, quæ sit exaltatio C ista in arcem; respondemus, quod sit magnificentia altitudoque cordis, quibus opprobria et inimicitias christiani nominis ac professionis quasi ex alto despiciens confirmatus, sanctis indignationibus ac adspirationibus prosternit ac obruit ea. Denique sacramentum Confirmationis propter bellicæ strenuitatis audaciam signatur in fronte. Prima namque et maxima pericula pugnantibus imminent in fronte. Quemadmodum autem in Exodo legitur, quod facies Moysis videbatur cornuta ex *Exod.* XXXIV, 29. D consortio Dei; sic virtute Confirmationis cornua inseruntur interiori fronti confirmati, quibus irrumpat ac ventilet inimicitias atque opprobria christianæ professionis. Hæc itaque differentia est inter solum baptizatos et postea confirmatos, quæ est inter animalia cornuta et non cornuta. Confirmandi namque veniunt ad manum pontificis, ut confirmentur et consignentur tanquam inermes et nondum cornuti; atque de manibus ejus recedunt confirmati instar unicornium jam cornuti. Rursus,

quemadmodum tenera ac puerilia membra A ad opera dura ac gravia non mittuntur, nisi prius fortificentur, solidioraque fiant; sic baptizati tanquam modo geniti, non mittuntur ad spiritualia fortia bella, nisi *Luc.* xxiv, 49. in Confirmatione induantur virtute ex alto, sicut in die Pentecostes factum est Christi discipulis. Frustra autem confirmari quærunt hoc sacramento, qui debilitates suas amant nec dimittere volunt : quæ debilitates sunt ægritudines et vulnera vitiorum, et vincula ac onera eorumdem. Ideo accessuri ad hoc sacramentum, monen- B di sunt omnia ista relinquere. Admonendi sunt quoque ne adversarios suæ salutis (contra quos cupiunt confirmari) roborent contra se ipsos : quod utique faciunt, si membra sua exhibeant arma iniquitatis *Rom.* vi, 13. peccato. Insuper erubescant signum strenuitatis et fortitudinis eminentia frontis deferre, et in certaminibus ignaviter agere, et in bello tentationis sub hostium pedibus cadere, viliterque desideriis carnis succumbere. Attendant se esse signiferos Regis cœlorum, et in ejus adspectu confligere : ideo jugiter sperent in eo, invocent eum, ac omni hora roborentur in ipso, nil de suis viribus præsumentes, et Regis æterni auxilio jugiter inhærentes, ejus zelo accensi, ejus adsistentia animati, in omni labore ac conflictu patientes et indefessi. Hæc Guillelmus.

DISTINCTIO VIII

A. *De Sacramento altaris et Eucharistiæ.*

POST sacramentum Baptismi et Confirmationis sequitur Eucharistiæ sacramentum. Per Baptismum mundamur, per Eucharistiam in bono consummamur. Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 2. Baptismus æstus vitiorum exstinguit, Eucharistia spiritualiter reficit. Unde excellenter Eucharistia dicitur, id est bona gratia, quia in hoc sacramento non modo est augmentum virtutis et gratiæ, sed ille totus sumitur qui est fons et origo totius gratiæ. Cujus figura præcessit, quando manna pluit Deus patribus in deserto, *Exod.* xvi, 4 et seq. qui quotidiano cœli pascebantur alimento : unde panem angelorum manducavit *Ps.* lxxvii, 25. homo. Sed tunc qui panem illum manducaverunt, mortui sunt; iste vero panis *Joann.* vi, 41. vivus qui de cœlo descendit, vitam mundo tribuit. Manna illud de cœlo, hoc super cœlum. Illud scaturiebat, in diem alterum reservatum; hoc ab omni corruptione *Exod.* xvi, 20. alienum quicumque religiose gustaverit, corruptionem non videbit. Illud datum fuit antiquis post transitum maris Rubri, ubi submersis Ægyptiis liberati sunt Hebræi; *Ibid.* xiv, 25 et seq. ita hoc cœleste manna non nisi renatis præstari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit; hæc esca cœlestis fideles hujus sæculi per desertum transeuntes in cœlum subvehit. Unde recte viaticum appellatur, quia in via nos reficiens, usque in patriam deducit. Sicut ergo in mari Rubro figura Baptismi præcessit; ita in manna significatio dominici corporis. Hæc duo sacramenta demonstrata sunt, ubi de latere Christi sanguis et aqua profluxerunt: *Joann.* xix, 34. quia Christus per sanguinem redemptionis et aquam ablutionis nos redimere venit a diabolo et a peccato, sicut Israelitas per sanguinem agni paschalis ab extermi- *Exod.* xii, 13.

natore, et per aquam maris Rubri ab Ægyptiis liberavit. Hujus etiam sacramenti ritum Melchisedech ostendit, ubi panem et vinum Abrahæ obtulit. Unde ut ait Ambrosius, intelligi datur anteriora esse sacramenta Christianorum quam Judæorum.

Gen. xiv, 18. Ambr. de Mysteriis, n. 44.

B. *De institutione sacramenti.*

Hic etiam alia consideranda occurrunt quatuor, scilicet sacramentum, institutio, forma, et res. Sacramentum Dominus instituit, quando post typicum agnum corpus et sanguinem suum discipulis in Cœna porrexit. Unde Eusebius Emisenus : Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat ut die Cœnæ sacramentum nobis corporis et sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium.

De Consecr. dist. ii, c. 35.

C. *De forma.*

Forma vero est quam ipse ibidem edidit dicens : Hoc est corpus meum ; et post, Hic est sanguis meus. Quum enim hæc verba proferuntur, conversio fit panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi ; reliqua ad laudem Dei dicuntur. Unde Ambrosius : Sermone Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione Verbi cœlestis. Consecratio quibus fit verbis? Attende quæ sunt verba : Accipite et comedite ex eo omnes, hoc est corpus meum ; et iterum : Accipite et bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus. Per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo refertur ; oratio præmittitur pro populo, pro regibus. Item Augustinus : Credendum est, quod in illis verbis Christi sacramenta conficiantur ; reliqua omnia nihil aliud sunt quam laudes vel obsecrationes fidelium et petitiones. Ecce quæ sit institutio et forma hujus sacramenti. — Ubi consideratione dignum est, quare illud sacramentum post Cœnam dedit discipulis. Dominus igitur Jesus ad invisibilia paternæ majestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico pascha, quoddam memoriale eis commendare volens, sub specie panis et vini corpus et sanguinem suum ita eis tradidit, ut ostenderet legis veteris sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac legis novæ sacramenta substitui, in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Ideo etiam post alia dedit, ut hoc unum arctius memoriæ discipulorum infigeretur, et ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, ut post alios cibos sumatur ; sed potius a jejunis sumi oportet, sicut Apostolus docet, ut singulari reverentia dijudicetur, id est, discernatur ab aliis cibis : quod Dominus Apostolis disponendum reliquit. Unde Augustinus : Apparet, quum primo acceperunt discipuli Eucharistiam, non eos accepisse jejunos. Non ideo tamen calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis sumitur semper. Placuit enim Spiritui Sancto, ut in honore tanti sacramenti prius in os Christiani dominicum corpus intraret quam

Matth. xxvi, 26, 28. Ambr. de Sacram. lib. iv, n. 14, 15. De Consecr. dist. ii, c. 72. I *Cor.* xi, 22, 34. Aug. Epist. 54, c. 6.

alii cibi : ideo ubique mos iste servatur. Non enim quia post cibos dedit Dominus, ideo pransi vel cœnati illud accipere debent, ut illi faciebant quos Apostolus redarguit. Nam Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, reservavit docendum.

D. *De sacramento et re sacramenti Eucharistiæ.*

Nunc quid ibi sacramentum sit, et quid res, videamus. Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Forma ergo panis et vini, quæ ibi videtur, est sacramentum, id est signum sacræ rei, quia præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Tenent ergo species vocabula rerum quæ ante fuerunt, scilicet panis et vini. — Hujus autem sacramenti gemina est res : una scilicet contenta et significata ; altera significata et non contenta. Res contenta et significata, est caro Christi quam de Virgine traxit, et sanguis quem pro nobis fudit. Res autem significata et non contenta, est unitas Ecclesiæ in prædestinatis, vocatis, justificatis et glorificatis. Hæc est duplex caro Christi et sanguis. Unde Hieronymus : Dupliciter, inquit, intelligitur caro Christi et sanguis ejus : vel illa quæ crucifixa est et sepulta, et sanguis qui militis lancea effusus est ; vel illa spiritualis ac divina de qua ipse ait, Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ; et, Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sunt ergo hic tria distinguenda : unum, quod tantum est sacramentum ; alterum, quod est sacramentum et res ; et tertium, quod est res et non sacramentum. Sacramentum et non res, est species visibilis panis et vini ; sacramentum et res, caro Christi propria et sanguis ; res et non sacramentum, mystica ejus caro. Porro illa species visibilis sacramentum est geminæ rei, quia utramque rem significat et utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis præ ceteris cibis corpus reficit et sustentat, et vinum hominem lætificat atque inebriat ; sic caro Christi interiorem hominem plus ceteris gratiis spiritualiter reficit et saginat. Unde : Calix meus inebrians quam præclarus est. Habet etiam similitudinem cum re mystica, quæ est unitas fidelium : quia sicut ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in unum confluit, sic ex multis fidelium personis unitas ecclesiastica constat. Unde Apostolus : Unus panis et unum corpus multi sumus. Unde Augustinus : Unus panis et unum corpus Ecclesia dicitur, pro eo quod sicut unus panis ex multis granis et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia ex multis fidelibus caritate copulante connectitur. Hoc mysterium pacis et unitatis nostræ Christus in sua mensa consecravit. Qui accipit hoc mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non accipit hoc mysterium pro se, sed contra se. Cujus etiam sacramentum est corpus Christi proprium de Virgine sumptum : quia ut corpus Christi ex multis membris purissimis et immaculatis constat,

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 3.
Hier. in Ephes. I, 7.
Joann. VI, 56.
Ibid. 54.
Lyra, in I Cor. XI, 24.
Ps. XXII, 5.
I *Cor.* X, 17.
Lyra, ubi supra.

ita societas ecclesiastica ex multis personis a criminali macula liberis consistit. In *Exod.* xxv, 10. cujus rei typo facta est arca Domini de lignis setim, quæ sunt imputribilia et albæ spinæ similia.

SUMMA
DISTINCTIONIS OCTAVÆ

COMPLETO tractatu de Baptismo et Confirmatione, nunc de Eucharistiæ agitur sacramento. Et primo ostendit Magister multiplicem hujus sacramenti excellentiam et virtutem, ejusque differentiam a quadam ejus figura, quod fuit manna. Ponit quoque aliqua nomina ejus et nominum rationes. Deinde declarat, quod olim in lege naturæ, ritus et typus hujus sacramenti præcessit in sacrificio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum, in quibus materia sacramenti istius est præostensa. Consequenter tractatur in ista distinctione de Eucharistiæ institutione. Quocirca quatuor attenduntur, utpote ipsa institutio Eucharistiæ, forma verborum quibus conficitur, sacramentum et res. Et circa hæc pandit, quid in isto sacramento sit sacramentum tantum, utpote visibiles formæ panis ac vini; quid sacramentum et res, scilicet vera caro et sanguis Christi, quæ per visibiles illas formas significantur, et ultra significant mysticam unitatem fidelium, qui sunt spirituale et mysticum corpus Salvatoris, id est, spirituali ratione vocati corpus ipsius; et quid res tantum, videlicet gratia sacramentalis, seu unitas mystica illa, prout consequenter patebit. Deinceps ostendit, quæ sit forma consecrationis corporis et sanguinis Redemptoris : ubi elucidat, cur post novissimam cœnam istud instituit sacramentum et sumpsit sumendumque tribuit, quum tamen deinde non voluerit illud frequentari et accipi, nisi ante corporalem refectionem. Consequenter prosequitur de sacramento et re, puta de corpore Christi et sanguine, qualiter sit sacramentum et res, et cujus rei sint sa- A cramentum. Ponuntur autem hoc loco et distinctionibus de isto sacramento sequentibus, multæ pulcherrimæ auctoritates, quæ et plenius inveniuntur collectæ in Decreto, de Consecratione, et in sermone de Sacramento altaris in festo Eucharistiæ et per ejus octavas continentur atque leguntur.

QUÆSTIO PRIMA

B HIc quæritur primo, **Utrum Eucharistia sit sacramentum verum ac unum, et an variis nominibus recte designetur.**

In qua quæstione tria tanguntur : primum, an sit proprie sacramentum; secundum, an sit sacramentum unum; tertium, an nomina quibus exprimitur, recte ei conveniant.

Videtur quod non sit sacramentum. Sacramenta enim novæ legis (ut sæpe præhabitum est) efficiunt quod designant : dist. i, q. 4. C quod huic non convenit sacramento, quoniam species exteriores panis et vini, quæ sunt hic sacramentum tantum, non efficiunt corpus et sanguinem Christi. — Videtur quoque quod non sit unum et idem sacramentum, quoniam sacramentum (ut dictum est) materiale est elementum. In dist. i, q. 1. hoc autem sacramento plura sunt sensibilia elementa, videlicet panis et vinum; habet quoque diversos sacramentales effectus, sumiturque seorsum. Item quoniam in Complenda habetur : Purificent nos, D quæsumus, Domine, sacramenta quæ sumpsimus.

In oppositum est, quod non sunt nisi septem sacramenta, quorum unum est istud.

Ad hæc Thomas respondet : Eucharistia sacramentum est, aliter tamen quam ce-

tera sacramenta. Sacramentum quippe secundum sui nominis proprietatem, sanctitatem active importat. Unde secundum hoc, aliquid habet rationem sacramenti secundum quod habet rationem sanctificationis qua aliquid fit sanctum. Fit autem aliquid sanctum dupliciter : primo simpliciter et per se, ut id quod subjectum est sanctitatis, ut homo; secundo improprie et secundum quid, sicut quod ordinatur ad sanctitatem præfatam, aut sicut habens virtutem sanctificandi, ut chrisma, vel quocumque alio modo deputetur ad aliquod sanctum, B sicut altare. Hinc ea quibus aliquid fit sanctum primo modo, dicuntur sacramenta simpliciter. Ea vero quibus aliquid fit sanctum secundo modo, sacramentalia nominantur, non sacramenta. In aliis ergo sacramentis fit aliquid sanctum primo modo, ut homo suscipiens sacramentum; non autem elementum corporale sanctificans hominem, quoniam hoc est sanctum secundo modo. Propterea, quod pertinet ad sanctificationem materiæ in ceteris sacramentis, non est sacramentum, sed sacra- C mentale : imo hoc quod pertinet ad usum materiæ qua homo sanctificatur, est sacramentum. Verum in hoc sacramento id quod sanctificat hominem, sanctum est primo modo, videlicet Christus : ideo sanctificatio materiæ est hic sacramentum, et sanctificatio hominis est sacramenti hujus effectus. Unde hoc sacramentum in se consideratum, est dignius ceteris omnibus, quum absolutam habeat sanctitatem; alia autem non habent sanctitatem nisi in ordine ad aliud. Hinc sacramentum hoc est D perfectio aliorum sacramentorum : nam omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se.

Ad secundum dicendum, quod per se unum simpliciter, et quod est unum numero, tripliciter dicitur. Primo, sicut indivisibile (ut punctus et unitas), quod nec actu neque potentia est multa. Secundo, quod est unum continuitate, quod tamen est potentialiter multa, ut linea. Tertio, quod est unum perfectione, ut calceamen- A tum, quoniam habet omnes partes ad ejus integritatem spectantes : quæ unitas invenitur in omnibus ad quorum integritatem plura requiruntur, ut unus homo, una domus. Quumque ad esse sacramenti multa concurrant, sicut materia, forma, intentio, etc.; idcirco ab hac unitate sacramentum dicitur unum. Illa namque sunt de integritate sacramenti, quæ requiruntur ad operationem illam ad quam ordinatur. Hoc vero sacramentum ordinatum est a Deo ad spiritualem cibationem, quæ per corporalem refectionem signatur. Et quia ad corporalem cibationem duo exiguntur, videlicet cibus ac potus, idcirco ex institutione divina ad integritatem sacramenti istius pertinet aliquid tanquam cibus, scilicet corpus Christi, et aliquid per modum potus, utpote sanguis ejus. Est ergo unum sacramentum, sed pluraliter dicitur sacramenta, propter materialem diversitatem signorum. Et quamvis sacramentum hoc cum omnibus ad se requisitis, non sit unum in genere aut specie naturæ, attamen unum est per comparationem ad unam operationem completam, quæ est spiritualis refectio : ex qua unitate sumitur unitas sacramenti.

Ad tertium respondetur, quod in quolibet sacramento tria considerantur, videlicet : origo, perfectio et finis. Origo sacramentorum est passio Christi, de cujus latere sacramenta fluxerunt. Perfectio sacramenti est, quod gratiam continet. Finis vero sacramenti est duplex, utpote proximus, qui est sanctificatio recipientis; et ultimus, qui est vita æterna. Quæ tria sunt in Eucharistia excellenter, quia hoc sacramentum est specialiter institutum in memoriam dominicæ passionis, juxta illud : Hæc quotiescumque feceritis, in mei I *Cor.* XI,
memoriam facietis. Ideo quantum ad origi- 24, 25.
nem, vocatur sacrificium et hostia. Continet quoque gratiam, non per modum intentionalem, ut cetera sacramenta, sed plenitudinem gratiæ in suo fonte : hinc antonomastice Eucharistia appellatur. Quumque sit consummatio omnium sanctifi-

cationum, id quod est omnium, scilicet A congregare ad unum, huic sacramento adscribitur : idcirco nuncupatur communio et synaxis, in quantum homo per ipsum
Luc. x, 42. congregatur ad unum quod solum necessarium est, et ad se ipsum per sui ipsius considerationem, et ad alios per dilectionem. Insuper, quantum ad ultimum finem consequendum, maximam efficaciam habet, in quantum realiter continet hoc quo janua regni aperta est, puta sanguinem Christi : unde viaticum nominatur. — Hæc Thomas in Scripto. B

Porro in tertia parte, quæstione septuagesima tertia : Sacramenta (inquit) Eccle-
art. 1. siæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis corporali vitæ assimilatur, quoniam corporalia similitudinem spiritualium gerunt. Hinc sicut ad vitam corporalem primo requiritur generatio, deinde augmentum, atque per consequens alimentum, quo homo conservatur in vita : ita ad vitam spiritualem primo Baptismus requiritur, qui est regeneratio spiritualis; deinde Confirma- C tio, quæ est spirituale augmentum; tertio Eucharistiæ sacramentum, quod spirituale
art. 4. est alimentum. — Denique sacramentum hoc triplicem habet significationem. Unam respectu præteriti, in quantum est rememorativum dominicæ passionis, quæ fuit sacrificium verum : et sic dicitur sacrificium. Aliam habet significationem respectu rei præsentis, utpote ecclesiasticæ unitatis, in qua homines per sacramentum hoc adunantur : sicque vocatur communio seu synaxis. Tertiam significationem ha- D bet respectu futuri, utpote beatificæ fruitionis, quam præfigurat : et ita vocatur viaticum. Et quoniam gratiam nobis præbet, et Christum totius gratiæ fontem continet, vocatur Eucharistia. Dicitur quoque in Græco μετάληψις, id est assumptio : quia (ut Damascenus testatur) per ipsum Filii deitatem assumimus. Hæc in Summa.

At vero Petrus : Eucharistia, ait, est sacramentum tam modo communi cum aliis sacramentis, utpote significando et causando sanctitatem, quam modo speciali, videlicet totius sanctitatis ac gratiæ continendo auctorem. Si vero objiciatur, quod sacramentum debet habere naturalem similitudinem cum eo cujus est sacramentum; sed species panis et vini talem similitudinem non habent cum corpore et sanguine Christi : ergo non sunt sacramentum corporis Christi ac sanguinis. Respondetur : Species illæ non in quantum sunt formæ solum accidentales, sunt signa corporis et sanguinis Domini, sed ratione rerum quarum accidentia exstiterunt, quas repræsentant. Hæc Petrus.

Richardus quoque : Species (ait) panis et vini post consecrationem, sacramentum sunt novæ legis, imo sunt signum duplicis rei sacræ. Nam species panis consecrati est signum corporis Christi veri, quod est res sacra contenta sub specie illa. Est etiam signum corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, et est res sacra sub specie non contenta. Et quamvis hæc species non sit causa exsistentiæ corporis Christi absolute, est tamen causa exsistentiæ Christi ibidem. Quamvis etiam species illa non sit causa mystici corporis Christi, attamen instrumentalis causa est fidei corporis hujus. Hæc Richardus.

In idem videntur redire scripta Alberti de his. Scripta quoque Bonaventuræ dicentis, quod istud sacramentum est unum, non unitate simplicitatis, sed integritatis; non tamen integritatis factæ in tertio, sed relatæ ad complendum unum signum perfectum. Sunt quidem in isto sacramento duæ materiæ et duæ formæ verborum, sed ex his resultat unum signum perfectum et ordinatum ad unum, id est ad unionem mystici corporis designandam et efficiendam. Ratio demum hujus integritatis ac ordinationis dispositive progreditur a natura, quia nec panis est plene reficiens, neque vinum, sed ambo simul; completive vero est ab institutione divina, quæ duo ista instituit ad designandum et peragendum unam plenam refectionem spiritualem. Hæc Bonaventura.

Hinc in Breviloquio dicit, quod tamen sententialiter est inductum : Principium nostrum reparativum, Verbum incarnatum, sufficientissimum in virtute, sapientissimumque in sensu, sic nobis contulit sacramenta, prout exigit sapientia et sufficientia sua. Et quoniam sufficientissimum est, ideo in largiendo medicamenta morborum atque charismata gratiarum, non tantum instituit sacramentum quod nos in esse generaret, puta Baptismum, ac genitos roboraret et augmentaret, ut Confirmationem, verum etiam quod genitos et augmentatos conservaret ac enutriret, utpote Eucharistiam. Idcirco hæc tria sacramenta omnibus dantur. Quumque nutrimentum nostrum quantum ad esse gratuitum, attendatur in unoquoque fidelium per conservationem devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, et delectationis intra se ipsum ; et devotio ad Deum exerceatur per sacrificii oblationem, dilectio ad proximum per unius sacramenti communionem, et delectatio intra se ipsum per unius viatici refectionem : hinc Verbum incarnatum sacramentum Eucharistiæ dedit nobis in sacrificium oblationis, sacramentum communionis et viaticum refectionis. Hæc idem. — Concordat Argentinensis, aliique communiter, et Durandus.

Additque Scotus : Congruum est Christum esse nobiscum in hoc sacramento realiter, ut magis excitetur unusquisque ad reverentiam ac devotionem ad Christum. Quod patet de facto, quoniam omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad istud sacramentum. Propter hoc enim clerus cum majori devotione persolvit divinum officium in ordine ad Missam. Propter hoc quoque populus Missam audit devotius quam aliquod aliud ecclesiasticum officium. Propter hoc etiam singuli devotius confitentur, et cum diligentia pleniori, quando intendunt secundum ordinationem Ecclesiæ saltem semel in anno communicare. Et istud durabit usque in finem
I Cor. xi, 26. mundi, juxta illud Apostoli : Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat ad judicium. Unde usque tunc durabit Ecclesia et Eucharistiæ sacramentum in ea, ut omnes Sancti affirmant. Hæc Scotus.

Postremo Guillelmus Parisiensis : Freti, inquit, auxilio Dei, conabimur loqui de sacratissima Eucharistia, cujus ineffabilitati et admirabilitati nullus sufficit intellectus, nulla loquela. Dicimus ergo, quia si cura est Deo etiam minutissimis atque vilissimis animalibus providere de nutrimento, multo plus cura est ei de alimento rationalis creaturæ, quam non decet habere aliud caput quam Deum, nec alio spiritu vivere, nisi spiritu Dei, vita gratiæ in præsenti. Ergo cibus ejus est Deus. Si enim quod nutrit et sustentat vitalem calorem in corpore animalis, vere est cibus ipsius : ergo quum divina bonitas præfatum calorem vivificet et nutriat sola, constat ipsam esse verissimum ejus cibum. Quid autem est vitalis calor in hujusmodi mystico corpore, nisi sincerus et sanctus amor, et amicitia sancta, qua fideles Deo adhærent, invicemque cohærent, ac totis viribus invicem obsequuntur ae subserviunt ? Divina etenim bonitas veros suos amatores in tantum sibi adstringit et alligat, ut propter ipsam etiam sibi invicem inseparabiliter cohæreant. Deus ergo, qui sua deitate sic reficit suorum spiritus amatorum, naturam eorum assumpsit, qua ipsos quoque sub sensibili forma nutriret ; atque sub talibus speciebus se eis manducabilem præbuit, quæ eorum naturæ magis conveniunt ad edendum : et hoc est sub formis panis ac vini, prout de his infra magis dicetur.

QUÆSTIO II

SEcundo hic quæritur, **Utrum sacramentum Eucharistiæ fuit in lege naturali ac scripta præfiguratum.**

Videtur quod non, quia si sic, possent A Judæi ex sua lege, gentiles quoque ex lege naturæ, induci ad fidem sacramenti istius, quod non videmus. — Item, figuratum est clarius ac notius sua figura, quum jam fuerit exhibitum et ostensum. Sed isto sacramento nihil obscurius, nil incomprehensibilius exstat : ergo non fuit præfiguratum per agnum paschalem et consimilia, quæ in se clara fuerunt.

Ad hoc respondet Albertus : Quatuor sunt sacramenta quæ præcipue ad novum B pertinent Testamentum, puta Baptismus, Confirmatio, Eucharistia et Unctio Extrema. Alia tria in veteri Testamento et lege naturæ quodammodo exstiterunt, ut Matrimonium, Pœnitentia et Ordo ; tamen quantum ad plenitudinem suorum effectuum, non sunt nisi legis evangelicæ sa-
Cf. p. 85 C'. cramenta, ut declaratum est supra. Porro inter quatuor illa quæ novi sunt Testamenti, quædam ita sunt novi, quod nullam expressam figuram habere potuerunt in veteri : unum quidem propter veteris Te- C stamenti imperfectionem, ut Confirmatio, in qua datur quædam plenitudo Spiritus Sancti ad robur; aliud vero propter statum originalis peccati, cujus pondere ante Christi passionem etiam Sancti trahebantur ad limbum. Hinc Extrema Unctio non habuit ibi figuram, quoniam unctio ista tollit peccati reliquias, quatenus unctus mox evolet ad gloriam. Baptismus autem et Eucharistia sunt sacramenta quorum unum directe est contra originale peccatum, contra quod in veteri lege remedium D fuit circumcisio : ideo Baptismus figuras habuit multas. In Eucharistia quoque conjungitur nobis Salvator, qui in sacramentis omnibus operatur : ideo conveniebat multas illius figuras præcedere. Pœnitentia autem est contra defectum actualis peccati : qui defectus in omni lege communis est. Matrimonium vero fuit ad materialem hominum multiplicationem, quæ semper necessaria fuit : ideo semper fuerunt illa sacramenta, quamvis non tam plena gratiæ sicut modo. Ordo demum potestatem habet spiritualem, quæ in umbra fuit in veteri Testamento, et in veritate in novo. Verumtamen fuerunt et aliæ figuræ passionis Christi, atque effectus hujus sacramenti, quam hæ quas ponit Magister fuisse figuras sacramenti istius; sed istæ quas ponit Magister, specialiter figurabant hoc sacramentum secundum quod sub sacramentalibus sumitur figuris. Hæc Albertus.

De quibus Thomas clarius scribit : Sacramenta, inquiens, novæ legis tripliciter habent se ad veterem legem. Quædam namque essentialiter fuerunt in veteri lege, quamvis non ut sacramenta novæ legis, sed magis ut sunt in officium vel in actum virtutis, ut Pœnitentia, Matrimonium, Ordo. Quædam vero fuerunt secundum aliquid eis correspondens, non essentialiter, ut Baptismus et Eucharistia. Quædam autem, ut Confirmatio et Extrema Unctio, nihil habebant eis expresse correspondens : unde nec expresse præfigurata fuerunt; similiter nec tria prima, sed media duo, ut Eucharistia et Baptismus. Præfiguratio quoque Eucharistiæ magis necessaria fuit quam Baptismi : tum ratione suæ dignitatis, tum ratione difficultatis, tum propter necessitatem fidei ejus quod in Eucharistia figuratur.

Præterea, si quæratur, an Magister sufficienter exprimat figuras Eucharistiæ ; respondendum, quod aliquid potest præfigurari dupliciter. Primo per id quod est signum et causa ipsius : sicque effusio sanguinis et aquæ de latere Christi figura fuit sacramenti istius. Secundo per id quod est signum dumtaxat : et ita, quantum ad id quod est tantummodo sacramentum in Eucharistia, fuit ejus figura oblatio Melchisedech; *Gen.* xiv, 18. sed quantum ad id quod est res et sacramentum, videlicet Christum, fuit ejus figura agnus paschalis; *Exod.* xii, 3. quantum vero ad id quod est res tantum, utpote gratiam, figura exstitit manna quæ reficiebat, omnem habens suavitatis saporem. *Sap.* xvi, 20. Quamvis demum in veteri lege fuerint

materialiter plures hujus sacramenti figu- A ræ, omnes tamen reducuntur ad istas, quia in omnibus sacrificiis et oblationibus antiquorum significabatur id quod est res et sacramentum in Eucharistia, quod etiam significatur per agnum paschalem, scilicet Christus, qui se obtulit Deo Patri pro nobis. Vel dicendum, quod istæ figuræ repræsentant corpus Christi secundum quod est in usu fidelium : quod patet de oblatione Melchisedech, qui panem et vinum edendum obtulit Abrahæ. Similiter, agnus paschalis edendus a populo occidebatur; B manna quoque ad esum populo concedebatur a Deo; item aqua sanguini mixta fluxit de latere Christi, significans populum sanguini Christi communicantem. Sic autem non est in sacrificiis aliis : ideo quamvis sint figuræ passionis Jesu Christi, non tamen istius sacramenti. Fit autem in canone Missæ mentio de oblatione Abel et Abrahæ magis propter offerentium devotionem, quam propter rei oblatæ figuram.

Quæritur item, utrum expressius fuit C præfiguratum hoc sacramentum in lege naturæ quam Moysis. Respondendum, quod quantum ad id quod est signum tantum in hoc sacramento, expressior ejus figura fuit oblatio Melchisedech quam figuræ legis Mosaicæ; sed quoad id quod est res et sacramentum, evidentior fuit figura Mosaicæ legis, qua Christus passus expressius significabatur. Quumque ritus sacramenti in exterioribus signis consistat, sacerdotium Christi quantum ad ritum magis convenit cum sacerdotio Melchisedech quam D cum saeerdotio Levitico; et etiam quantum ad alias conditiones Melchisedech, *Hebr.* VII. quas Apostolus plenius prosequitur ad Hebræos. — Hæc Thomas in Scripto.

Insuper in tertia parte, quæstione sep- art. 6. tuagesima tertia : In hoc (ait) sacramento tria considerantur. Primum est id quod est sacramentum tantum, quod est panis et vinum, seu potius species eorumdem. Secundum est id quod est res et sacramentum, videlicet verum corpus et sanguis Christi. Tertium est id quod est res tantum, quod est sacramenti hujus effectus. Quantum ad primum, potissima ejus figura fuit oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum. Quantum ad secundum, figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia veteris legis, præsertim sacrificium expiationis, quod solennissimum fuit. Quantum ad tertium, præcipua ejus figura fuit manna, quod continebat in se omnis saporis sua- *Sap.* XVI, 20. vitatem, sicut et gratia hujus sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. Porro agnus paschalis quantum ad omnia præfiguravit hoc sacramentum. Nam quantum ad primum præfiguravit, quia manducabatur cum azymis panibus, ut in Exodo *Exod.* XII, 8. legitur. Quantum vero ad secundum, quoniam immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quartadecima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum etiam ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel ab angelo devastante, atque educti de Ægyptiaca servitute. Hinc agnus paschalis vocatur præcipua hujus sacramenti figura. Hæc Thomas in Summa. — In quibus continentur scripta Petri, Richardi, Durandi et Argentinensis de ista materia.

Bonaventura quoque : Magister, inquit, sufficienter assignat figuras sacramenti hujus secundum suam intentionem, videlicet in respectu ad leges desuper datas. Namque ad legem naturæ ponit pro figura sacrificium Melchisedech; respectu legis Moysis, manna et agnum paschalem; respectu legis gratiæ, sanguinem passionis Domini Jesu Christi. Sicque patet sufficientia figurarum istarum per comparationem ad leges divinitus derivatas, quæ non sunt nisi tres. Sunt quoque sufficienter figuræ, si attendamus ad ea quæ præfigurantur. In hoc etenim sacramento est visibilis forma panis et vini, quæ præfiguratur in sacrificio Melchisedech; res contenta, videlicet caro Christi, quæ præfigurata est in agno paschali; res significata tantum, quæ significatur per manna; virtus dans

efficaciam sacramento, quæ significatur in sanguine lateris Christi. Hæc Bonaventura.

QUÆSTIO III

Tertio quæritur, **Utrum hoc sacramentum fuit convenienter opportunoque tempore institutum.**

Videtur quod non, quoniam omnis Christi actio, nostra est instructio. Si ergo post cœnam convenienter sacramentum istud instituit, sequeretur quod servi et subditi ejus deberent illud post refectionem consecrare, celebrare ac sumere. — Rursus, sacramentum istud institutum est in memoriam passionis mortisque Christi, et caritatis quam nobis in sua passione monstravit : ergo post Christi passionem fuit instituendum.

Ad hoc Bonaventura respondet : Institutio istius sacramenti divinam decuit bonitatem, quæ sui est diffusiva, ut sicut ostensa fuit in nostræ assumptione naturæ, et in quatuor modorum generationis impletione, hoc est, in productione Adæ (*Gen.* II, 7, 22.) de terra, et in formatione Evæ virginis de costa virginis Adæ, et in propagatione posterorum ex complexu viri ac feminæ, et in generatione Christi ex sacratissima Virgine; sic decuit ut impleret modos essendi in aliis, qui sunt tres. Nempe, secundum deitatem est in omnibus per essentiam, præsentiam et potentiam ; in sanctis per gratiæ inhabitationem; in Christo per hypostaticam unionem. Ut item impleret tres modos exsistendi in rebus secundum assumptam humanitatem : quia localiter est in cœlo, personaliter in Verbo æterno, sacramentaliter in altari. Insuper decuit infinitam Dei sapientiam providere homini lapso idoneam medicinam : quatenus sicut homo lapsus fuit per esum ligni scientiæ, ita resurgeret per esum ligni vitæ. Idem demum decuit divinam

A potentiam, quæ maxime in hoc ostenditur sacramento, et in mirabilibus quæ fiunt in eo. Insuper expediens valde fuit institutio sacramenti hujus nostræ infirmitati, propter multiplicem fructum et saluberrimas utilitates quas inde consequimur. Institutum est enim in memoriam dominicæ passionis, et dilectionis Christi ad nos. Maxime autem promeremur tam incomprehensibilia hujus sacramenti credendo; atque ex tam gratiosa et pia præsentia Christi nobiscum, sublevatur spes
B nostra, quod et minora petentibus largietur, et tandem se ipsum clare in specie et rc. Ex tanta etiam Christi ad nos præveniente caritate, liberalitate ac pietate, dilectio in nobis ad ipsum accenditur, ac valide inflammatur. Hæc Bonaventura.

Denique non debuit sacramentum istud institui ante Salvatoris adventum ac evangelicam legem, quæ lex gratiæ appellatur. Est enim hoc sacramentum maximæ gratiæ contentivum, atque dominici corporis vere realiter servativum, et vinculum ca-
C ritatis : ideo tempori caritatis et gratiæ congruit, nec ante adventum Filii Dei erant humano generi tam gratiosa auxilia, tam perfecta sacramenta, tam divina charismata impendenda, sicut post Incarnationem. Amplius, quum hoc sacramentum contineat verum Christi corpus et vere sit cibus, atque præcipuum signum amoris, ac memoriale dominicæ passionis, præsertim condecuit ipsum passione instante, in ipso tempore cœnæ institui, imminente recessu : in recessu namque solent caritatis in-
D dicia exhiberi. Non tamen sumendum est hora refectionis corporeæ, neque post cœnam, sed cum reverentia maxima, stomacho sobrio ac jejuno. Nec eadem conveniunt rei institutioni, ac prosecutioni seu frequentationi. Hæc idem.

Hinc Thomas : In quolibet (inquit) genere actionum in quo sunt plures actiones ordinatæ, diversis agentibus ordinatis distributæ, oportet quod principalis actionum illarum attribuatur principali agenti, cujus virtute alii aguut. Quumque diversæ

sint actiones sacramentales, diversis sa- A cramentis convenientes, ex Verbo incarnato vim suam habentes, oportet unam actionum illarum principali agenti attribui : ideo oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, continens Verbum incarnatum, ceteris sacramentis ejus virtute agentibus. Hinc in figura cibi congruenter est sacramentum hoc institutum. Nam inter alios sensus solus tactus est cui suum objectum realiter jungitur; gustus autem est quidam tactus. Ac inter alia ad tactum spectantia, solus cibus est qui agit per con- B junctionem suam realem ad cibatum, quoniam nutriens et nutritum fiunt unum; alia vero tangibilia agunt per quasdam impressiones in illud quod tangitur, ut patet de calido et frigido. Quumque omne sacramentum sub similitudine elementi corporalis exhibeatur, istud sacramentum sub specie alimenti proponitur : alimenti, inquam, non convertendi in nos, sed conversivum nostri in ipsum. Et quoniam Christus in hoc sacramento personaliter atque realiter continetur, non fuit hoc sa- C cramentum in veteri lege instituendum, quia tunc Christi incarnatio solum promittebatur.

Porro in Cœna decuit sacramentum istud institui. Primo, quia ad nostram perfectionem exigebatur ut caput nostrum nobiscum esset ac permaneret secundum utramque naturam : ideo quando per corporalem præsentiam fuerat se abstracturus, recte sacramentalem præsentiam istam instituit. Secunda ratio sumitur ab ejus figura. Christus namque quamdiu in D mundo conversatus est, figuras legis voluit observare, factus sub lege; (*Galat.* IV, 4.) et quoniam veniente veritate, cessat figura, non debuit hoc sacramentum institui nisi instante Christi recessu, quando figuræ legis fuerant terminandæ. Tertia ratio sumitur a repræsentatione sacramenti istius. Est enim repræsentativum dominicæ passionis : ideo passione de proximo imminente est institutum. Quarta ratio sumitur ex ritu quo est frequentandum, ut scilicet ultimo traditum, magis commendetur memoriæ. — Hæc Thomas in Scripto.

In quibus aliorum scripta satis videntur includi. Aliqua tamen objici possent. Semper enim viatores indiguerunt spirituali ac sacramentali refectione atque viatico, medicinaque mentis. Quum ergo sacramentum hoc appelletur viaticum, refectio, medicina, videtur quod a principio debuit esse. Et respondendum, quod summa et infinita sapientia Dei cuncta sapientialiter agit. Hinc secundum varietatem temporum ac statum dispositionemque hominum, diversa concessit sacramenta hominibus. Unde tempori sui adventus, tempori gratiæ ac evangelicæ legis, diviniora et perfectiora providit ac contulit sacramenta, ut supra expositum est. (dist. II, q. 2.) Semper tamen aliqua sacramenta, medicamina, et interna viatica ac gratiarum charismata dedit hominibus. Passio quoque Christi hoc fecit futura et credita, quod nunc agit impleta.

Postremo Antisiodorensis : Multiplex, ait, est causa institutionis sacramenti istius. Prima est commemoratio passionis Christi, quemadmodum dixit : Hoc facite in meam commemorationem. (*Luc.* XXII, 19.) Quæ triplex est : prima est commemoratio caritatis quam Christus nobis monstravit moriendo pro nobis, juxta quod loquitur : Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; (*Joann.* XV, 13.) secunda est commemoratio liberationis qua nos redemit a servitute diaboli et peccati, et a captivitate inferni; tertia est commemoratio imitationis qua Christi vestigia sequi debemus, (I *Petr.* II, 21.) et virtutes quas nobis in sua passione ostendit : sicque intelligitur illud Apostoli, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, (*Galat.* VI, 14.) id est, in amore quem mihi in sua crucifixione pro me manifestavit, et in liberatione qua me per suam crucem redemit, et in imitatione virtutum quas me in sua docuit passione. Secunda ratio institutionis hujus est meritum fidei. Tertia, sublevatio spei, sicut præhabitum est. (*Cf.* p. 210 A'.) Quarta est instructio nostra, ut discamus ea quæ fidei sunt in

sacramento perpendere, ponderare, reve- A
1 Cor. v, 8. reri, ac grati consistere. Quinta est, ut epu-
lemur in azymis sinceritatis et veritatis, id
est, spiritualiter delectemur in nostræ re-
demptionis mysteriis, atque in sacra com-
munione, in contemplationibus mirabili-
um Salvatoris. Nempe de hoc sacramento
Sap. xvi, 20. verissime dicitur : Panem de cœlo præsti-
tisti eis, sine labore, omne delectamentum
in se habentem et omnis saporis suavita-
tem. Delectat etenim visum interiorem per
pulchritudinem spiritualem, auditum men-
talem per melodiam internam, juxta il- B
Ps. lxxxiv, 9. lud : Audiam quid loquatur in me Domi-
nus Deus. Delectat olfactum per sacrum
Cant. i, 3. odorem, secundum illud in Canticis : Cur-
remus simul in odorem unguentorum tuo-
rum. Delectat et gustum per occultam sua-
Ps. xxxiii, 9. vitatem, juxta illud in Psalmo : Gustate et
videte quoniam suavis est Dominus. De-
lectat etiam tactum spiritualem per Verbi
æterni contrectationem. Sexta causa est,
ut homo qui per esum vetiti ligni corru-
erat, per esum ligni vitæ salubriter revivi-
scat. Septima est, ut sit in remedium quo- C
tidianarum venialiumque culparum. Hæc
Antisiodorensis in Summa, libro quarto.

Sunt autem et causæ aliæ altiores, ut scilicet Christus homo indesinenter et maxime Deum Patrem, imo totam superbeatissimam Trinitatem veneretur, tanti sacrificii jugi oblatione : in qua bonitas, caritas, misericordia Dei ad homines, beneficia et promissa ipsius commemorantur; laus, gratiarum actio et reverentia omnium fonti bonorum devotissime exhibentur, humanoque generi multipliciter, D imo ineffabiliter subvenitur, et ipsa Ecclesia mirabilissime ditatur, ornatur, munitur.

QUÆSTIO IV

Quarto quæritur, **An quælibet sumptio alimentorum, medicinarum et confectionum, impediat tanti sacramenti celebrationem et communionem.**

Videtur quod non, quoniam Christus et discipuli post cœnam sacramentum istud sumpserunt. — Secundo, nam moderata refectio et vini potatio frequenter ad devotionem disponit. — Tertio, multi ex præcedenti jejunio confecti inedia, ad devotionis exercitia sunt inepti : talibus ergo expediret ante sacramenti perceptionem aliquanto cibo ac potu refocillari. — Quarto, aliqua talia non nutriunt, nec trajiciuntur in ventrem, sed consumuntur in ore : ergo non frangunt jejunium.

Ad hæc Thomas respondet : Hoc sacramentum solum suscipi debet a jejunis, nisi imminente mortis articulo, ne contingat decedere sine viatico. Et istud servandum est in tanti reverentiam sacramenti. Primo, propter sanctitatem et dignitatem sacramenti istius, quatenus os quo suscipi debet, non sit prius alio cibo imbutum, sed quasi novum et purum ad ejus servetur susceptionem. Secundo, propter devotionem quæ exigitur ex parte recipientis, et attentionem, quæ impediri solet ex cibis ac potibus. Tertio, propter periculum vomitus seu cujuscumque hujusmodi. — Cur autem Christus sumpsit, discipulisque porrexit hoc sacramentum post cœnam,
expressum est, quia sic competebat insti- Cf. p. 210 D'.
tutioni, non autem sic convenit prosecutioni et usui.

Sed objici potest illud Apostoli : Dum 1 Cor. xi,
convenitis ad manducandum, invicem ex- 33, 34.
spectate; si quis autem esurit, domi manducet. Et loquitur de manducatione corporis Christi : ergo postquam quis manducavit domi, potest communicare. In Decreto quoque, de Consecratione, habetur : Sacramenta altaris non nisi a jejunis celebrentur, excepto anniversario die quo Cœna Domini celebratur. — Dicendum ad primum, quod Apostolus non intendit quod fideles post cibos sumptos in domo, accipiant in ecclesia corpus Christi, sed reprehendit Corinthios quia hunc cibum volebant cibis

aliis commiscere quos in ecclesia sumpserant. Ad secundum, quod forte Ecclesia quandoque sustinuit in die Cœnæ sumi corpus dominicum post alios cibos, in commemorationem dominicæ Cœnæ : quod abrogatum est per contrariam consuetudinem; vel loquitur quantum ad adstantes qui non sumunt.

Præterea, quia ad reverentiam sacramenti hujus istud est institutum, quod os suscepturi illud quasi novum ad ipsum accedat; ideo sicut quantalibet sumptio cibi aufert hanc novitatem, sic impedit B Eucharistiæ sumptionem, excepto necessitatis articulo. Verumtamen duplex est jejunium, puta naturæ atque Ecclesiæ. Jejunium naturæ est quo quis jejunus dicitur ante cibum sumptum illo die, quamvis postea eodem die comedat sæpe. Jejunium Ecclesiæ est quo quis jejunat secundum modum ab Ecclesia institutum : quod jejunium manet post unam comestionem, nec solvitur nisi per secundam sumptionem eorum quæ in cibum et potum accipi solent. Hinc ea quæ accipi solent propter C cibos digerendos, ut electuaria, vel deducendos per membra, ut potus vini aut aquæ, non solvunt hoc jejunium, quamvis aliquo modo nutriant. Jejunium autem naturæ exigitur ad debitam Eucharistiæ sumptionem. Propterea secundum communem sententiam, electuaria et vinum ante sumpta, ab Eucharistiæ sumptione impediunt. Sed de aqua opinio est diversa. Nam aliqui dicunt, quod quum nullatenus nutriat, non solvit jejunium naturæ neque Ecclesiæ. Verum quamvis aqua per se non D nutriat, tamen mixta in stomacho nutrit, quia oportet quod aliis humoribus misceatur, sicque potest cedere in nutrimentum. Ideo alii probabilius atque securius dicunt, quod post aquæ potum non est Eucharistia sumenda. Denique jejunium naturæ vocatur per privationem actus comestionis, secundum quod comestio potationem includit. Comestio autem principaliter dicitur ab exteriori cibi sumptione, quamvis terminetur ad trajectionem cibi

A in ventrem, et ad nutritionem. Hinc ea quæ intra geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere naturæ jejunium, nec impedire Eucharistiæ perceptionem, ut deglutitio salivæ. Et idem videtur de his quæ remanent inter dentes, et item de eructationibus.

Quæritur quoque, an statim licet comedere post sacramenti sumptionem. Dicendum, quod secundum consuetudinem Ecclesiæ, propter reverentiam tanti sacramenti, post ejus sumptionem homo debet in gratiarum actione persistere : ideo debet esse aliquod intervallum inter communionem et aliorum ciborum sumptionem. Non tamen magnum intervallum requiritur; quamvis in primitiva Ecclesia, propter paucitatem sacerdotum, diuturnior mora post communionem ante corporalem refectionem protrahebatur, quia et tunc Missarum solennia rarius celebrabantur, et ita in Decreto loquuntur jura antiqua. Hæc Thomas in Scripto. — Concordant Albertus, Petrus, Richardus, et alii. Et addit Richardus, similiter et Petrus de Palude : Si sacerdote os lavante, modicum aquæ introeat, non credo ob hoc a celebratione abstinendum, quia non impedit debitam præparationem presbyteri, nec reverentiam sacramenti. Et ut alii dicunt, non sumitur per modum potabilis.

Consonat et Durandus, ac addit : Quamvis principium diei a diversis diversimode capiatur (nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam ab ortu solis incipiunt diem), Ecclesia tamen incipit diem a media nocte : ideo si post mediam noctem aliquis quippiam sumpserit per modum cibi aut potus, non potest eodem die hoc sumere sacramentum. Hæc Durandus.

Postremo Argentinensis et Scotus, præter articulum mortis probabiliter imminentis, ponunt alium casum in quo liceat sacerdoti consecrare et sumere sacramentum soluto naturæ jejunio, ut si sacerdos sumpto corpore, et intendens sanguinem sumere, inveniat in calice non vinum, sed aquam fuisse. Tunc enim tenetur vinum

infundere, et de novo sanguinem consecrare ac sumere : quoniam præceptum de non consecrando corpore sine sanguinis consecratione, majus est et fortius ligat quam præceptum de jejunio naturæ non solvendo ante communionem; ideo in hoc casu hoc præceptum non ligat.

QUÆSTIO V

QUinto quæritur, **An forma consecrationis corporis Christi vere ponatur hæc esse : Hoc est enim corpus meum.**

Videtur quod non, quia conjunctio illa causalis, enim, non fuit a Christo expressa, sed a B. Petro est addita, ut concorditer tenent doctores. — Præterea, sacramenta novæ legis constant ex materia seu materiali elemento, et certa forma verborum; sed hoc in sacramento Eucharistiæ locum non habet, quia cessante verborum prolatione, permanet verum et integrum sacramentum. — Insuper, forma hæc non videtur posse verificari. Dum enim sacerdos profert hæc verba, nondum est ibi corpus Christi, sed in termino seu ultimo instanti prolationis. Et quæritur, quid demonstret pronomen istud, hoc. Si enim demonstrat panem qui tunc ibi est, non esset oratio vera, quum panis ille non sit corpus Christi. Amplius, secundum evangelicæ veritatem historiæ Christus dixit hæc verba, *Marc.* XIV, 22. porrigendo corpus suum discipulis : ergo tunc facta fuit consecratio illa ante prolationem verborum.

In oppositum est auctoritas sanctæ matris Ecclesiæ, quam Spiritus Sanctus decipi non permittit.

Circa hæc scribit sanctus Doctor : Oportet ut per formam cujuslibet sacramenti exprimatur id in quo substantia sacramenti consistit, sicut in forma Baptismi ablutio exprimitur qua Baptismi perficitur sacramentum. Tota autem perfectio sacramenti A istius in ipsa materia et ejus consecratione consistit, quæ est per transsubstantiationem panis in corpus Christi : quam transsubstantiationem exprimunt verba, Hoc est corpus meum; ideo verba hæc forma sunt sacramenti istius.

Porro de hoc, an Christus consecravit proferendo hæc verba, sunt quatuor opiniones. Una, quod Christus habens potestatem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit potestate divina, ac postea formam B expressit in qua ceteri consecrarent. Hanc opinionem tangit Innocentius, dicens : Sane dici potest, quod Christus divina virtute confecit, et postea formam expressit sub qua posteri benedicerent. Sed hoc non videtur conveniens, quia in textu Evangelii dicitur, Benedixit : quod aliquibus verbis *Matth.* XXVI, 26. factum videtur. Innocentius autem loquitur opinionem narrando, sive tangendo ordinem quo virtus consecrationis a Christo, in quo primo erat, est derivata ad formam. — Hinc alii dicunt, quod confecit sub C quadam forma verborum, non tamen sub ista, sed sub alia nobis ignota. Quod inconveniens esse videtur, quia sacerdos sub his verbis conficiens, profert ea ut tunc a Christo prolata : unde si tunc in eis non fiebat confectio, nec fieret modo. — Propterea alii dicunt, quod confecit sub verbis his, sed bis protulit ea : primo tacite, quum benedixit; secundo aperte, quando distribuit, ut formam consecrandi traderet aliis. Quod etiam inconveniens videtur, quia non proferuntur a sacerdote conse- D crante in persona Christi, ut in occulto prolata. Non enim benedixit dicens, Hoc est corpus meum; sed dedit discipulis dicens, Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum. — Ob hoc alii melius dicunt, quod Christus semel tantum protulit ea, et eis semel prolatis consecravit, et formam dedit. Hoc namque participium, dicens, non importat concomitantiam solum ad verbum hoc, dedit, sed ad hoc cum aliis, ut sit sensus : dum benedixit et fregit et dedit discipulis, ver-

ba hæc protulit, Accipite, etc. Vel secundum quosdam, Evangelista non servavit ordinem verborum quo prolata fuerunt a Domino. Ordo etenim fuit talis : Accepit panem et benedixit dicens, Accipite. Primum tamen est melius.

Denique, quum aliorum sacramentorum perfectio in usu consistat materiæ, et hujus in materiæ consecratione; ideo forma in aliis sacramentis est in verbis quæ dicuntur in usu sacramenti, in hoc autem sacramento forma sacramenti est in verbis quæ dicuntur in consecratione materiæ. — Hoc etiam advertendum, quod in hoc sacramento, sicut in aliis, duo sunt, scilicet consecratio materiæ, et usus materiæ consecratæ : quæ duo exprimuntur per verba Christi, qui dicendo, Accipite et manducate, præcepit usum sacramenti istius; atque dicendo, Hoc est corpus meum, tradidit et peregit materiæ consecrationem. Quumque consecratio materiæ ordinetur ad usum fidelium, ideo usus præmittitur in consecratione sacramenti, quamvis in exsecutione sequatur, quoniam finis est prior in intentione et cognitione, et ultimus in exsecutione et operatione. Attamen, quia (ut dictum est) usus materiæ in hoc sacramento non est de essentia sacramenti, sicut in aliis; ideo verba illa quæ spectant ad usum ejus, non sunt de forma ipsius, sed solum illa quæ ad consecrationem pertinent, utpote, Hoc est corpus meum. Verumtamen, quamvis usus sacramenti hujus non sit de ejus essentia, pertinet tamen ad completum esse ipsius, in quantum pertingit ad hoc ad quod institutum est, ut scilicet a fidelibus accipiatur : idcirco interdum dicuntur esse de forma sacramenti istius, non solum quæ pertinent ad consecrationem, sed etiam illa quæ respiciunt usum ipsius. Sicque
Cf p.202C. Ambrosius dicit, quod Christus visibiles creaturas convertit in corpus suum dicens : Accipite et comedite, etc.

Insuper in forma consecrationis panis difficultatem facit et quæstionem, quid pronomen istud, hoc, demonstret. Itaque
A cognoscendum, quod minister in sacramentis dupliciter operatur : primo, verba pronuntiando; secundo, actum exteriorem aliquem exercendo, ut in Baptismate patet. Et utrumque horum est instrumentalis causa ejus quod perficitur virtute divina quæ latet in sacramentis. Causa autem sacramentalis significando efficit. Idcirco in sacramentis illis in quibus utroque modo operatur minister, oportet ut verba prolata significent actum exercitum, et actus exterior significet interiorem effectum, quem-
B admodum in Baptismo ablutio exterior interiorem ablutionem designat. Ubi ergo minister non operatur nisi verba pronuntiando, oportet quod verborum significatio immediate referatur ad id quod ibi efficitur. In hoc autem sacramento, quod consistit in consecratione materiæ, minister non habet actum nisi pronuntiationem verborum, sicut nec in aliqua alia materiæ sanctificatione. Unde oportet quod verba formæ significent hoc quod in secreto facit virtus divina; et hoc est, corpus Chri-
C sti esse sub illis speciebus : ideo hæc est forma huic sacramento conveniens, Hoc est corpus meum. Itaque in hoc sacramento non geritur aliquid a ministro quod sit de essentia ejus. Quemadmodum autem in operibus artis et naturæ requiritur inter faciens et factum similitudo secundum formam naturalem aut artificialem; ita in causis sacramentalibus requiritur assimilatio vel repræsentatio per modum significationis. Hinc verba in hoc sacramento non debent significare ipsam factionem
D vel transsubstantiationem ut in fieri, sed ut in factum esse : ideo ista non esset forma hujus sacramenti conveniens, Hoc fit corpus meum, quia per hoc non significatur aliquid esse vel non esse; similiter nec hæc, Hoc mutetur vel transsubstantietur in corpus meum, quoniam hoc quod est principaliter in hoc sacramento intentum, non significatur esse vel non esse.

Præterea, juxta nunc tacta, verba formæ sacramenti istius significare debent transsubstantiationem ut in factum esse : cujus

transsubstantiationis extrema seu termini sunt duæ substantiæ. Ideireo in verbis formæ hujus signifieantur duo termini transsubstantiationis et ipsa transsubstantiatio ut in termino suo per verbum essendi. In termino autem transsubstantiationis, substantia quæ erat terminus *a quo,* non manet quantum ad naturam suam specificam, sed solum quantum ad accidentia quibus ejus individuatio eognoscebatur ; substantia vero quæ est terminus transsubstantiationis *ad quem,* integre eontinetur in sacramento quoad naturam suæ speeiei, et quantum ad aeeidentia propria. Ideo ex parte termini *a quo,* non ponitur id quod signifieet naturam speeiei, sed pronomen demonstrativum, quod notificat individuationem per aeeidentia prout eadunt sub sensu ; ex parte autem termini *ad quem,* ponitur nomen designans naturam speeiei, et pronomen non demonstrativum hujus substantiæ prout est sub saeramento, sed prout est Christi in propria speeie visibilis, quia sie verba formæ pronuntiavit. Unde patet quod eongrue forma ista consistit in his quatuor verbis : Hoe est corpus meum.

Si autem quæratur, quid designat ly hoc ; dieendum, quod de hoc multiplex exstat opinio. Quidam enim dicunt, quod nullam facit demonstrationem, quia materialiter sumitur, eo quod verba illa reeitative proferantur a saeerdote. Quod stare non valet, quia sie verba illa ordinem nullum haberent ad materiam ibi præsentem, et ita non fieret saeramentum, quum tamen asserat Augustinus : Aeeedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Eadem quoque diffieultas manet de verbis istis prout fuerunt a Christo prolata. — Hinc alii dieunt, quod faeit demonstrationem ad intellectum, ut sit sensus, quod per hune panem vel per has species significatur, est corpus meum. Nee hoe potest salvari, quia quum in saeramentis non effieiatur nisi quod per verba significatur, sequeretur quod virtute dietorum verborum non fieret eorpus Christi in altari

A seeundum veritatem, sed tantum seeundum signifieationem, quod est hæreticum ; vel verba præmissa non essent forma saeramenti istius. Nee potest diei, quod intentio proferentis verba, faeit quod verbis his eonsecretur virtute divinitus data : quoniam virtus data sacramentis eonsequitur significationem, et ministri intentio non potest ad alium effectum saeramenta perducere, nisi qui eis significatur. — Ideo alii dieunt, quod ly hoc, faeit demonstrationem ad sensum, et demonstrat panem

B non simplieiter, sed secundum quod est transsubstantiatus in corpus. Sed eontra hoe est, quoniam panis transsubstantiatus, non est jam panis ; dumque profertur pronomen, hoe, nondum facta est transsubstantiatio, quia jam alia verba non essent de essentia formæ. Quum ergo ad sensum nequeat demonstrari quod actu non subest sensui, non poterit modo præfato demonstratio sumi : nisi dieatur, ut alii dicunt, quod totus sensus locutionis et omnium partium ejus, sit refcrendus

C ad ultimum instans pronuntiationis verborum, quia pro illo instanti pro quo res est, habet loeutio veritatem. Estque simile quum dieitur, Nunc taceo, vel, Nunc bibo, si statim taeere aut potare incipiat. Verum nee hoc stare potest, quia secundum hoc significatio horum verborum præsupponeret transsubstantiationem jam faetam, ergo virtute verborum non fieret : imo seeundum hoe sensus loeutionis esset, Corpus meum est eorpus meum : quod horum virtute verborum non fit.

D Hinc aliter est dieendum, quod scilieet ea quæ sunt in voee, proportionantur his quæ exsistunt in anima. Conceptio autem animæ duobus modis se habet. Primo, ut repræsentatio rei tantum, sicut est in omnibus cognitionibus acceptis a rebus : sicque veritas eonceptionis præsupponit rei entitatem tanquam propriam mensuram, ut deeimo Metaphysieæ dieitur ; atque per modum hujusmodi coneeptionum se habent locutiones quæ solum causa siguificationis proferuntur. Alio modo eoneeptio

animæ non est repræsentativa rei, sed magis præfigurativa, sicut exemplar factivum, ut patet in scientia practica, quæ est causa rei; et veritas hujusmodi conceptionis entitatem rei non præsupponit, sed naturaliter eam præcedit tanquam causa ipsius, quamvis simul sint tempore : et ad hunc modum se habent verba præmissa, quia sunt significativa atque factiva ejus quod significatur. Propter quod veritas et significatio hujus locutionis naturaliter præcedit entitatem rei quam designat, et non præsupponit ipsam, quamvis sit simul tempore cum eadem, sicut causa propria cum proprio effectu. Sed quia significatio et veritas locutionis, quæ est simul tempore cum transsubstantiatione, consurgit ex significatione partium successive prolatarum; idcirco oportet quod dictio ultimo prolata compleat locutionis significationem, sicut differentia specifica, et simul cum significatione fiat entitas rei; et per consequens significationes primarum partium præcedunt transsubstantiationem, quæ non fit successive, sed in instanti per significationem locutionis jam perfectæ. Itaque pronomen, hoc, non demonstrat transsubstantiationis terminum *ad quem* determinate, quia significatio locutionis præsupponeret entitatem rei significatæ, et non esset causa ipsius; nec rursus demonstrat terminum *a quo* determinate, quoniam ejus significatio impediret veritatem significationis totius locutionis, quum terminus *a quo* non remaneat in ultimo locutionis instanti : relinquitur ergo, quod demonstret id quod est commune utrique termino indeterminate. Quemadmodum autem in mutationibus formalibus, commune utrique termino est subjectum vel materia, distinguunturque termini per formas accidentales vel substantiales; ita in transsubstantiatione hac, commune est accidentia sensibilia quæ remanent, diversitas autem est substantiarum. Unde sensus est : Hoc contentum sub his speciebus est corpus meum. Et hoc est causa quare cum pronomine ly A hoc, non ponitur aliquod nomen, ne demonstratio ad aliquam speciem substantiæ determinetur. Sicut enim in locutione quæ significat tantum alterationem, per se subjectum est subjectum commune alterationis, ut quum dicitur, Hoc fit album; ita oportet quod in locutione quæ transsubstantiationem facit, subjectum sit hoc quod est commune in transsubstantiatione.

Præterea si quæratur, cur Christus potius dixit, Hoc est corpus meum, quam, B Hæc est caro mea, præsertim quum apud Joannem locutus sit, Caro mea vere est cibus, et ipse Christus in sacramento exhibeatur nobis ut cibus; dicendum, quod Christus apud Joannem loquitur de hoc sacramento solum secundum quod est ad actum refectionis, cui magis competit caro quam corpus. In forma vero sacramenti exprimi debuit essentia sacramenti et significatio ejus; ideo potius debuit dici corpus quam caro : tum quia essentialiter in hoc sacramento continetur ex vi sacra- C menti non solum caro, sed totum corpus Christi; tum quoniam sacramentum repræsentat significando Christi passionem, quæ fuit per totum corpus ipsius. Significat quoque mysticum corpus Christi tanquam rem ultimam, quod propter distinctionem officiorum habet similitudinem cum corpore toto ratione distinctionis membrorum. Panis autem non est figura rei contentæ in sacramento, secundum quod est corpus homogeneum, sed secundum quod ex diversis conficitur granis. D Hinc sua significatio magis aptatur ad totum corpus quam ad carnem.

Joann. VI, 56.

Insuper quæritur, an celebrans proferat verba hæc solum recitative, an etiam significative. Et respondendum, quod hoc sacramentum directe est repræsentativum dominicæ passionis, qua Christus ut sacerdos et hostia se obtulit Deo Patri in ara crucis. Hostia autem quam sacerdos offert in Missa, est una et eadem quam obtulit Christus, quoniam Christum realiter continet. Minister vero offerens non

est idem qui Christus, sed est idem repræsentatione. Ideo sacerdos consecrans, prout gerit Christi personam, profert consecrationis verba recitative ex Christi persona, ne videatur alia hostia. Et quia per ea quæ gerit respectu exterioris materiæ, repræsentat Christi personam; ideo verba illa simul recitative et significative tenentur respectu præsentis materiæ, quæ est figura illius quam Christus in Cœna præsentem habebat. Hinc convenientius dicitur, Hoc est corpus meum, quam, Hoc est corpus Christi. Vel etiam propter hoc quod sacerdos non habet actum exteriorem qui sit sacramentaliter vel instrumentaliter causa consecrationis, sed in solis verbis prolatis virtus consecrationis consistit; ideo ex illius proferuntur persona, cujus virtute fit transsubstantiatio.

Præterea quæritur circa hæc. Nam circa formam consecrationis quædam dicuntur quæ in Scripturis canonicis non habentur, ut quod Christus consecraturus hoc sacramentum, oculos elevavit ad cœlum; similiter in forma consecrationis sanguinis, ut infra dicetur. Et respondendum, quod multa a Christo sunt dicta et facta, a nullo Evangelistarum conscripta, ut patet apud
Joann. xxi, 25. Joannem. Unde ut Innocentius ait, quamvis in Evangelio non legatur, nec in Scriptura canonica, quod Christus in Cœna oculos ad cœlum levavit, Ecclesia tamen ex traditione Apostolorum hoc tenet, et rationabiliter ex aliis locis colligitur, quum
Ibid. xi, 41. apud Joannem legatur in suscitatione Lazari hoc egisse. Et rursus fertur in eodem:
Ibid xvii, 1. Sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Hoc quippe in arduis egit, gratias Patri agens, et nobis exemplum præbens. Quumque sacramentum istud arduissimum præstantissimumque consistat, probabile est quod Christus illud instituturus, oculos elevavit ad Patrem, regratiando de humani generis reparatione, quæ hoc sacramento figuratur. — Hæc Thomas in Scripto.

In tertia quoque parte, quæstione sep-
art. 1. tuagesima octava : Hoc (inquit) sacramen-

A tum differt ab aliis in duobus. Primo, quia perficitur in consecratione materiæ, alia in usu materiæ consecratæ. Secundo, quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quamdam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est animatum instrumentum, potest ad inanimata procedere instrumenta. In hoc autem sacramento consecratio materiæ consistit in miraculosa conversione substantiæ seu
B transsubstantiatione, quam solus Deus potest efficere. Hinc minister in hoc sacramento non habet alium actum nisi prolationem verborum. Quumque forma debeat esse conveniens rei, ideo forma hujus sacramenti differt ab aliorum formis sacramentorum in duobus. Primo, quod formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, ut baptizationem vel consignationem; sed forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit. Secundo,
C quoniam formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis actum, ut quum dicitur, Ego te baptizo; sive per modum imperantis, ut in sacramento Ordinis, quum dicitur, Accipite potestatem, etc.; sive per modum deprecantis, ut in sacramento Extremæ Unctionis, Per istam unctionem, etc. Forma vero hujus sacramenti profertur quasi ex persona Christi loquentis, ad insinuandum quod minister in perfectione hujus sacramenti nil agit, nisi quod profert
D verba.

Verum his objici potest, quia si ista est forma sacramenti istius, Hoc est corpus meum, ergo solis verbis illis prolatis a sacerdote cum intentione conficiendi super convenientem materiam, fit consecratio. — Respondendum, quod quidam hoc negant, dicentes alia verba, præsertim quæ sunt in canone Missæ, exprimi oportere. Quod constat esse falsum, quum dicat Ambrosius in libro de Sacramentis : Consecratio fit verbis et sermonibus Domini

Jesu : nam per cetera omnia quæ dicuntur, laus Deo offertur, etc. Item canon Missæ non est idem apud omnes, imo diversis temporibus diversa sunt addita. Ideo concedenda est illa instantia, quia intentio sacerdotis hoc ageret, ut verba illa intelligerentur quasi ex Christi persona prolata. Enormiter tamen peccaret sacerdos ita conficiens, utpote ritum Ecclesiæ non observans. Nec est simile de Baptismo, quia Baptismus sacramentum est necessitatis; defectum vero perceptionis Eucharistiæ potest supplere manducatio spiritualis, ut Augustinus testatur. — Hæc Thomas in Summa.

Qui etiam ait in Scripto de additione hujus conjunctionis, enim : Conjunctio ista importat in hac forma ordinem consecrationis ad usum materiæ consecratæ; ideo sicut verba spectantia ad usum hujus sacramenti, non sunt de ejus essentia, ita nec conjunctio ista, quæ tamen addenda est secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ a beatissimo Petro sumpsit initium. Nec est simile de hoc sacramento et aliis, quoniam verba formæ hujus proferuntur a ministro in Christi persona quasi recitative, ideo debet continuationem apponere ad recitationem præmissam : quam facit conjunctio, enim. Aliorum autem sacramentorum formæ ex persona proferuntur ministri, ideo non oportet in eis interponere aliquid quod non sit de forma ratione continuationis, quum absolute proferantur. Hæc ibi.

At vero Petrus : Forma, ait, est principium distinguendi. Eucharistia vero differt ab aliis sacramentis : primo, in hoc quod est speciale memoriale sui institutoris, quoad rationem significandi; secundo, in hoc quod continet ipsum essentialiter, quoad rationem causandi. Idcirco in forma hac utramque proprietatem oportuit designari. Propter primum ergo proferuntur hæc verba in persona Christi; propter secundum ponitur ibi verbum substantivum, non operativum. Quid autem demonstret ly hoc, diversa consistit opinio. Secundum Richardum vero in libro de Trinitate, est ibi demonstratio mixta seu duplex, videlicet partim ad sensum, et partim ad intellectum, ut sit sensus : Illud in quod hoc transmutandum est, est corpus meum. — Denique duplex est institutio hujus locutionis, Hoc est corpus meum : quædam humana, ad significandum tantum; quædam divina, ad efficiendum. Quemadmodum autem complementum significationis dependet a complemento orationis, sic et complementum efficientiæ. Unde transmutatio fit in ultimo prolatæ orationis instanti, quod est terminus temporis mensurantis orationem, et mensura termini ipsius operationis. Quumque causa naturaliter prior sit causato, transsubstantiatio quæ fit virtute completæ orationis, posterior est naturaliter ea, quamvis simul sit tempore : ideo respectu ejus bene potest designari per modum præsentialitatis, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, contentum sub hac specie, est corpus meum; vel per modum futuritionis, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, illud in quod hoc est transmutandum, est corpus meum. Fitque demonstratio in utroque sensu, non pro tempore in quo profertur, sed pro quo profertur, id est pro instanti transmutationis : sicut quum dico, Hoc est bonum verbum, Deum time, demonstratio monstrat rem non in tempore quo profertur, sed pro quo. Hæc Petrus.

Richardus, prædictis concordans, reprobat positionem quam sequitur Thomas quantum ad demonstrationem hujus pronominis, hoc, et sequitur responsionem Richardi de S. Victore, additque : Significatio nominis sive substantivi sive adjectivi non restringitur ad aliquam temporis differentiam : nempe secundum Donatum, tempus non est de accidentibus nominis. Quumque suppositio nominis fundetur super ejus significationem, ita quod nihil supponit nisi in quo salvatur suum significatum, et quodlibet tale, suppositum ejus est; idcirco per terminum istum, substantia, potest supponi substantia quæ est, vel

fuit, vel erit. Quum ergo secundum Donatum, ideo dicatur pronomen, quia pro nomine ponitur; demonstratum per istud pronomen, hoc, potest intelligi aliquid præsens, vel de propinquo futurum sub specie ista : nam secundum Donatum, pronomini non accidit tempus. Nec potest dici, quod restringatur per verbum præsentis temporis ad supponendum tantum pro illo quod præsens est sub specie illa, quum verbum futuri temporis restringere nequeat terminum ad supponendum pro re futura tantum. Nam quamvis res significata per verbum, sit immediate unita rei significatæ per suppositum, tamen significat per modum distantis. Id autem quod significatur per modum distantis, non restringit illud quod significatur per modum indistantis. Quum enim dicitur, Homo est albus, ly homo non restringitur ad standum pro hominibus albis tantum, sicut quum dicitur, Homo albus. Quum ergo sacerdos in persona Christi profert hanc propositionem, Hoc est corpus meum, sensus est : Aliquid sub hac specie præsens, vel de propinquo futurum, est corpus meum : quod simpliciter verum est. — Hæc Richardus. Cujus additio ista non videtur propria atque conveniens, quamvis secundum aliquem modum vel tropum loquendi, possit salvari. Proprie enim de lapide mox convertendo in aurum, non dicitur, Iste lapis est aurum; vel, Hoc est aurum, lapide demonstrato. Similiter quod ait de restrictione, non est firmum : nomen enim per verbum præsentis temporis restringitur ad standum pro eo quod præsentialiter est.

Amplius, præfatas positiones etiam refert et reprobat Bonaventura, et ait : Alia positio est, quod verba illa tenentur significative, et quod oratio est vera pro tempore in quo profertur; sed non demonstratur ibi aliquid ad sensum, sed ad intellectum. Non tamen sic ad intellectum, sicut quum dicitur, Hæc herba crescit in horto meo, id est herba similis huic; sed sicut signatum in signo, ut sit sensus : Hoc, id est signatum per hoc, est A corpus meum. Quæ significatio vera esset, quamvis nihil fieret ibi, quanto magis nunc? Sed quia huic significationi veræ addita est ex institutione divina efficacissima virtus, oratio illa ulterius ex Christi institutione et sacerdotis intentione est conversiva, ut sit sensus : Signatum per hoc, convertendum est in corpus meum. Hæc positio probabilior est, non tamen plenarie satisfacit. Si enim, ut asserit Augustinus, verbum accedit ad elementum et fit sacramentum, et elementum non est B ibi signatum, imo elementum illud potius est id quod in corpus Christi convertitur : non ergo demonstratur ibi corpus Christi, sed substantia panis sub accidentibus visibilibus. Quod verum est, maxime quum intentio conficientis feratur super panem, ut convertatur in corpus Christi, et illud demonstratur super quod fertur intentio. Idcirco dicendum, quod ista oratio inter omnes orationes est singularis. Aliæ enim sunt indicativæ veritatis seu exsistentiæ; hæc autem hoc ipsum quod significat, fa- C cit. Unde est verbum operativum et conversivum seu transsubstantiativum, non operatione successiva, sed instantanea : nec operativum rei novæ seu non exsistentis, sed terminus ejus est ens in actu, significativum mystici corporis.

Verum adhuc remanet dubium, quomodo locutio sit vera, si demonstratur ibi substantia panis, quum hæc semper sit falsa, Panis est corpus Christi. Idcirco notandum, quod sicut in Verbo æterno est veritas et omnipotentia, sic in verbo isto D ab ipso prolato est veritas et efficacia, ut tale verbum competat sacramentis evangelicæ legis. Hinc verbo enuntiativo veritatis junxit Christus efficaciam verbo oris sui. Et quia mandavit aliis facere ac dicere, ideo in ore eorum dedit efficaciam. Unde hoc verbum, est, in oratione hac non identitatem nec similitudinem designat, sed efficientiam, ut sit sensus : Hoc est corpus meum, id est, ad hujus verbi prolationem hoc totum transit in corpus meum. Qui sensus quamvis sit huic ora-

tioni proprius, et similiter formæ sanguinis, non tamen a ratione est alienus. Nec videatur inconveniens dicere, quod hoc verbum, est, non identitatem dicit, sed magis conversionem in hac oratione, quæ non tantum significativa est, sed etiam operativa. Magis tamen debuit poni verbum essendi quam operandi : quoniam magis competebat formæ, ut simul esset efficacia cum veritatis enuntiatione. — Hæc Bonaventura, quibus concordare videtur Albertus. Durandus vero sequitur positionem Thomæ, exprimendo quid demonstretur per ly hoc.

Thomas vero de Argentina aliter sentiens, recitata B. Thomæ responsione, subjungit : Salva istius sancti Doctoris reverentia ac sanctitate, non videtur ejus responsio Cf. p. 217 C. stare. Si enim (ut ipse ait) pronomen, hoc, demonstrat id quod est commune utrique termino transsubstantiationis, et id quod commune est in transsubstantiatione, est accidentia sensibilia quæ remanent, sequitur quod istud pronomen, hoc, demonstret accidentia, sicque tota locutio esset non vera, quoniam accidentia non sunt corpus Christi. Item, quantumcumque aliquis terminus sit communis et indeterminatus, tamen quando conjungitur ei pronomen demonstrativum, determinatur et singularizatur in tantum, quod propositio in qua subjicitur non est universalis nec indeterminata, sed singularis. — Hæc Argentinensis, qui sequitur responsionem Richardi de S. Victore præhabitam.

Richardus quoque de Mediavilla contra positionem illam S. Thomæ sic arguit : Nulla propositio indefinita est vera, nisi pro aliquo determinato verificetur. Si namque ista est vera, Homo prædicat, oportet quod de aliquo homine determinato verificetur. Ergo si ista indeterminata, Contentum sub hac specie est corpus meum, est vera, oportet quod verificetur pro aliquo determinato contento. Et quæro quid sit illud. Si dicas, quod panis, jam patuit hoc dici non posse; si dicas, quod corpus Christi, ergo ante completam enuntiationis A prolationem transsubstantiatio facta est : quod nemo concedit.

Insuper Scotus : Nulla (inquit) verba sunt forma Eucharistiæ, nec de essentia ejus, sed aliqua verba sunt forma consecrationis Eucharistiæ. Hoc etiam sacramentum non habet aliqua verba pro forma, quia sic non esset sacramentum permanens, quum verba esse non queant nisi in successione. Ipsa tamen consecratio sacramenti hujus consistit in fieri, exigitque certam formam verborum. Verum illa non B est forma sacramenti, sed forma consecrationis sacramenti, et pro tanto illa possunt dici verba sacramentalia, quia ad sacramentum sunt pertinentia tanquam forma consecrationis ipsius, quæ est inceptio sacramentalis. Non autem sunt sacramentalia sicut verba Baptismi, quæ sacramentalia appellantur quia sunt forma Baptismi. — Si autem quæratur, quæ sit forma consecrationis Eucharistiæ et an habeat unam formam; dicendum, quod sicut Eucharistia est sacramentum unum, non C unitate indivisibilitatis, sed integritatis, quia in se includit duo particularia signa, quæ primo designant duo propria signata ac proxima (quæ sunt corpus et sanguis Christi), et duo remota (quæ sunt cibatio et potatio spirituales); sic quoque est consecratio una unitate integritatis, et duæ partiales. Sicut enim aliqua res est una, sic est una ejus inceptio; et sicut plures, sic plures sunt ejus inceptiones : et sicut consecratio est una, ita una est forma consecrationis; et sicut consecrationes sunt D plures, ita et plures formæ earum. Et sicut una est forma integra, ita plures seu duas in se continet formas partiales, quarum distinctio patet ex hoc quod una est efficax sine alia : alioqui idololatria esset adorare corpus ante sanguinis consecrationem.

Forma demum consecrationis corporis sunt quatuor verba ista, Hoc est corpus meum. Et dico, quod omnes partes orationis istius, et significata earum, intelligendæ ac referendæ sunt ad ultimum in-

stans orationis. Ex quo sequitur, quod istud pronomen, hoc, demonstrat pro ultimo instanti completæ orationis : et ita videtur monstrare illud quod pro illo instanti sub illis est speciebus, ut sit demonstratio partim ad sensum, et partim ad intellectum. Nec tamen sensus est, Hoc corpus meum est hoc corpus meum : quoniam alius est per se intellectus antecedentis, et alius consequentis, quamvis subjectum antecedentis supponat pro subjecto consequentis : quia conceptus consequentis potest esse certus, et antecedentis ambiguus. Est enim ordo singularium secundum ordinem universalium, ita quod universaliora habent singularia minus arctata, sicut hoc ens est minus contractum quam hoc corpus : et ita quum dicitur, Hoc est corpus meum, per ly hoc, intelligitur singulare minus arctatum quam sit corpus Christi. Tota autem disputatio de veritate propositionis istius, logica atque subtilis est; sed theologo sufficit quod ista oratio, ut est tale siguum sensibile, instituta est a Christo ad consecrationem, quæ sequitur in ultimo instanti, ita quod Deus adsistit sibi tanquam cuidam dispositioni præviæ, ut ea completa, causet illum effectum.

Præterea quæri potest, an prætermissis aliis verbis præcedentibus, sacerdos conficeret per hæc sola quatuor verba. Et respondetur quod sic, quoniam sunt præcisa forma consecrationis corporis Domini. Alia vero sunt propter reverentiam vel propter ordinem præmittenda. — Sed contra istud objicitur, quoniam verba sacramentalia, ex vi verborum debent significare id quod ex vi sacramenti efficitur. Ex vi autem consecrationis hujus efficitur quod ibi sit verum Christi corpus : ergo verba sufficienter debent hoc significarc. Quod hæc quatuor verba per se prolata, non significant absolute, imo ly meum, significat referri ad personam loquentis, quoniam licet minister posset intendere loqui in Christi persona, non tamen ob hoc significatio illorum verborum contineret per verba illa intelligi corpus Christi, sed sacerdotis verba hæc proferentis. Idem probatur ex connexione orationum præcedentium verba consecrationis, quæ ita connectuntur quod necessario præmittendæ designantur. Ex verbis quoque Ambrosii asserentis, Sermo Christi creaturam mutat; quibus verbis fit hoc ? Accipite et edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. Ubi insinuatur, verba illa, Accipite, etc., oportere præmitti. Hinc concedo, quod oportet ex virtute sermonis denotari, ly meum referri ad personam Christi : quod non fit, nisi prius mentio fiat de Christo. — Hæc Scotus.

Cujus hoc ultimum dictum repugnat præinductæ responsioni Thomæ, Richardi et aliorum communiter, quibus consentio. Et persuasiones hæ Scoti perfacile dissolvuntur. Ait quippe Richardus : Si sacerdos omitteret omnia alia quæ sunt in canone et in Missa, et diceret tantum ista verba, Hoc est corpus meum, super materiam debitam, cum intentione debita consecraudi, vere consecraret. Hinc sicut Thomas ct ceteri dicunt, intentio sacerdotis sufficit ad hoc quod verba ex persona Christi dicantur, et ad ejus corpus referantur. Quumque verborum significatio ex intentione cordis potissime attendatur, verba hæc, Hoc est corpus meum, ut ex tali intentione prolata, et ad finem illum relata, vere significant illud quod ibi ex vi sacramenti seu consecrationis efficitur. Sed illicitum est taliter consecrare, nec sine grandi peccato præcedentia ac consequentia verba sunt omittenda, quia Ecclesia ita connexuit orationes et verba illa, sicque sunt de necessitate consecrationis et sacramenti quantum ad ejus solennitatem, non quantum ad ejus veritatem, sicut de Baptismo et aliis dicitur sacramentis.

Hinc scribit Durandus : Dicunt quidam, quod verba sacramentalia debent significare id quod continetur in hoc sacramento; sed hæc verba, Hoc est corpus meum, sine præcedentibus canonis verbis non significant corpus Christi ibi realiter con-

tineri : ergo sine præcedentibus verbis non potest per verba hæc consecratio fieri. Sed istud non valet, quoniam sufficit quod hæc verba consecrationis significent corpus Christi ibi esse ex institutione Christi ordinantis, et intentione sacerdotis proferentis : alioqui nec fieret consecratio etiam prolatis præcedentibus verbis, quoniam illa recitantur ut dicta a Christo. Et constat, quod per verba illa præcedentia non designatur quod Christus sit sub speciebus panis quem sacerdos tenet vel ante se habet, sed solum sub speciebus panis quem Christus accepit et benedixit. Hæc Durandus.

QUÆSTIO VI

SExto quæritur, **Utrum forma consecrationis sanguinis integre exprimatur per hæc verba : Hic est calix sanguinis mei.**

Videtur quod sic, quia hæc verba sunt significativa et effectiva : ergo sicut significant ibi esse sanguinem Christi, ita hoc ipsum efficiunt. — Item, ad consecrationem corporis Christi sufficit similis forma, quum dicitur, Hoc est corpus meum. — Rursus, Evangelistæ integre descripserunt formam consecrationis sanguinis Christi; in aliis autem verbis non concordant sicut in istis.

In oppositum videtur esse consuetudo Ecclesiæ, quia non fit elevatio calicis, nec adoratio, nisi et aliis multis prolatis.

q. 10. Ad hoc Henricus, Quodlibeto nono : Generaliter in his quæ pertinent ad observantiam fidelium, in quantum consistit in facto, præsertim ubi nil certi determinat auctoritas Scripturæ, tenendus est usus Ecclesiæ, qui ab Apostolis derivatur, qui multa in observantiis dimiserunt Ecclesiæ, quæ in scriptis non redegerunt. Quumque forma consecrationis verborum consistat in facto, et ad observantiam spectet

A eorum quæ Christus fecit et facienda instituit, nec de illa aliquis Apostolorum aliquid certum expressit, eo quod verba in quibus forma consistit, ab Evangelistis diversimode recitantur in numero, ordine, et qualitate; idcirco de hac forma firmiter tenendus est usus Ecclesiæ in missali conscriptus, qui ab Apostolis creditur Ecclesiæ traditus, secundum formam qua noverunt Christum consecrasse. Sed quum plurima verba contineantur in descriptione formæ consecrationis calicis, atque in-

B certum sit an omnia verba illa sint de forma, an aliqua tantum; et in dubiis (secundum Augustinum) semper tenendum sit quod certius securiusque consistit, et dimittendum incertum, præsertim in facto, quanquam propter quasdam persuasiones potius videatur verum quod minus certum est; idcirco in consecratione sanguinis,cum summa diligentia et attentione omnia verba in missali scripta usque ibi, Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, sub uno contextu sunt

C proferenda, quoniam certum est consecratum esse omnibus illis prolatis, nec est super hoc tanta certitudo parte aliqua verborum illorum prolata.

Verumtamen a quibusdam putatur, quod ultimum illud, Qui pro vobis, etc., pertineat potius ad effectum sacramenti jam consecrati, quam ad formam et necessitatem consecrationis : imo ab aliquibus æstimatur, quod pars illa, Novi et æterni testamenti, mysterium fidei, potius exponat sacramenti virtutem, quam ad ejus perti-

D neat formam, ut sic in illis solummodo verbis, Hic est calix sanguinis mei, hæc forma consistat : quoniam verba quæ sunt de forma hac non solum sunt significativa, sed et effectiva ejus quod significant, et hoc per assertionem quæ exercetur in eis. Quare quum verba prædicta non sint assertiva ejus quod pertinet ad veritatem sacramenti istius, nisi quoad illa verba dumtaxat, Hic est calix sanguinis mei; totumque residuum potius asserat conditionem sacramenti quoad ejus virtutem et

efficaciam : hinc in solis illis quinque verbis videtur forma consecrationis hujus consistere, non minus quam in his verbis, Hoc est corpus meum, forma consecrationis corporis est consistens : sicque fit plena conformitas consecrationis utriusque. Hoc et ego potius arbitrarer, si in tanto mysterio liceret aliquid arbitrari.

Nihilo minus quidam dicunt, omnia verba usque ibi, Hæc quotiescumque, etc., ad consecrationis essentiam pertinere, eo quod sint determinationes quædam sanguinis, idcoque pertineant ad integritatem locutionis et consecrationis; quamvis per verba hæc, Hic est calix sanguinis mei, designetur ipsa conversio vini in sanguinem. Sed planum est, quod ratio illa falsum supponit. Illi namque genitivi, novi et æterni, non sunt adjectiva hujus substantivi, sanguinis, sed illius, testamenti, ut patet ex verbis Lucæ evangelistæ, dicentis : Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, ubi interponitur aliquid. Quod etiam patet construenti et punctuanti post illa verba, novi et æterni : tunc enim nullius sensus perfectionem importarent verba sequentia, testamenti, mysterium. Et construuntur ambo illi genitivi, sanguinis, testamenti, cum illo nominativo, calix, transitive, subintellecta copula; et post, ly mei et ly mysterium, construuntur cum illo nominativo, calix, specifice. Porro quod addunt, quod per verba illa, Hic est calix sanguinis mei, significatur conversio vini in sanguinem, sicut per verba consecrationis panis; patet quod aperta est contradictio in verbis eorum, quum verba illa efficiant quod designant, sicque eis prolatis, consecratio esset peracta. — Hæc Henricus, qui tamen fatetur argumentum istud non absolute concludere, quoniam dici posset quod ly hic, quum dicitur, Hic est calix, etc., non demonstrat aliquid nisi pro termino totius prolationis, et non pro termino suæ prolationis, sicut in consecratione corporis ly hoc non demonstrat aliquid pro tempore suæ prolatiouis, sed pro termino totius prolationis ; et ita quum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, etc., verba illa nihil significant neque affirmant perfecte, usque ad prolationem totius, ideo nec ante efficiunt. Ex quibus elicitur, quid et qualiter demonstret ly hoc, in forma consecrationis corporis Christi, secundum Henricum.

Luc. XXII, 20.

At vero Thomas : Quidam (inquit) dixerunt, quod de forma consecrationis sanguinis tantum sit istud, Hic est calix sanguinis mei, ut forma utriusque consecrationis exsistat consimilis. Sed quia conditiones appositæ ad subjectum vel prædicatum, sunt de integritate locutionis, alii probabilius dicunt, quod totum illud quod sequitur, sit de hac forma, quum non sit locutio per se, sed determinatio prædicati. Verba quoque in tota hac forma contenta, possunt pro magna parte ex diversis locis Scripturæ colligi, quamvis non inveniantur alicubi simul scripta. Nempe quod dicitur, Hic est calix, Lucæ vicesimo secundo habetur, et primæ Corinthiorum undecimo. Quod vero adjungitur, Novi testamenti, ex tribus Evangelistis accipitur, puta Matthæi vicesimo sexto, Marci quartodecimo, et Lucæ vicesimo secundo. Quod autem adjicitur, Æterni, et, Mysterium fidei, ex Christi habetur traditione, quæ per Apostolos ad Ecclesiam devenit, juxta illud Apostoli : Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis. Evangelistæ namque non intendebant formas et ritus sacramentorum publice tradere, sed dicta et facta Domini enarrare. Denique, quæ in forma consecrationis sanguinis adduntur, quamvis sint proprietates consequentes Christi sanguinem ut hujusmodi, tamen sunt essentiales sanguini ejus, in quantum pro nobis effusus est.

Luc. XXII, 20; I *Cor.* XI, 25.

Matth. XXVI, 28; *Marc.* XIV, 24; *Luc.* XXII, 20.

I *Cor.* XI, 23.

Præterea hæc locutio, Hic est calix sanguinis mei, figurativa est, et dupliciter potest intelligi. Primo, ut sit metonymica locutio, ponendo continens pro contento, sicut communiter dicitur, Bibe hunc calicem vini, id est vinum contentum in calice isto. Ideo autem talis modus locutionis aptus est huic formæ, quoniam sanguis de

sui ratione non dicit aliquid potabile, imo A potius aliquid quod natura abhorret in potum. Quumque in hoc sacramento sanguis Christi consecretur ut potus, oportuit aliquid addi quod ad potum pertineat, scilicet calicem. Secundo potest intelligi, ut sit metaphorica, intelligendo per calicem Christi passionem. Quemadmodum enim calix vini inebriat, sic passio amaritudine sua hominem quasi extra se ponit, juxta illud in Threnis : Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio. (*Thren.* III, 15.) Et hoc modo loquendi usus est Christus, loquens de sua B passione apud Matthæum : Transeat a me calix iste. (*Matth.* XXVI, 39.) Hic quoque modus loquendi convenit huic formæ, quia in consecratione sanguinis directe exprimitur mysterium passionis. Nec obstat quod objicitur, quod figurativæ locutiones distrahunt intellectum et faciunt evagari, quoniam mens sacerdotis debet esse tam intenta et fixa ad ea quæ dicit, quod non levi occasione evagetur.

Præterea quæ in consecratione sanguinis apponuntur, exprimunt passionis con- C ditiones, præcipue secundum quod operatur in sacramentis. In passione autem secundum quod operatur in sacramentis, tria sunt consideranda. Primum est effectus quem inducit, qui est remissio peccatorum : quod tangitur dum dicitur, Qui pro vobis et pro multis effundetur, etc. Secundum est medium quo effectus iste in alios traducitur, quod est fides, qua mediante habet effectum tum in his qui præcesserunt, tum in his qui sequuntur; et quantum ad hoc dicitur, Mysterium fidei. D Quod potest referri tam ad ipsam passionem, quæ est mysterium fidei, tanquam occultum quid latens in fide omnium Christifidelium, potissime antiquorum, apud quos fuit in mysterio abscondita, multipliciter figurata; quam ad Christi sanguinem prout in sacramento continetur, qui latet sub speciebus, et maximam habet difficultatem ad credendum; propter quod antonomastice dicitur mysterium fidei. Tertium est finis ad quem passio Christi perducit, qui est æternorum bonorum perceptio, ad quæ Christus per sanguinem suæ passionis introducit : in quo novum testamentum confirmatur, non promittens temporalia, sicut vetus, sed æterna. Et quantum ad hoc dicitur, Novi et æterni testamenti. Quumque finis prior sit in intentione, ideo fine præmisso, per medium ad effectum passionis ostendendum formæ verba perducunt.

Testamentum autem proprie est institutio hereditatis percipiendæ filiis a patre : ideo proprie spectat ad promissionem bonorum quæ nobis a Patre disponuntur cœlesti. Quod testamentum dicitur novum, quoniam in renovationem mundi tempore gratiæ est institutum; et item ratione promissionis per Christi sanguinem confirmatæ, quæ vetus impedimentum percipiendæ hereditatis amovit : sicque innovatio quædam promissionis per Christi passionem est effecta. Dicitur quoque idem testamentum aliquo respectu æternum, vel ratione æternorum bonorum, de quibus est testamentum; vel quoniam continet Christum, qui est persona æterna; vel ratione prædestinationis æternæ hanc gratiam præparantis. — At vero sanguis Christi effusus est pro omnibus quantum ad sufficientiam, sed pro electis tantum quantum ad efficaciam; et ne putetur effusus pro solis Judæis electis, quibus promissio fuit facta, ideo dicit, Pro vobis, qui scilicet ex Judæis estis, et pro multis, quantum ad multitudinem gentium electarum. Vel per Apostolos significat sacerdotes, quibus mediantibus ad alios pervenit effectus dominicæ passionis per dispensationem sacramentorum, qui etiam pro se ipsis ac aliis orant. — De mutatione demum, additione et subtractione idem dicendum est in hoc sacramento, quod supra, distinctione tertia, dictum est, circa formam Baptismi. — (quæst. 2.) Hæc Thomas in Scripto. Eadem scribit in tertia parte, quæstione septuagesima octava, articulo tertio.

Præterea Petrus : Circa formam (ait) consecrationis sanguinis quædam ponun-

tur quæ sunt de substantia formæ; quædam vero non sunt de substantia, sed ponuntur ad ornatum, vel ad ostendendum sacramenti usum, vel dignitatem, aut efficientiam. Et illa sola verba ad substantiam pertinent, quæ significant præsentiam Christi sub specie virtute conversionis. Quædam vero ad efficaciam pertinent, ut, Æterni testamenti. — Hæc Petrus. In quibus videtur sentire, quod forma consecrationis sanguinis consistat essentialiter solum in verbis istis, Hic est calix sanguinis mei. Addit quoque : Puto, quod quælibet forma ab Evangelistis seu Apostolis tradita, sit forma Ecclesiæ, ita quod in ipsa posset consecrari, si placeret Ecclesiæ : quod tamen non debet fieri, propter ordinationem ipsius. — Græci vero utuntur (ut fertur) hac forma : Hic est sanguis meus novi testamenti, pro vobis et pro multis effusus in remissionem peccatorum : quam Paulus apostolus tradidit eis.

Richardus quoque fatetur se credere quod in qualibet forma ab Apostolis aut Evangelistis tradita, confici posset, quoniam in subtantia eadem est cum forma nostra : alias Græci non consecrarent. — Quærit quoque Richardus, an virtus transsubstantiativa per prius respiciat sacerdotem, quam verba seu formam verborum. Et dicit quod sacerdotem, quem respicit permanenter ratione characteris. Verba vero respicit transeunter, sicut et verba pertranseunt. Sacerdos quoque propinquior et similior est principali agenti, videlicet Christo, quam verba : imo et verborum sacerdos est causa. Estque pro regula observandum, quod quando plura instrumenta per ordinem se habentia, ad eumdem concurrunt effectum, sicut manus et penna ad scribendum, virtus principalis motoris per prius respicit instrumentum sibi magis conjunctum, per quod virtus sua derivatur ad aliud instrumentum. Hæc Richardus.

Ea vero quæ ex Thoma inducta sunt, in Alberto etiam continentur, qui hic sentire videtur, quod omnia verba in forma con-

A secrationis sanguinis posita, usque ibi, Hæc quotiescumque, etc., sint de essentia formæ consecrationis. Verumtamen alibi, puta in libro de Missa, vel in Summa de corpore Christi, scripsit quod nihil sit de essentia formæ istius, nisi hæc verba, Hic est calix sanguinis mei. Unde Henricus de Hassia, in tractatu suo de expositione Missæ, narrat opinionem Alberti fuisse, quod hæc sola verba, Hic est calix sanguinis mei, sint forma consecrationis sanguinis Christi.

B Insuper Scotus : De verbis (inquit) consecrationis sanguinis, est difficultas quantum ad duo. Primum est, quoniam formam qua utimur, nullus Evangelistarum descripsit, et Græci alia forma utuntur. Secundum dubium est, an omnia verba usque ibi, Hæc quotiescumque, etc., sint de essentia formæ. Quantum ad primum, certum est quod bona sit nostra forma. Dicitur etiam forma nostra, et quæcumque forma in Evangelio scripta, ad consecrationem sufficiens; tamen in Romana Ecclesia C de necessitate salutis ministri est uti forma Romanæ Ecclesiæ. Quantum ad secundum aliqui dicunt, quod omnia verba illa sint de forma consecrationis, propter motiva inducta ex Thoma. Sed non *Cf.* p. 224 B'. concludunt : quia possibile est multa addi in oratione consecrativa, quibus non expressis, tota consecratio compleretur : sicut Christus potuisset dixisse, Hoc est corpus meum assumptum de Virgine, et suspendendum in cruce, sicut dixit de sanguine, Qui pro vobis et pro multis effundetur in D remissionem peccatorum. Et quamvis tunc verba illa fuissent dicenda propter devotionem, non tamen necessaria essent propter formam, quamvis ad orationem pertinerent eamdem. Multo minus valet argumentum illud de verbis his, Qui pro vobis et pro multis effundetur, etc.

Itaque breviter dico, quod non est nobis certitudinaliter traditum, an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba post illud, Sanguinis mei : ideo periculosum est hic asserere aliquid de quo

sufficiens auctoritas non habetur. Non au- A tem periculosum est istud ignorare, quia videtur ignorantia invincibilis. Ideo improbabile est quod quidam locutus est indiscrete, quod scilicet necesse est in quolibet sacramento scire quod præcise ad ejus pertineat formam. Nam et diversi diversis verbis utuntur in Pœnitentiæ sacramento. Quod ergo consilium? Dico, quod sacerdos intendens facere quod facit Ecclesia, legens distincte canonis verba, vere conficit. Nec est tutum alicui (quantumcumque reputet se peritum) dicere, Volo B præcise uti verbis istis pro consecratione sanguinis : imo securior est simplicitas qua dicatur, Volo verba ista proferre ista intentione qua Christus ea instituit esse proferenda : ita quod ea quæ ex Christi institutione sunt de forma, dico pro forma, et quæ sunt ad reverentiam, dico ad reverentiam. Si autem sacerdos inciperet verba formæ proferre, nec compleret, non esset adorandum nisi sub conditione, et materia illa sumenda esset a sacerdote seorsum, ita quod diceret intra se, Si conse- C crata est, sumo eam ut consecratam ; si non, non. Et hoc agendum eo adhuc jejuno, videlicet ante perceptionem ablutionis vini. — Hæc Scotus, quibus concordat Durandus. Et quæ dicunt de essentia formæ consecrationis vini, et de intentione habenda circa prolationem verborum formæ illius, videntur sapienter expressa.

Postremo inter tot opiniones, quæ tamen minus discordant in re quam in apparatu

Cf. p. 219 D et s. verborum, videtur responsio Petri planior quantum ad formam conseerationis corpo- D ris Christi. Similiter responsio Riehardi de S. Victore apta censetur.

Præterea quidam hic sciscitantur, utrum in verbis formarum istarum sit aliqua virtus supernaturalis, causativa saeramenti. Ad quod satis reor patere responsum ex his quæ dicta sunt supra in generali, de dist. 1, q. 4. virtute causali sacramentorum evangelicæ legis.

Multi quoque hic investigant, an formæ istæ exspectent se in operando, hoc est, an prolatis verbis consecrationis corporis Christi, mox et immediate sequatur effectus, id est transsubstantiatio panis in corpus dominicum, vel differatur quousque prolata sit forma consecrationis sanguinis Salvatoris. Et quamvis quidam antiqui dixerunt, quod formæ ita exspectent se, tamen doctores modo concorditer dicunt contrarium, quod et satis lucet ex introductis. Mox enim prolatis verbis consecrationis corporis sacri, ipsum elevatur et adoratur. Nec inde consequitur, quod corpus in specie panis exsangue sit, quia (ut infra patebit) in hostia consecrata ex vi conversionis est corpus, sanguis vero et anima ac deitas Verbi, ex concomitantia naturali.

Bonaventura etiam circa hæc loquitur : Forma ista, Hic est calix sanguinis mei, est forma recta et congrua consecrationis sanguinis. Sed utrum sit tota, an quod sequitur sit de ejus integritate, est dubium. Creditur tamen quod est tota ; attamen quod sequitur non frustra est additum, nec resecandum. An vero forma a quolibet Evangelista descripta, sit ad conficiendum sufficiens, quis audeat negare, aut præsumendo asserere, quum nesciamus an ipsi intenderint formam describere, an verba rei gestæ narrare? Hæc Bonaventura.

DISTINCTIO IX

A. *De duobus modis manducandi.*

Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 7. Aug. Sermo 71, n. 17. ET sicut duæ sunt res illius sacramenti, ita etiam duo modi manducandi : unus sacramentalis, scilicet quo boni et mali edunt; alter spiritualis, quo soli boni manducant. Unde Augustinus : Quid est Christum manducare? Non est hoc solum in sacramento corpus ejus accipere, multi enim indigne accipiunt; sed in ipso manere et habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat qui Prosp. Sent. c. 341. in unitate Christi et Ecclesiæ, quam sacramentum significat, manet. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem ejus bibit, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium sibi quotidie accipiat. Spiritualem manducationem Aug. in Joann. tract. 25, n. 12. Augustinus distinguens a sacramentali, ait : Ut quid paras ventrem et dentem? Crede, et manducasti. Credere enim in eum, hoc est comedere panem et vinum. Ibid. tract. 26, n. 18. *Joann.* vi, 57. Qui credit in eum, manducat eum. Item : Quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit : Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. Si in me manet et ego in eo, tunc bibit; qui vero in me non manet, nec ego in illo, etsi accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. De Consecr. dist. ii, c. 36. Item : Nulli ambigendum est, tunc quemquam corporis et sanguinis Domini participem fieri, quando Christi membrum efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam illum panem edat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat : quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando ille habere hoc quod illud sacramentum signat, invenitur. In illo enim sacramento corpus et sanguinem suum nobis commendavit, quod et fecit nos Prosp. Sent. c. 341. ipsos : nam et nos corpus ipsius facti sumus. Item : Qui discordat a Christo, non manducat carnem ejus nec sanguinem bibit, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium sibi quotidie accipit.

B. *De errore quorumdam qui dicunt, a bonis tantum corpus Christi sumi.*

Hæc verba et alia hujusmodi, ubi de spirituali manducatione agitur, quidam obtuso corde legentes, erroris caligine involuti sunt adeo, ut præsumpserint dicere, corpus et sanguinem Christi a bonis tantum sumi, et non a malis. Sed indubitanter tenendum est, a bonis sumi non modo sacramentaliter, sed et spiritualiter; a malis vero tantum sacramentaliter, id est sub sacramento, scilicet sub specie visibili, carnem Christi de Virgine sumptam, et sanguinem pro nobis fusum sumi, sed non Euseb. ap. Lyran. in I Cor. xi, 24. mysticam, quæ tantum bonorum est. Quod subditis probatur testimoniis. Gregorius ait : Est quidem in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro et verus

sanguis, sed essentia, non salubri efficientia. Item Augustinus : Multi indigne accipiunt corpus Domini, de quibus Apostolus ait : Qui manducat et bibit calicem Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit. Per quod docemur quam sit cavendum, male accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum : sicut econtra Apostolo factum est bonum, quum bene accipitur malum, scilicet dum stimulus Satanæ patienter portatur. Ergo et mala prosunt bonis, sicut angelus Satanæ Paulo ; et sancta obsunt malis : bonis sunt ad salutem, malis ad judicium. Unde qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit : non quia res illa mala est, sed quia malus male accipit quod bonum est. Idem : Indigne quis sumens corpus Christi, non efficit ut, quia malus est, malum sit quod accipit ; vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim et sanguis Domini nihilo minus erat in illis quibus ait Apostolus : Qui manducat indigne, etc. — His aliisque pluribus aperte ostenditur, quod etiam a malis verum corpus Christi et sanguis sumitur, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

De Consecr. dist. II, c. 66. I Cor. XI, 29.

Aug. de Bapt. contra Donat. lib. V, n. 9.

C. *De intelligentia quorumdam verborum ambiguorum.*

Secundum hos duos modos sumendi, intelligentia quorumdam verborum ambigue dictorum distinguenda est. Ait enim Augustinus : Bonus accipit sacramentum, et rem sacramenti ; malus vero sacramentum, et non rem. Sacramentum hic dicit corpus Christi proprium de Virgine natum*; rem vero, spiritualem Christi carnem. Bonus ergo utramque Christi carnem accipit; malus vero tantum sacramentum, id est corpus Christi sub sacramento, et non rem spiritualem. Item : Non manducans manducat, et manducans non manducat : quia non manducans sacramentaliter, aliquando manducat spiritualiter, et econverso. Et qui manducant spiritualiter, veritatem carnis et sanguinis dicuntur sumere : quia ipsam efficientiam habent, id est remissionem peccatorum, pro qua videtur orari, quum dicitur : Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Rerum veritatem dicit ipsam efficientiam : quasi dicat, Per hæc sacramenta præsta, ut sicut sacramentaliter carnem Christi sumimus, ita spiritualiter sumamus. Vel petit sacerdos, ut Christus qui nunc vere sub specie panis et vini sumitur, manifesta visione sicut in essentia divinitatis est, quandoque capiatur. Constat ergo a bonis et a malis sumi corpus Christi ; sed a bonis ad salutem, a malis ad perniciem.

Ap. Lyran. in I Cor. XI, 24.

* productum

Ibidem.

In Sabbat. IV Temp. Septembr.

SUMMA

DISTINCTIONIS NONÆ

POSTQUAM tractavit auctor de Eucharistia ut est sacramentum, et de his quæ continentur in ea, nunc agit de usu ipsius, A id est de duplici ejus manducatione, videlicet sacramentali et spirituali. Inter quos modos ex verbis Augustini distinguit; tamen sicut patebit, poterunt tres modi manducandi distingui, ita ut unus dicatur tantum sacramentalis, secundus tantum spiritualis, tertius simul sacramentalis et

spiritualis. Deinde circa hæc excludit quorumdam errorem, dicentium quod boni seu virtuosi dumtaxat accipiunt verum corpus et sanguinem Christi, non vitiosi : quocirca exponit quædam obscura, et verba Augustini declarat.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur, **An Christus in Sacramento vere, realiter, accipiatur ac manducetur, et quot sint modi manducandi Christum seu communicandi.**

Quumque in his præsupponatur, quod exsistentes in peccato mortali, accipiunt corpus Christi, quæritur, qualiter hoc sit verum, et an talibus ministrandum sit corpus Christi; an etiam liceat eis corpus Christi in Sacramento videre, et utrum irrationalis creatura accipit Sacramentum ; an etiam nocturna pollutio impediat communionem.

Videtur quod corpus Christi manducari non possit, nisi æquivoce, tropice, seu figuraliter et improprie de manducatione loquendo. Quod enim intransmutabile et incorruptibile est, non proprie manducatur; corpus autem Christi (præsertim ut glorificatum) intransmutabile est. — Rursus, quod manducatur, est cibus; cibum vero constat in edentem converti, quod non convenit corpori Christi. — Insuper fides ista, quod Christus sic manducatur, avertit multos a fide, atque ad irrisionem et contemptum christianæ religionis ac Christianorum inducit : ergo non decuit Christum talia tradere ac docere, qui ad hoc venit ut homines ad fidem et reverentiam religionis divinæ induceret. — Præterea videtur penitus derogare dignitati ac veritati hujus præstantissimi sacramenti, ut a vitiosis sumatur, et ori eorum ingeratur. Quæ enim (ut ait Apostolus) conventio Christi ad Belial, et lucis ad tenebras? Horribilius quoque videtur sonare, ut a brutis concedatur sumi ac edi.

II Cor. VI, 14, 15.

Et tamen omnium horum oppositum docet (quæ non errat) sancta Ecclesia, quam infallibiliter regit Spiritus Sanctus.

Itaque de his scribit Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali : Quemadmodum non est vita corpori animalis, nec sustentatio vitæ, absque incorporatione cibi convenientis; sic non est vita gratiæ cordi humano absque incordatione et invisceratione spiritualis cibi illi vitæ convenientis. Incordatio autem non aliud est quam spiritualis seu cordialis unitio, quæ non est nisi amor sive dilectio quantum ad vim motivam superiorem. Hoc quippe cordialiter seu spiritualiter nobis unitum est, quod vere amamus, juxta illud Joannis : Rogo, Pater, ut isti sint unum, sicut ego et tu unum sumus. Quumque incorporatio cibi sit vere comestio, cetera vero quæ præcedunt, præparationes sunt ad comestionem : hinc incordatio cibi spiritualis vere comestio est hujusmodi cibi. Ideo sicut sine incordatione seu cordiali unitione nec vitam gratiæ nec vitam gloriæ quisquam potest habere, sic sine spirituali comestione ipsius Dei neutram illam vitam possumus obtinere aut possidere. Unde constat verum esse quod ait Salvator : Qui manducat me, et ipse vivet propter me; itemque, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; et denuo, Panis verus est qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo; et rursus, Ego sum panis vitæ. Panis autem nutrimentum est vitæ. Et unumquodque in quantum vivificat, vel vivificum calorem inducit aut nutrit, in tantum sancto calefacit amore, et cibus vocatur : idcirco in quantum facit amare, in tantum vivificat, vitamque alit. Hoc diligenter adverte, quum sit fundamentum et radix probationis vivifici atque ineffabilis sacramenti, quam effugere nequit intellectus capax veritatis, cui non contradicetur interius, quum fuerit elucidata.

Joann. XVII, 22.

Ibid. VI, 58, 59, 33, 35.

Primo igitur ponemus duas causas erroris hæreticorum, per quas impediti sunt credere et videre veritatem sacramenti is-

tius. Prima est error circa veritatem comestionis, quam puerili insipientia vocaverunt ipsam cibationis præparationem, dicentes ipsam cibi masticationem esse comestionem, asserentes cibum comedi quando in ore teritur et dentibus molitur aut in ventrem trajicitur; ignorantes quod corpus animalis est velut domus ornata, munita ac præparata sufficientiis officinarum atque vasorum, et quod in eo est os sicut molendinum sive mortarium, cum instrumentis necessariis ad terendum sive pinsendum. Quemadmodum ergo cibus quamdiu adhuc in molendino aut mortario est, nondum comeditur, sed ad comestionem paratur; sic nondum manducatur, quando in ore versatur. Juxta hunc modum stomachus coquina est seu olla coquinaria in eadem domo, ubi primo cibus coquitur, digeritur, depuratur. De quo impurum in secessum emittitur; reliquum ad hepar, quasi ad nobiliorem coquinam seu ollam, coquendum et depurandum transmittitur. Unde impurum in secessum emittitur urinalem; reliquum vero ad membra diffunditur, in quibus tertia decoctione digeritur et depuratur. Inde a membris singulis assumitur, et in nutrimentum proportionatur, et eis incorporatur, atque ab eis vere comeditur. Manifestum est ergo, quam longe a veritate erraverunt hæretici circa corporalem comestionem.

Secunda causa erroris eorum, est ignorantia distinctionis inter comestionem corporalem ac spiritualem. Nempe quod corporali comestione comeditur, et nutriendo corpori incorporatur, necesse est a propria forma nudari per corruptionem substantiæ suæ, ut forma nutriendi corporis vestiatur. In comestione autem spirituali est econtrario : quoniam cibus spiritualis quanto magis incorruptus, quanto plus integer et illæsus venit ad cor, tanto ei verius profundiusque unitur. Oportet quoque te scire, quod veritas cibus est nostri intellectus, et bonitas cibus est nostræ affectivæ superioris. Idem namque est veritas ad intelle-

A ctum, quod lux exterior ad visum. Et sicut cibus corporeus roborat corpus, sic veritas sua certitudine roborat intellectum, quum ei fuerit perfecte unita. Denique si diligenter pensaveris, invenies solam primam luminosissimam veritatem verissime esse cibum potentiæ intellectivæ, ac solam primam supermundissimam bonitatem esse cibum nostri superioris affectus. Propriissime etenim cibus est, cujus sumptione sedatur naturaliter fames, comedens delectatur, deperditum reparatur, cibatus au-

B getur, reficitur ac repletur. Constat autem, quod fames seu desiderium nostri intellectus ac nostri affectus non cessat, quousque pleno ore interno prima veritate ac summa bonitate reficiantur, in qua et maxime delectantur, augentur, replentur ac confortantur; nec aliud totum ventrem, id est capacitatem intellectus et voluntatis, valet replere. Hinc ut Deus se magis manducabilem exhiberet parvulis filiis suis, factus est homo, factus est caro, cibus est proportionatus nostræ capacitati, qui eum

C in suæ deitatis luce conspicere nondum potuimus. Sed quoniam eum in propria specie et carnis effigie horror esset accipere, dignatus est nobis se præbere ac dare sub speciebus panis ac vini, quæ sunt naturales, communes et convenientissimi cibi nostri in vita præsenti, sicque animas nostras invisibiliter pascere ac firmare, et per sensibilia signa præfigurare qualiter nos in futuro sæculo gloriose reficiet, aperta, immediata ac splendida visione et fruitione suæ supersplendidissimæ deitatis,

D atque assumptæ glorificatissimæ humanitatis. — Hæc Guillelmus, qui de his plura conscribit, quæ infra poterunt tangi.

Circa hæc Thomas primo inquirit, an Christi corpus debeat sumi per modum manducationis. Et de hoc supra jam patuit, quemadmodum in vita spirituali debeat esse vivificum alimentum, et quod in uno sacramentorum, utpote Eucharistiæ, decuit Christum personaliter nobis conjungi, atque realiter sumi. — Secundo quærit, an manducatio corporis Christi sit

dist. II, q. 3; VIII, q. 1, 3; et p. 230 A' et s.

de necessitate salutis. Respondet : Gratia est sufficiens causa salutis ac gloriæ. Hoc autem sacramentum gratiam præsupponit, neque salubriter sumitur nisi ab exsistente in gratia gratum faciente. Ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis ; sed ex statuto Ecclesiæ necessarium est illud ad minus semel in anno accipere. Et ita intelligendæ sunt quædam auctoritates. Verum spiritualis sumptio ejus necessaria est, de qua ait Salvator : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. (*Joann.* VI, 54.)

Consequenter respondet ad illud, de duplici hujus sacramenti manducatione : Formalis divisio rei sumitur penes id quod convenit ei secundum se, et non per accidens. Usus autem rei per se et non per accidens, est quando quis utitur re ad id ad quod est instituta. Quumque manducatio dicat usum sacramenti istius, quod ad hoc est institutum ut homo re sacramenti potiatur; distinguenda est duplex manducatio sacramenti hujus, secundum quod duplex est res ipsius : ut manducatio sacramentalis correspondeat ei quod est res et sacramentum (quando videlicet ipsum corpus Christi suscipitur), manducatio vero spiritualis ei quod est res tantum. In aliis tamen sacramentis non attenditur distinctio aliqua nisi ex parte recipientis, ut in Baptismo, quem quidam accedunt ficte, quidam non : quoniam aliorum sacramentorum perfectio in usu eorum consistit. Perfectio vero hujus sacramenti in consecratione consistit materiæ : ideo potest esse in eo distinctio ex parte sacramenti.

Sed objici potest, quoniam in Baptismo est suscipientium triplex divisio. Quidam enim suscipiunt rem et sacramentum, quidam sacramentum et non rem, quidam rem et non sacramentum, sicut præhabitum est. (dist. IV, q. I.) Ergo et in isto sacramento ponendus est triplex modus communicandi. — Et respondendum, quod hic quoque posset assignari triplex divisio talis. In aliquibus namque conjunguntur duæ manducationes, ut qui digne accedunt, qui accipiunt sacramentum et rem, sicque sacramentaliter et spiritualiter communicant. Et in aliquibus separantur, quorum aliqui sumunt sacramentaliter tantum, sicut indigni; alii rem tantum, ut qui fide et caritate Christo in sacramento exsistenti junguntur : hi spiritualiter tantum communicant. Sed quia divisio ista magis se tenet ex parte suscipientium quam ex parte sacramenti, ideo non est propria huic sacramento sicut Baptismo.

Ex his patet responsio ad id, utrum peccator manducet corpus Christi sacramentaliter. Constat enim quod imo. Quidam tamen in tantum deferebant hujus sacramenti dignitati, quod derogabant ipsius veritati, dicentes illud non accipi ab iniquis, sed desinere esse sub sacramentalibus speciebus quam cito illorum contingitur labiis. Quod dici non potest, quia si vere exstitit corpus Christi sub specie panis per conversionem ipsius panis in Christi corpus, non poterit remanente specie panis desinere ibi esse ipsum corpus dominicum, nisi per aliquam contrariam mutationem ejus quod fuit in corpus Christi conversum. Et quia de illo non manent nisi solæ species seu formæ accidentales, quæ ad utramque substantiam, scilicet panis et corporis, communiter habent se ; idcirco quamdiu illæ species non mutantur, nequaquam desinit ibi esse corpus Christi. Transmutari autem in aliquid non competit speciebus, nisi secundum quod habent aliquam proprietatem substantiæ, in hoc quod sunt sine subjecto. Unde nil potest eas ad aliam transmutare substantiam, nisi transmutaret substantiam panis aut vini, si ibi esset : quod solus labiorum tactus vel divisio quæ fit per dentes, aut in ventrem trajectio, non faceret, sed sola digestio. Hinc illa opinio tanquam hæretica ab omnibus modo abjicitur. — Porro quum dicitur, quod cibus iste seu sacramentum hoc non transit in ventrem, sed in mentem, præpositio *in* non notat terminum motus localis, sed finem sumptionis. Localiter autem vadit quo species; sed

non sumitur propter ventris repletionem, A sed ob mentis refectionem. Nec ex sumptione sacramentali indigni derogatur dignitati aut munditiæ corporis Christi, quod ab iniquo non tangitur : imo in hoc Christus mansuetudinis et humilitatis præstat exemplum.

Si autem quæratur, an infideles manducent sacramentaliter Christi corpus; dicendum, quod manducatio est actus transiens a manducante in manducatum. Hinc sacramentaliter manducare, dupliciter potest intelligi. Primo, ut illud adverbium, B sacramentaliter, determinet manducationem ex parte manducati : et ita quicumque accipit species sacramenti, manducat sacramentaliter, id est, accipit id quod est sacramentum in Eucharistia, utpote verum Christi corpus. Secundo, ut determinet manducationem ex parte manducantis : sicque solus ille sacramentaliter manducat, qui utitur illo visibili cibo ut sacramento. Infidelis autem errans circa id quod est in hoc sacramento significatum, non utitur illis speciebus ut sacramento, C sive non credat in Christum secundum se, sive non credat in ipsum secundum quod in sacramento hoc continetur : ideo non manducat sacramentaliter. Et quoniam actio est magis propinqua agenti quam patienti, ideo sensus iste secundus magis proprius est quam primus.

Porro dum quæritur, an sacramentum hoc accipiatur a bruto; respondendum, quod de hoc est duplex opinio. Una, quod non manducatur a bruto ita quod in ventrem trajiciatur, eo quod corpus Christi D non sit sub illis speciebus nisi prout ordinabile est ad usum humanum. Ex quo autem species illæ descendunt in ventrem muris, ordinari non queunt in usum humanum : ideo desinit ibi esse corpus dominicum. Sed ratio ista non valet, propter duo. Primo, quia supponit falsum. Quum enim species in ventrem trajectæ non protinus corrumpantur, neque in aliud convertantur, possunt de ventre hujusmodi extrahi, et in usum humanum venire. Secundo, quoniam quamvis aliquid ordinetur ad certum usum, non tamen oportet ut desinat esse quando quis ipso uti non valet. Idcirco dicendum cum aliis, quod verum corpus Christi manet sub speciebus in ore bruti et ventre, quamdiu permanent species illæ. Verumtamen brutum nec spiritualiter nec sacramentaliter manducat corpus Christi, quia nec utitur manducato ut sacramento, neque manducat sacramentum secundum rationem sacramenti, sicut infidelis dicitur sacramentaliter manducare, qui intendit accipere quod accipit Ecclesia, quamvis credat hoc nihil esse. Conformiter, manducans hostiam consecratam quam nescit consecratam, non comedit sacramentaliter : quia non comedit sacramentum nisi per accidens, dempto quod plus propinquat ad sacramentalem manducationem, in quantum aptus natus est sacramentum manducare. Nec ob hoc ponendus est alius modus manducandi ultra præfatos : quod enim per accidens est, non cadit in divisionem.

Quæritur item, utrum spiritualiter manducet is qui sacramentaliter non manducat. Respondetur, quod Christus est electorum cibus spiritualis, non in alios convertibilis aut conversus, sed in se convertens eos quos reficit. Hinc Christum spiritualiter manducare, est ei incorporari, quod fit per fidem et caritatem. Quumque Christus in se ipso sit cibus spiritualis, idcirco in sacramentali cibo significatur et continetur. Hinc naturaliter prius est, Christum esse cibum spiritualem, quam sacramentalem vel spiritualem sub sacramento contentum : quoniam naturaliter prius est res proprietatem aliquam habens, quam secundum similitudinem proprietatis illius aliqua significatio ei adhibeatur. Ideo non quicumque manducat Christum spiritualiter, manducat hoc sacramentum spiritualiter. Utroque tamen modo convenit spiritualiter manducare, non manducantem sacramentaliter. Manducat quippe spiritualiter Christum, qui fidem et caritatem ha-

bet ad ipsum sine ordine ad hoc sacramentum; non tamen manducat talis spiritualiter hoc sacramentum, sed solum ille qui habet fidem et caritatem ad Christum cum devotione atque proposito sumendi hoc sacramentum, etiamsi sacramentaliter non manducet. Hinc patres antiqui non manducaverunt spiritualiter hoc sacramentum (quia hoc sacramentum non fuit tunc institutum nec consecratum), sed
I Cor. x, 3. Christum. Sicque ait Apostolus, quod omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt.

Postremo, hoc sacramentum spiritualiter manducare non convenit angelis, quoniam Christus non proponitur eis in sacramentali velamine, sed in nuda et clara veritate. Attamen Christum aliquo modo spiritualiter manducant, et quodam modo non. Quum enim Christum spiritualiter manducare sit ei incorporari, secundum hoc potest quis Christum spiritualiter manducare, secundum quod potest ejus effici membrum, et prout Christus potest esse caput ipsius. Porro Christus caput est angelorum aliquo modo, videlicet secundum proprietatem et rationem influentiæ, atque secundum conformitatem naturæ in genere; et aliquo modo non, quia non secundum conformitatem in specie. Nihilo minus Christus est esca angelorum, et secundum suam deitatem, in quantum sua visione et fruitione reficit eos et beatificat præmio essentiali; et secundum suam humanitatem,
I Petr. I, 12. in quantum in ipsum desiderant prospicere et accidentale gaudium sortiuntur in ea. — Hæc Thomas in Scripto.

Eadem in tertia parte, quæstione octoge-
art. 1. sima. Ibi tamen concedit, quod patres sub lege hoc sacramentum spiritualiter manducaverunt propter figuram, sicut ait Apo-
I Cor. x, 3, 4. stolus : Eamdem escam et eumdem potum spiritualem sumpserunt. Nec tamen frustra adhibetur manducatio sacramentalis, quoniam plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quam solum desiderium, ceteris paribus. Hæc in Summa.

A Consonat Petrus, et addit : Modi manducandi Christum, tripliciter distinguuntur. Primo, ex parte manducantis; secundo, ex parte manducati; tertio, ex parte modi manducandi. Primo modo sic : manducans aut accedit bene dispositus, et sic manducat spiritualiter; aut non, et ita manducat solum sacramentaliter. Secundo sic : aut manducat rem significatam contentam tantum, et sic manducat sacramentaliter; aut manducat etiam rem significatam non contentam (videlicet mystici corporis unita-
B tem), sicque manducat spiritualiter. Ex parte etiam modi manducandi, dupliciter : aut enim sumit solo corporis ore, et sic est manducatio sacramentalis; aut etiam ore cordis, et sic est manducatio spiritualis. Porro spiritualiter manducare, est Christo atque Ecclesiæ incorporari. Quod fit dupliciter : primo per modum meriti, credendo ac diligendo; secundo per virtutem sacramenti, credendo ac percipiendo. Primus modus communicandi spiritualiter, est magis extensus, et potest provenire
C sine sacramento. Secundus magis est proprius, nec sine sacramento potest alicui provenire. Hæc Petrus.

Richardus quoque hic scribit: In sumptione hujus sacramenti est quædam manducatio corporalis, qua comestum masticatur et in stomachum trajicitur, postmodumque digeritur, et ultimo in substantiam manducantis convertitur : et sic vere manducatur species sub qua corpus Christi realiter continetur. Alia est manducatio sacramentalis, qua verum Christi corpus
D sub specie illa contentum sumitur, non tamen masticatur; et nisi species sacramentalis tamdiu masticetur in ore, quod per digestionem ibi factam corrumpatur, ipsa descendit in stomachum, et corpus Christi sub ea, ac manet sub ea usque ad resolutionem, non tamen in manducantem convertitur. Tertia est ibi manducatio spiritualis, qua dicitur manducari mysticum corpus : quod non aliud est quam spiritualiter incorporari mystico corpori per fidem et caritatem, vel potius per fidei et

caritatis augmentum : quæ manducatio A non convenit indigne sumenti. Hæc Richardus.

At vero Bonaventura inquit : Manducatio primo et principaliter in corporalibus invenitur, et inde ad spiritualia est translata. Si ergo velimus accipere veram manducationem spiritualem, oportet ad propriam acceptionem vocabuli nos transferre. Notandum ergo, quod quamvis multi sint actus in manducatione corporali connexi et consequentes, duo tamen præcipue sunt de integritate ipsius, videlicet masticatio B et incorporatio. Quæ duo reperire oportet in manducatione spirituali. Spiritualis autem masticatio est recogitatio cibi, id est carnis Christi propter nos in pretium redemptionis oblatæ et in cibum refectionis internæ. Incorporatio vero attenditur, dum recogitans amore accenditur, et cogitato conjungitur. Ad hoc ergo quod quis spiritualiter manducet, requiritur recogitatio fidei et affectio caritatis. In prima est masticatio, in secunda incorporatio : ex quibus duobus spiritualis manducatio inte- C gratur.

Quærit quoque Bonaventura, an Christus suum corpus manducavit sacramentaliter ac spiritualiter. Et respondet : Omnes communiter dicunt, quod Christus suum corpus sacramentaliter manducavit, sicut etiam ait Hesychius. Aliqui quoque dicunt, quod etiam spiritualiter manducavit, ita quod fuit ibi unio per actum amoris, et quod effectus hujusmodi manducationis non fuit in Christo, sed in membris ipsius : ut sicut Christus non meruit sibi, sed nobis, ita D virtute manducationis illius meruit ut membra sua sibi plus unirentur. Quod si verum esset, haberet in non manducante ac dormiente effectum. Postremo spiritualis manducatio dicit intentionem unionis manducantis cum manducato actu vel habitu : quorum neutrum fuit in Christo. Idcirco dicendum, quod sicut baptismum sacramentaliter tantum accepit, et non rem, ita et hoc sacramentum. Et hoc egit in exemplum. In spirituali etiam manducatione est incorporatio, quæ ibi non fuit : quoniam sibi ipsi incorporari nequivit, nec caritatis habitu neque fervoris motu proficere potuit. Hæc idem. — Scripta denuum Alberti, Durandi et Argentinensis circa prædicta, in dictis Thomæ continentur, et eis consonant.

QUÆSTIONES II, III, IV

Amplius, quidam circa hæc quæstiones plures proponunt. Primo, **An peccet mortaliter, qui conscius sibi de peccato mortali accipit corpus Christi.** Secundo, **Utrum peccator peccet corpus Christi videndo.** Tertio, **An peccet mortaliter, qui corpus Christi accipit sperans se non esse in mortali peccato, quum tamen sit in eo.** — Et consimilia quædam quæruntur hic, ad quæ succincte est respondendum.

Itaque circa hæc scribit Antisiodorensis : Sumere corpus Christi in peccato mortali, non est malum in genere : quia si aliquis probabiliter credat se non esse in peccato mortali, quamvis sit, non est malum in eo sumere Christi corpus. Idcirco auctoritas ista, Peccatum est sumere illud si desit fides aut caritas, imo judicium sibi manducat et bibit, intelligenda est : si desit in conscientia, id est, si credat se habere peccatum mortale. Qui autem scienter accipit corpus Domini in mortali, peccat mortaliter. Hæc Antisiodorensis. — Quibus videtur addendum, quod is qui putat se esse in statu gratiæ, non peccat communicando, quamvis sit in mortali, dummodo cum debita diligentia discusserit conscientiam suam. Si autem ex negligentia hoc agendi, putat se non esse in mortali, quum sit, non excusatur. Nec dubium quin multi ex superficialitate, grossitudine et incustodia cordis putant se esse sine mortali culpa, quum vitiis

Glossa in I *Cor.* XI, 29.

multis sordescant. Et istud forsitan insinuavit Antisiodorensis, dicendo : Qui probabiliter credit se esse sine mortali. Porro sacerdos tenetur coram Deo semper custoditus, sollicitus, timoratus consistere, et ante celebrationem cor suum diligenter examinare.

Consequenter quærit, an exsistens in peccato mortali peccet corpus Christi videndo. Videtur quod imo, quoniam primo
I *Reg.* VI, 13, 19. Regum leguntur quinquaginta millia Bethsamitarum percussa, eo quod arcam Dei vidissent, quæ fuit figura corporis Christi, B et incomparabiliter minus digna. Quocirca interrogatur, an exsistens in mortali, peccet corpus Christi tangendo. Apparet quod
II *Reg.* VI, 6, 7. imo, quoniam secundo Regum narratur Oza percussus, eo quod arcam Dei sustentavit ne caderet. Et circa hoc quæritur, cur magis illicitum sit Sacramentum tangere quam videre.

Et respondet : Adspicere corpus Christi non est malum, imo bonum est : quia ut asserit Augustinus, caritas facit desiderium videndi Deum atque fruendi eo. Est C quoque provocativum ad dilectionem Dei. Hinc per adspectum corporis Christi exercitant et præparant se ad caritatem, et multæ petitiones exaudiuntur in visione corporis Christi, et gratia ipsis infunditur. Quod significatum est in libro Numero-
Num. XXI, 9. rum per hoc quod filii Israel serpentem æneum intuendo, liberabantur a morsibus ignitorum serpentum. Quod autem Bethsamitæ fuerunt percussi, non fuit ex indignitate eorum, sed quia prohibitum fuit eis arcam videre. Et hoc, in signum quod D simplicibus non licet scrutari arcana Dei. — Tangere vero corpus Christi, est peccatum indignis. Primo, quoniam Deus odit iniquos. Unde, sicut caritas exigit conjunctionem, sic odium separationem et elongationem. Præsumptuose igitur habet se qui indignus adeo appropinquat ut tangat. Secundo, quia ut super Malachiam scribit Hieronymus, panem pollutum comedit, qui ad altare Dei indignus accedit. Naturaliter namque ex contactu immundi polluitur id

A quod tangitur. Idcirco pollutus qui tangit corpus dominicum, quantum in se est polluit illud : ideo peccat mortaliter. Qui vero ex sola reverentia tangit corpus Christi, sublevando dum cadit aut elevando de terra, non peccat. Sacerdotes autem qui indigni celebrant, peccant mortaliter. — Porro, de patientibus pollutionem nocturnam communiter dicitur, quod celebrare non debent nisi sint prius confessi, et satisfactionem aliquam fecerint ante, nisi necessitas cogat : et tunc conteri debent et dolere, quia pollutio illa semper habet causam inhonestam. Aut enim est ex turpi imaginatione præcedente, aut ex crapula, aut ex natura volente se exonerare : et tunc non est ex natura instituta sed corrupta. Ideo locum habet ibi illa auctoritas : Bonarum mentium est culpam timere ubi culpa non est. — Hæc Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto.

Hinc Thomas : Quilibet, inquit, cum conscientia peccati mortalis manducans corpus Christi, peccat mortaliter, quia abutitur sacramento ; et quanto sacramentum est dignius, tanto periculosior est abusus. Cujus ratio ex tribus accipitur. Primo, ex eo quod est sacramentum tantum. Ex quo apparet, quod hoc sacramentum per modum cibi proponitur : cibus autem non convenit nisi viventi. Secundo, ex eo quod est ibi res et sacramentum, quod est Christus, qui est Sanctus Sanctorum : ideo receptaculum debet esse sanctum. Idcirco qui cum dispositione sanctitati contraria recipit ipsum, injuriatur ei atque abutitur eo. Tertio, ex eo quod in sacramento hoc est res tantum, quod est mysticum Christi corpus : quia ex hoc quod quis ad hoc sacramentum accedit, significat se ad unitatem mystici corporis pertinere et tendere. Propterea, si in corde ejus sit vitium per quod a mystico corpore separatur, culpam fictionis incurrit, et ita abutitur sacramento. — Verum his objici potest, quia hoc sacramentum est medicina : quum ergo medicina læsis et ægris sit exhibenda, videtur quod sacramentum hoc vitiosis, qui

spiritualiter læsi et ægri sunt, sit admini- A
strandum. Et respondendum, quod duplex est medicina. Una removens morbum, et hæc infirmis debetur : cui comparantur Pœnitentia et Baptismus. Alia est promovens in sanitatem perfectam, et talis non debetur infirmis, sed sanis : cui comparatur hæc medicina.

Porro dum quæritur, an iniquus peccet corpus Christi videndo; dicendum, quod ea quæ in sacramentis geruntur exterius, correspondere debent his quæ geruntur interius. Idcirco secundum quod homo ad B
Christum accedit interius mente, ita ad sacramentum debet accedere corpore. Quidam autem accedunt nec cum fide neque cum caritate; et tales arcendi sunt ab inspectione sacramenti et communione. Quidam vero accedunt fide sine caritate, et hi possunt videre, non tamen accipere, quum non sint per caritatem Christo incorporati. — Et si objiciatur, quod percussi sunt Bethsamitæ qui arcam videbant; respondetur, quod hoc non fuit propter arcæ sanctitatem, sed propter figuram, ut di- C
ctum est.

Ad id demum quod quæritur, an exsistens in peccato mortali, non tamen de mortali conscientiam habens, peccet mortaliter corpus Christi sumendo; respondendum, quod ignorantia circumstantiæ a peccato excusat, adhibita diligentia debita, præsertim quando est talis circumstantia cujus certitudo plena haberi non potest. Quod autem aliquis sit omnino a peccato immunis, certitudinaliter sciri non valet,
I *Cor.* IV, 4. juxta illud Apostoli : Nihil mihi conscius D
sum, sed in hoc justificatus non sum. Et
Eccle. IX, 1. in Ecclesiaste dicitur : Nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Potest tamen de hoc aliqua conjectura haberi, præcipue per quatuor signa, ut sanctus ait Bernardus. Primo, quum quis verba Dei audit
Joann. VIII, 47. devote, secundum illud Joannis : Qui ex Deo est, verba Dei audit. Secundo, quum quis promptum se sentit ad bene agendum, juxta illud B. Gregorii : Probatio dilectionis est exhibitio operis. Tertio, dum propositum habet protinus abstinendi ab omni peccato mortali. Quarto, dum de præteritis dolet. Unde si quis facta diligenti, quamvis forte non sufficienti examinatione conscientiæ suæ per hæc signa, ad corpus Christi devote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, ipso hoc ignorante, non peccat : imo magis ex vi sacramenti remissionem acquirit peccati. Unde Augustinus in quodam ait sermone, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos.

Verumtamen his objici potest, quoniam ignorantia peccati cui quis subjacet, non tollit peccatum, sed aggravat; imo secundum Ambrosium, gravissime peccat qui ignorat : ergo præfata ignorantia non excusat. — Dicendum, quod ignorantia duplex est. Una qua ignoratur an aliquid sit peccatum : et hæc si in sola sit cognitiva potentia, interdum excusat, ut dum ignoratur circumstantia quæ facit peccatum, sicut dum quis accedit ad non suam, quam credit suam; et in tali casu non habet locum auctoritas illa Ambrosii. Quandoque vero non excusat, ut dum est ignorantia juris universalis, imo talis ignorantia est grande peccatum : et in his quæ per se mala sunt, ad infidelitatem pertinere videtur; in his autem quæ sunt mala quia prohibita, ad negligentiam spectat. Et hic verificatur quod ait Ambrosius, quia dum morbus nescitur, medicina non quæritur. Si autem ignorantia talis sit in cognitione et affectioue consistens, ut ignorantia electionis, sicut quum quis in illicita indomite fertur velut si licitum esset, prout ait Philosophus de his qui ex habitu peccant; sic qui ignorat, peccat gravissime, quia hæc ignorantia provenit ex contemptu, saltem æquivalenter. Alia ignorantia est peccati, qua id quod scitur esse peccatum, creditur jam dimissum : et talis ignorantia nec excusat nec aggravat illud peccatum ; sed potest excusare respectu sequentis peccati, quod induceretur si peccatum præcedens sciretur inesse, et ita est in proposito. Unde quamvis talis sit

indignus respectu præcedentis peccati, non tamen indigne accedit, quia ignorantia ista excusat.

Insuper quæritur, an peccatum communicantis seu celebrantis indigne, enormius sit omni alio peccato. Videtur quod imo, (I *Cor.* xi, 27, 29.) quum dicat Apostolus, quod talis sibi judicium manducat et bibit, reusque erit corporis et sanguinis Domini. Rursus super illud Marci, (*Marc.* xiv, 21.) Væ homini illi per quem Filius hominis tradetur, asserit Glossa : Væ homini illi qui ad mensam Domini accedit indigne : iste enim ad exemplum Judæ Filium hominis tradit. Item, qui Eucharistiæ sacramentum jactaret in lutum, peccaret gravissime. Sed non est turpior cloaca in mundo quam peccator : ergo talis in se sumens sacramentum, enormissime peccat.

Respondendum, quod sicut meritum præcipue consistit penes caritatem, ita demeritum potissime consistit penes Dei contemptum. Idcirco secundum quod aliquis per actum peccati Deum magis contemnit, secundum hoc majorem peccati reatum incurrit. Hinc peccata quæ in actuali consistunt Dei contemptu, sunt graviora his in quibus non est Dei contemptus nisi ex consequenti et quasi interpretative : sicut accidit in fruitione creaturæ, per quam quis delectationi inordinate intentus est, per quod a Dei recedit præceptis, et per consequens præcipientem contemnit. Peccatum autem blasphemiæ in contemptu principaliter est consistens; et similiter peccatum accedentis indigne ad corpus Christi, essentialiter est quædam irreverentia et contemptus. Sed advertendum quod contemptus ex duplici parte potest mensurari. Primo, ex parte contemnentis : et ita non potest fieri comparatio unius generis peccati ad aliud genus, sed unius particularis peccati ad aliud : quia contingit in uno peccato veniali ex genere, majorem esse contemptum quam in alio peccato gravissimo mortali ex alio genere. Secundo, ex parte contempti : sicque talis est ordo peccatorum, quod illud in quo Deus contemnitur etiam in se ipso, est

A peccatum gravissimum, ut infidelitas, blasphemia, etc. Deinde illud peccatum in quo Deus contemnitur in sacramento, præsertim in isto in quo Christus Deus et homo essentialiter continetur. Non tamen contemptus iste est contra Christum ut est Deus et homo, sed prout in isto est sacramento. Deinceps gravius est id in quo Deus in suis contemnitur membris; et post hæc, illud in quo contemnitur in suis præceptis, quod commune est omni peccato mortali. Unde constat, quod peccatum de B quo jam sermo, non est gravissimum omnium, nec omnium minimum, sed medium inter peccata quæ committuntur in Deum, et ea quæ committuntur in proximum aut in se ipsum. — Itaque peccatum indigne sumentium Christum, comparatur peccato occidentium ipsum, in quantum utrumque in ipsum Christum committitur. Attamen peccatum occidentium Christum gravius fuit, quia commissum est in Christi personam; hoc vero est in Christum, prout in sacramento consistit. Sic et qui corpus C Christi in lutum projiceret, magis peccaret quam indigne illud suscipiens, quia magis eo abuteretur.

Præterea si quæratur, quis magis peccaret, hæreticus indigne manducans, vel peccator credens, indigne id faciens; dicendum, quod in manducante indigne considerantur duo peccata : unum quo indignus redditur ad manducandum ; aliud quo indigne manducat. Quumque peccatum infidelitatis sit gravius aliis peccatis, infidelis manducans, indignior est ad man- D ducandum. Sed quia non credit illud quod sumit tantæ consistere dignitatis ut est, ideo non tantum peccat in abusu sacramenti : quoniam ignorantia infidelitatis quamvis non excuset peccatum sequens a toto, excusat tamen a tanto, ut patet de peccato occidentium Christum. Hinc infidelis indignior manducat, sed peccator credendo magis indigne.

Amplius quæri potest, utrum subjacens peccato carnis, magis peccet accedendo et sumendo hoc sacramentum, quam subja-

cens spirituali peccato. Dicendum, quod ad dignam hujus sacramenti susceptionem duo requiruntur : unum, quod suscipiens sit in statu gratiæ, quo Christo uniatur; secundum, quod mens ejus actualiter in Deum feratur. Quumque peccata spiritualia, loquendo in genere, sint peccatis carnalibus graviora, secundum Gregorium : ideo quantum ad primum illorum duorum, peccata spiritualia reddunt hominem magis indignum ad hoc sacramentum, quoniam magis elongant a Deo; quantum vero ad secundum, peccata carnalia, quia præcipue deprimunt mentem. Indignitas tamen ex parte primi est major. Sed peccata carnalia sæpe sunt certiora, et quoad hoc inexcusabiliorem constituunt hominem. — Hæc Thomas in Scripto.

Quocirca videtur addendum, quod in sacerdotibus, præsertim religiosis, peccata carnalia exstant gravissima propter spiritualia eis annexa, quum in ipsis sit fractio voti aut juramenti, et sacrilegium, et scandalum valde grave : ideo reddunt eos qui in sacris sunt constituti ordinibus, maxime indignos ad hoc cœleste divinissimumque mysterium.

De his etiam loquitur Thomas in tertia parte, quæstione octogesima, et specialiter de gravitate peccati indigne sumentium Sacramentum : Dupliciter, inquiens, unum peccatum dicitur gravius alio : primo, per se; secundo, per accidens. Per se, id est secundum rationem propriæ speciei, quæ attenditur ex parte objecti : et sic quanto id contra quod peccatur, est majus et dignius, tanto peccatum est gravius. Quumque deitas Christi major sit sua humanitate, et ipsa humanitas sit potior sacramentis humanitatis : hinc gravissima sunt peccata quæ committuntur in deitatem, ut infidelitas; deinde, quæ committuntur in ejus humanitatem, etc., ut supra. Per accidens vero unum peccatum est gravius altero, ex parte peccantis, sicut peccatum ex deliberatione seu habitu gravius est peccato ex infirmitate. Et eadem ratio est de circumstantiis aliis : sicque is-

art. 5.

A tud peccatum in quibusdam est gravius, in aliis levius. Qui enim ex actuali contemptu cum conscientia mortalis peccati accedit, gravius peccat eo qui ex timore accedit cum conscientia culpæ mortalis, ne deprehendatur esse in vitiis. Hæc in Summa.

Concordat Petrus, et addit : Accedens ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis ex certitudine sufficienti seu absoluta, sicut qui scit se esse fornicatum, peccat mortaliter; similiter, si conscientia B talis sit ex certitudine probabili, ut qui morose delectatus est in cogitatione libidinis, et timet fuisse consensum. Si autem conscientia talis non sit ex certitudine, sed potius suspicione levi, ut homo scrupulosus qui timet levem seu modicam delectationem fuisse mortalem; talis accedendo non peccat mortaliter. Nam primus horum contemnit, secundus discrimini se committit, tertius nimis formidolosus est. Hæc Petrus.

Qui etiam sciscitatur, an peccet qui ac- C cedit contritus, sed nondum confessus. Respondet : Contritus ante confessionem, quando vult communicare, aut habet copiam confessoris, et sic peccat sine confessione prævia communicando, quia ad susceptionem sacramenti Ecclesiæ requiritur reconciliatio etiam secundum Ecclesiæ forum; aut non habet. Et tunc, aut est necessitas celebrandi vel communicandi, ut quoniam timet scandalum populi, vel jam incepit mysterium sacramenti, vel amisit loquelam, et tunc non peccat, ac- D cedendo cum proposito confitendi quum poterit; aut non imminet talis necessitas, et tunc peccat. Hæc Petrus. — Concordat Richardus, cujus dicta in præhabitis sententialiter continentur; similiter et Alberti.

Insuper Bonaventura : Sacramentum (inquit) hoc volens accipere, tenetur se præparare, quoniam Dominus venit ad habitandum in homine. Præparatio autem non semper nec quælibet est sufficiens, sed illa qua expellitur inimicus. Rursus, quia

divina majestas summa dignatione quasi humiliat se, bonitasque divina gratiam affert secum, debet homo cum metu reverentiæ et caritate ferventi accedere, ut digne accipiat et fructuose manducet. Quidam ergo sunt qui sufficienter se præparant secundum veritatem; quidam vero se præparant sufficienter, non secundum veritatem, sed secundum probabilitatem; quidam neutro modo, sed contemnunt. Primi digne accedunt; tertii prorsus indigne; medii nec digne, quia non præparant se sufficienter in veritate; neque indigne, quoniam probabiliter parant se sufficienter. Hi quamvis gratiam non acquirant, non tamen offensam incurrunt. Hæc Bonaventura.

Scotus circa hanc distinctionem movet tantum hanc quæstionem, utrum exsistens in peccato mortali peccet mortaliter percipiendo hoc sacramentum; et consonat ejus responsio præinductis.

QUÆSTIO V

AMplius quæritur, **An nocturna pollutio quæ est in somnis, sit peccatum a celebratione et communione impediens; et utrum propter immunditiam tantummodo corporalem sit a perceptione Eucharistiæ abstinendum.**

In hac quæstione tria tanguntur. Primum est, an pollutio illa in somno sit culpa; secundum, an a susceptione impediat sacramenti; et tertium, satis expressum.

Videtur quod nequaquam pollutio nocturna peccatum sit, quia in somno non est homo compos usus rationis et voluntatis. Omne autem peccatum est aliquo modo voluntarium. Et si non est culpa, non erit sacræ communionis impeditiva. — Rursus, veniale non impedit a celebratione, alioqui nemo celebraret; neque mortale, secuta contritione et confessione. Multo A minus ista pollutio carens peccato, præsertim quum non polluatur corpus nisi de consensu mentis, quæ in somno ligata est.

Ad hæc S. Thomas respondet : Omne peccatum (secundum Augustinum) in motu est voluntatis. Motus autem voluntatis præsupponit judicium mentis, quoniam est apparentis boni vere aut false. Ideo ubi non est judicium rationis, non est bonæ aut malæ voluntatis motus aut actus. In B somno autem, rationis judicium impeditur. Perfectum namque judicium de cognitione et re nequit haberi nisi per resolutionem ad principium ex quo judicium habet ortum : quemadmodum nec conclusio perfecte cognoscitur nisi per resolutionem ad prima principia indemonstrabilia. Quumque omnis nostra cognitio intellectiva oriatur a sensu, non potest judicium esse rectum, nisi reducatur ad sensum. In somno autem sensus ligati sunt : idcirco judicium rationis non est liberum in somno, C neque judicium sensus communis. Hinc in somno non potest homo peccare, neque mereri. Attamen potest in somno accidere signum aliquod peccati aut meriti, in quantum somnia habent causas imaginationes vigilantium. Unde primo Ethicorum ait Philosophus, quod in quantum paulatim pertransierunt quidam motus, scilicet ad dormientes a vigilantibus, meliora fiunt phantasmata studiosorum quam quorumlibet. Augustinus quoque duodecimo super Genesim ait, quod propter affectio- D nem animæ bonam, etiam in somnis quædam ejus merita clarent.

Verum his objici potest, quoniam tertio Regum legitur Salomon in somno orasse, et III *Reg.* III, 5-10.
orationem Deo placitam effudisse, et exaudiri promeruisse. Item, in somnis fiunt frequenter supernæ illuminationes, et in abstractione a sensu ac sensibilibus fortiores considerationes, imo et acutissimæ argumentationes. — Et respondendum, quod secundum Augustinum super Genesim, oratio illa Salomonis placuit Deo, et remu-

nerationem sortita est pro bono ejus desiderio in vigilia habito, quod in somno per signum sanctæ petitionis tunc claruit, non quod tunc in somno meruerit. — Ad aliud respondendum, quod mens humana duos habet respectus : unum ad superiora, a quibus illuminatur; alium ad corpus, a quo recipit et quod regit. Ex parte igitur qua a superioribus illustratur et influentiam recipit, per somnum non ligatur, imo liberior redditur, quanto a corporalibus curis et distractionibus magis fit absoluta : ideo ex influentia superioris luminis, aliqua de futuris potest percipere dormiens quæ vigilans scire non posset. Sed ex parte illa qua a corpore recipit, ligatur quantum ad judicium ultimum et completum, ligatis sensibus, a quibus ejus cognitio sumit initium, quamvis etiam imaginatio ejus non ligetur, quæ rationi subministrat immediate species rerum. Præterea, secundum quod sensus magis aut minus ligantur a passione impressioneve somni, secundum hoc judicium rationis magis aut minus impeditur in somno. Unde interdum dormiens attendit, ea quæ sibi apparent, somnia esse. Sed quia in dormiendo nunquam sunt sensus ex toto soluti, idcirco nec rationis judicium ex toto est liberum : ideo cum aliqua falsitate semper est illud rationis judicium, quamvis partim sit verum. Et inde contingit, quod aliquis in somno aliquando consentit turpitudini, aliquando non. Verumtamen, quum rationis judicium non sit totaliter liberum, et per consequens nec liberi arbitrii usus; idcirco nec talis consensus vel dissensus potest esse meritorius vel demeritorius in se. Interdum tamen illusio illa nocturna inchoatur in somno, et in vigilia terminatur. Quocirca sciendum, quod corporales motus non pertinent ad meritum vel demeritum, nisi secundum quod a voluntate tanquam a principio causantur. Hinc nocturna pollutio, quantum ad rationem meriti et demeriti, potius judicatur secundum suum principium quod est in dormiendo, quam secundum terminum suum qui est

A in vigilando : quia ex quo in dormiente excitatus est motus ille carnis, non subjacet voluntati evigilantis ulterius, nec reputatur evigilasse quousque liberi arbitrii usum recuperaverit perfecte. Potest tamen contingere, quod in ipsa evigilatione oriatur peccatum, si pollutio propter delectationem placeat : quod erit veniale peccatum, si ex subreptione sit complacentia illa; mortale vero, si sit cum deliberante consensu, præcipue cum appetitu futuri delectamenti vel actus hujusmodi. Ista au-
B tem placentia non facit præteritam pollutionem esse peccatum, quia ipsius causa non est, sed ipsa in se peccatum est. Si vero placeat in quantum exoneratio et alleviatio est naturæ, non creditur esse peccatum.

Consequenter, ad secundum, videlicet an impediat a sumptione Eucharistiæ, est dicendum, quod ad dignam Eucharistiæ susceptionem tria exiguntur. Primum est munditia conscientiæ, quæ non nisi per peccatum aufertur. Secundum est erectio
C mentis in Deum per actualem devotionem, quæ per hebetudinem, occupationem seu evagationem mentis interdum sine peccato amittitur. Tertium est etiam corporalis munditia, propter quod celebrantes seu sacramentum aliquod tractaturi, manus suas propter sacramenti reverentiam lavant. Hinc peccatum primo ac principaliter impedit; secundo indevotio hebetudoque mentis; tertio immunditia corporalis. Et hæc tria interdum concurrunt in aliqua pollutione nocturna, aliquando duo, quan-
D doque unum tantum; et secundum hoc homo magis vel minus impeditur a sacramenti perceptione. Ideo distinguendi sunt modi pollutionis. Distinguitur autem dupliciter nocturna pollutio. Primo, quantum ad causam, quia eorum quæ in somnis apparent, triplex est causa : una spiritualis extrinseca, ut in his quæ per spirituales substantias nobis revelantur; alia intrinseca spiritualis, quando phantasmata quæ apparent dormientibus, sunt reliquiæ præcedentium cogitationum; tertia est corpo-

ralis intrinseca, sicut dum phlegma dulce decurrit, somniat homo se dulcia edere. Unde medici ex somniis dispositionem conjiciunt corporis. Itaque pollutio interdum ex illusione contingit, quando per dæmones commoventur phantasmata; quandoque ex reliquiis cogitationum præteritarum; quandoque ex causa intrinseca naturali, quæ vel fuit voluntati subjecta, ut ex superfluitate cibi et potus; aut non fuit voluntati subjecta, sive accidat ex debilitate naturæ non potentis semen retinere, sive ex ejus virtute expellente superflua, sive quocumque alio modo, in idem redit. Secundo, distinguitur pollutio quantum ad modum : quia quandoque contingit sine imaginatione, quandoque cum imaginatione. Et hoc dupliciter, quia interdum in somnii imaginatione turpitudini homo consentit, quandoque dissentit, et tamen pollutio accidit. Dum ergo sine imaginatione pollutio evenit, signum est quod sit ex causa corporali intrinseca; sed quando est cum imaginatione, potest fieri sic et sic.

In omnibus ergo prædictis pollutionibus corporalis immunditia est communis; sed hebetatio mentis non est nisi in illis quæ cum imaginatione contingunt, quia in illis quæ sine imaginatione accidunt, anima nihil participare videtur. Nec ulla earum est peccatum, ut patuit; sed potest esse effectus peccati, significans peccatum præcedens mortale aut veniale. Peccatum autem mortale ex præcepto impedit ab Eucharistiæ perceptione, quia mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis accedit. Hebetudo autem mentis et immunditia corporalis, ex quadam condecentia impediunt, quoniam indevotio quædam videtur ita accedere, nisi necessitas urgeat. Ideo considerandum, utrum in causa pollutionis consistat peccatum mortale aut veniale præcedens, quia cogitatio turpium quandoque est sine peccato, sicut dum manet in cogitatione solummodo, ut dum quis disputans de talibus, necesse habet cogitare de eis; aliquando vero est cum peccato veniali, quando ad affectionem co-

A gitatio pertingens, in sola delectatione finitur ; quandoque autem cum mortali, quando consensus adjungitur. Quumque cogitationi tali sit delectatio de propinquo, et delectationi consensus, in dubium verti potest, utrum sequens pollutio ex peccato acciderit vel non, et an cx mortali, an veniali. Satis tamen probabiliter conjici potest non præcessisse consensum, quando in ipsa somnii imaginatione anima dissentit. Non tamen oportet quod, si consentiat, consensus in vigilando præcesse-
B rit, quia hoc potest accidere propter ligationem judicii rationis, quod quandoque plus quandoque minus liberum est in somno. Unde in tali pollutione si ad causam recurrens, dubitet de consensu, debet abstinere omnino; si autem expresse inveniat consensum non præcessisse, et necessitas urgeat vel aliqua causa potior reformet actum, potest accedere aut etiam celebrare, non obstante immunditia corporis hebetationeve mentis. Si autem necessitas non incumbat, videtur non exhibere de-
C bitam reverentiam sacramento, si accedat. Attamen si celebrat, non peccat mortaliter, sed venialiter, sicut dum quis mentis evagationem patiens celebrat.

Quando autem ex illusione accidit, et illusionis causa in nobis præcessit, puta quum quis indevote ad dormiendum accessit, idem est judicium ac de pollutione quæ ex cogitatione præcedenti causatur. Si autem causa in nobis non præcessit, imo magis contraria causa, et hoc frequenter contingat, præsertim quum quis com-
D municaturus est, signum est quod fructum hujusmodi communionis auferre conatur diabolus. Hinc in tali casu consultum fuit cuidam monacho, ut in Collationibus legi- Cassianus
tur Patrum, quod communicaret; sicque diabolus videns se non posse obtinere intentum, ab illusione cessavit. Si autem ex cibo aut potu præcedenti acciderit, idem est judicium ac de pollutione quæ ex turpi cogitatione processit : nisi in tantum quod non ita de facili contingit peccare mortaliter in sumptione cibi sicut in co-

gitatione turpi, et quod aliquando hæc A pollutio sine imaginatione contingit, illa vero nunquam. Illa vero pollutio quæ ex dispositione naturæ accidit, non est signum alicujus peccati, sed potest hebetationem mentis inducere, si cum imaginatione contingat, et corporalem immunditiam habet. Ideo si necessitas aut devotio exposcat, qui passus est eam, non impeditur, præsertim quando non cum imaginatione accidit; tamen si propter reverentiam abstinet, est laudandus, quando infirmitas non est perpetua. Et quia non ita de facili B potest percipi ex qua causa contingat, ideo tutius est semper abstinere, nisi incumbat necessitas. In hujus rei signum *Lev.* xv, 16. præceptum fuit in Levitico : Vir a quo egreditur semen, immundus erit usque ad vesperam. Immundis autem non licuit tangere munda. Debetque abstinere, ut dicitur, per viginti quatuor horas : quia in tali spatio natura deordinata per corporalem immunditiam et mentis hebetationem, reordinatur. Denique cogitatio dicitur turpis, non solum quia de turpibus est, imo C de eis potest cogitatio honesta haberi; sed quia turpitudinem habet propter delectationem vel consensum adjunctum. Quæ turpitudo magis horrenda est quam illa quæ est in cibo, tum quia magis vitari potest, quoniam difficillimum est in cibo et potu modum tenere; tum quia magis propinqua est ad mortale peccatum.

Præterea si quæratur, an propter immunditiam pure corporalem sit ab hoc sacramento abstinendum; dicendum, quod quum cibus iste sit non corporis, sed mentis, in D ejus sumptione magis attendenda est dispositio mentis quam corporis. Ideo distinguendum est de immunditia pure corporali : quia aut est perpetua, sicut lepra, aut diuturna; vel est temporalis et cito purgabilis. Itaque propter immunditiam talem perpetuam aut diuturnam, nullo modo abstinere quis debet ab Eucharistiæ sumptione, ne propter immunditiam corporis perdatur fructus et puritas mentis. Si vero sit temporalis faciliterque purgabilis, tunc si quis sit mente bene dispositus, sumere non prohibetur, quamvis possit ad tempus laudabiliter abstinere ob tanti reverentiam sacramenti.

Verum his objici potest, quia in veteri lege leprosi et fluxum seminis patientes *Lev.* XIII, XV. erant immundi respectu sacrorum veteris Testamenti : ergo plus abstinere debent ab hoc sacramento. — Insuper sacerdoti leproso interdicitur celebrandi facultas, ut patet *extra* de Clerico ægro, Tua nos. Ergo pari ratione debet laicus leprosus a communione cavere.

Et respondendum ad primum, quod prohibitio illa in lege magis erat propter spiritualem significationem quam propter res ipsas : ideo non oportet in evangelica lege sic fieri, ubi veritate veniente, cessaverunt figuræ. — At vero sacerdoti leproso prohibetur celebrare in publico propter horrorem; attamen in secreto, populo non præsente, potest ex devotione celebrare, nisi sit in tantum corruptus, quod ministerium sine periculo nequeat adimplere. Ad sacerdotium vero leprosus promoveri non debet. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea in tertia parte, octogesima quæstione : Circa pollutionem (inquit) noctur- art. 7. nam duo sunt consideranda : unum, per quod de necessitate impedit a sumptione sacramenti; aliud, per quod ex congruentia. Ex necessitate non impedit nisi peccatum mortale. Et quamvis nocturna pollutio secundum se considerata, esse non valeat mortale peccatum, tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Idcirco consideranda est causa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim provenit ex causa spirituali extrinseca, scilicet dæmonum illusione, etc., ut supra. Dæmonum quoque illusio quandoque provenit ex præcedente negligentia præparandi se ad devotionem, quæ negligentia potest esse vel veniale vel mortale peccatum; quandoque provenit ex sola nequitia dæmonum. Causa etiam corporalis pollutionum quandoque est sine culpa, puta ex infirmitate naturæ. Unde et qui-

dam vigilando fluxum seminis patiuntur A sine peccato. Gregorius vero scripsit Augustino, Anglorum episcopo, cessandum esse a communione, quando ex turpibus cogitationibus oriuntur pollutiones. Et rursus : Si quis, ait, sua conjuge non cupiditate voluptatis, sed procreandorum liberorum gratia utitur, profecto sive de ingressu ecclesiæ, sive de sumendo dominici corporis mysterio, suo est judicio relinquendus, quia prohiberi non debet a nobis qui in igne positus nescit ardere. Hinc coitus conjugalis quando est sine B peccato, puta si fiat causa prolis procreandæ, seu causa reddendi debitum, non alia ratione impedit a communione, nisi sicut pollutio nocturna quæ fit sine peccato, utpote, propter immunditiam corporalem et cordis distractionem. Ratione cujus dicit Hieronymus super Matthæum : Si pa-
I *Reg.* xxi, 4. nes propositionis ab his qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant : quanto magis panis qui de cœlo venit, non potest immolari neque contingi ab his qui paulo ante conjugalibus adhæserunt complexi- C bus ? Non quod nuptias contemnamus, sed quod eo tempore quo Agni carnes manducaturi sumus, vacare carnalibus operibus non debemus. Verumtamen, quoniam hoc secundum congruentiam, non secundum necessitatem intelligendum est, Gregorius dicit talem suo relinquendum judicio, ut scilicet accedat ex caritate, vel abstineat ex reverentia. Porro, si non amor prolis, sed voluptas dominatur in opere, debet prohiberi a sacra communione, ut ibidem scribit Gregorius. Hæc Thomas in Summa. D

Circa hæc scribit Albertus : Cum B. Gregorio dicimus, quod pollutio multis ex causis contingit, ut ex infirmitate naturæ in retinendo vel convertendo ad membra ; et ita nullum est peccatum, neque peccati signum. Fit quoque ex diabolica illusione ; et tunc est negligentiæ signum, quoniam homo non satis devotus ivit dormitum. Quandoque ex nimia repletione ciborum qui venerea provocant, ut calidorum humidorumque simul, quoniam calidum movet et humidum ministrat materiam. Et tunc distinguendum mihi videtur. Aut enim hoc accidit famelico ex subreptione, aut ex intenta lautorum alimentorum præparatione, quia consuevit splendide epulari. Et primo modo sequens pollutio non indicat nisi negligentiam ex gulæ subreptione ; secundo modo indicat peccatum. Alio modo fit pollutio ex cogitatione, ut quum quis singulariter cogitat de aliqua muliere, et postea somniat se misceri cum ea ; et tunc est signum fixæ cogitationis præcedentis in turpi. Interdum oritur ex conjunctione plurium simul causarum, ut ex cogitatione et crapula ; tuncque designat utraque. Quandoque nascitur ex cogitatione et illusione ; et tunc est signum peccati propter quod meruit illud. Aliquando vero simul ex crapula, cogitatione et illusione ; tuncque duo prima sunt meritoria tertii causa. Insuper distinguendum est de modo pollutionis. Nam aliqui polluuntur cum turpi imaginatione et fœda delectatione ; alii per solam seminis emissionem. Secundum Philosophum quoque, de his quæ delectant, distinguendum est : quia quandoque contingit ex ventosis cibariis, et in delectatione potius emittitur spuma ventosa quam humor nutrimenti. His ita distinctis, puto quod in primo et secundo casu, non impedit a communione ; tamen si humiliter dimittit, laudandus est. In tertio quoque modo, si ex subreptione usus est cibariis magis ventosis, ut sunt legumina, non æstimo impediri. Sed in quarto, quinto et sexto modis, puto abstinendum a communione, propter dubium morosæ delectationis in cogitatu præcedenti. Item in paucis et raro fit pollutio sine turpi imaginatione. Hæc Albertus.

Præterea, quæ ex Thoma et Alberto prolixe sunt introducta, Petrus more suo compendiose perstringens : Ad peccatum, ait, requiritur voluntatis libertas, quæ non est libera nisi præcedat liberum rationis judicium : quod liberum esse non potest in statu dormientis, eo quod judicium ejus originem trahat ab operationibus anima-

lium potentiarum, quæ in somno aliquo A modo ligantur et conquiescunt : ideo non potest esse peccatum in somnis. Potest tamen in eis esse peccati effectus et signum. Pollutio autem interdum contingit ex diabolica illusione, aliquando ex infirmitate naturæ, et utroque modo non est peccatum, nec peccati effectus nec signum ; aliquando vero ex præcedenti cogitatione, quandoque a crapula. Ubi ergo dubium est, an ortum habeat ex mortali peccato, debet homo a communione abstinere ex necessitate seu debito. Ubi vero B non oritur ex mortali, abstinere debet ex honestate seu congruitate ; non tamen peccat, si communicet. Ubi vero non oritur ex peccato, in arbitrio hominis est abstinere et non abstinere. Propter reverentiam demum sacramenti excluditur homo a communione tripliciter. Primo, propter reverentiam exterioris sacramenti : sicque excludit pollutio et immunditia corporalis. Secundo, propter reverentiam rei contentæ : et ita excludit defectus rationis in pueris et amentibus. Tertio, propter reve- C rentiam rei significatæ non contentæ, id est mystici corporis seu ecclesiasticæ unitatis : sicque excludit vinculum interdicti, et suspensionis, et excommunicationis. Hæc Petrus.

Concordat Richardus, cui videtur quod quando pollutio nocturna oritur ex præviis cogitationibus vel crapulis non mortalibus, non de necessitate impedit communionem.

Verumtamen ista quæ Petrus et Richardus breviter scribunt de pollutionibus istis D nocturnis, non sunt ita resoluta ut scripta Thomæ et Alberti. Ex quorum dictis auctoritate Gregorii roboratis, ostenditur, quod pollutio nocturna procedens ex illusione diabolica quam homo in vigilia peccando meruit pati ac ita illudi, est effectus et signum peccati, non tamen semper peccati mortalis.

In præhabitis, dicta aliorum de ista materia super hunc locum satis contineri videntur.

QUÆSTIO VI

Postremo hic quæritur, **An sacramentum hoc dandum sit his qui noscuntur esse indigni, ut suspectis de crimine, amentibus quoque et pueris.**

Videtur quod non sit porrigendum indignis. Dixit enim, imo et jussit Salvator : Nolite sanctum dare canibus. Sed hoc *Matth.* VII, 6. sacramentum sanctissimum est : ergo iniquis, qui canes vocantur in Scripturis, dandum non est. — Secundo, non est acquiescendum nec cooperandum impiæ voluntati ; sed iniquus petens sibi Christi corpus exhiberi, est perversæ ac impiæ voluntatis : ergo non est sibi acquiescendum in hoc. — Tertio, medicinam dare ægroto quæ ei mortifera est, est ipsum occidere ; hæc autem medicina ingratis et indignis est pabulum mortis ex parte et culpa ipsorum : ergo eis donari non debet.

Ad hoc Bonaventura respondet : Sacerdos debet dare hoc sacramentum ei quem scit esse peccatorem, si in publico petat, et peccatum ejus sit ignotum, et ipse solus hoc sciat. Si vero sit manifestus peccator, sacerdos ei nequaquam debet conferre, sive in publico petat, sive in privato, ut divinus Dionysius protestatur. Cyprianus De Eccl. hier. c. III. quoque : Sacram (inquit) communionem histrionibus dari, puto nec divinæ majestati nec ecclesiasticæ disciplinæ congruere. Ratio autem quare in prætacto casu dandum sit impiis, est quoniam nescit sacerdos an Deus velit occulte operari in illis ; item, ne prodat occultum crimen iniqui ; tertio, ne alios scandalizet ; quarto, quia occultus transgressor adhuc habet jus in facie Ecclesiæ ad ecclesiastica sacramenta, quia de occultis Ecclesia ipsa non judicat. Hæc Bonaventura. — Idem Richardus, Petrus, aliique communiter.

Responsio quoque Thomæ redit in idem, dicentis : Si sacerdos sciat peccatum ejus

qui Eucharistiam petit, ex confessione vel alio modo, distinguendum est, quia aut peccatum est occultum, aut manifestum. Si occultum, aut exigit in occulto, aut in manifesto. Si in occulto, debet ei sacerdos Eucharistiam denegare, et eum monere ne in publico petat. Tamen si petit in publico, danda est ei : quoniam pro peccato occulto publicam inferens pœnam, est revelator confessionis aut proditor criminis. Si autem pro peccato occulto liceret sacramentum negare, daretur sacerdotibus pravis facultas pro suo libito punire maxima pœna quos vellent.

Porro dum quæritur, an suspectis de crimine danda sit hostia sacra; dicendum, quod suspicio triplex est. Quædam violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio : ut si inveniatur solus et nudus cum sola et nuda. Alia est suspicio probabilis : ut si inveniatur solus cum sola frequenter in locis suspectis. Tertia est præsumpta, quæ ex levi conjectura oritur : idcirco est abjicienda. In secunda autem suspicione non debet Eucharistia denegari, ne pœna infligatur ubi culpa ignoratur. Sed de prima suspicione est idem judicium quod de peccato : idcirco si sit suspicio procedens ex publica fama, non debet taliter suspecto Eucharistia dari nec in privato neque in manifesto; si autem solus sacerdos habeat illum ita suspectum, debet dari in publico, non in privato. — Verum objici potest, quia experimentum non sumitur de crimine nisi de quo habetur suspicio. Sed corpus Christi aliquando dandum est alicui ad experimentum sumendum de peccato illius, sub verbis his : Corpus Domini sit tibi ad probationem hodie, ut dicitur in Decretis. Ergo dari debet suspectis. Dicendum, quod decretum illud abrogatum est, quoniam tales probationes pertinent ad Dei tentationem. Vel dicendum, quod intentio illius decreti non est quod talis probatio fiat, sed ut propter timorem talis probationis homines abstrahantur a furtis, etc.

Insuper, dum quæritur, an Eucharistia

A sit danda amentibus; distinguendum est. Quidam enim large dicuntur amentes, quia in ratione sunt debiles, aliquo tamen modo sunt informabiles de pertinentibus ad fidem et devotionem : quibus non oportet corpus Christi negari. Alii vero sunt omnino amentes; et si a nativitate tales fuerunt, non est dandum hoc sacramentum, quia induci non possunt ad devotionem quæ ad istud requiritur sacramentum, quamvis quidam dicant contrarium. Vel in amentiam inciderunt post fidem devo-
B tionemque sacramenti; et tunc eis debet dari, nisi de vomitu vel exspuitione aut tali aliquo periculo timeatur. Et hoc patet per id quod in Decreto habetur, causa 26, quæstione 6 : Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si dum sacerdos invitatus ad eum venit, vertitur in phrenesim, accepto testimonio ab adstantibus qui petitionem audierunt, reconcilietur, et hostia ori ejus infundatur. Atque in isto casu præcedens devotio computatur ei ad dignam præparationem et manducationem. — Dæmo-
C niacis quoque non est sacra communio deneganda, nisi constet quod pro aliquo crimine torqueantur. Unde et Cassianus fatetur : Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam. — Denique, quum ad hujus sacramenti dignam susceptionem requiratur actualis devotio, non est dandum pueris ratione nondum utentibus, quamvis quidam Græci contrarium irrationabiliter teneant. Tales etenim pueri inter cibum
D carnalem et spiritualem necdum valent discernere. Pueris vero incipientibus habere discretionem, etiam ante tempus perfectæ ætatis potest dari, quum fuerint decem undecimve annorum, aut circiter, si in eis discretionis et devotionis appareant signa. — Hæc Thomas in Scripto.

In quibus videtur obscurum quod ait, Eucharistiam dandam actu amentibus et dæmoniacis secundum modum prætactum. Idcirco communiter fertur, quod eis danda non sit, nisi dum lucida habuerint in-

tervalla, et devotionem ad sanctam communionem videantur habere. Nihilo minus Petrus, Richardus et alii multi concorditer scribunt sicut ex Thoma jam dictum est : quorum concordia sic forsitan poterit assignari, quod in articulo mortis agendum sit sicut doctores isti conscribunt, et ex generalium conciliorum probatur decretis ; ceteris vero temporibus non sit furiosis et phreneticis actu amentibus Eucharistia danda, nisi lucida habeant intervalla. Unde in tertia parte, octogesima quæstione, Doctor communis ita ex Carthaginensi allegat concilio : Si talis credatur illico moriturus, reconcilietur per manuum impositionem, et ori ejus Eucharistia infundatur.

art. 9.

Postremo, sicut Thomas de Argentina hic refert, quidam dixerunt, quod peccatori occulto indigno ad Eucharistiam publice accedenti, danda sit simulatorie hostia non consecrata, ne scandalizetur tam ipse videns sibi hostiam denegari, quam alii videntes ipsum contemni ac diffamari, et ne hostiam consecratam sumendo graviorem incurrat reatum. Istud (dicit hic doctor) pessime dictum est. Similiter S. Thomas in tertia parte dicit id nullo modo agendum. Idem dicunt Petrus, Richardus, aliique communiter. Additque Petrus : Istud nullo modo est faciendum, quia ut dicit Innocentius III, *extra* libro tertio de Celebratione Missarum, capitulo De homine, Abjicienda sunt falsa remedia veris periculis graviora. Nulla enim fieri debet fictio in sacramentis veritatis, nec debet alicui dari idololatrandi occasio, quoniam omnis qui accipit sacramentum, adorat illud, secundum Augustinum.

Quamvis autem Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto, ista concedat in casu proposito, ubi et addit simulationem talem esse inutilem, quia peccator sumens simplicem hostiam quam credit consecratam, tantum peccat ac si acciperet hostiam consecratam ; tamen eodem capitulo ubi hæc scribit, quasi propriorum verborum oblitus, dicit hanc fictionem in casu simili faciendam. Quamvis (inquiens) dictum sit, quod in sacramento Eucharistiæ nulla debeat simulatio esse, tamen in aliquo casu necesse est ibi fieri simulationem : ut si quis petat sibi Eucharistiam dari, et sacerdos ex negligentia sua nullam habeat hostiam consecratam, ille vero graviter scandalizetur nisi sibi hostia seu Eucharistia detur, debet ei sacerdos hostiam non consecratam porrigere et conferre. Nec talis simulatio est peccatum, quum sit utilis; sicut Christus utiliter finxit se longius ire. *Luc.* XXIV, 28.
— Hæc Antisiodorensis. Cujus opinio ex propriis ejus dictis destruitur, nec simulatio illa est utilis, sed nociva tam sacerdoti quam parochiano. Sacerdos enim posset scandalum subditi mitigare, dicendo : In isto casu quo hostiam consecratam non habeo, sufficit tibi bona et prompta voluntas ac manducatio spiritualis; et crede Augustino dicenti, Crede, et manducasti. Est quoque nociva parochiano, qui gravius peccat idololatrando quam scandalizando. Et si dicatur, quod ignorantia facti eum excuset; dicendum, quod non penitus excusatur, quum importune se habeat.

DISTINCTIO X

A. *De hæresi aliorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in signo.*

SUNT item alii præcedentium insaniam transcendentes, qui Dei virtutem Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 5.
juxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradicunt, asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis vel vini in substantiam carnis et sanguinis converti, sed ita

Matth. xxvi, 26. Christum dixisse, Hoc est corpus meum, sicut Apostolus dixit, Petra autem erat
I *Cor.* x, 4. Christus. Dicunt enim ibi esse corpus Christi tantum in sacramento, id est in signo, et tantum in signo manducari a nobis. Qui errandi occasionem sumunt
De Consecr. dist. ii, c. 44. a verbis Veritatis, unde prima hæresis facta est in discipulis Christi. Quum enim
Joann. vi, 54. diceret, Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non
Ibid. 61, 67. habebit vitam æternam; illi non intelligentes dixerunt : Durus est hic sermo; quis potest eum audire? et abierunt retro. Illis discedentibus, instruxit duodecim qui
Ibid. 64. remanserant : Spiritus est, inquit, qui vivificat; caro nihil prodest. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Intellexisti spiritualiter? Spiritus et vita sunt. Intellexisti carnaliter? Etiam sic spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt. Spiritualiter intellige quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter a vobis intellectum, vivificabit vos; caro autem non prodest quidquam. — Sunt etiam et alia illorum insaniæ fomitem mini-
Aug. in Joann. tract. 30, n. 1. strantia. Ait enim Augustinus : Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus; sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit, in
Id. Epist. 187, n. 10. uno loco esse oportet; veritas autem ejus ubique diffusa est. Item : Una persona est Deus et homo : ubique per id quod est Deus; in cœlo per id quod homo est.
Matth. xxvi, 11. Christus dicit etiam : Pauperes semper habetis vobiscum, me autem semper non habebitis. His aliisque utuntur præfati hæretici in assertionem sui erroris.

B. *Determinatio præmissorum.*

Quæ ex eadem ratione omnia accipienda sunt. Non enim verbis his negatur verum corpus Christi a fidelibus sumi, vel in altari esse; sed his Veritas Apostolos, et in eis nos instruxit, quod ipsius corpus non per partes discerptum, ut putaverunt illi discipuli qui retro ierunt, sed integrum; nec visibiliter in forma humana, sed invisibiliter sub forma panis et vini corpus et sanguinem nobis traderet. Quem
De Consecr. dist. ii, c. 45. Aug. in ps. 98, n. 9. sensum Augustinus confirmat, dicens : Ipsum quidem et non ipsum corpus quod videbatur, manducatur; ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter. Item : Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen invisibiliter intelligi. Ita etiam intelligendum est corpus Christi esse in uno loco, scilicet visibiliter in forma humana. Veritas tamen ejus, id est divinitas, ubique est; veritas etiam ejus, id est verum corpus, in omni altari est, ubicumque celebratur. Sic etiam illud intelligendum est, Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis : secundum corporalem præsentiam scilicet, qua cum eis conversabatur. Similiter per id quod homo est, in cœlo est, scilicet visibiliter; invisibiliter autem est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis et vini operitur. Unde et invisibilis caro ejus dicitur, quæ vere est in altari; sed quia in specie sua non
De Consecr. dist. ii, c. 48. apparet, invisibilis dicitur. Ait enim Augustinus : Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus

constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine : sacramento, et re sacramenti, id est corpore Christi; sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, quum Christus sit verus Deus et homo : quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus : sacramento, et re sacramenti, id est corpore Christi. Est ergo sacramentum, et res sacramenti, id est corpus Christi. — Ecce invisibilem dixit carnem Christi, quia forma panis operta sumitur et tractatur. Idemque corpus Christi dixit esse sacramentum et rem : ex quo confirmatur quod supra diximus. Deinde addit quod magis movet lectorem : Caro (inquit) ejus est, quam sub forma panis opertam in sacramento accipimus; et sanguis ejus, quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis : carne et sanguine, utroque invisibili, intelligibili et spirituali, significatur corpus Christi visibile et palpabile, plenum gratia et divina majestate. De Consecr. dist. II, c. 48.

C. *Quæ sit intelligentia præmissorum.*

Attende his diligenter, quia tropo quodam utitur hic Augustinus, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula quas significant. Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis; et visibilis species vini, nomine sanguinis. Invisibilis vero et intelligibilis dicitur caro Christi, quia secundum illam speciem non videtur caro, sed intelligitur; ita et sanguis. Caro ergo invisibilis dicitur esse sacramentum carnis visibilis : quia species panis, secundum quam illa non videtur caro, est sacramentum carnis visibilis, quia carne invisibili, id est specie, secundum quam caro Christi non videtur caro, significatur corpus Christi, quod est visibile et palpabile ubi in sua forma apparet. Ita et de sanguine accipi debet. Quem sensum confirmat Augustinus, aperiens qualiter prædicta intelligenda sint, quia obscure dixerat; consequenter dicens, ita panem vocari corpus Christi, quum vere sit sacramentum corporis Christi quod in cruce positum est : sicut ipsa immolatio quæ fit manibus sacerdotis, vocatur Christi passio, non rei veritate, sed significandi* mysterio, et sicut Sacramentum fidei dicitur fides. — Satis responsum est hæreticis, et objectionibus eorum qui negant verum corpus Christi in altari esse, et panem in corpus, vel vinum in sanguinem mystica consecratione converti, dicentes : Quis audeat manducare Dominum suum? Quis etiam audeat dicere, quotidie formari corpus Christi de materia vel substantia quæ non fuit caro Virginis? Ibidem. * significante

D. *Auctoritatibus probat, verum corpus Christi esse in altari, et in id panem converti.*

Hæc et his similia objiciunt illi, in divino mysterio legem naturæ sectantes, quorum perfidiam subdita convincunt testimonia. Ait enim Veritas : Accipite, hoc Hugo. Summa Sent. tract. VI, c. 5.

Ambr. de Myster. n. 52. est corpus meum. Item Ambrosius : Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret; non valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet? De totius mundi Ps. CXLVIII, 5. operibus legitur, Quia ipse dixit, et facta sunt, etc. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non * rebus erant? Non enim minus est creare, quam mutare novas naturas rerum *. Item : Si Ambr. op. cit. n. 53. ordinem naturæ quærimus, viro mixta femina generare consueverat. Liquet ergo quod præter naturæ ordinem Virgo generavit; et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid ergo hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, quum præter Ibid. n. 54. naturam sit ipse partus ex Virgine? Item : Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis, Amen, id est, verum est : quod De Consecr. dist. II, c. 41. sermo sonat, affectus sentiat. Item Augustinus : In specie panis et vini quam videmus, res invisibiles, id est carnem et sanguinem, honoramus; nec similiter comprehendimus has duas species sicut ante consecrationem comprehendebamus, quum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit; post consecrationem vero, carnem Christi et sanguinem, quod benedictio consecra- Ambr. de Sacram. lib. IV, n. 14. vit. Item Ambrosius : Panis est in altari usitatus ante verba sacra; ubi accessit consecratio, de pane fit Christi caro. Quomodo autem potest quod panis est, esse Ibid. n. 15. corpus Christi? Consecratione, quæ fit sermone Christi. Item : Si tanta vis est in sermone Domini, ut incipiant esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum, fit De Consecr. dist. II, c. 72. sanguis consecratione verbi cœlestis. Item Augustinus : Sicut per Spiritum Sanctum vera Christi caro sine coitu creatur, ita per eumdem ex substantia panis et vini idem corpus Christi et sanguis consecratur. Corpus Christi et veritas est et figura : veritas, dum corpus Christi et sanguis virtute Spiritus Sancti ex panis vinique substantia efficitur; figura vero est id quod exterius sentitur. Item Eusebius Emi- Ibid. c. 35. senus : Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat. — Ex his aliisque pluribus constat, verum corpus Christi et sanguinem in altari esse, imo integrum Christum ibi sub utraque specie, et substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem converti.

SUMMA

DISTINCTIONIS DECIMÆ

In præsenti distinctione tangit ac reprobat Magister quemdam aliquorum errorem circa Eucharistiæ sacramentum, dicentium in superdignissimo Sacramento altaris non contineri vere realiter corpus ac sanguinem Salvatoris, sed significative dumtaxat, seu quasi in signo. Et circa hoc ponit verba Veritatis, ex quorum erronea expositione ac pravo intellectu, imo potius rudi, falsa atque hæretica ignorantia, occasionem suæ sumpserunt insaniæ. Quo-

rum verborum verum et catholicum sensum introducit Magister, et verba quædam B. Augustini obscura elucidat, ac deinde auctoritatibus Scripturæ canonicæ atque Sanctorum probat, in sancto et glorioso sacramento innumerabilibus præclarissimis miraculis, gratiosissimis quoque supernaturalibus effectibus, experimentis ac sentimentis desuper comprobato ac confirmato, corpus et sanguinem unigeniti Filii Dei verissime ac prorsus ineffabiliter ac incomprehensibiliter contineri.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur primo, **Utrum in hostia et Sacramento altaris, sub speciebus panis corpus Dei incarnati, et sub speciebus vini sanguis ipsius, realiter contineantur, et qualiter ibi sint.**

Videtur quod non, quoniam omne corpus exsistens in aliquo, circumscribitur loco et commensuratur eidem, nec potest simul in pluribus esse locis : sicque corpus Christi esset valde pusillæ quantitatis, et sub formis modicissimi panis concluderetur, ita quod terminos hostiæ non exiret. — Insuper multa absurda, irrationabilia et prorsus incredibilia sequerentur, ut quod aliquid converteretur in præexsistens, quod idem simul et semel moveretur atque quiesceret, et ad diversos situs accederet. — Item, quod corpus Christi jam glorificatum, variis transmutationibus subjaceret, et quod inciperet ac desineret esse in variis locis absque sui mutatione, imo sine suo accessu et recessu : quod contradictionem videtur includere. — Præterea, quum intentio Filii Dei exstiterit, homines ad saluberrimam inducere fidem, videtur quod non decuit eum ista docere per quæ homines avertuntur a fide, et quæ irrisionem provocant infidelium contra fidem : imo crudelitatem insaniamque videtur sonare, ut quod corpus Domini Dei nostri

A edamus et sanguinem ejus potemus. Unde et Averroes, in philosophia præclarus, dixit : Mundum peragravi, et diversas sectas inveni, et nunquam reperi tam fatuam sectam et legem ut sectam Christianorum, quoniam Deum suum, quem colunt, propriis dentibus devorant.

In oppositum est sacra Scriptura, ac fidei christianæ doctrina, ac totius Ecclesiæ summa auctoritas.

Circa hæc scribit Guillelmus Parisiensis
B in suo Sacramentali : Tentabimus demonstrare, quod panis vitæ, Christus Dominus, in forma humanitatis quam assumpsit pro nobis, ex necessitate est in mensa altaris, facta benedictione sacerdotali ; et quod caro ejus cibus sit animarum, et sanguis ejus potus sit earum, faciemusque sciri qualiter hoc sit. Quoniam ergo in tractatu Cur Deus homo, ostendimus Filium Dei pro nobis assumpsisse et exercuisse specialiter tria officia, utpote sacerdotis et advocati ac medici (sacerdos
C enim Christo inferior non poterat sacramentando sufficere generi humano ac curæ totius Ecclesiæ ; nec per advocatum Christo minorem causa totius generis humani poterat agi ; læsiones quoque, morbi ac vulnera, imo et mortes ejusdem per medicum et medicinam minorem curari nequibant), quumque in officio Missæ hæc tria agantur et comprehendantur officia, ipsemet Christus in officio Missæ necessario agit hæc tria officia. Nulli quippe fidelium dubium est, ipsum Missæ officium
D esse sacramentationem et sanctificationem totius populi Dei. Et quia fidelissimum sacerdotem necesse est advenire, si commode fieri possit, ad sacrandum populum Dei, vocatur summus iste sacerdos ad munus per insinuationem. Necesse est ergo ipsum advenire in officio Missæ, ut in ea adimpleat sacrationis et sanctificationis officia : venire, inquam, in eo seu quantum ad id quod sacerdos est. Non est autem sacerdos nisi in eo quod homo, et in forma humana : idcirco secundum hanc

naturam oportet eum in officio Missæ vere præsentem consistere. Amplius, quoniam sacerdotale officium, quod est sanctificatio populi, non expletur nisi per hostiam qua gratia sanctificationis populo impetratur. Nulla vero hostia impetrare hanc potuit, nisi quam ipse in crucis obtulit ara, hoc est ipsemet, secundum quod
Hebr. IX, 26. ait Apostolus ad Hebræos, quia semel in consummatione sæculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit.
Ibid. X, 10. Itemque : Sanctificati (inquit) sumus per oblationem corporis Christi Jesu semel. Necesse est ergo ex suscepto sacerdotali officio, ipsum in Missæ officio advenire ad Dei populum sanctificandum.

Denique, idem declaratur de ipso, in quantum est advocatus fidelis, quia fidelis advocatus necesse habet personaliter interesse causæ quam totam suscepit agendam, quoties actio causæ requirit. Porro in Missa agitur causa totius Ecclesiæ coram Patre æterno, per sacerdotem tanquam per procuratorem; et ipse Christus secundum quod homo, summus est sacerdos, procurator et advocatus in causa hac : idcirco secundum assumptam humanitatem oportet eum ibi adesse, sicque adsistere procuratori sacerdoti inferiori, præsertim quoniam causa ista non agitur nisi per interpellationem : quæ non nisi ex ore illius digna est suscipi, et per munus quod ipse est, quod et nisi ipsemet obtulerit, Deo Patri nequit esse acceptum.

Tertio idem probatur, in quantum ipse est medicus. Medicum quippe fidelem oportet personaliter visitare infirmum quem suscepit curandum, quoties requirit ipsa infirmitas, hoc est, unguentis ac medicinis ægrum invisere, si medico sit possibile; nec ambiguum quin medico huic sint possibilia universa. Quumque tota Ecclesia et quælibet ejus persona medicamine egeat multiplici ad sui curationem, conservationem, præservationem aut confortationem, necesse est ipsum quoties necesse fuerit, advenire. Opus est autem, quoties

A de ejus medicatione agitur, et sanationi ejus intenditur. Quumque Missa ad ista agatur quatenus ægro medicationis officium impendatur, sanitatisque beneficium condonetur, oportet hunc medicum Missæ officio interesse cum omnium spiritualium alabastro unguentorum in cruce confracto et effuso, hoc est cum carne sua, quæ facta est cataplasma contra omnes dolores et læsiones spirituales, tanquam antidotum solidissimum atque firmissimum adversus omnes humores noxios vi-
B tiorum, ac demum cum sanguine suo, qui est velut syrupus mulcebris ac suavis atque tanquam medicina liquida, valens contra omnes animarum languores. Quod si pater carnalis ex naturali pietate panem porrigit filiis suis in mensa, quanto magis Pater spirituum in mensa altaris panem vitæ exhibet cunctis sperantibus in se ? — Hæc Guillelmus. Qui istam disputationem ac piam fidei persuasionem diffuse prosequitur, quum et hoc summe caritatem inflammet, quod Christus se ipso, hoc est
C corpore suo ac sanguine suos alit, ditat, impinguat fideles. Patet quoque ex his, quod Missæ celebratio non est nisi sanctificatio populi per invocationem nominis Dei et sacrificium, ac ventilatio causæ populi coram Deo per preces et munera, credentium quoque medicatio ac spiritualis potionatio per antidotum et syrupum.

Hinc Thomas disseruit : In hoc sacramento verum corpus Christi continetur quod traxit ex Virgine; et oppositum dicere, est hæreticum. Cur autem eccle-
D siasticorum sacramentorum perfectio id requirat, ut in uno eorum Christus substantialiter contineatur, et nobis jungatur ut alimentum, dictum est supra frequenter. *Cf.* dist. VIII, q. 3; IX, q. 1. Nam et caput membris ita conjungi rationabile est et salubre. Multæ quoque aliæ utilitates ac salubritates inde sequuntur, ut inflammatio caritatis, sublevatio spei ex tam familiari conjunctione ejus ad nos, et maximum meritum fidei, qua tam multa mira et incomprehensibilia in hoc sacramento creduntur. Nec explicari va-

let, quam multi et saluberrimi effectus A nobis ex isto proveniant sacramento. Unde si ea quæ fidei sunt, sapienter ac spiritualiter intelligantur, nullus horror, nulla crudelitas, nulla irrisio ex hac Christi præsentia et manducatione sequuntur. Nec corpus Christi est ibi commensurative, localiter, per propriam quantitatem directe, quamvis propria ejus quantitas ibi sit concomitanter, ut infra dicetur.

Præterea si quæratur, an Christus contineatur in sacramento quantum ad animam, respondendum, quod in hoc sacramento B aliquid continetur dupliciter : primo, ex vi sacramenti; secundo, ex concomitantia naturali. Primo modo continetur ibi id ad quod conversio terminatur. Et quid sit hoc, ex tribus sciri potest. Primo, ex parte ejus quod convertitur : non enim convertitur materia sacramenti, nisi in id cum quo similitudinem habet secundum suæ proprietatem naturæ, sicut vinum in sanguinem. Secundo, ex significatione formæ verborum, cujus virtute fit conversio ipsa : in id ergo conversio terminatur quod C significatur per formam. Tertio, ex usu sacramenti : quia quod pertinet ad cibum, continetur sub specie panis ex vi sacramenti; et quod spectat ad potum, sub specie vini. Ex naturali autem concomitantia et quasi per accidens, continetur sub sacramento illud quod per se non est terminus conversionis, sed sine quo terminus conversionis esse non valet. Quumque anima Christi non habeat similitudinem cum substantia panis nec vini, nec in forma sacramenti mentio fiat de ani- D ma, nec anima conveniat ad usum sacramenti, qui est manducare ac bibere; constat quod ad animam non terminetur conversio panis nec vini, sed ad corpus et sanguinem Christi, quæ non sunt modo realiter separata ab anima ejus : ideo anima non continetur ibi vi sacramenti, sed naturali concomitantia ad corpus quod vivificat. Hinc si panis fuisset in triduo sepulturæ conversus in corpus Christi, non fuisset anima ibi. Et quod dictum est de anima, intelligendum est de Christi deitate, nisi quod illa ubique est, etiam sine sacramento.

Quæritur quoque, an Christus contineatur sub speciebus panis solum secundum carnem animatam. Dicendum, quod duplex est usus sacramenti istius, videlicet manducare et bibere. Manducare autem est usus cibi sicci; bibere vere usus est humidi cibi. Ideo sub specie panis ex vi sacramenti continetur non solum caro, sed etiam ossa et omnes hujusmodi partes; non autem sanguis, qui ex vi sacramenti est sub forma vini : quamvis ex concomitantia naturali, sub specie panis sit sanguis, et sub specie vini caro.

Conformiter quantitas et cetera accidentia corporis Christi sunt in sacramento ex concomitantia naturali, quia in ea non convertitur substantia panis. Contrario quoque modo sunt ibi dimensiones corporis Christi, dimensionesque corporis locati in loco. Substantia namque corporis locati non habet ordinem ad locum nisi per suas dimensiones; quumque dimensiones corporis locati nequeant simul esse cum dimensionibus aliis, consequens est quod substantia corporis locati non possit simul esse cum aliis dimensionibus, neque separatis, neque in alio corpore exsistentibus. Econtrario autem substantia corporis Christi per se immediate ordinatur ad hoc quod sit sub sacramento; et dimensiones ejus propriæ, ex consequenti atque per accidens. Substantia vero ex hoc quod est substantia, non prohibetur simul esse cum dimensionibus quibuscumque, sive conjunctis, sive separatis, aut exsistentibus in alio subjecto : quemadmodum substantia angeli potest simul esse cum alio corpore. Hinc corpus Christi potest sub propria quantitate esse sub dimensionibus panis. — Insuper corpus Christi est in sacramento secundum totam suam quantitatem. Nam sicut corpus Christi non separatur a propria quantitate, ita una pars quantitatis non separatur ab alia. Quemadmodum etiam illa quæ non habent quan-

titatem, possunt indifferenter esse et contineri A in magna et parva quantitate, ut patet de anima, quæ indifferenter est in corpore magno et parvo ; sic id quod non ratione suæ propriæ quantitatis continetur sub aliqua quantitate, potest indifferenter esse sub magna quantitate et parva. Et ita est de Christo et corpore ejus in sacramento.

Verum his objici potest, quoniam quandocumque sub aliqua quantitate extrinseca continetur aliquod corpus habens partes distinctas secundum suam intrinsecam B quantitatem totam, contingit assignare sub qua parte quantitatis illius singulæ partes contineantur. Sed corpus Christi quum sit organicum, habet partes distinctas. Si ergo secundum totam suam quantitatem continetur sub dimensionibus panis, erit assignare ubi sit caput ejus et manus et pes : quod est impossibile, quia parvitas quantitatis hostiæ non permittit talem distinctionem partium in corpore Christi. — Dicendum, quod situs præsupponit quantitatem; et quoniam C quantitas Christi nullam habitudinem habet ad dimensiones panis, ideo etiam situs partium corporis Christi nullam habitudinem seu commensurationem habet ad panis dimensiones. Hinc quamvis corpus Christi, prout est sub sacramento, habeat partes distinctas et situatas situ naturali, non tamen est assignare in partibus dimensionum panis, ubi singulæ partes corporis Christi consistant. Nec ideo sequitur, quod corpus Christi confusum sit, quoniam partes ejus ordinem habent inter D se, sed secundum ordinem illum non comparantur ad dimensiones exteriores. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus continentur quæ super his scribit in tertia parte, quæstione septuagesima sexta; scripta quoque Alberti.

Petrus vero addit : Quidam dixerunt, quod corpus Christi est in altari sine sua quantitate, secundum substantiam solum, quia est ibi ut cibus spiritualis, atque ut terminus conversionis substantiæ panis in ipsum. Alii verius dicunt, et communiter sic tenetur, quod ibi est corpus Christi quantum, sed non modo quantitativo. Nam licet sit ibi quantum, non tamen comparatur ad speciem panis ut quantum. Sicut enim, quamvis sit ibi clarum, non tamen sua utitur claritate illuminando speciem; ita quamvis sit ibi quantum, non tamen utitur quantitate occupando locum, sicut et Deus facere potest ut sit ignis hic, non tamen exerceat actum combustionis. Hæc Petrus.

Idem Richardus, et addit : Corpus Christi est in sacramento cum propria quantitate, quæ tamen non circumscribitur quantitate aut specie panis, sub qua realiter continetur. Quantum enim circumscriptive contentum ab alio quanto, commensuratur ei, ita quod pars parti correspondet. Quantitas autem corporis Christi non commensuratur parti speciei, imo est sub qualibet parte hostiæ tota. Quantum enim quod commensuratur alii quanto, applicatur ei primo et per se ac immediate per suam quantitatem. In sacramento autem est contrario modo, quoniam quantitas corporis Christi est sub specie panis per substantiam corporis, quæ per se primo et immediate sub illa specie continetur. Hæc Richardus.

De his quoque scribit Bonaventura idonee ac devote; suntque sententialiter præhabita quæ conscribit. Reprobat etiam opinionem prætactam dicentium, quod Christus est in sacramento sine propria quantitate. Nam corpus Christi est corpus naturale, vivum, organicum, quod nec esse nec intelligi potest sine quantitate ipsius, sine qua quamvis per omnipotentiam Dei possit esse, non tamen bene esse.

Porro Durandus probat corpus Christi in hoc sacramento realiter contineri : quia secundum Augustinum libro LXXXIII Quæstionum, circumstantia Scripturæ exponit Scripturam, an verba ejus intelligenda sint proprie, vel figurative. Verbi gratia Christus ait : Ego sum vitis vera. *Joann.* xv 1. Si volumus scire, an hoc di-

ctum sit proprie an figurative, pensamus A quod sequitur, Et vos palmites. Et constat, quod Apostoli non erant proprie palmites : ergo nec Christus fuit proprie, sed metaphorice vitis. Sic in proposito Christus dixit, Hoc est corpus meum ; et subjunxit, Quod pro vobis tradetur. Quumque verum et reale corpus ejus pro nobis sit traditum, certum est quod de vero et naturali suo corpore dixit. Hoc ergo corpus cum sua quantitate in hoc sacramento consistit. Quamvis enim de intrinseca ratione sit quantitatis, habere positionem in B toto, ut una pars sit extra aliam ; tamen de ratione ejus non est positio quæ est ordo partium respectu continentis seu loci, quæ positio ad prædicamentum pertinet situs : quoniam sine tali positione potest quantitas inveniri, sicut ultima sphæra non habet illo modo partium positionem, nec corpus Christi in sacramento ; sed divina virtute corpus Christi et quantitas ejus separantur ab habitudine ista ad locum, non solum ut non sint in loco continente, sicut nec ultima sphæra, sed etiam ut præ- C sentes loco non ei commensurentur, imo indifferenter se habeant ad totum et ad partem. Confirmatur hoc idem, quoniam actus calidi in habitudine ad alterum, est calefacere illud : sic actus quantitatis in ordine ad alteram, est continere illam, vel contineri ab illa, vel ei commensurari. Quemadmodum ergo virtute divina fieri potest, et factum est sæpe, quod calidum applicatum calefactibili, illud non calefecit, ut patet de tribus pueris in fornace æstuanti illæsis ; sic fieri potest quod D quantitas præsens alteri quantitati, non contineat eam, nec contineatur ab ea, nec ei commensuretur. Hæc Durandus.

Joann. XV, 5. — I *Cor.* XI, 24. — *Dan.* III, 50.

Consonat Scotus, et addit magnam esse difficultatem, qualiter quantum possit simul esse cum quanto, loquendo de quantis habentibus modum quantitativum : quæ difficultas est minor, dum non habent, vel unum eorum non habet, modum quantitativum, ut in proposito. Et de hoc infra dicetur in materia de corporibus gloriosis.

Nunc autem videndum, quomodo possibile sit corpus Christi esse in altari sine sui mutatione locali. Et dicunt quidam hoc esse per conversionem panis in ipsum. — Contra quod objicit modis variis, et tamen illum modum assignant doctores præcipui. Nec videntur ponderis alicujus quæ objicit contra hoc, sicut quod arguit : Per nullam mutationem habetur per se illud quod est posterius suo termino per se ; sed præsentia corporis est posterior corpore ipso. Quod faciliter solveretur, quum sint plures modi dicendi *per se ;* nec oportet quod id quod habetur per aliud, habeatur per illud per se. Et breviter tot difficultatibus materiam hanc involvit, ut videatur obscuratio, non elucidatio esse.

Postremo, in tractatu quodam de Sacramento altaris magistrali, qui Ægidio de Roma adscribitur, continente theoremata quinquaginta, asscritur : Corpori Christi exsistenti sub hostia competit positio (seu situs) quæ est differentia quantitatis, non autem quæ est prædicamentum. Corpus etenim Christi prout sacramentaliter est in altari, loco circumscribi non potest : idcirco non competit ei ibi situs qui est prædicamentum. Nempe, ut Commentator quinto Metaphysicæ ait, positio seu situs quemdam partium ordinem importat, ut etiam ibidem ait Philosophus. Ordo autem partium duplex est, utpote, ordo partium in toto, et ordo earum in loco : et prout partes ordinantur in toto, consurgit inde positio quæ est differentia quantitatis ; sed prout ordinantur in loco, accipitur inde positio quæ est prædicamentum. Uterque autem hic ordo provenit ex quantitate aliter et aliter sumpta. Quemadmodum enim qualitates comparationem duplicem habent, unam ad sua subjecta, secundum quam convenit eis dare esse accidentale subjectis ; aliam ad objecta sive ad exteriora, secundum quam sunt principia actionum, et causa ratiove agendi (sicut calor per comparationem ad subjectum dat esse calidum, sed prout comparatur ad calefactibile, est calefacien-

Theor. 6.

di principium): sic et quantitas prout comparatur ad subjectum, competit ei dare esse quantum subjecto, quod habet esse quantum a quantitate; prout autem comparatur quantitas ad exteriora, est ratio quare aliquid sit in loco. Sicut ergo calor potest dare esse calidum suo subjecto absque hoc quod aliquid extra se calefaciat; sic quantitas potest suo subjecto conferre esse quantum sine hoc quod per quantitatem comparetur ad locum, aut localiter exsistat in aliquo. Hinc verum est quod communiter dicitur, Christum sub hostia esse quantum, non quantitative. Est enim in eo quantitas propria subjective, non tamen per eam comparatur ad locum. Hæc Ægidius.

QUÆSTIO II

Rursus hic quæritur, **An corpus Christi sit in sacramento circumscriptive aut definitive; et si non, qualiter sit ibidem.**

Videtur quod circumscriptive aut commensurative sit ibi, quum sit quid materiale finitum, figuratum, organicum, et omne tale est circumscriptum et loco commensuratum. — Secundo, quoniam est in hostia altaris, et non extenditur ultra terminos ejus : sicque limitatur et circumscribitur ibi, et circumscribi videtur tam superficie propria, quam superficie continentis.

Arguitur quoque, quod sit ibi definitive. Nam omne creatum est finitum ac definitum, utpote terminatum. Sed modus essendi sequitur ipsum esse. Sicut ergo ipsum esse rei finitum est, ita et modus essendi in loco, et sic definitive est in loco. — Iterum, angelus qui est simplex forma, est in loco definitive : ergo multo plus corpus Christi, quum angelus plus distet a natura loci quam corpus quodcumque.

In oppositum est, quod corpus Christi in
quæst. 1. hostia loco non commensuratur, ut patuit, et simul in pluribus speciebus ac hostiis est.

A Circa hæc in prætacto tractatu scribit Ægidius : Corpus Christi in Sacramento theor. 4.
altaris circumscriptive non est. Sunt autem nonnulli qui imaginationem transcendere non valentes, quum audiunt verum corpus Christi esse sub speciebus panis, credunt corpus illud dimensionibus panis commensurari, ut in superiori hostiæ parte sit caput, et in inferiori pedes : quod stultum est æstimare. Quod enim aliquid alicubi circumscriptive exsistat, est quoniam quantitas locati univoce comparatur
B ad quantitatem loci. Ideo corpora exsistentia in loco per propriam quantitatem, circumscriptive in loco sunt : eo quod ratio quanti univoce dicitur de corpore locato et locante. Si autem substantia separata, ut angelus, operaretur circa aliquod corpus, in illo secundum suam virtutem exsistens, non circumscriberetur ibidem, eo quod ratio quanti non dicitur univoce de quantitate virtutis et quantitate molis : multoque minus corpus Christi potest esse in hostia circumscriptive, quum dictum sit *Cf.* p. 253
C substantiam corporis Christi non esse in et s.
sacramento mediante quantitate, sed quantitatem mediante substantia. Denique extendendo nomen magnitudinis ad rationem substantiæ, ita quod sicut in substantia secundum se sumpta ponimus rationem finitatis et infinitatis : sic et si magnitudinem ibi ponamus, inveniemus magnitudinem magis æquivoce dici de magnitudine molis respectu magnitudinis substantialis, quam respectu magnitudinis virtualis. Quum enim magnitudinem attribuimus re-
D bus ratione finitatis aut infinitatis, quum finitas et infinitas magis æquivoce dicantur de magnitudine molis respectu substantiæ, quam respectu quantitatis virtualis, magnitudo quoque de eis dicetur magis æquivoce. Dicitur namque magnitudo molis finita, quia determinatum occupat locum, vel quoniam inter determinata clauditur puncta, determinatosve terminos ; infinita vero, quæ clausionem terminorum non habet. Sic et quantitas virtualis vocatur finita, quoniam potest in determina-

tum objectum, ultra quod se non valet extendere. In substantia vero reperitur finitas, solum ex eo quod determinatur ad genus et speciem. Minus ergo competit corpori Christi secundum quod est in sacramento, circumscribi et commensurative esse in loco, quam angelo.

theor. 3. Nec etiam est ibi definitive. Arguunt tamen rationis ignari, fidem impossibilia ponere, quum unum et idem numero corpus dicamus simul esse in cœlo et in altari, imo in altaribus et hostiis valde multis. Ad quod aliqui responderunt, quod corpus hoc est in cœlo secundum proprias dimensiones, in altaribus autem secundum dimensiones panum conversorum in ipsum, et ita quasi per accidens. Quod quamvis sit verum, tamen difficultatem non removet. Nam diceret aliquis, nec per se neque per accidens idem corpus posse simul in diversis exsistere locis. Oportet ergo assignare modum et rationem istius *per accidens*, cur corpus Christi sub speciebus illis non definitur. Itaque advertendum, quod aliquid definiri, est ipsum finiri seu terminari : propter quod (secundum Philosophum) definitio terminus appellatur. Aliter autem competit finitio rei, ut est substantia, et ut est quanta. Nempe ut substantia finitur quælibet res creata, quia determinatur ad certum genus ac speciem, certumque modum individuationis ; sed prout res est quanta, determinatur per locum. Secundum ergo quod rei competit alia et alia quantitas, secundum hoc competit ei diversimode loco definiri. Nam quæ habent quantitatem dimensivam, definiuntur loco per commensurationem, et ita se commensurant uni loco, quod non alteri. Quæ vero habent quantitatem virtualem, definiuntur loco per operationem. Si ergo aliquid esset alicubi solum ratione substantiæ suæ, et quantitas ejus esset ibi tantum propter ordinem naturalem quem ad substantiam habet, illi rei competeret finitas sequens naturam substantiæ, non illa quæ sequitur naturam quanti, prout res per quantitatem ad alia comparatur.

A Quumque ex vi sacramenti, corpus Christi sit in altari ratione substantiæ, et per quantitatem ibi non comparetur ad alia, quoniam finitas substantiæ non concernit determinationem situs, sed generis ac speciei ; sufficit corpus Christi prout in altari est, determinari ad illud genus ac speciem, individuationisque modum, ad quæ determinatur ut est in cœlo, non ad eumdem situm, quum talis finitas competat quantitati prout res per eam comparatur ad locum. Et ita illius *per accidens*, cujus B causa quærebatur, assignata est ratio. Unde etiam constat, corpus Christi ut est in cœlo, non posse alibi esse, nisi inde recederet. Attamen prout est in uno altari, potest et in alio esse, quum non sit ibi prout ei competit finitas situs, sed finitas speciei. Propter quod si totum universum esset panis, inconveniens non esset corpus Christi esse ubique. Verumtamen corpus Christi secundum quod est in altari, aliquo modo determinatur ad locum : alias nec per se, neque per accidens competeret sibi C moveri. Sed quia dimensiones panis per quas ibi est, sunt finitæ et in loco, etiam corpus Christi determinatur ad locum illum, et est in loco per accidens, non tamen definitive, quum hujusmodi dimensiones sint in variis locis, loquendo de eis secundum identitatem in specie. — Hæc Ægidius.

Qui de his more suo scribit prolixe. In cujus verbis videtur obscurum quod dicit, corpus Christi esse in altari et hostia ratione suæ substantiæ, præsertim quum et D ipse frequenter testetur, substantiæ rei non competere secundum se esse alicubi seu in loco. Ideo sicut patebit, verior est positio S. Thomæ, quod corpus Christi sit in altari et in ista vel illa hostia ratione conversionis panis, seu ratione sacramentalium specierum sub quibus remanet ibi. Imo, quum substantia corporis Christi sit una et eadem numero ac finita, non videtur ratione suæ substantiæ sibi competere in pluribus hostiis esse. Nec substantia corporis dominici aliquam habet rationem,

determinationem ac habitudinem exsistendi sub speciebus hostiarum altaris, nisi ex conversione substantiæ panum earumdem hostiarum in ipsum, et deinde ratione sacramentalium remanentium specierum, prout hoc infra declarabitur plenius.

Præterea Thomas ad quæsita respondet: Locus dicitur circumscribere locatum ex eo quod in circuitu describit figuram locati, quoniam proprii loci atque locati oportet unam esse figuram. Figura autem est qualitas circa quantitatem. Quumque corpus Christi non habeat ordinem ad species sub quibus continetur mediante quan-
Cf. p. 253 B' et s.
titate, sed econtra, ut dictum est; ideo nec figura corporis Christi correspondet figuræ specierum, ut patet ad sensum. Idcirco corpus Christi non est sub speciebus circumscriptive, et per consequens non est in eis sicut in loco : quoniam nihil per se et proprie est in loco ut in loco, nisi quod circumscribitur eo. Unde comparatio corporis Christi ad species sub quibus est, non est similis alicui comparationi naturali : idcirco non potest reduci, proprie loquendo, ad aliquem modum *exsistendi in,* a Philosopho assignatum. Aliquam tamen similitudinem habet cum modo quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est ejus causa. Sicque etiam Innocentius Papa dicit corpus Christi esse in pluribus locis, quoniam continetur sub pluribus speciebus.

Insuper non est sub speciebus definitive, quia ad hoc quod aliquid sit definitive in loco, duo requiruntur. Primum est, ut competat ei ibi esse, quia quod non est in loco, non valet definiri in eo. Secundum est, quod sit ibi sicut in loco commensurato aliquo modo suæ quantitati seu virtuti. Corpus namque bicubitale non definitur unius cubiti loco, quamvis aliquo modo sit ibi. Nec anima est definitive in manu, quum in aliis quoque sit membris ac partibus corporis : quia non est in manu secundum totam suam virtutem. Hinc

A omne quod habet quantitatem finitam aut finitam virtutem, oportet quod sit definitive in loco in quo est. Corpus autem Christi quamvis sit vere sub speciebus, non tamen competit sibi esse ibi ratione sui : quoniam neque ratione suæ quantitatis, neque ratione suæ virtutis, sed ratione ejus quod in ipsum conversum est, cujus dimensiones manent, quibus ad locum illum determinabatur : idcirco non definitur loco illo, sed simili modo potest esse alibi, ubicumque fuerint dimensiones panis conversi in ipsum. B Ratione vero propriæ quantitatis convenit ei esse tantum in uno loco; sed non ratione propriæ quantitatis habet quod sit ubi consecratur, sed magis ex alterius conversione in ipsum. — Hæc Thomas in Scripto.

Quibus Petrus concordans : Corpus (inquit) Christi comparatur ad speciem et ad locum speciei. Ad speciem panis non comparatur sicut ad locum, sed ut ad signum signati contentivum. Ad locum vero speciei comparatur sicut ad locum, tamen per C accidens, non per se : quia non secundum se, sed specie mediante. Quemadmodum anima comparatur ad corpus et ad corporis locum, sed ad corpus tanquam ad perfectibile, non ut ad locum, quia locatum oportet a loco esse separatum; atque ad corporis locum, per accidens, utpote corpore mediante. Locus demum per accidens configuratur locato per se, non locato per accidens : sicut locus hominis configuratur corpori ejus, non animæ. Hinc locus speciei sacramentalis configuratur speciei, D non corpori Christi. Quod autem corpus Christi non sit in specie sicut in loco, probatur : quia locatum comparatur ad locum secundum quantitatem suam primo et per se, nec substantia replet aut occupat locum nisi mediante quantitate. Corpus vero Christi comparatur ad speciem, in quantum est quædam substantia primo et per se : nam substantia panis in substantiam corporis est conversa. Quantitas vero corporis Christi non est ibi nisi quasi per accidens, propter naturalem concomitantiam

ad suum subjectum. Non est ergo in specie ut in loco, imo est ibi modo quasi contrario ei quo locatum est in loco : quia substantia locata, est in loco mediante propria quantitate, quæ primo comparatur ad locum ; quantitas vero corporis, est sub specie mediante substantia.

Porro si quæras, an possit simul esse in pluribus locis seu hostiis ; respondendum, quia ut ait Innocentius III, sicut Filius Dei per naturam divinam habet triplicem modum exsistendi in rebus (est namque in omnibus per essentiam, in justis per gratiam, in natura assumpta per hypostaticam unionem), ita corpus ejus habet triplicem modum essendi. Est enim in cœlo localiter, in Verbo personaliter, in altari sacramentaliter. Porro secundum esse suum naturale in cœlo, est tantum in uno loco ; secundum esse personale, non est in loco ; secundum esse sacramentale, est in pluribus locis. Et hoc convenit ei nec in quantum glorificatum, nec in quantum unitum, sed quia est terminus conversionis plurium substantiarum in ipsum in pluribus locis. — Hæc Petrus. Concordat Richardus, qui et plures quæstiones hic introducit, quæ curiosæ videntur magis quam fructuosæ. At vero responsio Bonaventuræ in dictis Petri continetur.

QUÆSTIO III

PRæterea quæritur, **Utrum corpus Christi sit totum in qualibet particula hostiæ.**

Videtur quod non, quoniam sequeretur quod ubicumque esset unum membrum corporis ejus, essent omnia membra ipsius : ex quo multa viderentur sequi inepta, ut quod haberet pedem et ossa in oculo, et consimilia multa. Nec videretur ordo atque proportio inter membra hujusmodi. — Item, quum omne continuum sit divisibile in infinitum, sequeretur quod totus Christus esset in infinitis partibus hostiæ :

A sicque esset infinities sub ejusdem hostiæ speciebus.

Quæritur quoque, **An ad motum hostiæ seu pyxidis moveatur.**

Videtur quod non, quoniam sequeretur quod simul et semel moveretur atque quiesceret, imo contrariis motibus moveretur.

Oppositum tamen probatur, quoniam angelus movetur per accidens in corpore assumpto, anima quoque in corpore a se informato ; quum tamen angelus et anima B sint formæ incorporales. Ergo multo plus corpus Christi in sacramento. — Iterum, communiter dicitur, quod portatur de loco ad locum, et desinit esse in loco isto, ac incipit alibi esse in alio per motum localem.

Ad hæc respondet Antisiodorensis in Summa, libro quarto : In hoc sacramento quædam sunt secundum naturam ; quædam supra naturam, sed non supra intellectum ; quædam sunt supra naturam et intellectum. Secundum naturam sunt ac- C cidentia in loco determinato, ut color, sapor, rotunditas : quæ sunt ibi secundum naturam, quia secundum naturam specificam ibi sunt. Sed hoc supra naturam est, quod sine subjecto consistunt ; non tamen hoc est supra intellectum, quoniam intellectus bene concipit accidentia per abstractionem sine subjecto. Quumque intellectus intelligere queat accidentia absque subjecto, Deus potest facere ea absque subjecto esse : quoniam Deus potest plus facere, quam intellectus seu ratio capere. D Verum supra naturam et intellectum est, quod Christus est in tanta quantitate in hostia sicut in cœlo, nec tamen excedit terminos illius tam modicæ formæ. Dicimus ergo, quod sub totali illa hostiæ forma ita est Christus totus, quod sub nulla ejus parte sit totus. Sed dum frangitur hostia, sub qualibet parte divisionis est integer Christus. Et hoc non est tantum ex consecratione, sed ex consecratione et fractione. Consecrata enim fuit quælibet pars in toto suo. Estque consimile in speculo.

Nam sicut in speculo uno solum est una imago, et fracto speculo in qualibet ejus parte imago resultat; ita sub totali forma est Christus, qui est Dei Patris imago, quæ etiam integre continetur in qualibet parte hostiæ fractæ. Unde sicut ex oppositione rei ad diversas partes speculi, resultant diversæ imagines; ita ex prolatione verborum quæ præcessit, et ipsa fractione formæ consecratæ, resultat Christus in diversis hostiæ partibus. Rebus ergo in se consideratis, sacramentum istud est plenum miraculis; pensata tamen omnipotentia Dei gloriosi ac benedicti, quasi desinunt esse miracula, ut asserit Augustinus. Hæc Antisiodorensis.

At vero Thomas : Circa hoc, ait, an corpus Christi sit totum sub qualibet parte specierum, est duplex opinio. Una, quod hostia integra permanente, Christus totus est in hostia tota, non in qualibet ejus parte; hostia vero divisa, Christus totus manet sub qualibet ejus parte. Et ponunt exemplum de speculo. Verum istud stare non potest, quoniam hostia integra permanente, Christus aliquo modo est sub partibus hostiæ. Si ergo non sit ibi secundum totum, erit ibi secundum partem : sed omne quod est totum in toto, et pars ejus in parte, est ibi situaliter; sicque corpus Christi situaliter esset in sacramento et
Cf. quæst. 2. circumscriptive : quod improbatum est supra. Exemplum quoque de speculo non est aptum, quia imago speculi non est ibi ut forma absolute quiescens in speculo, sed adgeneratur ex repercussione : idcirco quamdiu est una superficies speculi, fit solum una reverberatio, et per consequens una imago resultat; fracto autem speculo, sunt multæ superficies, et per consequens multæ reflexiones, ac multæ imagines resultantes. Si autem esset forma absolute quiescens in subjecto, aut esset consequens quantitatem, sicut albedo quæ fundatur in superficie; aut quantitatem præcedens, ut forma substantialis. Si primo modo, de necessitate esset tota in toto, et pars in parte, ante fractionem speculi et
A post. Si autem præcederet quantitatem, esset ante et post, et tota in toto, et tota in partibus : quemadmodum tota substantialis forma ligni est in qualibet parte ejus, ita quod totalitas formæ substantialis non respicit quantitatis totalitatem, sicut est de totalitate formarum accidentalium, quæ fundantur in quantitate et præsupponunt ipsam. Corpus autem Christi continetur absolute sub speciebus; et hoc non convenit substantiæ mediante quantitate, sed ratione substantiæ in quam substantia
B panis conversa est : ideo etiam ante fractionem est totum in toto, et totum in partibus, quoniam ubicumque erat tota natura panis, est tota natura corporis Christi, et per consequens totum corpus Christi, et tota quantitas ejus. Et hæc est opinio alia, quæ verior esse videtur.

Porro moveri in loco, præsupponit esse in loco. Unde ad hoc quod aliquid per se moveatur in loco, oportet quod per se sit in loco, et quod per se moveatur, non ad motum alterius. Per accidens vero aliquid
C movetur in loco dupliciter. Primo, quia per accidens est in loco, sicque formæ moventur per accidens. Secundo, quia per se est in loco, sed per accidens movetur in loco, ut patet in his qui vehuntur : nam locus quem mutant, est per se eorum locus proprius, vel communis. Corpus autem Christi in loco quem species mutant, non est per se, neque sicut in loco proprio, neque sicut in loco communi : idcirco per se moveri non potest in illo, neque per accidens sicut corpora moventur per ac-
D cidens; sed eo modo quo aliquid per accidens est in loco, et per accidens movetur. Nec differt (ut aliqui dicunt) dicere, utrum species moveantur in eodem loco, aut transferantur de loco ad locum : quia quod in eodem loco secundum substantiam manens movetur, mutat locum non solum secundum partes, sed secundum totum, ut sexto Physicorum probatur. — Hæc Thomas in Scripto.

Insuper in tertia parte, quæstione septuagesima sexta : In sacramento, inquit, art. 3.

substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantiæ. Corpus quoque Christi in hoc sacramento est per modum substantiæ, id est per modum quo substantia est sub dimensionibus, non per modum dimensionum, id est, non per modum quo quantitas dimensiva corporis alicujus est sub quantitate dimensiva loci. Natura autem substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota aeris natura : et hoc indifferenter, sive dimensiones actu sint, sive potentialiter separabiles. Hinc Christus est totus sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra permanente.

art. 6. Porro, si quæratur, an ad motum hostiæ Christus moveatur; respondendum, quod dum aliquid est unum subjecto et multiplex secundum esse, nil prohibet illud secundum aliquid moveri et secundum aliud immobile esse : sicut quum corpori aliud sit esse album, aliud magnum, potest secundum albedinem moveri per alterationem, atque immobile permanere secundum magnitudinem. Christo autem non est idem esse secundum se, et esse sub hoc sacramento : quia per hoc quod dicimus eum esse sub hoc sacramento, significatur quædam habitudo ejus ad hoc sacramentum. Itaque, secundum hoc esse non movetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens : quia non est in hoc sacramento sicut in loco. Similiter, neque per se movetur secundum esse quod habet in isto sacramento, quacumque alia mutatione, puta quantum ad hoc quod desinat esse sub hoc sacramento : quoniam quod secundum se habet indeficiens esse, non potest esse deficiendi principium; sed alio deficiente, desinit esse in illo, quemadmodum Deus esse desinit in creatura quæ corrumpitur. Sicque Christus desinit esse sub hoc sacramento non per localem recessum, sed per desitionem et corruptionem sacramentalium specierum. — Hæc in Summa.

A Hinc scribit Ægidius : Quamvis valde mirabile sit, quod corpus Christi tam magnum, sub dimensionibus tam parvæ hostiæ contineatur, tamen secundum ineffabilem fidei veritatem fateri compellimur, quod non solum totus Christus in tota sit hostia consecrata, sed etiam in qualibet ejus parte. Quod triplici via ostenditur. Primo, secundum quod substantia corporis Christi comparatur ad substantiam panis, quæ in ipsam convertitur. Secundo, prout quantitas corporis Christi comparatur ad B substantiam ejus, in qua radicatur. Tertio, prout quantitas unius partis comparatur ad quantitatem partis alterius. Porro in rebus corporalibus duplex consistit totalitas : una essentialis, alia dimensiva. Sicut albedini totalitas competit dimensiva, qua extenditur extensione superficiei : sicque albedo est tota in superficie tota, et pars ejus in parte illius. Totalitas autem albedinis quidditativa seu essentialis et definitiva est, quæ per genus ejus ac differentiam designatur; et secundum hanc totalitatem C albedo non est tota in toto et partim in parte, neque dividitur divisione superficiei, imo est tota in tota superficie, et tota in qualibet ejus parte. Similiter quoque est in substantiis : quoniam lapis secundum suam totalitatem dimensivam, est totus in aliquo loco, et pars in parte; sed quoad suam totalitatem essentialem specificam, est totus in toto individuo suo, et totus in qualibet ejus parte, quum quælibet lapidis pars sit lapis. Quumque tota substantia panis convertatur in totam substantiam D corporis Christi, loquendo de totalitate essentiali, non dimensiva (hac quippe conversione convertitur quid in quid, non quantum in quantum) : hinc ex vi sacramenti, Christus est sub hostia solum secundum totalitatem substantialem. Quemadmodum ergo ante conversionem tota substantia panis, quoad istam totalitatem, fuit in qualibet hostiæ parte; ita post conversionem totum corpus Christi in qualibet parte est hostiæ. Et quoniam totam substantiam corporis sequitur totalitas pro-

theor. 9.

priæ quantitatis, ideo etiam secundum istam totalitatem dimensivam totum corpus Christi est in qualibet hostiæ parte per concomitantiam naturalem.

Secunda via probatur hoc sic : Corpus Christi in cœlo consistit localiter, utpote mediante propria quantitate. Sic autem (ut dictum est sæpe) Cf. p. 253 B' et s. non est in sacramento, sed contrario modo, quoniam ratione conversionis panis in ipsum, et quantitas sua est ibi concomitantia naturali. In cœlo igitur, trahitur totalitas substantiæ corporis Christi, quantum ad exsistendum in loco, ad totalitatem suam dimensivam, per quam ibi localiter ponitur. In hostia vero, totalitas ejus dimensiva trahitur ad totalitatem essentialem, ita quod tota quantitas corporis Christi est in tota hostia et in qualibet parte ipsius : quoniam modus totalitatis substantialis est, quod sit tota in toto, et tota in qualibet parte.

Tertia via patet, quia secundum dimensiones panis et dimensiones corporis Christi, triplex comparatio sumi potest. Prima, quoniam dimensiones istæ ita se habent in hostia, quod pariter esse valent. Secunda, quia dimensio unius partis corporis ita ad alterius partis dimensionem comparatur, quod mutuo non resistunt, sed simul sunt. Verum secundum tertiam comparationem qua dimensio unius partis hostiæ ad alterius partis dimensionem comparatur, una dimensio alteri resistit, non cedit : idcirco nec simul esse possunt, imo majorem occupat locum tota hostia quam pars ejus. Ubicumque ergo est aliqua pars hostiæ, ibi est aliqua pars corporis Christi; et ubi est pars corporis Christi, ibi potest esse totum corpus suum. Et ita corpus illud potest esse in omni particula hostiæ. Verumtamen per accidens dicitur moveri localiter, quoniam transsubstantiatione completa, dimensiones panis remanent circumscriptive ac situaliter exsistentes, sicque convenit eis moveri per se, atque contentis sub ipsis, per accidens, juxta illud Philosophi : Motis nobis, moventur omnia quæ in nobis sunt. — Hæc Ægidius. In

A præinductis scripta Petri, Richardi et plurium aliorum continentur, responsa quoque Bonaventuræ.

Præterea de his aliter sentit Durandus : Corpus (inquiens) Christi nullo modo in hoc sacramento movetur ad motum hostiæ, neque per se, neque per accidens : quia dum aliqua duo ita se habent, quod non sunt unum subjecto, nec se habent ut continens et contentum, nec habent colligationem et contactum, moto uno, alterum nullo modo movetur; sed ita se habent

B corpus Christi et hostia. Sequeretur quoque, quod aliquid simul moveretur contrariis motibus. — Verum ad hujus opinionis reprobationem sufficit, quod tot doctores præcipui, et præsertim Innocentius Papa III, dicunt contrarium. Motiva quoque eorum idonea sunt. Nec bene sonat asserere, quod corpus Christi non continetur in hostia consecrata. Eadem etenim ratione sequeretur, quod non contineretur sub speciebus hostiæ. Cujus contrarium dicunt omnes doctores præcipui : quia nec dicitur

C contineri in hostia, nisi quia in ejus speciebus sacramentalibus continetur, et per illas habitudinem habet ad locum illum et consistentiam ibidem, in tantum quod speciebus illis corruptis, desinit esse ibi, ut patuit. Cf. p. 261 D

Postremo Scotus : Corpus (ait) Christi esse in cœlo modo naturali, et in Eucharistia modo sacramentali, est manifestum ; sed dubium est de corpore ut est in Eucharistia, quæ sunt illa quæ continet tanquam partes. Et dico, quod non continet

D animam neque accidentia. Et hoc est possibile, accipiendo corpus pro primo perfectibili ipsius animæ : quoniam nulla est contradictio, corpus hujusmodi esse sine anima et absque accidentibus. Hoc quoque est congruum, quoniam species repræsentant absolutum * : ergo substantiam, et non accidentia. Hoc etiam factum est, quoniam si in triduo mortis Christi fuisset Eucharistia consecrata, fuisset in ea vera res Eucharistiæ, utpote corpus Christi, nec tamen anima fuisset in eo. Corpus etiam

* alimentum

hoc modo non continet sanguinem, quoniam sanguis non est animatus; et per consequens, nec est pars primi animati. Possibile quoque est istud ex parte sacramenti, quoniam ejus quod essentialiter est aliud ab alio, esse potest aliud signum; corpus autem prætacto modo sumptum, essentialiter differt ab anima et a sanguine ac aliis : ergo potest aliud signum habere. Item possibile fuit totum sanguinem separatum esse a corpore Christi in morte; et tamen si tunc fuisset Eucharistia consecrata, fuisset res eadem quæ et modo. Hoc ergo tenendum est, quod corpus Christi ut primum signatum speciei panis et contentum, non includit animam, nec accidentia, nec sanguinem. — Insuper dico, quod non est necesse simpliciter, si Christus seu corpus ejus sub modo naturali habet partes et proprietates, quod habeat easdem sub modo sacramentali : quia post resurrectionem non erit Eucharistia, nec corpus Christi habebit sub modo sacramentali proprietates et passiones; et tamen habebit tunc ista sub suo naturali modo essendi. Rursus, non sequitur necessario econverso, si Christus seu corpus ejus habet istas partes et proprietates sub modo sacramentali, quod ob hoc necessario habeat eas sub modo suæ exsistentiæ naturali. Dum enim res aliqua ex sua natura est indifferens ad duos modos essendi, utpote naturalem et sacramentalem, tunc sicut simpliciter potest haberi sub uno modo, ita sub alio, etc. Hæc Scotus.

Qui de his multa prosequitur, in quibus multa videntur contineri inepta. Primo quod dicit, corpus Christi ut est in Eucharistia, non continere animam neque accidentia. In quibus videtur renovare antiquum errorem a præfatis doctoribus et ab Innocentio Papa III concorditer reprobatum, videlicet corpus Christi esse in altari secundum suam nudam essentiam : quod non solum falsum est de facto, sed et impossibile est sic esse propter absurditates inde sequentes et contradictionum implicationes. Si autem vult dicere, quod corpus Christi ut in Eucharistia est, non habet nec continet animam et sanguinem et accidentia ex vi sacramenti seu vi conversionis, sed per concomitantiam naturalem, hoc staret juxta præhabita, saltem secundum unam viam. Ob hoc tamen non essent verba illa tam absolute et incaute promenda : præsertim quia secundum Apostolum, ab omni specie mala abstinere oportet, et cum hæreticis nec in verbis communicare debemus, quantum vitari potest. — Secundo quod ait, non esse impossibile, corpus prout est primum perfectibile animæ esse sine accidentibus. Corpus namque non est ab anima perfectibile, nisi jam ad animæ susceptionem ac informationem dispositum per quantitatem et qualitatem, dicente Philosopho : Anima est actus primus corporis organici physici, etc. — Tertio quod ait, hoc congruum esse, quoniam species, id est formæ sensibiles sacramentales panis, repræsentant absolutum, ergo substantialia et non accidentia. Circa quod dico, quod species illæ repræsentant verum corpus Christi, quod non dicit nudam materiam : imo quantum ad realem exsistentiam suam, accidentia quædam includit, id est quantitatem et qualitatem, quum sit corpus organicum physicum. Nec sequitur, Species illæ repræsentant absolutum, ergo substantiam et non accidentia : quum quædam accidentia sint absoluta, non respectiva seu relativa. — Quarto quod ait, hoc factum esse. Non enim factum est, nec fuit, sed fieri potuit. Quidquid etenim Christus in Cœna consecravit et transsubstantiavit in corpus suum et sanguinem, sumptum fuit in Cœna, nec mansit inde residuum aliquod per triduum mortis Christi. Nec sequitur, Si tunc ita fuisset factum, ergo modo sic est aut sic fieri potest. Tunc enim corpus Christi realiter exstitit mortuum et inanimatum : idcirco non sequebatur inconveniens aut implicatio contradictionis, si tunc fuisset sine anima in Eucharistia; sicut jam sequeretur, dum corpus ejus vere et incorruptibiliter est animatum ac vivum, si dicatur

p. 253 Bess.

I *Thess.* v, 22.

sub speciebus sacramenti esse sine anima, et non vivum nec animatum, ita quod unum et idem numero corpus esset vivum et non vivum, animatum et non animatum. — Quinto quod dicit, Corpus etiam hoc non continet sanguinem, quoniam sanguis non est animatus. Quamvis enim sanguis non sit animatus, tamen ad naturalem, realem et perfectam exsistentiam corporis organici animalis, potissime hominis, requiritur sanguis : imo et accidentia multa, quæ tamen animata non sunt. — Sexto quod asserit, Non est necesse simpliciter, si Christus sub modo naturali habet partes et proprietates, quod easdem habeat sub modo sacramentali. Ad quod dico, istud necessario sequi, et oppositum hujus contradictionem includere. Quumque sic arguit, Post resurrectionem non erit Eucharistia, etc. ; dico, quod argumentum hoc impertinens est atque infirmum. Non enim dico, quod ex hoc quod Christus est in cœlo localiter et modo naturali per propriam quantitatem circumscriptive in loco, sequatur ex forma argumenti, quod sit in Eucharistia ; sed supposito secundum fidem quod sit in Eucharistia, sequitur quod si in cœlo habeat partes corporales et membra ac proprietates naturales intrinsecas, quod etiam habeat eas in sacramento ex vi sacramenti aut concomitanter. — Septimo, quod addit, Non sequitur econverso, etc., eodem modo destruitur. Probatio quoque est imbecillis, quum subditur, Dum res aliqua ex sua natura indifferens est ad duos modos essendi, etc. Hoc quippe verum est loquendo de modis exsistendi extrinsecis, seu per respectum ad extrinseca aliqua : et ideo corpus potest esse utroque horum modo. Sed istud non pertinet ad rem. Non enim de his modis essendi est disceptatio ista, sed de partibus corporis Christi integralibus, quantitativis, organicis, proprietatibusque intrinsecis. — Præterea, ex verbis suis infert corollarium istud, Ante incarnationem potuit Eucharistia fuisse tam vera ut nunc, tam quantum ad significationem quam quan-

A tum ad rem signatam et contentam. Ecce qualiter sonat hoc. Et circa hoc quæri potest, quid nomine Eucharistiæ velit intelligi, an scilicet Sacramentum altaris seu hostiam consecratam, aut corpus Christi ut sub sacramentalibus speciebus contentum. Et si sic, certum est quod Eucharistia taliter sumpta, non potuit esse ante Verbi æterni incarnationem, in cujus incarnatione formatum et assumptum est hoc corpus : nisi forte ad hunc sensum, quod Verbum æternum, absolute loquen-
B do, potuit incarnari diu antequam incarnatum est. Multa his consimilia scribit Scotus. De quibus quum videantur absurda, prolixitatem devitans pertranseo.

QUÆSTIO IV

Adhuc circa hæc quæritur specialiter **De visibilitate corporis Christi in Sacramento altaris**, videlicet : **An**
C **oculus glorificatus posset illud videre in sacramento, item an angelus, itemque an Christus se ipsum videat in altari ; et utrum modus exsistentiæ Christi in altari transcendat comprehensionem omnis mentis creatæ.**

Ad quæ breviter est tangenda responsio.

Itaque ad primum horum Thomas respondet : Corporali oculo nihil videtur, nisi per hoc quod oculus ab objecto im-
D mutatur per similitudinem colorum seu luminis exsistentis in ipso objecto ; quæ similitudo fit primo in medio, deinde in visu. Corpus autem Christi non habet ordinem ad species sub quibus est, mediante propria quantitate : ideo generari non potest similitudo sui coloris in aere species contingente. Et hoc duplici ratione. Primo, quoniam actio omnis corporalis fit per contactum : qui consequitur quantitatem, quia contactus nil aliud est quam conjunctio terminorum quantitatum dua-

rum. Quumque corpus Christi non tangat aerem circumstantem, idcirco non valet in ipso coloris sui similitudinem generare. Secundo, quoniam color consequitur quantitatem, quum immediatum ejus subjectum sit superficies. Et quoniam corpus Christi non habet ordinem ad hunc locum ratione propriæ quantitatis, idcirco nec ratione sui coloris : propter quod nec conjungitur aeri circumstanti secundum quantitatem, nec assimilat illum sibi producendo similitudinem sui in ipso. Denique magnitudo major in æquali distantia visa, sub majori angulo videtur, ut perspectivi demonstrant. Sed major est quantitas corporis Christi quam hostiæ, distantia vero ad oculum est eadem : ergo oculus videns corpus Christi ac hostiam, videt corpus sub majori angulo. Corpus autem Christi videtur sub specie hostiæ : ergo angulus minor continet majorem ; quod impossibile est. Ex quibus patet ad primum responsio.

Ad secundum, videlicet utrum angelus videat corpus Christi in hostia, respondendum, quod angelus nihil videt visione corporali, imo nec corpus assumptum corporaliter videt ; nec est in ipso nisi visus intellectualis, qui a sensibilibus non recipit, sed intelligit vel per species innatas, quantum ad ea quæ naturali cognitione intelligit, aut per Verbum, quoad ea quæ naturalem ejus excedunt notitiam. Quumque angeli sint beati, oportet quod plenam notitiam habeant omnium quæ sunt fidei, quantum ad visionem gloriosam, quæ fidei succedit : ideo sicut fides credit corpus Christi esse sub sacramento, sic visione beata angeli vident hoc clare. Credo autem quod omnia quæ sunt fidei, sint super naturalem cognitionem angelorum, sicut et hominum : propter quod mysteria fidei dicuntur esse abscondita a sæculis in Deo. (*Ephes.* III, ·) Hinc naturali cognitione non vident angeli corpus Christi, sed solum beata. Dæmones vero nullo modo vident plenarie, sed credunt et contremiscunt. (*Jacob.* II, 9.) Conformiter ceteri Beati visione intellectuali conspiciunt cor-

A pus Christi in altari, non visione corporali, in qua nec cum angelis sanctis communicant.

Quumque investigatur, an Christus se ipsum videat ibi ; dicendum, quod si oculus Christi esset extra species sacramenti, non videret substantiam suam intra species contentam, ex natura gloriæ, nisi miraculose. Verum de hoc infra dicetur.

Ad ultimum respondetur, quod intellectus noster illa dumtaxat dicitur proprie cognoscere seu videre quorum essentiæ B sibi præsentantur lumine naturali, vel lumine gratiæ aut gloriæ. Unde et a principio dicitur illa videre quæ statim cognitis terminis, quasi visis essentiis terminorum noscuntur ; atque per consequens tantum illa quæ reducuntur in prima principia, sicut conclusiones scientiarum. Quæ autem nullum ordinem habent ad principia per se nota, neque ad sensitivam notitiam, non potest proprie in statu viæ videre. Tale autem est corpus Christi sub sacramento. Hinc intellectus viatoris nullo mo- C do hoc potest videre, et multo minus potest id comprehendere : quia multa videntur quæ non comprehenduntur. Comprehensores vero (ut dictum est) ea quæ fidei sunt perfecte conspiciunt, non fide, sed clara visione. — Hæc Thomas in Scripto.

Porro in tertia parte, quæstione septuagesima sexta, addit : Corpus Christi in hoc (art. 7.) sacramento est per modum substantiæ, non quantitatis. Substantia vero in quantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali nec subjacet alicui sensui, imo nec D imaginationi, sed soli intellectui, cujus objectum est quod quid est, ut dicitur tertio de Anima. Ideo corpus Christi secundum quod in sacramento consistit, nec sensu nec imaginatione est apprehensibile, sed intellectu. Percipitur quoque diversimode a diversis intellectibus. Quum enim modus essendi quo Christus est in sacramento, sit supernaturalis, a supernaturali intellectu, puta divino, secundum se visibilis est, et per consequens ab intellectu beato angelico et humano, qui se-

eundum quod participant claritatem intellectus divini, vident ea quæ supernaturalia sunt per visionem divinæ essentiæ. Ab intellectu autem viatoris conspici nequit nisi per fidem, sicut nec cetera supernaturalia. Nec intellectus angelicus per sua naturalia sufficit ad hoc intuendum. Unde nec dæmones queunt per intellectum videre Christum in sacramento, nisi per fidem; cui non consentiunt voluntarie, sed signorum evidentia convincuntur, juxta illud Jacobi : Dæmones credunt et contremiscunt. Porro, corporalis oculus Christi videt se ipsum sub sacramento exsistentem, non tamen valet videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento, qui ad solum pertinet intellectum. Nec est simile de alio oculo glorioso, quia et ipse oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus. Hæc idem in Summa.

Jacob. II, 19.

Concordat Petrus, qui tamen magis sentire videtur, quod Christus secundum quod in isto est sacramento, non videt se ipsum oculo corporali; dubitative tamen loquitur inde.

Richardus vero per omnia consonat Thomæ. Et addit, quod oculus corporalis nec per naturam, neque per gloriam, nec per miraculum potest videre corpus Christi in sacramento, sicut nec essentiam spiritualium substantiarum, quoniam capax non est nec elevabilis ad talem intuitum, quum videre nil valeat nisi per similitudinem corporalem. Corpus autem Christi in sacramento est per modum substantiæ.

Bonaventura demum his consonans, opinionem narrat quorumdam : Quidam, inquiens, voluerunt hic subtiliari dicentes, quod exsistentia ista corporis Christi sit aliquo modo intelligibilis, ita quod quamvis sit supra naturam corporis humani non glorificati, non tamen supra naturam corporis humani glorificati, quod habet naturam proprietatemque lucis, quæ potest esse in spatio majori atque minori, ita quod ipsa non sit major et minor : quemadmodum lux candelæ tanta est in parva domo sicut in magna ; similiter radius, sive dirigatur in longinquum, sive in locum propinquum. Sed istud impertinens est, quum lux non sit corpus nec corporalis defluxus, sed qualitas simplex, quæ in suo subjecto arctatur sive extenditur : quod corpori Christi non competit. Idcirco dicendum, quod intellectus noster non capit, nec capere potest exsistentiam corporis Christi sub sacramento, nisi lumine fidei adjuvetur. Sensus quidem et imaginatio frequenter reclamant; intellectus vero fide et gratia Dei adjutus, resistit eis ac prævalet, respectum habens ad omnipotentiam Dei, non ad causas naturales ac inferiores.

Durandus demum consonans præinductis, fatetur in hoc sacramento corpus Christi non videri ab oculo suo neque ab alieno ob causam præhabitam, sed ab universis Beatis oculo intellectuali, quoniam merito fidei succedit præmium visionis. Quum ergo credamus Christum in hoc sacramento esse realiter, sequitur quod Beati clare hoc vident in hoc sacramento cognitione supernaturali.

Præterea Scotus circa hæc loquitur : Videre uno modo importat intellectionem intuitivam, prout distinguitur contra intellectionem abstractivam. Intellectio autem intuitiva, est rei ut in se præsens est; abstractiva vero potest esse ejus secundum quod relucet in aliqua similitudine, quæ potest esse exsistentis et non exsistentis, et item præsentis et non præsentis. Hæc itaque quæstio est de cognitione intuitiva. Et dico, quod intellectus noster pro statu viæ, non potest naturaliter videre corpus Christi ut est in sacramento exsistens, quia non intelligit nisi ex sensibilibus. Intellectus vero non alligatus corpori seu separatus, ut intellectus angeli et animæ separatæ ac mentis beatæ, naturaliter potest videre præsentiam seu exsistentiam corporis Christi in sacramento : quoniam intellectus se habens ad intelligibilia prout in se ipsis sunt intelligibilia, prius intelligit id quod prius in se est intelligibile, et

per consequens id quod prius est in se ens : quoniam unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem et intelligibilitatem. Talis autem intellectus respicit totum ens, et quodlibet secundum ordinem suæ intelligibilitatis. Substantia autem sicut prior est entitate, ita et cognoscibilitate, quocumque accidentali modo ipsius. Ergo talis intellectus prius intelligit substantiam ipsam, quam quemcumque modum ipsius. Ergo nullus modus sub quo est substantia, potest impedire intellectionem ipsius a tali intellectu. Hæc Scotus.

De cujus dictis et argumentis multum admiror, quod propter hujusmodi persuasiones levissimas et inanes, toties recedit a communi theologorum doctrina. Quid enim concludit persuasio ista, nisi quod talis intellectus naturaliter potest cognoscere corpus Christi ut corpus, non autem secundum omnia quæ sibi supernaturaliter insunt seu competunt, ut quod hypostatice sit assumptum a Verbo æterno, et quod supernaturalissime et incomprehensibilissime est in sacramento, et modum exsistentiæ atque præsentiæ talis? Imo mirum si aliquis sit tam rudis, qui non videat inefficaciam consequentiæ hujus : Intellectus potest hoc cognoscere quoad substantiam suam, ergo potest illud cognoscere secundum omnem modum et qualitatem et entitatem ejus accidentalem, supergredientem omnem cursum, legem ac ordinem rerum naturaliter institutum. Qualis est argumentatio ista : Possum naturaliter cognoscere Petrum quantum ad suam humanitatem, ergo naturaliter possum cognoscere Petrum quantum ad esse præscitum aut prædestinatum, hoc est, an sit præscitus vel prædestinatus? Imo dico, quod nec comprehensores in patria sciunt de viatore an sit prædestinatus sive præscitus, nisi ex revelatione divina. — Multa alia scribit hic, quæ nec apparentiam habent, ut dum arguit : Corpus illud in se est objectum proportionatum intellectui tali, ergo accidentalis modus ipsius corporis non impedit quin sit objectum intuibile intel-

A lectui illi. Ad quod dico, quod accidentalis modus non impedit quin sit cognoscibile secundum se et in se acceptum, sed impedit bene quod sit cognoscibile seu objectum intellectus secundum quod sumitur sub tali modo, præsertim supernaturali, quum ille modus sit incomprehensibilis per naturam, et per consequens res ut stans sub tali modo.

Amplius scribit hic : Naturale et supernaturale non distinguunt naturam alicujus in se, sed tantum in comparatione ad
B agens. Ideo namque dicitur aliquid supernaturale, quia a supernaturali agente ; et naturale, quia a naturali agente, etc. — Ad quæ dico, quod naturale et supernaturale quandoque distinguunt naturam alicujus in se, sicut ipsa gratia gratum faciens caritasque infusa specifice distinguuntur a natura et naturali amore : quoniam gratia gratificans et caritas sunt in se supernaturales effectus, natura vero amorque naturalis sunt naturales effectus. Nec solum prætacto modo distinguuntur
C naturale et supernaturale, sed etiam per intrinseca sua formalia principia. Item quia naturale est quod est et procedit secundum solitum cursum ordinemque naturæ, ut hominem ex commixtione maris ac feminæ generari; supernaturale vero, quod est vel procedit supra naturalem entium legem, cursum et ordinem, ut mortuum suscitari. Insuper, ab eodem agente, scilicet Deo omnipotente, sunt naturales et supernaturales effectus. Eadem quoque causa est agens naturale et supernaturale.
D Dicunt quippe philosophi, quod quatuor sunt causæ universales, videlicet : causa prima seu Deus, intelligentia, anima nobilis, et natura universalis seu vis insita cœlestibus corporibus; et tamen non loquuntur nisi de naturalibus causis.

Iterum ait Scotus : Intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt corpus Christi in Eucharistia, etc. Ad quod cum doctoribus solidis atque authenticis dico, quod Beati, visione beatifica non solum vident divinam essentiam, sed et alia

multa in ea, præcipue mysteria gratiæ et A media gloriæ ac salvationis humanæ, inter quæ unum potissimum est mysterium istud exsistentiæ Christi in sacramento : idcirco Beati in Verbo præcipue hoc cognoscunt. — Rursus ait : Quicumque angelus malus si permittatur uti potentia sua cognitiva, potest intelligere quodcumque intelligibile creatum, et per consequens posset intelligere cogitationes cordium, etc. dist. VIII, q. 4, p. 463 B' et s. Hujus oppositum super secundum patuit copiose : imo cordis arcana et quæ ex mera libertate mentis creatæ dependent, B effectus quoque penitus contingentes futuri, transcendunt naturalem dæmonum cognitionem. — Insuper dicit, quod Deus possit absoluta potentia causare in oculo glorioso et etiam non glorioso visionem corporis hujus, quamvis non esset nisi in sacramento, etc. Istud est contra verba Richardi præhabita. Verum absolutæ omnipotentiæ Dei non est ullatenus derogandum, quæ et incomprehensibiliter plura et majora ac mirabiliora potest efficere, quam nos valeamus concipere. Tamen Ri- C chardus vult dicere, quod talis visio non potest esse in oculo ex impressione corporis Christi secundum quod est in Eucharistia : quod satis probare videtur.

Præterea, super his multas propositiones theor. 15-18. scribit Ægidius. Prima est : Christus prout exsistit in hostia, videri non potest ab aliquo alio, oculo corporali. Secunda est : Christus oculo corporali se non videt in hostia prout in hostia habet esse. Tertia est : Christus in hostia videt se prout extra hostiam habet esse. Quarta : Christum ex- D sistentem in hostia viatores nec sensu nec intellectu queunt videre. Quinta : Omnis substantia separata Christum exsistentem sub hostia per intellectum videre potest; modum tamen exsistendi ejus nulla intelligentia comprehendit. Nam rerum essentias simplici noscunt intuitu; sed modum exsistentiæ talis capere nequeunt, quum sit penitus supernaturalis. Hinc sicut res creatas sciunt esse ex nihilo productas, naturali acumine sui intellectus, modum tamen productionis illius, puta creationis, naturaliter comprehendere per intellectum non valent, quum omnino supernaturalis sit illa; sic Christum exsistentem in hostia quælibet intelligentia naturaliter potest videre, sed modum exsistentiæ ejus ibidem intelligere nequit, quoniam supernaturalis omnino est. — Has propositiones declarat ac probat Ægidius multum prolixe : quod brevitati studens pertranseo, præsertim quia vis rationum ejus in præinductis virtualiter continetur.

Præterea ad istud, utrum Christus oculo corporali se videat in sacramento, respondet primo Quodlibeto Henricus : Quæstio q. 6. ista ex falsa imaginatione procedit, ac si corpus Christi esset dimensionaliter sub illis speciebus, vel ipsæ dimensiones Christi essent simul cum dimensionibus specierum, ut alibi esset sub illis speciebus assignare caput, alibi pedes, alibi oculum, alibi nasum : quod falsum est, quia tota substantia totius corporis Christi est ubique sub tota specie sacramenti, et sub qualibet parte ejus, et nusquam dimensionatum est nisi per concomitantiam quamdam. Ad hoc autem quod Christus alicubi exsistens, videat se ipsum aut aliud oculo corporali, oportet quod ibi sit per se, et dimensionaliter. Et idem dicendum de re visa, quia nihil videtur nisi dimensionabile, nec videt quis nisi oculo dimensionato. Absolute ergo dicendum, quod Christus ut est sub speciebus sacramenti, neque se nec aliud videt, nec a se nec ab alio videtur oculo corporali. Nihilo minus Christus qui est ibi, videt se et alia, estque visibilis a se et ab aliis, non ut est ibi sacramentaliter, sed ut in cœlo localiter. — Hæc Henricus. Cujus dicta consonant præinductis, nisi quod videtur insinuare quod dimensiones corporis Christi et dimensiones panis in Christi corpus conversi, non sint simul. Quod si ita sumatur, quod infra circumferentiam hostiæ non contineantur aut sint utræque dimensiones, salvari non posset. Verum est autem quod non sint ibi eodem modo, quia dimensiones panis ma-

nent ibi situaliter atque localiter, nec sunt A
totæ et integræ in qualibet hostiæ parte;
dimensiones vero corporis Christi sunt ibi
totæ in hostia tota, et totæ in singulis partibus ejus, nec sunt ibi localiter. Nihilo
p. 254 C. minus his objici posset, quia (ut dictum
est) corpori Christi et partibus ejus in sacramento convenit non solum situs seu
positio de genere quantitatis, sed et situs
de genere *ubi,* ita quod partes corporis
Christi habent etiam ordinem inter se et
totum: et sic una est extra eam, et distans
ab ea. Sed ad hoc patet ex inductis respon- B
sio, quia diffusio specierum fit per medium, quod non est sine habitudine et
respectu ad locum.

Insuper Quodlibeto undecimo respon-
q. 12. dens ad istud, utrum angelus naturaliter
possit videre corpus Christi sub sacramento: Mysterium, inquit, id est sacrum secretum sacramenti istius, in tribus consistit. Primum est, conversio panis in corpus
Christi. Secundum, quomodo id quod fuit
panis, non sit annihilatum, sed est aliquid
in corpore Christi; seu esse illius quod est C
corpus Christi, aliquo modo convenit ei
quod fuit substantia panis, ut infra dicetur
in alia quæstione. Tertium, quomodo corpus Christi habet esse sacramentaliter sub
speciebus illis sub quibus antea fuit substantia panis. Et ad nullum istorum potest
se extendere videre angeli naturale, quoniam quodlibet horum est quid supernaturale. Non enim potest videre illam
transmutationem, quamvis videre queat
defectum substantiæ panis sub illis speciebus. Nec naturaliter potest videre, quo- D
modo esse aliquod conveniat in corpore
Christi, ei quod fuit prius sub speciebus
panis. Nec tertio potest videre, quomodo
corpus Christi est sub speciebus panis, et
etiam an sit ibi, quoniam non est ibi per
se nisi ratione substantiæ, quæ quamvis
ex se naturaliter visibilis sit angelo per
intellectum, non tamen ut est ibi per concomitantiam, sed solummodo ut est alibi
per accidentium in loco proprio significationem. Hæc Henricus.

In quibus apparet obscurum, quod corpus Christi dicit ibi esse per concomitantiam, quum sit ibi per conversionem panis
in ipsum directe, ac deinde per species remanentes determinationem quamdam habeat ad exsistendum ibidem, et quantitas
sua propria ibi sit per concomitantiam naturalem, ut habitum est, et ipsemet Hen- p. 253 B'.
ricus alibi protestatur. Ideo forsan exemplar quod legi est incorrectum. Nec negat
hic doctor, quin angeli supernaturali cognitione hæc noscant, præsertim in Verbo.

Denique, circa ista adhuc remanet dubium unum. Quoniam dictum est corpus Christi in sacramento a viatoribus corporali
oculo non videri (quamvis communi modo
loquendi dicamus nos illud videre, quando
species sacramentales sub quibus continetur, videmus); remanet, inquam, quæstio,
imo et contra jam dicta objectio, quia interdum in hostia consecrata videtur quasi
caro humana aut puer, seu alia quædam
viva effigies, quæ (ut apparet) sunt corpus
Christi seu Christus, aliter non adoraretur.

Itaque de hoc Thomas fatetur: Absque
omni dubitatione dicendum est, id quod
ibi apparet, esse verum corpus Christi
(alias non adoraretur) sicut et prius erat,
quando in specie panis videbatur. Sed
utrum species ibi apparens, sit species
corporis Christi, difficile est determinare.
Quidam enim dicunt, quod species illa
carnis seu pueri sit tantum in oculo intuentis. Quod forte aliquando ita est, ut
dum uni apparet in specie carnis, alteri
in specie panis, vel eidem paulo post rursus in specie panis. Sicque divino miraculo fieri potest, ut similitudo corporis
Christi fiat in oculo, sicut naturaliter fieret, si corpus Christi præsens esset. Nec
est deceptio, quia non fit nisi ad fidei instructionem, et devotionem populi excitandam. Sed quia interdum ab omnibus
ita videtur, et quandoque diu servatur in
specie tali; hinc alii dixerunt, quod vera
species corporis Christi extra exsistens,
visum immutat. Nec obstat quod videtur

in quantitate minori, nec in specie gloriosa A : quia in potestate corporis gloriosi est, ut se ostendat in toto vel in parte, et in specie gloriosa seu non gloriosa. Sed quia immutatio visus ab aliquo corpore per medium, fit per contactum ejus quod sentitur, ad medium quo sentitur, oportebit secundum hoc dicere, quod corpus Christi juxta hoc tangat medium visionis, et per consequens sit ibi quasi in loco : et ita, quod vel simul sit in pluribus locis, vel quod localiter motum sit de cœlo descendens; quod tamen non est impossibile B ei. — Sed huic obviat quod Gerimundus* dicit, quod de multorum episcoporum consilio, sigillatum fuit hoc quod apparebat in specie corporis Christi, et positum in altari seu in pyxide reservatum fuit. Corpus autem Christi, si ibi esset localiter, postquam apparuisset, dispareret, sicut contigit discipulis euntibus in Emmaus, nec reservaretur inclusum. Ideo securius videtur dicendum, quod sicut quando videbatur corpus Christi in specie panis, erant illæ dimensiones subsistentes, C atque in illis alia sensibilia accidentia fundabantur; sic illæ eædem dimensiones manent, eisque alia sensibilia accidentia superducuntur divina virtute, quæ speciem carnis prætendunt, quemadmodum priora accidentia prætendebant speciem panis; potestque esse quod postea eadem virtute, recedentibus accidentibus illis redeant accidentia panis, quum et naturali actione interdum aliquod accidentium illorum immutari posset, dimensionibus manentibus, ut odor aut sapor vini, si diu D serventur.

* Guilmundus

Præterea quæritur circa hoc, an in tali casu sumendum sit sacramentum ita apparens. Dicendum, quod usus sacramenti competere debet materiæ sacramenti, sicut ablutio aquæ in Baptismo. Et quoniam corpus Christi in specie panis nobis in hoc sacramento proponitur, ideo usus sacramenti hujus est per manducationem. Quumque in propria specie aut in forma carnis cruentatæ apparendo, non haberet aptitudinem ut ita apparens comederetur, non debet sumi ab eo cui ita apparet, sed ab alio cui sub specie panis apparet. Si autem omnibus in carnis specie appareret, esset cum reliquiis reponendum. — Sed objici potest, quia secundum canones, sacerdos qui celebrat, debet quod consecrat sumere : quod non posset implere, nisi illud sumeret quod in specie carnis apparet. Dicendum, quod in tali casu sacerdos debet iterum celebrare, ut aliqui dicunt; et si secundo idem contingat, debet tertio celebrare. Alii vero dicunt, quod in tali casu sufficit manducatio spiritualis; nec ideo efficitur sacerdos transgressor canonicæ constitutionis, quia ad ea quæ frequentius accidunt, leges aptantur. — Hæc Thomas in Scripto.

QUÆSTIO V

Rursus hic quæritur, **An corpus Christi in sacramento tangatur a specie sacramentali sub qua est, vel tangi possit.**

Videtur quod sic, quoniam inter speciem illam et corpus Christi nullum est medium, et ita se tangunt. — Iterum, corpus Christi tempore dominicæ passionis poterat esse ac reservari in pyxide; nec ibi mansisset vivum, ipso exspirante in cruce : ergo fuisset ibidem passum et clavis confixum, ac per consequens tactum. Nec unum et idem numero corpus poterat simul tangi et non tangi.

In oppositum est, quod Christi corpus non est in sacramento tangibiliter et quantitative.

Ad hoc respondet Henricus Quodlibeto primo : Oportet hic primo scire, quomodo q. 5. verum Christi corpus habet esse sub speciebus sacramenti determinantibus situm, et an per hoc habet esse in situ determinato. Itaque advertendum, quod aliquid dicitur esse in situ determinato, vel per se et primo, ut dimensiones quantitatis;

vel per se, sed non primo, ut materia et A formæ materiales, quæ extenduntur extensione quantitatis; quædam vero nec per se, nec primo, sed per accidens, atque per aliud secundario, ut incorporalia, quæ non habent esse in situ, nisi per suam operationem circa localia, vel per passionem ab eis. Unde angelus est ubi et circa quod operatur; diabolus quoque, ubi ignis quo punitur. Primo modo Christus corporaliter est per proprias dimensiones in parte cœli determinata; secundo modo habet esse ibidem per suas dispositiones ma- B teriales, extensione quantitatis extensas; et neutro modo est in sacramento, sed tertio modo dumtaxat : quia videlicet substantia panis sub speciebus sacramenti conversa est in substantiam corporis Christi, ita quod nisi hoc esset, non diceretur corpus Christi potius esse sub speciebus sacramenti, quam ligni aut saxi. Hinc quæstio ista ex falsa et phantastica imaginatione procedit, ac si quantitas speciei panis concava esset, et intra ejus concavitatem dimensiones corporis Christi susciperen- C tur, tangente interiori panis superficie exteriorem superficiem corporis Christi : quod totum est falsum, tum quoniam species illæ sunt solidæ, tum quoniam corpus Christi non est ibi dimensive aut extensive, quoniam solum est ibi eo quod aliquid in ipsum conversum est. Sed quia in ipsas corporis Christi dimensiones non fit ibi conversio aliqua, ideo non sunt ibi ratione sacramentalis conversionis, sed solum per accidens, quoniam corpus in quo sunt, ibi est : idcirco per eas nullatenus ibi est D tactus. Hinc absolute dicendum, quod species sacramenti nullo modo tangunt corpus Christi exsistens sub ipsis. Hæc Henricus.

Concordat Richardus : Corpus (inquiens) Christi ut contentum sub specie sacramentali, non potest immediate sub illa specie tangi. Substantia enim corporea præter dimensiones intellecta, accipitur ut non extensa, sicque assimilatur substantiæ incorporali. Quumque corpus Christi sit in sacramento non per suam dimensionem, quæ ibi est concomitanter, sed ratione conversionis factæ in ipsum, non est modo tangibili : quemadmodum nec substantia spiritualis præsens loco, tangitur ab eodem, imo nec a proprio corpore. — Ideo primum argumentum non procedit. Ad tactum namque requiritur plus quam immediata conjunctio, utpote localis situalisque unio. — Ad aliud respondetur, quod in tali casu corpus Christi in pyxide fuisset pœnis affectum ac mortuum, passione non illata secundum quod ibi fuisset, sed in quantum realiter idem est numero cum corpore crucifixo. Sed quoniam alium modum exsistendi habet in sacramento quam sub propria quantitate et in loco, et aliter incipit ibi esse quam in situ sibi commensurato; idcirco aliæ denominationes conveniunt ei ibi quam alibi. Unde et corpus illud quod fuisset in pyxide, fuisset tactum, vulneratum, flagellatum, non tamen secundum quod ibi. Hæc Richardus.

QUÆSTIO VI

Quæritur quoque, **Utrum sacerdos vi sacerdotali et per virtutem verborum sacramentalium, possit quantumcumque magnam convertere materiam panis ac vini in corpus et sanguinem Christi.**

Videtur quod sic, quia non est determinatum quantum de pane et vino convertere possit : imo apparet, quod totum quod suo visui potest repræsentari; sicque inæstimabilis magnitudinis panem convertere posset, tantum quoque de vino ut continet mare de aqua.

Ad hoc Bonaventura respondet : Quidam dixerunt, quod nisi servetur ritus ab Ecclesia institutus, sacerdos non conficit, quia sicut non potest conficere nisi sacerdos, ita nec ipse sacerdos conficit nisi sacerdotum modum ritumque servet. Et hoc dicunt esse revelatum. Atque aliter facientem, reputant sacramenti temerato-

rem, non sacerdotem, et ita nedum totum panem qui est in foro, non potest consecrare, sed nec plus quam condecet et oportet. Hæc autem opinio est nimium arcta. Nam ritus et modus Ecclesiæ instituti sunt ad sacramenti solennitatem, non necessitatem. — Hinc alii dicunt, quod si adsint intentio, materia et forma, sacerdos potest conficere in quantacumque materia : ita quod totum panem qui est in foro, et totum vinum quod est in cellario, valeat consecrare. Hæc opinio nimis est laxa, et dum nimis confert verbo et ministro, infert contumeliam sacramento. Nec est credendum, quod Christus hoc dederit, quum nec sapiens homo dictaret hoc esse dandum. — Hinc sine præjudicio dico, quod non fit virtute verborum conversio nisi et adsit intentio, imo intentio conformis institutioni Christi et intentioni ritui-ve Ecclesiæ : quia (ut asserit Hugo) omne sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebretur. Intentio autem Christi instituentis, atque Ecclesiæ exsequentis, est conficere ad usum fidelium. Quumque virtus verborum secundum intentionem reguletur, ad tantam materiam se extendit, ad quantam potest sacerdos conjicere quod debeat et congruat sumi in usum fidelium. Idcirco volens totum qui in foro est panem consecrare, nil facit nisi tot essent communicaturi, quod tantum de hostiis indigerent. Hæc Bonaventura. — Eadem Alexander.

At vero Thomas de hoc aliter videtur sentire, dicendo : Aliqui dicunt, quod virtus non est data ministro et verbis ad consecrandum panem et vinum sub quacumque quantitate, sed sub tanta quanta potest competere ad usum fidelium. Sic enim conformatur intentio consecrantis intentioni Ecclesiæ. Sed hoc non videtur, quoniam dici non potest, quod quantitas materiæ sit determinata secundum usum qui in præsenti occurrit (sic namque sacerdos in deserto exsistens, non posset consecrare tot hostias quot sacerdos magnæ parochiæ : quod falsum est), sed secundum

A usum qui unquam potest occurrere. Tantum ergo de pane et vino potest consecrare, quantum ab hominibus exstat sumptibile. Ad quod non est quantitas determinata, præsertim quum unus homo posset sumere in magna et parva quantitate : ideo quantitas magna et parva nihil facit ad hoc. Porro sacramenta ad aliquid ordinantur : idcirco in sacramentis est duplex intentio. Una, quæ ordinatur ad perfectionem sacramenti, et ista essentialis est sacramento : ideo ea omissa, non est sacramenti

B confectio. Alia, quæ ordinatur ad finem sacramenti, et hæc sequitur sacramentum : hinc ea posita vel sublata, nihilo minus perficitur sacramentum ; ut si aliquis intendat baptizare ut temporale lucrum consequatur. Et ita in isto sacramento, si sacerdos consecret non ut homini ministret, sed ut in veneficiis utatur, verum est corpus Christi. Unde et si sacerdos intenderet consecrare magnam quantitatem panis et vini, non ad usum fidelium, sed ad irrisionem, consecratum esset. Non ta-

C men dico, quod valeat consecrare totum panem qui in una est civitate aut foro : quoniam forma verborum demonstrativo pronomine utens, ostendit quod materia consecranda debet esse coram sacerdote. Propter quod sacerdos exsistens in domo sua, non posset consecrare panem qui est in altari : quod nec potest de toto pane qui est in foro, neque de toto vino quod est in cellario. Verum quantacumque sit quantitas panis et vini quæ coram sacerdote proponuntur, credo quod possunt con-

D secrari ab eo. Quamvis etiam Deus contulit potestatem consecrandi ad Dei honorem et hominum utilitatem, ministri tamen sæpius abutuntur : quemadmodum et prælatis data est potestas ad ædificationem, II *Cor.* x, non in destructionem, tamen potestate illa frequenter ad destructionem utuntur. Hæc Thomas in Scripto.

Idem in tertia parte, quæstione septuagesima quarta : In omnibus (inquiens) ma- art. 2. teriam habentibus, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut

materia serræ est ferrum, ut apta sit ad secandum. Finis autem hujus sacramenti est usus seu sumptio vel communio fidelium. Unde oportet ut quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparationem fidelium, non solum eorum qui nunc sunt aut adsunt, sed qui esse possunt ac sumere : qui numerus est indeterminatus, ideo et quantitas materiæ sacramenti istius A est indeterminata. Hæc Thomas in Summa.

In his Petrus sequitur Bonaventuram. Richardus vero utramque narrat opinionem, ad nullam specialiter divertens, sed qualiter utraque possit defendi, declarans. — Circa hæc adhuc aliqua a quibusdam quæruntur, de quibus in fine hujus materiæ de sacramento Eucharistiæ, breviter tangere quid intendo.

DISTINCTIO XI

A. *De modo conversionis.*

SI autem quæritur, qualis sit illa conversio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis; definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco, quia species rerum quæ ante fuerant, remanent, et sapor et pondus. Quibusdam esse videtur substantialis, dicentibus sic substantiam converti in substantiam, ut hæc essentialiter fiat illa : cui sensui præmissæ auctoritates consentire videntur. *Cf.* dist. x D.

B. *Oppositio.*

Sed huic sententiæ sic opponitur ab aliis : Si substantia panis (inquiunt) vel vini convertitur substantialiter in corpus vel sanguinem Christi, quotidie fit aliqua substantia corpus vel sanguis Christi, quæ ante non erat; et hodie est aliquid corpus Christi, quod heri non erat; et quotidie augetur corpus Christi, atque formatur de materia de qua in conceptione non fuit factum. — Quibus hoc modo responderi potest : quia non ea ratione dicitur corpus Christi confici verbo cœlesti, quod ipsum corpus in conceptu Virginis formatum, deinceps formetur; sed quia substantia panis vel vini, quæ ante non fuerat corpus Christi vel sanguis, verbo cœlesti fit corpus et sanguis. Et ideo sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi et sanguinem, quia eorum ministerio substantia panis fit caro, et substantia vini fit sanguis Christi; nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus Christi vel sanguis.

C. *Augustinus in libro Sententiarum Prosperi.*

Si vero quæris modum quo id fieri possit, breviter respondeo : Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest. Quod ergo corpus Christi Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 4.

panis mutatione in id non augmentatur, nec sanguis ex vini conversione, ejus voluntati et potentiæ adscribatur qui idem corpus de Virgine eduxit. Fit ergo substantia illa ista sine ejus augmento. Nec tamen concedunt quidam, quod substantia panis aliquando sit caro Christi, etsi fiat caro Christi : sicut farina facta est panis, et aqua facta est vinum; nec tamen dicitur, Farina est panis, et, Aqua est vinum. Alii vero concedunt, illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus et sanguinem; non tamen sequitur, Panis est caro Christi, vel, Vinum est sanguis : quia substantia panis vel vini, postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro et sanguis. Ideo distinguendum videtur, quum dicitur : Substantia panis, vel id quod erat panis, modo est corpus Christi. Manens enim panis, non est corpus Christi; sed mutata in id quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus substantiam panis vel vini materiam esse corporis vel sanguinis Domini : quia non de ea ut de materia formatur corpus, sed ipsa formatur in illud et efficitur illud. Unde Augustinus : Corpus Christi dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum, sumimus in memoriam dominicæ passionis. Quod quum per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam dignum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei.

Aug. de Trinitate, lib. III, n. 10.

D. *Asserunt quidam dictum panem transire in corpus Christi.*

Quidam vero sic dicunt conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus sub quibus erat prius substantia panis et vini, post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis, sic tamen, ut non eis afficiatur. Et sic asserunt dictum panem transire in corpus Christi : quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis et vini ? Illi dicunt vel in præjacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi. Alii vero putaverunt ibi substantiam panis et vini remanere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem; et hac ratione dici illam substantiam fieri istam, quia ubi est hæc, est et illa : quod mirum est. Et ipsam substantiam panis vel vini dicunt esse sacramentum. — Sed quod non sit ibi substantia nisi corpus Christi et sanguis, ex prædictis et subditis aperte ostenditur. Ait enim Ambrosius : Panem istum quem sumimus in mysterio, illum intelligo utique qui manu Sancti Spiritus formatus est in utero Virginis, et igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim angelorum factus est cibus hominum. Unde Veritas ait : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi; et iterum, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ex his namque duabus sententiis aperte datur intelligi, quia panis ille et iste, non duo, sed unus panis et una caro, procul dubio unum efficitur corpus, illud vere, illud sane, quod sumptum est de Virgine, quod resurrexit et in cœlum ascendit. Item Gregorius : Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Christi mysterio angelorum choros adesse, summa et ima sociari, unum

De Consecr. dist. II, c. 74.

Joann. VI, 41.

Ibid. 52.

Gregor. Dialog. lib. IV, c. 58.

quid ex invisibilibus atque visibilibus fieri? Idem : Eodem momento, et in cœlum De Consecr. dist. II, c. 73.
rapitur ministerio angelorum consociandum corpori Christi, et ante oculos sacerdotis
in altari videtur. Sicut divinitas Verbi totum implet mundum, ita multis locis illud
corpus consecratur; nec sunt tamen multa corpora Christi, sed unum corpus et
unus sanguis. Ideoque sive plus sive minus quis inde percipiat, omnes æqualiter
corpus Christi integerrime sumunt. — Post consecrationem ergo non est ibi sub-
stantia panis vel vini, licet species remaneant. Est enim ibi species panis et vini,
sicut et sapor : unde aliud videtur, aliud intelligitur.

E. *Quare sub alia specie carnem et sanguinem tradidit Christus.*

Sub alia autem specie tribus de causis carnem et sanguinem tradidit Christus, Hugo, Summa Sent.
et deinceps sumendum instituit. Ut fides scilicet haberet meritum, quæ est de his tract. VI, c. 4.
quæ non videntur : quia fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet expe- Gregor.
rimentum. Et ideo etiam, ne abhorreret animus quod cerneret oculus, quia non Hom. in Evang. lib. II,
habemus in usu carnem crudam comedere et sanguinem bibere : quia ergo Christum hom. 26, n. 1.
vorari dentibus fas non est, in mysterio carnem et sanguinem nobis commendavit.
Et etiam ideo, ne ab incredulis religioni christianæ insultaretur. Unde Augustinus :
Nihil rationabilius quam ut sanguinis similitudinem sumamus, ut et ita veritas De Consecr.
non desit, et ridiculum nullum fiat a paganis, quod cruorem occisi hominis biba- dist. II, c. 72.
mus. Ne ergo hoc fieret, et ne veluti quidam horror esset cruoris, in similitudinem Ibid. c. 55.
accipimus sacramentum. — Ex præmissis jam liquet, quare sub alia specie, et quare
sub ista hoc sacramentum Dominus celebraverit, et celebrari a nobis instituerit.

F. *Quare sub duplici specie sumitur Christus.*

Sed quare sub duplici specie sumitur, quum sub alterutra totus sit Christus? Hugo, Summa Sent.
Ut ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse, ut totam redimeret. Panis tract. VI, c. 6.
enim ad carnem refertur, vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem, in
quo sedes animæ a physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur,
ut animæ et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis significetur.
Valet enim, ut Ambrosius ait, ad tuitionem corporis et animæ quod percipimus : Ambrosiast.
quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur, sicut in I Cor. XI, 26.
præfiguravit Moyses. Caro, inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis pro anima. Cf. *Lev.* XVII,
Sed tamen sub utraque specie sumitur, quod ad utramque valet, quia sub utraque 11.
sumitur ipse totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum,
id est animæ vel corporis, non ad utriusque pariter tuitionem valere significaretur.
Sub utraque specie tamen totus sumitur Christus; nec plus sub utraque, nec minus
sub altera tantum sumitur. Eadem enim ratio est, ut ait Hilarius, in corpore Christi, De Consecr.
quæ in manna præcessit, de quo dicitur : Qui plus collegerat, non habuit amplius; dist. II, c. 78. *Exod.* XVI,
nec qui minus paraverat, habuit minus. Et licet sub utraque specie sumatur totus 18.

Christus, tamen non fit conversio panis nisi in carnem, nec vini nisi in sanguinem. Nec debent dici duo sacramenta, sed unum, quia sub utraque specie idem sumitur. Neque debet iterari sacramentum, quia benedictio non repetitur super speciem eamdem. Neque aliæ substantiæ in sacrificium veritatis offerri debent, quia de aliis non potest consecrari corpus Christi vel sanguis.

G. *Quare aqua admisceatur.*

Aqua vero admiscenda est vino, quia aqua populum signat, qui per Christi De Consecr. dist. ii, c. 7. passionem redemptus est. Calix ergo dominicus, juxta canonum præceptum, aqua et vino mixtus debet offerri : quia videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quum ergo in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credit, copulatur : quæ copulatio aquæ et vini sic miscetur in calice Christi, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum quis tantum offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis.

H. *Quæritur si irritum sit, si aqua prætermittatur.*

Si vero quæritur, an irritum sit quod geritur, si aqua prætermittatur; audi quod Ibidem. sequitur in eodem canone : Non potest (inquit) calix Domini esse aqua sola aut Ibid. c. 2. vinum solum, nisi utrumque misceatur. Item Cyprianus : Calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque misceatur; sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, nec aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum, et panis unius compage solidatum. Si quis tamen non intendens introducere hæresim, oblivione vel ignorantia aquam prætermiserit, non videtur esse irritum sacramentum, sed ille graviter est corripiendus. Nam et Græcorum Ecclesia non apponere aquam Ibid. c. 3. dicitur. Quod etiam ex dictis Cypriani videtur posse colligi. Ait enim : Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc servaverit quod nos Dominus facere et exemplo et magisterio docuit, potest simplicitati ejus indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non potest ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. — Ex hoc videtur, quod si quis simpliciter vel ignoranter vinum offerat sine aqua, sacramentum conficiat. Aqua vero nullatenus sine vino potest offerri in sacrificio, nec panis nisi de frumento, nec granum frumenti nisi redactum fuerit in *Joann.* vi, 48. panem : quia Christus et panem se dicit, et grano frumenti se comparat. Quod *Ibid.* xii, 24. ergo supra dictum est, non posse vinum solum offerri, determinari oportet : recipit enim exceptionem. *Non potest,* nisi simpliciter vel ignoranter fiat; vel, *non potest,* id est, non debet. Quibusdam tamen videtur hoc generaliter verum. Colligitur etiam ex prædictis, quod Christus vinum aqua mixtum dedit discipulis. Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit, id est mortale et passibile. Nunc vero sumitur a nobis De Consecr. dist. ii, c. 7. immortale et impassibile, nec tamen majorem habet efficaciam. Eucharistia quoque

intincta non debet dari populo pro supplemento communionis : quia non legitur Christus alicui discipulorum præbuisse panem intinctum, nisi Judæ. Tum vero Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 9.
non accepit Judas corpus Christi, sed tantum panem. Corpus vero et sanguinem Christi ante eum aliis discipulis perceperat.

SUMMA

DISTINCTIONIS UNDECIMÆ

PRÆCEDENTI distinctione ostendit Magister, in Sacramento altaris corpus et sanguinem Salvatoris vere realiter ac incomprehensibiliter contineri. Hic edocet, qualis sit illa conversio. Deinde pandit circa hoc quorumdam opiniones erroneas. Quo facto, solvit tres quæstiones communes. Prima est, cur Christus non sub specie carnis et sanguinis, sed sub formis panis et vini instituit carnem suam ac sanguinem esse sumenda. Secunda, cur sacramentum istud exhibetur sub duplici specie, quum tamen sub utraque totus sit Christus. Tertia, cur aqua miscetur vino in calice, et utrum necessario requiratur admixtio aquæ.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum panis substantialiter ac instantanee et miraculose convertatur et transsubstantietur in corpus Christi, et vinum in sanguinem; ita quod nec annihiletur substantia panis et vini, nec sub corpore ac sanguine maneat, nec in aliud resolvatur.**

In hac quæstione multa tanguntur quæ condependent. Et primo arguitur, quod panis non convertitur nec transsubstantiatur in corpus Christi. Videtur enim hoc derogare præstantissimo corpori Christi, quod tam vilis et inanimata res, manu hominum formata, convertatur in ipsum; nec videtur hoc fieri posse sine mutatione

A et augmentatione corporis Christi. — Secundo, substantia panis non est sola materia, nec sola forma, sed utrumque simul immediate unitum ad constituendum unam naturam specificam, sicut in ceteris naturalibus materialibus rebus. Aut ergo materia panis convertitur in materiam corporis Christi, et substantialis forma panis in substantialem formam corporis Christi, puta in animam ejus rationalem ; aut tota illa substantia panis convertitur in solam materiam corporis Christi. Et quidquid
B horum dicatur, multa objiciuntur. Dictum p. 253 B.
est enim, quod in Sacramento corporis Christi ex vi sacramenti non continetur nisi caro ipsius, anima vero per concomitantiam : ergo forma panis non convertitur in animam Christi. — Tertio, subtractis omnibus accidentalibus formis a materiali substantia, non remanent nisi partes ejus essentiales, quæ sunt nuda materia et substantialis forma illius. Quum ergo facta consecratione et conversione panis in corpus dominicum, maneant omnes acciden-
C tales formæ panis, videlicet quantitas ejus et qualitas, non videtur aliquid converti in corpus Domini nisi nuda et prima panis materia, et forma ejus substantialis intrinseca. Materia autem prima unius rei naturalis non potest converti in materiam primam alterius; nec forma substantialis videtur in ipsam materiæ essentiam convertibilis, quum forma et materia sint primo diversa. — Quarto, subtractis a pane ejus dimensione seu quantitate ac ceteris accidentalibus formis, non manet quid-
D quam de pane, nisi indivisibilis et incorporalis ejus essentia : sicque corpus panis non converteretur in corpus Salvatoris. —
Rursus, præhabitum est quod quantitas p. 253 B'.
corporis Christi et formæ ipsius accidentales sunt in sacramento per concomitan-

tiam naturalem, ita quod in eas nihil A convertitur, sed tantum in substantiam corporis Christi : et ita in ista conversione non est nisi transsubstantiatio rei indivisibilis in rem indivisibilem, quum sine quantitate non sit extensio neque materialis divisio. Res autem indivisibilis non dicitur corpus, et ita non esset hic transsubstantiatio panis in corpus Christi. — Præterea operatio arguit formam et veritatem naturæ. Quum ergo facta conversione maneant non solum formæ accidentales, sed operationes etiam naturales, videlicet B nutritio, generatio, corruptio, videtur substantia panis ibi manere. Nempe incredibile prorsus videtur, quod substantia aliqua solis accidentibus nutriatur, augeatur, aut ex accidentalibus formis generetur substantia : quæ tamen omnia ex hostiis consecratis posse fieri cernuntur.

Ecce materia ista difficultatibus plena est, ad quas successive ac distincte est respondendum.

Itaque Albertus ad istam respondens : In C hoc (inquit) sacramento est transmutatio, quæ proprie transsubstantiatio appellatur, eo quod est a tota substantia rei unius in totam substantiam rei alterius, hoc est, a tota substantia panis et vini in totam substantiam corporis et sanguinis Jesu Christi quantum ad formam atque materiam, et desinit totum compositum panis et vini quantum ad substantialia, estque ibidem totus Christus quantum ad corpus et animam. In omni autem transmutatione necesse est haberi extrema, non ta- D men oportet in omni transmutatione haberi subjectum. Et est instantia in creatione, quia non est vere ac proprie transmutatio. Transmutatio namque proprie significat fieri rei, et exitum ejus de potentia in actum. Quum autem res est in exitu et transitu illo, non est sub forma a qua est transmutatio, neque sub forma ad quam nisi in potentia tantum, et transmutatio actus est imperfectus ac permixtus potentiæ. Hinc tale fieri non est sine motu, nec motus sine eo quod movetur : idcirco oportet aliquid subjici tali transmutationi. Est autem transmutatio alia communiter sumpta, quæ non est motus, sed mutatio sola. Et hæc est duplex : una ab agente naturali seu physico, ut est generatio simplex absolute considerata ; et hæc quoque eget subjecto, eo quod physice agens non agat nisi subjecta sibi materia in quam agat. Alia est ab agente primo infinitæ virtutis, cujus transmutatio est sine motu et indivisibilis, in qua nihil est nisi existentia hujus ex illo, et post esse suum substantiale : ideo in ea non oportet subjici materiam aliquam, et non habet nisi terminos, non autem subjectum commune, quod in transmutatione naturali est tertium.

In hac autem conversione seu transsubstantiatione non est mutatio aliqua de qua philosophi sint locuti. Quamvis autem transsubstantiatio præsupponat aliquid ex quo est seu fit transsubstantiatio (aliter non esset transmutatio), non tamen hoc remanet. Nam sicut actui creationis in quantum actio est primi agentis, nihil subjicitur ut subjectum, sic transsubstantiationi nihil subjicitur ut subjectum. Differunt autem penes terminum a quo : quia in creatione terminus a quo, est nihil ; in transsubstantiatione vero terminus a quo, est ens. Hinc transsubstantiatio est alicujus a quo, non alicujus in quo. Et quamvis sit mutatio a tota substantia, non tamen est in nihil, nec manet ibi substantialis forma ipsius panis, nec transsubstantiatio ista dicit mutationem ullam in Christi corpore, sed in pane. — Denique in materia ista, sicut in materia de superbeatissima Trinitate, non sunt sufficientia verba quæ exprimant modum operationis divinæ, sed balbutiendo resonamus pro posse Dei excelsa. Et puto quod mutatio ista verius transsubstantiatio nuncupetur, sicut et quidam antiqui dixerunt. — Hinc instantanea est, ab infinita Dei procedens potentia, cui competit agere in instanti ; et completur in fine prolationis verborum,

seu ultimo ejus instanti; et proprie non vocatur miraculum, quamvis sit omnium mirabilium maximum. Hinc concedo, quod transsubstantiatio ista non est naturalis nec miraculosa, sed valde mirabilis. Miraculum namque proprie sumptum, est quod fit præter spem, et hoc est arduum insolitum. Hæc autem transsubstantiatio non fit præter spem, sed cum certitudine spei, quia. ex verbis Christi spes de ejus eventu certificatur ; neque insolita est. Quamvis etiam in materia hujus sacramenti sit potentia obedientiæ ad istum effectum, attamen potentia illa nil addit super essentiam rei. Nam si per intellectum ab invicem separentur, quæritur an substantia illa adhuc sit in potentia obedientiali ad omnia quæ Deus de ea vult facere. Si dicatur quod non, hoc esset hæreticum; si sic, habetur propositum vel itur in infinitum.

Item transsubstantiatio ista non est annihilatio substantiæ panis et vini. Quidquid enim convertitur in aliquid, eo ipso non convertitur in nihil, quum aliquid et nihil contradictorie opponantur. Substantia autem panis convertitur in corpus Christi, substantia quoque vini in sanguinem; nec tamen manent in se, nec in aliquo sui in Christo. Et ista responsio magis est consona dictis Sanctorum quam aliæ duæ : quarum una dicit eas annihilari, alia vero dicit eas simul cum corpore Christi ac sanguine remanere. Etenim prima illa quamvis sit minus comprehensibilis, magis tamen est eligenda, quia auctoritatibus Sanctorum concordat, quorum inspirata revelatio præjudicat argumentis. Porro, res mutatæ dicuntur manere aut non remanere, secundum exigentiam suæ mutationis. In mutatione enim quæ est de subjecto ad subjectum, manet subjectum, et non accidens. Manet, inquam, subjectum secundum materiam et formam et totum compositum. In mutatione autem quæ est de non subjecto ad subjectum (sicut in generatione), vel de subjecto ad non subjectum (ut in corruptione), manet materia, non

A forma substantialis aut accidentalis. Verum in hac mutatione seu transsubstantiatione quæ est de tota natura et substantia subjecti in substantiam totam alterius, accidentia manent, et de substantialibus nihil : imo est aliud secundum quod per transsubstantiationem est corpus Christi factum ; idcirco non est conversum in nihilum. Et quum dicitur, De pane fit corpus Christi, ly de, solum notat ordinem. — Præterea alia opinio dixit substantiam panis manere : quia quum corpus Christi B sit glorificatum et gloriosum, potest simul cum alio corpore esse, et quoniam manent ibi effectus panis, qui sunt reficere, sapere, et fit ibi divisio. Cui opinioni objicitur, quia secundum eam verificari non posset quod ait Salvator de pane : Hoc est *Matth. XXVI, 26.* corpus meum. Et rursus, juxta eam accidentia illa ducerent intellectum in substantiam panis, non in corpus Christi invisibile ibi ; et ita non haberent rationem signi : quod est contra rationem sacramenti. Hinc ista opinio nullum jam habet (ut C æstimo) defensorem. — Hæc Albertus.

Insuper Thomas circa hæc plenius scribens : Opinio (ait) quæ dicit substantiam panis in sacramento post consecrationem manere simul cum corpore Christi, incompetens est huic sacramento, impossibilis atque hæretica. Incompetens, quoniam impediret venerationem huic debitam sacramento. Esset namque idololatriæ occasio, si adoratio latriæ exhiberetur hostiæ, substantia panis ibi manente. Esset quoque contra significationem sacramenti, quoniD am species non ducerent in verum corpus Christi per modum signi, sed in substantiam panis. Esset etiam contra usum sacramenti, quia jam cibus iste non esset pure spiritualis, sed etiam corporalis. Est item impossibilis, quia impossibile est aliquid esse ubi prius non fuit, nihil in ipso mutato, nec aliquo mutato aut converso in ipsum : nec posset per miraculum fieri, sicut quod aliquid esset animal rationale mortale, et non esset homo. Aliter etenim se habere nunc et prius, est idem

quod moveri seu mutari. Si igitur corpus Christi esset sub sacramento nunc et non prius, oporteret aliquem motum aut mutationem intervenisse. Nulla autem mutatio facta est in pane secundum istam opinionem. Ergo oportet corpus Christi esse mutatum saltem localiter, ut dicatur, Corpus Christi est hic, quia per motum localem huc venit, sicque oporteret corpus idem numero ad diversa loca simul et semel venire : quod constat impossibile esse. Est quoque hæreticum, quia non esset verum, Hoc est corpus meum; sed, Hic est corpus meum.

At vero accidentia panis eadem numero
Cf. p. 275 E. remanent : cujus ratio assignatur in littera ex parte usus sacramenti, tam quantum ad manducationem spiritualem, quæ est per fidem, ut scilicet fides majoris sit meriti; tam quantum ad manducationem sacramentalem, quoniam horrori esset, corpus et sanguinem Domini sub propria specie sumere, atque infidelibus irrisioni. Est et alia causa ex parte sacramenti, quoniam spiritualia in sacramentis per sensibilia ostenduntur : quumque verum corpus Christi sit cibus spiritualis, non corporalis, oportuit ut per similitudines cibi corporalis significaretur et sub eis contineretur.

Si autem quæratur, an substantialis forma panis, facta consecratione remaneat; respondendum quod non, triplici ratione. Primo, quia in qualibet transmutatione seu conversione, terminus *a quo* est ejusdem generis cum termino *ad quem*. Id autem ad quod terminatur conversio, non est forma tantum, neque materia tantum, sed substantia actu exsistens : quod declarant verba, quæ hoc faciunt quod designant. Unde quum in eis exprimatur per istud pronomen, hoc, substantia actu composita, oportet quod id quod convertitur in corpus Christi, sit substantia composita, non materia tantum panis. Ergo forma substantialis panis non manet. Secundo, quoniam frustra maneret. Accidentia quippe manent ut sint signa, quia manent ad hoc ut per ea de substantia subjacente

A cognitionem accipiamus, quum sint sensibilia, et ad cognitionem intelligibilium via. Forma autem substantialis non est quid sensibile, sed ordinata ad influendum esse substantiale. Quumque substantia panis ibi non maneat, forma substantialis frustra ibi maneret. Tertio, quoniam accidentia non immediate ducerent in corpus Christi, sed in substantialem formam panis manentem : sicque significationi sacramenti aliquid deperiret.

Verum his objici potest primo, quia
B quod non convertitur in aliquid corporis Christi, oportet facta consecratione manere; sed forma substantialis panis non convertitur in aliquid corporis Christi, quia si sic, maxime converteretur in animam Christi, in quam, juxta præhabita, nihil Cf. p. 253 D.
convertitur. — Secundo, panis est res artificialis : ergo forma ejus est accidens, igitur manet quemadmodum accidentia cetera. — Tertio, secundum Commentatorem libro de Substantia orbis, primoque Physicorum, oportet in materia intelligere di-
C mensiones ante formas substantiales aliquo modo in generabilibus et corruptibilibus : alias esse non possent diversæ formæ in partibus diversis materiæ, quum divisio non fiat nisi secundum quantitatem; sed dimensiones panis manent, ergo et forma ejus substantialis. — In oppositum est, quod forma substantiali accidentibusque remotis, non manet nisi subjectum commune, quod certum est non posse converti in aliud.

Et respondendum ad primum, quod ani-
D ma non est forma uniformiter perficiens suum corpus quoad totum et quoad singulas ejus partes : imo singulæ partes recipiunt ab anima perfectionem eis proportionalem. Hinc quamvis in animam Christi nihil convertatur secundum quod est totius corporis perfectio, tota tamen substantia panis transsubstantiatur quantum ad formam suam atque materiam, in corpus Christi totum, secundum quod intelligitur accepisse congruentes perfectiones in singulis partibus, quia sic exstat orga-

nicum et materia animæ propria. — Ad secundum, quod quamvis ars per se ipsam non valeat substantialem introducere formam, attamen potest hoc virtute naturæ, qua utitur in sua operatione ut instrumento : ut patet in hoc quod aquam convertit in vaporem, et aerem in ignem, igne mediante. Ita etiam per commixtionem farinæ et aquæ et per ustionem ignis, potest sequi forma substantialis qua panis est panis. Si autem non esset forma substantialis quæ est per artem inducta, per quam panis est panis, substernitur forma substantialis accidentali, videlicet forma farinæ. Triticum enim jam a sua specie est corruptum, quia non manet ejus operatio, ut queat sibi simile generare. — Ad tertium, quod dimensio quæ intelligitur ante formam substantialem, non habet esse completum, quum non sit dimensio terminata : terminatio namque dimensionis est per formam. Dimensiones vero quæ manent post consecrationem, sunt dimensiones terminatæ, quum habeant terminatam mensuram atque figuram.

Nunc perscrutandum, an in hac conversione substantia panis annihiletur. Dicendum, quod opinio dicentium hoc, duo ponit sub disjunctione, scilicet : quod materia panis resolvitur in præjacentem materiam, vel quod annihilatur ; et quantum ad utrumque, est falsa. Si enim in præjacentem materiam resolveretur, hoc non posset intelligi, nisi quod vel esset materia sine omni forma : quod implicat, quum materia per essentiam suam sit ens in potentia, et actus ejus est forma : et ita si esset sine forma, esset in actu, et non esset in actu. Vel, ita quod resolvatur in materialia elementa : quod esse non valet, quoniam elementa illa aut manerent in loco eodem, et oporteret quod sub illis speciebus esset aliud corpus quam corpus Christi, atque quod illud materiale corpus esset simul cum dimensionibus panis, et multa hujusmodi inconvenientia sequerentur ; vel non essent in loco eodem, et sic esset motus localis illius elementi materialis : quod

A esse non potest, quoniam sentiretur mutatio talis, si esset. Præterea, quum motus localis necessario sit successivus, oporteret quod illud materiale elementum prius relinqueret unam hostiæ partem quam aliam. Quumque transsubstantiatio sit instantanea, sequeretur alterum duorum : vel quod aliquando sub aliqua parte hostiæ non esset verum corpus Christi, neque substantia panis, nec materiale elementum, quod jam recessit ab illa parte ; vel quod aliquando sub eadem parte hostiæ B esset corpus Christi et materiale elementum, quod impossibile est. Ideo dici non potest, quod resolvatur in præjacentem materiam. — Conformiter, dici non potest quod annihiletur, eo quod omnis motus denominetur a termino *ad quem* : sicut motus ad albedinem, dicitur dealbatio. Hinc sola transmutatio cujus terminus esset nihil, posset annihilatio appellari. Quod in ista conversione dici non potest, cujus terminus est corpus Christi : quia nihil potest incipere hic esse, quum non fuerit C prius hic, nisi per motum aut mutationem sui sive alterius terminatam ad ipsum aliquo modo. Ideo si conversio illa non terminaretur ad Christi corpus, oporteret quod corpus illud esset in altari per motum sui localem, quod reprobatum est supra. Falsa *Cf.* p. 280 A. est ergo opinio illa.

Præterea dum quæritur, an panis possit in corpus Christi converti ; dicendum, quod in mutationibus naturalibus, invenitur mutatio quædam secundum quam nihil variatur de intrinsecis rei, sed solum ex- D trinseca, ut in motu locali ; alia quoque mutatio in qua variatur quod inest accidentaliter enti, sicut in augmentatione et alteratione ; alia vero mutatio quæ pertingit usque ad formam rei substantialem, ut generatio atque corruptio. Nulla autem est naturalis mutatio quæ possit ad materiæ mutationem pertingere, quia materiam præsupponit, quemadmodum quodlibet agens secundum operatur præsuppositis his quæ sibi sunt data a primo agente. Et hæc principia oportet manere in ope-

ratione naturæ, ut primo Physicorum habetur. Quemadmodum autem esse compositi, quod ex præsuppositione materiæ natura producit, operationi naturæ subjicitur; ita ipsa materia actioni subjicitur primi agentis, a quo esse suum potentiale imperfectum sortita est. Sicque actio Dei pertingit usque ad ipsam materiam et ejus variationem, ita quod sicut natura facit hoc totum esse hoc totum, ut ex toto hoc aere totam hanc aquam; sic Deus facit ex materia ista signata illam. Quumque materia signata sit individuationis principium, ideo hoc solius Dei operatione fieri potest, ut hoc individuum demonstratum fiat illud individuum demonstratum. Et talis conversio est in hoc sacramento, quia ex hoc pane fit hoc Christi corpus.

Hinc patet, quod ista conversio differt ab omni conversione naturali in quatuor. Primo, quia ad primam pertingit materiam, quod in aliis non contingit. Et quia materia est primum subjectum, cujus non est subjectum aliud; idcirco secundo differt in hoc, quod ista conversio non habet subjectum ut illæ. Tertio, quod in naturalibus conversionibus convertitur totum in totum, non autem partes essentiales in partes : totus namque aer convertitur in aquam, materia vero aeris non convertitur in aliquid, imo eadem manet; forma quoque non convertitur, sed recedit, et introducitur alia. Sed in hac conversione totum convertitur in totum, quoniam panis fit corpus Christi; et partes etiam convertuntur, quia materia panis fit materia corporis Christi; et substantialis forma panis similiter fit illa forma quæ est corporis Christi. Quarto, quia in naturalibus conversionibus transmutatur et id quod convertitur, et id in quod convertitur. Nempe quod in alterum convertitur, semper transmutatur corruptione. Id vero in quod aliquid naturaliter convertitur, si sit simplex conversio, transmutatur per generationem, ut dum aqua generatur ex aere; si autem sit conversio cum additione ad aliud præexsistens, illud cui additur, transmutatur

A per augmentum, vel saltem per restaurationem deperditi, sicut in nutrimento. Sed hic, hoc ipsum in quod fit conversio, erat præexsistens, et non ei additur : quia ut dictum est, illud quod convertitur, convertitur in ipsum secundum totum et secundum partes ejus omnes. Unde et in transsubstantiatione id in quod terminatur conversio, utpote corpus Christi, nullo modo transmutatur, sed solum panis qui convertitur. Itaque conversio ista sub nulla conversionum naturalium continetur.

B Aliquam tamen convenientiam habet cum transmutatione nutrimenti, in quantum utraque conversio fit in aliquid præexsistens; differt quoque ab ea, in quantum hic non fit aliqua additio termino conversionis ut ibi.

Sed objici potest, quia conversio accidens quoddam est, et omne accidens est in subjecto; nec potest dici, quod hujus conversionis subjectum sit panis, nec corpus Christi, quia non est idem subjectum mutationis, et terminus a quo vel ad quem :

C ergo panis nequaquam in corpus Christi convertitur. — Respondendum, quod transmutatio naturalis ponit actum imperfectum, ut dicitur tertio Physicorum. Quumque idem sit subjectum actus perfecti et imperfecti, oportet quod subjectum transmutationis naturalis sit id quod postmodum est subjectum actus perfecti, videlicet formæ ad quam tendit motus, et non ipsum jam perfectum. Transmutatio vero hujus conversionis non dicit actum aliquem imperfectum, sed solum quamdam

D successionem perfectorum, non actuum tantum, sed et subsistentium rerum. Successio quoque est in succedentibus sibi, quemadmodum ordo in ordinatis; et juxta regulam in primo libro traditam de relativis, erit ista relatio ordinis hujus successionis realiter in pane qui convertitur, non in corpore Christi, nisi secundum rationem, quoniam permanet immutatum.

Cf. t. XX, p. 200 C et s.

Quæritur quoque, an conversio ista sit successiva. Dicendum, quod causa cur mutatio est successiva, est distantia ejus quod

movetur, a termino motus. Distantiam dico, non solum secundum loci dimensiones aut quantitatis, sed et secundum repugnantiam formæ aut naturæ. Ideo ubi nihil est repugnans formæ introducendæ, forma recipitur in instanti præsente agente, ut in illuminatione diaphani; similiter in forma subito inducenda in materia plene parata. Quemadmodum autem aer subjacet soli ad recipiendum lumen ab eo, ita natura creata divino imperio, ut protinus fiat in ea quidquid vult Deus. Aliqua tamen efficit successive, operando in nobis secundum modum nostrum. Quod tamen contingit quando est distantia major seu minor ejus quod transmutatur, a termino transmutationis. Quumque conversio ista essentiam attingat materiæ, secundum quam separatis per intellectum formis ac dispositionibus, una res non magis convenit cum re ista quam cum illa, non potest accipi major et minor distantia a termino, quia hoc singulare demonstratum, quantum ad hoc quod convertitur in corpus Christi, tantum distat ab alio singulari suæ speciei, quantum a singulari speciei alterius. Hinc conversio ista fit in instanti.

Sed objici potest, quoniam impossibile est aliquid in eodem instanti esse corpus Christi et panem : ergo non est idem instans in quo est primo corpus Christi, et in quo est ultimo panis. Sed inter duo instantia est medium tempus, ut sexto Physicorum probatur. Ergo conversio ista est successiva. — Et respondendum, quod ista objectio a diversis diversimode solvitur. Nam quidam concedunt, quod sit assignare ultimum instans in quo est panis, sicut et primum instans in quo est corpus Christi, propter hoc quod in quodam toto tempore fuit panis, et ita in quolibet instanti temporis illius. Unde quidam istorum dicunt, quod unum est instans secundum rem in quo est panis et corpus Christi, sed differt secundum rationem : quia in quantum illud instans est finis præteriti temporis, in eo est panis; in quantum vero principium est futuri, in

A eo est corpus Christi. Sed hoc stare non valet, quoniam contradictoria simul esse secundum rem impossibile est; et constat, quod secundum rem maxime simul sunt, quæ sunt in eodem instanti secundum rem. Hinc impossibile est duo contradictoria simul esse in eodem instanti quod unum est secundum rem, quantumcumque differat ratione : quia ex illa ratione non habet ordinem ad mensuratum et ad tempus, cujus est terminus, sed ad animam considerantis. — Hinc alii dicunt, B quod istud *nunc* est quodam modo unum realiter, et modo quodam diversum. Et ponunt exemplum de duabus lineis se tangentibus, de quibus constat quod habent duo puncta, quæ tamen conjunguntur in uno puncto lineæ continentis : contigua enim sunt, quorum termini sunt simul. Conformiter dicunt, quod esse panem et esse corpus Christi in altari, contiguantur : et ita est unum instans extra mensurans, in quo primo est corpus Christi, et ultimo panis; et tamen sunt duo instantia, C si accipiamus duo tempora quibus mensuratur esse panis in altari, et esse corporis Christi : sicque inter duo instantia quasi contiguata, non oportet tempus medium esse. Sed nec istud potest salvari, quia quum punctum sit terminus lineæ, quæ potest esse mensura intranea atque extranea, possibile est et puncta assignare intrinseca et extrinseca. Instans autem est terminus temporis, quod nunquam est mensura nisi extrinseca : ideo non est accipere instans, nisi quod se habeat instar D puncti extra jacentis. Unde positio ista redit in idem impossibile cum prima. — Ideo tertii dicunt, quod sicut quarto Physicorum probatur, in toto tempore non est accipere nisi unum *nunc* secundum substantiam; et quod numerentur duo instantia, hoc est secundum ordinem temporis ad motum et actionem quam mensurant. Ideo si sumantur duo instantia respectu ejusdem motus, prout tempus mensurat principium et finem motus illius, ita oportet inter duo instantia esse intermedium

tempus, sicut inter principium motus et finem ejus est medius motus. Si autem accipiantur duo instantia per comparationem ad motus diversos, secundum quod mensurant principium unius et finem alterius, sic inter duo instantia non est tempus medium : sicut nec motus est medius inter principium unius motus et finem alterius. Ideo, quum quies mensuretur tempore, sicut et motus, duo instantia sunt se invicem consequentia, quorum unum mensurat finem quietis in quo erat panis, aliud vero mensurat principium quietis in quo est corpus Christi. Sed hoc iterum stare non valet, quia instantia temporis distinguuntur per comparationem ad motum illum a quo tempus habet unitatem aut multitudinem : ad quem comparantur non solum sicut mensura ad mensuratum, sed et sicut accidens ad subjectum, puta ad motum cœli, qui exstat continuus, et interruptionem non patitur secundum naturam. Ideo qualitercumque signes duo instantia in tempore, semper est accipere tempus medium, quia est accipere inter quælibet momenta motus cœli motum medium : idcirco in aliis motibus non differet, sive comparentur diversa instantia ad motum eumdem, sive ad diversos. Patet quoque quod ista positio contradicit Philosopho Physicorum octavo, quo probat quod inter quoslibet motus contrarios est media quies : quod non oporteret, si duo instantia modo jam tacto possent se invicem consequi. — Hinc alii dicunt, quod ista conversio, quum sit supra naturam, non habet ordinem ad motum cœlestem : unde nec mensuratur tempore, quod est mensura motus cœli, sed instanti. Ideo inconveniens non est, si duo instantia succedant sibi invicem sine tempore medio, prout dictum est primo libro, de motu angelorum. Verum nec hoc potest stare, quoniam ista conversio sequitur motum prolationis verborum, qui reducitur ad mensuram motus cœlestis, quemadmodum illuminatio sequitur ad motum localem quo defertur illuminans. Hinc oportet quod instantia

Cf. t. XX, p. 464 C'.

A in ista conversione accipiantur secundum mensuram cœli motus. — Propterea alii dicunt, quod non est simul signare ista duo instantia in quorum uno primo fit corpus Christi, et in alio ultimo panis : sic enim de necessitate esset inter ea tempus medium. Tamen utrumlibet eorum per se potest signari. Sed hoc iterum nihil est, quoniam designatio nostra nil facit ad hoc quod tempus intersit vel non intersit. Propter quod si sint duo instantia secundum rem, in quorum uno est panis ultimo, atque in alio corpus Christi primo, sive signentur a nobis, sive non, oportet tempus medium esse. — Ideo aliter dicendum est, quod scilicet non est designare ultimum instans, sed ultimum tempus in quo est panis. Inter tempus autem et instans non necessario est medium tempus, sicut inter duo instantia. Et veritas hujus patet ex hoc quod octavo Physicorum ait Philosophus, quod quando ex albo fit nigrum, in toto tempore mensurante motum alterationis erat album, sed in ultimo temporis illius instanti est nigrum. Unde secundum ipsum, non est dicendum, quod in toto tempore illo sit album, sed in toto tempore illo præter ultimum instans seu nunc. Quumque ante ultimum nunc temporis alicujus, non sit accipere penultimum, sicut nec ante ultimum punctum lineæ penultimum ; ideo non est accipere ultimum instans in quo erat album, sed ultimum tempus. Consimiliter est de mutationibus quæ sunt termini motus, sicut generatio est terminus alterationis : quia quum ex aere fit ignis, in toto tempore præcedentis alterationis erat aer, præter ultimum instans in quo est ignis. Ideo, quum conversio ista sit terminus alicujus motus, puta prolationis verborum, in toto tempore præcedente exstitit panis præter ultimum instans, in quo est Christi corpus.

Præterea dum quæritur, an ista conversio miraculosior, potentior, seu mirabilior sit omni alia mutatione ; dicendum, quod quanto aliquid est permanentius, tanto difficilius transmutatur. Et quia subjectum

in qualibet mutatione naturali manet, ideo A in omni mutatione tali, materia maxime manet, quum sit omnium mutationum subjectum. Hinc mutatio quæ attingit materiam, difficilior est et majoris virtutis ostensiva quam quæcumque transmutatio alia, ex parte ejus quod transmutatur. Quumque creatio et conversio ista pertingant ad materiæ essentiam, constat eas majoris esse ostensivas virtutis quibuscumque aliis, in quibus mutatur vel forma substantialis, vel accidentalis, vel locus exterior. Et inter has duas videtur creatio, absolute loquendo, præcellere : quia per ipsam essentia materiæ producitur. Ex quo sequitur, quod materia per hanc conversionem a producente possit in alterum transmutari. Sed ex parte ejus ad quod est mutatio, ipsa mutatio quæ est in unione humanæ naturæ cum divina persona, excellit has omnesque alias in difficultate : ideo est ipsa miraculum omnium miraculorum.

Si autem objiciatur, quod in hac conversione major est resistentia, quia oportet totum in totum converti, ideo et difficultas major; dicendum, quod in actione potest esse resistentia dupliciter. Primo, ex parte agentis, quando videlicet ex agente contrario virtus ejus debilitatur. Secundo, ex parte effectus, dum ex contraria dispositione impeditur effectus. In actionibus demum in quibus agens non patitur, prima resistentia locum non habet, sed solum secunda. Idcirco in operationibus divinis non attenditur difficultas penes resistentiam ad agentem, sed penes impedimentum ad effectum. Magis autem impeditur effectus per subtractionem potentiæ recipientis, quam per rationem contrariæ dispositionis : quia contraria dispositio non impedit effectum, nisi faciendo potentiam esse indispositam. Ideo major est difficultas in creatione, ubi omnino materia non præexsistit, quam ubi præexsistente materia est aliquid quod effectui, contrariando, repugnat. — Hæc Thomas in Scripto. Hæc eadem scribit in tertia parte, quæstione septuagesima quinta; et scripta ibidem continentur in istis.

Quibus Petrus concordat, ejusque dicta continentur in his. Et inter cetera loquitur : Quamvis unius una sit ultima forma completiva, tamen multæ sunt formæ materiales disponentes. Hinc quamvis anima sit ultima humani corporis forma, in quam non transit panis seu forma ejus substantialis, habet tamen aliam formam corporalem complexionis seu mixtionis, et in hanc transit forma panis. Hæc Petrus.

B Concordat Richardus, qui etiam de conversione formæ substantialis ipsius panis testatur : Tota substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, ita quod materia in materiam, et forma in formam, non in illam per quam corpus habet esse completum, quoniam illa est anima intellectiva, sed in formam corpoream incompletam, per quam corpus habet incompletum esse, etiam in gradu corporeitatis. — Hæc Richardus. Circa cujus verba est obscuritas magna, quia videtur duas sub- C stantiales ponere formas in corpore Christi. Similiter, circa verba Petri obscuritas oritur, prout infra tangetur.

Porro Bonaventura : Panis (inquit) præcise convertitur in id cum quo similitudinem habet. Nam super similitudinem hanc fundatur institutio sacramentalis, et advenit sanctificatio verbi. Quumque panis similitudinem tantum habeat cum corpore Christi, idcirco convertitur tantum in illud; non in deitatem, neque in animam, nec in sanguinem aliquid panis converti- D tur. Corpus tamen non est in sacramento sine istis, quoniam sanguis est ibi concomitanter ratione commixtionis, anima ratione conjunctionis, deitas ratione unionis. — In his verbis videtur Bonaventura sentire, quod non sit ibi conversio totius substantiæ in totam substantiam naturæ assumptæ. Opinionem quoque quam sequitur Thomas de instanti conversionis istius, dicit esse fugam, non veram solutionem. Et addit : Tempus seu instans, quod est mensura ultimi *esse* panis et primi *es-*

se corporis, potest dupliciter considera- A ri seu accipi. Primo, ut duratio propria uniuscujusque, sicut ait Philosophus : Unumquodque propria periodo mensuratur. Quæ periodus cum re incipit ac desinit, et ita sunt diversæ mensuræ discontinuæ, atque diversa instantia consequenter se habentia in uno continuo, sicut sunt duo esse, utpote panis et corporis Christi. Si autem accipiatur instans secundum mensuram communem, quæ est tempus continuum, non intercisum, ut est mensura motus primi mobilis, vel etiam prout consideratur B secundum essentiam, non secundum esse; tunc accipitur determinatum instans secundum nostram significationem. Signetur ergo unum instans in tempore, in quo ultimo est panis; signetur et alterum instans in quo primo est corpus. Ego dico, Non signetur, quia non est significare duo instantia consequenter se habentia in uno continuo. Unde quodlibet horum per se significari potest, sed duo simul impossibile est signare. Sicque patet, quod in alio et alio instanti secundum rem, et secundum C quod est mensura realis ac propria, habent esse panis et corpus Christi in hostia, quamvis secundum mensuram communem duo instantia immediate signare non contingat. Hæc Bonaventura.

Præterea Thomas de Argentina tangit hic aliqua contra dicta ex S. Thoma, Petro et Richardo, de conversione formæ substantialis ipsius panis in quamdam formam corporis Christi, et de hoc infra dicetur. Ait quoque, quod quædam rationes
Cf. p. 279 C' et s. Doctoris communis, quibus probat sub- D stantiam panis non remanere facta conversione, non concludant, præsertim quod ait, corpus Christi ibidem de novo esse non posse, nisi per sui localem adventum, vel per alicujus conversionem in ipsum. Et constat, quod in hoc multi contradicunt eidem, etiam Richardus. De his autem infra plenius est dicendum.

At vero Henricus de ista materia scribit
q. 8. valde prolixe Quodlibeto nono; et sicut in Scripto super secundum tetigi, ipse posuit duas formas substantiales in homine : *Cf.* t. XXII, p. 138 B' et s.
unam naturalem eductam de potentia materiæ, ad quam (ut opinatus est) terminatur generatio naturalis, quam dixit non esse intellectualis naturæ; aliam infusam, ad quam terminatur creatio, rationalem et intellectualem. Ad quod opinandum, sumpsit occasionem ex conversione quæ fit in sacramento : quia (ut dictum est) in ea est p. 278 C, 282 C.
conversio totius in totum, hoc est totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi. Tota autem seu integra substantia panis non est sola ejus materia, sed ipsa simul cum sua forma substantiali. Nec tota illa substantia convertitur in solam materiam corporis Christi, sed in materiam illam ac formam, et non in animam intellectualem, quæ non vi sacramenti, sed per naturalem concomitantiam fertur in sacramento consistere. Ergo præter eam est in corpore Christi alia forma substantialis, per quam ponitur in esse corporeitatis, in quam forma substantialis panis converti asseritur. — Verum quoniam super secundum reprobata est copiose opi- *Cf.* t. XXII, p. 139 D.
nio illa ponentium plures formas substantiales in eodem composito, non oportet de hoc nunc immorari.

Sed remanet difficultas, in quam formam substantialem convertatur substantialis forma panis, si tamen in substantialem formam convertitur. Siquidem secundum Bonaventuram, materia et forma panis in solum corpus, non in ejus animam nec formam substantialem converti creduntur. Est ergo hic grandis, imo et maxima difficultas. Propter quod docet Henricus, ut in his nulla pars pertinaciter defendatur, nec aliquid temere asseratur, ne incurratur periculum asserendo quidquam de Christo et corpore ejus, atque conversione panis in ipsum, quod non sit verum : imo, quod majoris est auctoritatis, Innocentius Papa III hoc ipsum edocuit et decrevit.

Præterea, qualiter positio S. Thomæ atque sequacium ejus queat salvari, non video, nisi per modum quem tangit Henricus. Nempe (ut patuit) Thomas aptissi-

Cf. t. XXII, p. 135 D et s. me tenet, in homine non esse nisi unam formam substantialem, videlicet animam *Cf.* p. 253 B et s. rationalem, quam frequenter dicit in sacramento hoc contineri, non vi conversionis factæ in ipsam, sed concomitanter; et p. 282 B et s. nihilo minus, sicut allegatum est modo, dicit formam substantialem panis converti in formam corporis Christi, vel (ut verbis utar ipsius) in formam quæ est corporis Christi : quod juxta documenta ipsius B. Thomæ, nequit intelligi de aliqua accidentali forma corporis Christi, quum et *Cf.* p. 253 B'. accidentia corporis Christi, quantitas, qualitas, etc., concomitanter in sacramento exsistant, secundum ipsum, nec substantiam in accidens converti fatetur. Hinc (ut tangit Henricus) pro horum concordia posset forsitan dici, quod forma panis convertitur in formam corporis Christi, non secundum quod est intellectualis aut rationalis, sed ut largitur materiæ esse corporeum. Hanc tamen positionem Henricus non tenet, quia secundum eam forma panis vere converteretur in essentiam animæ rationalis, quamvis non secundum gradum ejus superiorem.

Cf. Quodl. IX, q. 8. Itaque, circa hæc scribit Henricus : Firmissime credendum, panem in Christi corpus converti. Non tamen adeo certum est, quid in verbis his nomine corporis debet intelligi, an scilicet sola materia, ut habens partem extra partem sub quantitate; aut materia talis cum esse corporeo, non includendo in ratione corporis ipsam substantiam animæ; vel materia cum substantia animæ, ut dat esse corporeum, inclusa in ratione corporis; vel materia cum aliqua forma substantiali corporea, alia ab anima. Et quidquid horum dicatur, seu quocumque horum modorum corpus sumatur, plenissime est credendum quod panis in verum corpus Christi convertitur, et taliter credere sufficit. Nec in his quæ fidei sunt tutum est definire, ubi neque Ecclesiæ neque sapientium auctoritas, neque perspicua ratio definivit : quia si quid falsum definiretur ac pertinaciter defenderetur, esset hæreticum. — In hujus A quæstionis decisionem multa hic scribit hic doctor, quibus contradictum est super secundum, et etiam super primum : ut quod secundum doctrinam Aristotelis, anima intellectiva non est forma constituens hominem in esse specifico, sed substantia separata, atque in cunctis hominibus numero una : ita quod anima quæ est intrinseca hominis forma, sit mortalis instar animarum brutalium, et quod artistæ nunquam posuerunt contrarium horum. Verum, sicut præhabitum est super secun- dist. XVII, q. 1. B dum, omnia ista sunt falsa, vel saltem incerta, et multi artistæ tam Christiani quam Sarraceni, tam Græci quam Arabes, conscripserunt quod secundum intentionem Aristotelis, anima rationalis intellectiva vere est hominis forma substantialis intrinseca, et numero hominum numerata. Et hoc Thomas, Albertus, Ægidius et alii plures in libris Aristotelis valde exercitati, in multis locis specialibusque tractatibus diligentissime probaverunt; Avicenna quoque et Algazel, multique alii gentiles C expositores testati sunt, quamvis impiissimus Averroes juxta suas perfidias aliter sensit, et tantos errores dixit fuisse de mente summi illius Philosophi.

Amplius, Scotus circa hæc prolixius scribit, de pluralitate formarum substantialium in eodem plura commemorans, et tandem cum præfata opinione Henrici concordans, quod in homine præter animam rationalem ponenda sit alia substantialis forma, in quam dicit substantialem formam panis converti. Imo et addit, in D aliis quoque animatis præter animam eorumdem ponendam esse aliam formam substantialem. Unde sic scribit : Dico, quod corpus Christi per se includit materiam, et ad minus formam unam mixti, priorem forma seu anima intellectiva; atque per unam hanc formam est in actu partiali, ac per eam est proprium receptivum animæ intellectivæ, quamvis per eam non sit in genere corporis, ut corpus est genus, nisi per reductionem. Et in istud compositum, quod per se est pars hominis, fit per se

conversio panis, quasi totius in totum, et A partium in partes; et per consequens hæc forma est formalis terminus conversionis: quæ forma manet eadem, sive anima uniatur corpori, sive non, quia hæc prior est anima naturaliter, saltem in informando. Et in triduo mortis Christi mansit in corpore Christi, anima non manente ibidem: ideo in triduo fuisset eadem res hujus sacramenti, si sacramentum tunc mansisset: quia in triduo illo forma corporeitatis non fuit separata a materia in Christo, et per consequens nec separata a materia sua ut B in Eucharistia. Hæc Scotus.

Qui iterum ait: Forma animæ non manente, corpus manet: ideo universaliter in quolibet animato necesse est ponere formam illam qua corpus est corpus, et aliam qua est animatum. Et loquor de corpore prout est altera pars compositi, manens in suo proprio esse absque anima: propter quod habet formam qua est corpus hoc modo. — Rursus scribit: Concedo, quod totale esse totius compositi est principaliter per unam formam, et illa forma est C qua totum compositum est hoc ens, et illa est ultima forma adveniens omnibus præcedentibus formis. Sicque totum compositum dividitur in duas partes essentiales, scilicet: in proprium actum, qui est hæc ultima forma completiva, et in propriam potentiam, quæ includit materiam primam cum omnibus præcedentibus formis. Ex hoc tamen non sequitur, quin in toto includantur plures formæ, non quidem specifice constituentes compositum illud, sed tanquam quædam inclusa in potentiali is- D tius compositi. Cujus exemplum est in composito ex partibus integralibus. Quanto enim animatum est perfectius, tanto requirit organa plura, et probabile quod distincta specie per formas substantiales. Tamen ipsum est verius unum: verius, inquam, id est perfectius; non autem verius, id est indivisibilius. Hæc Scotus.

Quocirca dici potest, quod recte Philosophus dixit: Eædem opiniones infinities iterantur. Etenim has opiniones erroneas de pluralitate substantialium formarum in uno composito, Aristoteles et Commentator ex proposito reprobarunt, præsertim Aristoteles ipse; et ambo reprehenderunt Platonem, eo quod in eodem homine diversas posuit formas substantiales in diversis partibus ejus seu organis. Ista quoque opinio super secundum satis est improbata. dist. xvii, q. 2. Periculosum etiam videtur, in Christo præter animam ejus rationalem ponere aliam formam substantialem. Et quod Henricus et Scotus iste arguunt de corpore Christi in triduo sepulturæ, si tunc reservatum fuisset in hostia consecrata ab hora consecrationis factæ in Cœna, quod in hostia quoque obiisset, et ita non mansisset ibi Cf. p. 270 C', 271 A', B'. nisi corpus defunctum, ac per consequens non eadem res contenta, imo sola materia non formata, si non fuit in eo nisi unica forma substantialis, videlicet anima rationalis; solvi potest ex dictis super tertium, dist. xxi, q. 1. quoniam corpus illud mansit Verbo unitum, sicut et anima: unde Verbum vicem animæ supplevit in corpore illo, non informando nec animando, sed conservando in esse; et ita mansit idem numero corpus, et quoad hoc exstitit eadem res contenta. — Insuper multa objicit Scotus contra rationes quibus sanctus Doctor reprobat opiniones dicentium, substantiam panis et vini, facta consecratione, in sacramento manere, seu annihilari, aut in præjacentem resolvi materiam. Verum objectiones illæ videntur inutiles, quum videantur periculosis erroribus aliquo modo favere, et destructioni eorumdem resistere. Nihilo minus verum est, quod rationes illæ in disputatione scholastica non multum convincunt, sicut nec aliæ rationes naturales adductæ ad probationem eorum quæ fidei sunt. Hinc in talibus magis pensandus est fidelis affectus et pia intentio arguentis, quam vis argumentorum in se. Atque in talibus debent se doctores catholici mutuo adjuvare, magis quam impugnare.

Postremo, de his copiose scribit in præallegato tractatu Ægidius: Primum (in- Cf. p. 255 B'.

quiens) principium, quod est Deus omnipotens, potest convertere aliquid in aliud præexsistens, quoniam immediate attingit materiam ut est quid, id est essentiam ejus; et agere potest præter motum et transmutationem. Hinc ejus virtute converti potest substantia panis in corpus Christi. Nam quantum ad præsens, inter Deum et agens naturale duplex est differentia. Prima est, quoniam naturale agens agit per motum et transmutationem; Deus vero sine motu et transmutatione potest producere aliquid. Agens namque naturale agit ut instrumentum primi agentis : de ratione autem instrumenti est, ut agat motum a principali agente. Ex quo sequitur differentia alia, utpote, quod naturale agens, prout producit res ex materia aliqua, prius attingit eam ut est quanta, quam ut est quid. Materia namque ut est quid et solum in potentia atque secundum suam essentiam, subjectum motus esse non valet, quum (secundum Philosophum) nullum impartibile proprie moveatur. Hinc id cui ex sua natura non convenit agere nisi per motum, non potest materiam ut est quid, operando attingere. Deus vero universitatis creator, sicut cuncta ex nihilo sine motu produxit, sic in instanti in omnibus agere, materiæ quoque essentiam operando, convertendo et transsubstantiando attingere potest. Ex his duabus differentiis patet, Deum altissimum duo posse quæ agens naturale non potest. Primum est, quod postquam forma cessit in potentiam materiæ, agens naturale non potest ex eadem materia eamdem numero formam rursus producere : quia non agit nisi per motum, de cujus unitatis ratione est continuatio : ideo motus intercisus, idem numero nequit redire. Hæc Ægidius circa primam propositionem tractatus illius.

Deinde in secunda propositione testatur : Quum res convertitur in aliquid præexsistens, non est possibile quantum converti in quantum. Istud prolixe declarat; quod tamen a multis negatur, dicentibus quod Deus absoluta potentia potest quodlibet creatum in quodcumque creatum convertere. Quod et Richardus ac Scotus tuentur. — Consequenter decima propositione fatetur : Quamvis totus Christus sit in qualibet parte hostiæ, non tamen est concedendum, quod sit in partibus hostiæ infinitis. Quamvis enim omne continuum sit divisibile in infinitum (loquendo de partibus continuis secundum materiam, quum divisibile ex indivisibilibus constare seu integrari non queat); non tamen continuum est divisibile in partes infinitas secundum speciem. Nam dari posset tam parva particula panis, quod sub minori non posset salvari species panis, dicente Philosopho : Omnium natura constantium certa est ratio et mensura magnitudinis et augmenti. Ex quibus consequitur quod ait in propositione undecima : Sic Christus est in qualibet parte hostiæ, quod tamen in punctali hostiæ parte nec est Christus nec pars Christi; et hoc ideo, quia in parte punctali non est panis neque substantia ejus. Christus autem dicitur esse in hostia, quia ibi panis in corpus suum conversus est. Verumtamen si punctum vocetur etiam minima pars in qua species panis potest salvari, sic posset dici Christus esse in parte punctali hostiæ consecratæ.

Porro propositione vicesima sexta affirmat : Corpus quod est altera pars compositi, nec prædicatur de toto composito, materiam solam significat. Si ergo in tale corpus substantia panis converteretur, in solam materiam esset conversa. Corpus autem tripliciter sumitur. Primo, pro trina dimensione : et ita est species quantitatis continuæ. Secundo, pro conjuncto ex materia et forma corporeitatis : et ita est genus in prædicamento substantiæ, et prædicatur de homine ac leone et lapide. Tertio, pro ipsa materia organizata, quæ est pars animalis, et informatur ab anima. — Insuper addit Ægidius, quod theor. 28. materiæ ita sumptæ competit modus quantitatis seu modus quantitativus, et sic potest corpus vocari, nec modus ille aliquid

reale superaddit materiæ. Quantitati autem A per se convenit extensio, et materiæ per quantitatem ita extensæ convenit habere partem extra partem. Et sicut una pars quantitatis ab alia parte quantitatis distinguitur, sic una pars materiæ sic extensæ, ab alia : sicque materia modum quantita-
theor. 29. tivum sortitur; sic quoque materia quæ secundum se quid indivisibile nominat, ratione modi quantitativi corpus potest vocari, et quoddam totum ex suis partibus constans. Ideo, quamvis in solam materiam exsistentem in Christo substantia B panis converteretur, adhuc dici posset, quod ibi esset totius in totum conversio : utpote totius substantiæ panis, in totam illam materiam seu in totum corpus sic
theor. 30. sumptum. Rursus, materia taliter sumpta potest dici quid compositum, puta ex partibus suis, et panis dici posset in rem compositam esse conversus.

theor. 32. Si autem poneremus in quolibet composito unam tantum formam substantialem, et diceremus, quod in Christo non fuit forma substantialis nisi anima rationalis, C oporteret nos dicere, quod panis substantia in sacramento convertitur dumtaxat in materiam corporis dominici : corporalia enim in spiritualia converti non queunt. Omnes autem concedunt, quod totus Christus exsistat in hostia, quum tamen in animam ejus nihil conversum sit. Nam anima ejus in sacramento est solum concomitanter. — Verum ponendo plures formas substantiales in Christo ceterisque compositis, dicendo, quod corpus Christi per aliam formam est corpus, et per aliam D animatum, potest esse duplex respondendi modus de conversione substantiæ panis in corpus Christi. Primus, quod talis conversio fit in materiam organizatam, quæ potest corpus vocari. Quumque materia organizata, loquendo de organizatione physica, non dicat nisi solam materiam; ideo secundum istum modum tota substantia panis converteretur in solam materiam. Secundus est, quod corpus non dicat solam materiam, sed materiam cum forma corporeitatis : sicque panis dicatur converti in corpus Christi, quia materia panis convertitur in materiam corporis Christi, et forma in formam. Quid vero horum sit verum, non est hujus theorematis definire.

Sed hoc dico, quod si possibile est materiam panis converti in materiam corporis Christi, et formam substantialem panis in substantialem formam corporeitatis corporis Christi; conversio totius substantiæ panis in solam materiam corporis Christi non est impossibilis reputanda. Primo, quia materia non contrariatur formæ substantiali. Secundo, quoniam omnes formæ substantiales de quibus nunc sermo, de potentia materiæ educuntur, sicque quodammodo virtualiter in ea clauduntur. Tertio, quoniam materiæ competit actualitas ex forma, et simili modo formæ convenit potentialitas possibilitasque ex materia. Convertitur autem materia panis in ma- theor. 34.
teriam corporis non qualitercumque, sed prout est in corpore Christi extensa seu in partibus multis, et non ut est indivisibilis tantum. Denique iste modus, quod scilicet tota substantia panis convertitur in solam materiam illam, videtur valde probabilis. Verumtamen, quia nil prohibet quædam falsa probabiliora videri quibusdam veris, ideo huic opinioni non assentio absolute, quia de veritate ejus mihi non constat.

Aliam vero opinionem non intelligo, utpote quod in corpore Christi sit forma substantialis alia quam anima, in quam formam convertatur ipsius panis forma substantialis. Nam ponere plures formas substantiales in eodem composito, multas habet difficultates, quas solvere nescio. Nempe si non eamdem formam dicunt superius atque inferius, ut si aer non per eamdem formam est aer et corpus ac substantia, et dum ex aere fit ignis, remanet in aere forma per quam erat corpus et substantia, quamvis amota sit forma qua exstitit aer : non ergo in tali generatione generata est substantia, nec corrupta. Eadem ergo est forma quæ dat

esse specificum et totum ordinem prædi- A
camenti. Alia quoque multa inconvenientia mihi insolubilia, hanc opinionem sequuntur, ut quod partes definitionis non essent unum, quia non dicerent unam naturam, sed solum dicerent unum, quoniam essent in eodem : et ita superiora de inferioribus prædicarentur denominative, non essentialiter; et multa hujusmodi. Habet nihilo minus opinio ista specialem difficultatem, prout ad propositum pertinet de corpore Christi. Si namque ponamus multas in eodem composito formas, et sub- B
stantia panis convertitur in corpus Christi : quia materia convertitur in materiam, et forma in formam, ergo tota substantia panis convertitur in corpus quod dicit aggregatum ex materia et forma. Et constat quod corpus sic acceptum, de composito prædicetur. Sequitur ergo quod tale corpus sit Christus, eo quod Christus sit homo, et omnis homo est corpus sic sumptum, sicque panis conversus esset in Christum : quod nullus concedit. Hanc ergo opinionem de multitudine formarum sub- C
stantialium in eodem non capio, nec tamen ob hoc his quæ fidei sunt minus assentio : quia in eis captivandus est intellectus. Quid ergo dicimus ? Scio quod substantia panis convertitur in verum corpus Christi, et in illud numero idem quod ascendit in cœlum. Hoc tradidit Christus, hoc tenet Ecclesia, hoc sufficit mihi. Cui autem non sufficit hoc, investiget (salvis fidei fundamentis) cum reverentia ac timore, qualiter sit illud corpus. Ego autem malo in mea simplicitate persistere, quam D
de arduis temere judicare. — Hæc Ægidius.

Ex cujus dictis patet difficultas hujus materiæ. Tamen quod ait, secundum eos qui ponunt unam dumtaxat formam substantialem in Christo, esse dicendum quod tota panis substantia in solam materiam corporis Christi convertatur, non est universaliter verum, quum Thomas, Albertus, Petrus, Richardus, multique alii pluralitatem formarum in eodem negantes, dicant Cf. p. 280 in fine. totum converti in totum, non in materiam tantum, imo materiam in materiam et formam in formam, juxta sensum præhabitum. Cf. p. 285 C. — Item quod ait, materiæ organizationem nil superaddere essentiæ materiæ, posset pati instantiam. Quid enim est organizatio nisi organorum formatio ? Hæc de quæstione ista sufficiant. Objecta autem satis soluta sunt aut infra solventur. Infra quoque addentur verba Guillelmi de ista materia.

QUÆSTIO II

Consequenter quæritur, **Per quæ verba ac nomina aptius exprimatur hæc supernaturalis conversio; an scilicet istæ sint veræ : Panis fit corpus Christi; Vinum fit sanguis Christi; Panis potest esse seu fieri corpus Christi; De pane factum est corpus Christi; Quod fuit panis, est corpus Christi.**

Videtur quod non, quia in hac conversione non manet commune subjectum, ratione cujus unum extremorum possit prædicari ac verificari de alio, et prætactæ propositiones queant admitti; et tamen sancti Patres talibus propositionibus frequenter sunt usi, ut partim habetur in textu, et plenius in Decreto, de Consecratione. Verum ista et consimilia argumenta ex responsionibus solvuntur sequentibus.

Itaque Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto, ad ista respondet : Quemadmodum Sancti testantur, panis transit in corpus Christi, et vinum in sanguinem. Hinc omnes propositiones transitum designantes, sunt concedendæ in istis, ut quod panis transit in corpus Christi, et transsubstantiatur ac suo modo mutatur in illud, et item quod panis fit corpus Christi. Omnes quoque illæ negandæ sunt in quibus non significatur hujusmodi transitus, sicut dum dicitur, Panis est corpus Christi. Hinc asserit Damascenus, quod

sicut panis et vinum per nutrimentum A transeunt in corpus hominis præexsistens, sic panis transit in corpus Christi. Quod tamen est partim dissimile, quia per istam conversionem corpus Christi nequaquam augetur neque mutatur. — Hanc responsionem allegat et approbat in Quodlibetis Henricus.

At vero Thomas plenius hic respondet, et primo ad istud, utrum conversio ista exprimi possit per verbum substantivum alterius temporis quam præsentis, dicendo, Quod est panis, erit corpus Christi; B vel, Quod est corpus Christi fuit panis : Hæc (inquiens) conversio differt ab omni alia mutatione, quia in ista non est accipere subjectum commune, sed duos terminos tantum; in omni vero naturali mutatione est subjectum commune. Hinc cunctæ locutiones exprimentes mutationem per quam importatur ordo termini ad terminum, conceduntur in ista materia, ut hæc: Panis convertitur in corpus Christi. Locutiones vero quæ exprimunt identitatem subjecti, non sunt proprie concedendæ. C Sed quia in hac conversione est aliquid simile identitati, puta communitas specierum quæ manent hinc inde, quamvis non sint conversionis hujus subjectum; ideo etiam tales locutiones interdum a Sanctis sunt positæ, ut identitas non referatur ad subjectum, sed ad species easdem. Ideo tales locutiones quum sint impropriæ, non sunt extendendæ. Quumque propositio ista quæ est, Hoc fuit illud, vel, Quod est hoc erit illud, expresse importet identitatem subjecti mutationis propter naturam rela- D tionis; ideo non est simpliciter concedenda. Itaque quod in libro de Sacramentis ait Ambrosius, Quod ante consecrationem exstitit panis, post consecrationem est corpus Christi, exponendum est sic : Quod est sub speciebus panis, primo fuit panis, et postea corpus Christi. Hæc Thomas. — Quæ responsio videtur procedere juxta Cf. p. 217 C. aliam ejus responsionem, qua dicit per ly hoc demonstrari aliquod commune manens sub utroque termino idem : quæ secundum præhabita a multis non acceptatur. Cf. p. 219 D et s. Unde nec verior videtur propositio ista, Quod est sub speciebus panis, primo fuit panis, et postea corpus Christi, quam locutio illa Ambrosii. Nil enim assignabile est quod primo fuit panis, et postea fit corpus Christi. Ideo locutio S. Ambrosii videtur sic exponenda : Ante consecrationem fuit panis, et post consecrationem est corpus Christi, id est, in corpus Christi conversus est.

Porro quum quæritur, an ista sit vera, Panis fit corpus Christi, Thomas respondet : Quum dicitur, Hoc fit illud, ly hoc ex vi locutionis importat subjectum factionis, quod utrique termino est commune : ideo non est proprie concedenda. — Cui responsioni objicitur præinducta Antisiodorensis responsio; et ipsemet sanctus Doctor dixit in hymno de Sacramento : Verbum caro panem verum verbo carnem efficit, fitque sanguis Christi merum, etc. Quamvis autem in factione naturali subjectum factionis utrique termino sit commune, non tamen in factione hac supernaturali, in qua totum transit in totum. Unde et Damascenus quarto asserit libro : Christus panem et vinum fecit corpus suum et sanguinem. — Si vero objiciatur, quia omne fieri terminatur ad factum esse; sed hæc nunquam erit vera, Panis factus est corpus Christi : dicendum, quod loquendo secundum exigentiam hujus materiæ, ista est vera, Panis factus est corpus Christi, id est, in corpus Christi conversus est. Hæc enim factio non est nisi transsubstantiatio, qua totum transit in totum; atque (ut sanctus ait Hilarius libro de Trinitate) non res sermoni, sed sermo rei debet esse subjectus. Hinc in omni tractatu, secundum exigentiam materiæ est loquendum.

Præterea ad istud, utrum ista sit vera, De pane fit corpus Christi, Thomas respondet : Secundum Philosophum primo Physicorum, in rebus permanentibus dicimus per se, Hoc fit hoc; in non permanentibus autem, per accidens. In non per-

manentibus demum proprie dicitur, Hoc fit ex hoc; et per accidens, in permanentibus. Si enim aliquando dicatur aliquid fieri ex permanente, hoc est in quantum cum re permanente intelligitur aliquid non permanens : ut quum dicitur, Ex ære fit statua, intelligitur ex ære non figurato. Sicque locutio ista, Ex hoc fit hoc, principaliter exprimit ordinem terminorum ad invicem, et per consequens quandoque unitatem subjecti. Unde quandoque importat tantum ordinem, sine hoc quod importet subjectum, ut quum dicitur, Ex mane fit meridies, id est post mane. Et ita conceditur ista, Ex pane fit corpus Christi, si ly *ex* non denotet subjectum et quasi causam materialem, sed tantum ordinem conversionis ad invicem. Sed hæc, De pane fit corpus Christi, est minus propria, quoniam præpositio ista, de, consubstantialitatem denotat, ut tangit Ambrosius. Tamen aliquando ponitur *de* pro *ex,* sicque potest ista concedi, De pane fit corpus Christi, sicut, Ex pane.

Quæritur quoque, an hæc sit vera, Panis potest esse corpus Christi. Respondetur, quod quum potentia pertineat ad subjectum, non est dubium, quod quum dicitur, Panis potest esse corpus Christi, importatur unitas subjecti : ideo non est concedenda, quia nil panis unquam erit corpus Christi. Sed sicut conceditur ista, Panis convertitur in corpus Christi; ita et ista, Panis potest converti, etc., quia cujus est potentia, ejus est actus, ut dicitur in libro de Somno et vigilia. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea in tertia parte, quæstione septuagesima quinta, ad omnia ista sub una quæstione respondet, ubi et istam conce-
art 8. dit, Panis fit corpus Christi : Hæc (dicens) conversio panis in corpus Christi, quantum ad aliquid convenit cum creatione et transmutatione naturali, et quantum ad aliquid differt ab utraque. Est enim commune his tribus ordo terminorum, ut scilicet post hoc sit hoc. Nam in creatione est esse post non esse; atque in hoc sacra-
A mento post substantiam panis est corpus Christi; in transmutatione quoque naturali, ignis post aerem. Rursus commune est eis, quod prædicti termini non sunt simul. Convenit autem conversio ista cum creatione, quia in nulla earum est aliquod subjectum utrique extremorum commune : cujus contrarium est in omni naturali transmutatione. Convenit item conversio ista cum transmutatione naturali in duobus, quamvis non similiter. Primo, quoniam in utraque unum extremum transit
B in aliud, ut panis in Christi corpus, et aer in ignem; sed non ens non convertitur in ens. Verumtamen aliter accidit hoc in utraque : quoniam in conversione hac sacramentali, tota substantia panis transit in totum corpus Christi; in transmutatione vero naturali, materia unius suscipit formam alterius, forma prioris deposita. Secundo conveniunt in hoc, quod utrobique remanet aliquid idem (quod non contingit in creatione), attamen differenter : quia in transmutatione naturali manet eadem ma-
C teria, in conversione autem hac eadem accidentia.

Ex quibus accipi potest, qualiter in his diversimode sit loquendum. Quum enim in nullo trium prædictorum, extrema sint simul, idcirco in nullo eorum potest per verbum substantivum præsentis temporis unum extremum prædicari de alio. Non enim dicimus, Non ens est ens; vel, Panis est corpus Christi; aut, Album est nigrum; seu, Aer est ignis. Sed in omnibus his, propter ordinem extremorum possu-
D mus uti hac præpositione, ex, quæ ordinem notat. Unde dicere possumus, Ex non ente fit ens; Ex aere fit ignis; Ex pane fit corpus Christi. Quumque in creatione unum extremorum non transeat in aliud, non possumus in creatione uti verbo conversionis, dicendo, Non ens convertitur in ens : quo verbo uti possumus in hoc sacramento, sicut in transmutatione naturali. Verum quia in hac conversione, tota substantia in totam substantiam mutatur, proprie transsubstantiatio nuncupatur. Ite-

rum, quia in hac conversione non est commune A subjectum, ea quæ verificantur in conversione naturali, non sunt concedenda in ista. Et primo constat, quod potentia ad oppositum consequitur subjectum: ratione cujus dicimus, Album potest esse nigrum, Aer potest esse ignis, quamvis hæc secunda non sit ita propria sicut prima, quia subjectum albedinis, in quo est potentia ad nigredinem, est tota substantia albi; subjectum vero formæ aeris, est pars ejus. Unde quum dicitur, Aer potest esse ignis, verificatur ratione partis per synecdochen. B Porro in hac conversione et creatione, quia nullum est commune subjectum, non dicitur quod unum extremorum potest esse aliud, ut quod non ens possit esse ens, vel panis possit esse corpus Christi. Eadem quoque ratione non potest proprie dici, quod de non ente fiat ens, aut de pane corpus Christi: quia ly *de* notat causam consubstantialem, quæ consubstantialitas extremorum in naturalibus transmutationibus attenditur penes convenientiam in subjecto. Consimili ratione non conceditur, C quod panis erit corpus Christi, vel fiet corpus Christi; quemadmodum nec in creatione conceditur, quod non ens erit ens, aut fiet ens: quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subjecti. Nihilo minus, quia in hoc sacramento, facta conversione, manet aliquid idem, ut accidentia panis, possunt secundum similitudinem quamdam aliquæ harum locutionum concedi, videlicet: quod panis fit corpus Christi; vel, Panis erit corpus Christi; vel, De pane fit corpus D Christi: ut nomine panis intelligatur non substantia panis, sed in universali hoc quod sub speciebus panis continetur, sub quibus primo continetur substantia panis, et postea corpus Christi. — Hæc idem in Summa. Cujus hoc ultimum dictum rur-
p. 292 D. sus procedit secundum verba ejus prætacta, quum tamen pateat quod nec accidentia illa, nec panis unquam erit corpus Christi.

Concordat Petrus dictis ex Thoma in omnibus. — Albertus quoque his consonat. Hanc tamen, Panis fit corpus Christi, negat; attamen non secundum illum sensum et modum quo eam concessi. p. 292 B'.

At vero Bonaventura: Conversio (ait) ista est singularis, quoniam totum transit in totum virtute supernaturali. Ideo non est identitas panis ad corpus Christi, neque causalitas. In corpore quoque Christi nulla est innovatio, nec in pane ulla est ordinatio ad istam conversionem, secundum causas inferiores. Ex his quatuor regulæ eliciuntur.

Prima est, quod omnia verba significantia identitatem panis ad Christi corpus, reddunt falsum sermonem: idcirco sunt exponendæ sive negandæ tales locutiones, ut quum dicitur, Panis est corpus Christi. Similiter, non sunt recipiendæ cum relativo. Secunda regula est, quod omnia verba significantia innovationem circa corpus Christi, false dicuntur de ipso; quæ autem designant conversionem ac transitum, vere dicuntur. Et quoniam generari dicit innovationem, fieri vero potest transitum designare, sicut quum dicitur, Hoc fit illud; idcirco cum verbo fiendi possunt concedi, non cum verbo generandi. Hinc ista magis est propria, Panis fit corpus Christi, quam ista, De pane fit corpus Christi. Tertia regula est, quod quum nulla sit ordinatio panis ad corpus secundum causas inferiores, ideo verba hoc significantia, sicut hoc verbum, potest, absolute dictum, faciunt falsam locutiouem: ut quum dicitur, Panis potest esse corpus Christi. Si autem dicatur ordinatio secundum causas superiores, locutio vera est: ut si dicatur, Panis potest converti a Deo. Quarta regula est, quod quum nulla sit ad istud in pane causalitas, sed solum transitus ejus in corpus dominicum, omnes propositiones causalitatem importantes reddunt locutionem impropriam. Unde impropriæ sunt cum præpositionibus *de* et *ex*, prout notant causalitatem, non ut insinuant ordinem. Itaque solum illa oratio est vera ac propria, in qua est verbum

significans non identitatem nec innovationem nec ordinationem naturalem, sed solum conversionem, cum præpositione importante non causam sed transitum : sicut dum dicitur, Panis convertitur in corpus Christi. Hæc Bonaventura. — Idem Argentinensis et Scotus.

Prætcrea, circa hæc scribit Guillelmus in suo Sacramentali : In hoc Sacramento altaris, ipse panis vitæ a fidelibus quæritur, ut ipsemet eos se ipso reficiat, atque ipsorum visceribus ipse inhæreat. Ex quo apparet, substantiam panis materialis in sacramento post adventum cœlestis ac vivifici panis nullatenus remanere. Dignum quippe et justum est, ut adveniente vero et vivifico pane, cedat ei materialis ac visibilis panis substantia, et recedat ab accidentibus et a forma sua visibili, relinquens eam tanti ministerio sacramenti. Nec est contra naturam ullo modo, sed justitia et jus Creatoris, ut ei advenienti honorem deferat creatura, videlicet panis, relinquens ei penitus locum suum. Hoc pia et veridica tenet fides. Et hæc est intentio seu ratio transsubstantiationis, ipse transitus substantiæ panis materialis visibilis ob adventum vivifici panis, salvata forma et veritate accidentium ad ministerium sacramenti. Non enim potest dici generatio vivifici panis fieri ibi, quum jam ante consecrationem sit panis ille in se illæsus ac integer ; neque corruptio panis materialis, quum ejus forma substantialis ibi non maneat, sed desinat esse, materia quoque ipsius panis formam panis vitæ non induat, neque addatur materiæ seu corpori panis vitæ, videlicet Christi, neque accrescat. Hæc Guillelmus.

Qui de his plura conscribit quæ satis intricata videntur, nec intelligenda sunt quasi substantia panis recedat per resolutionem sui in præjacentem materiam, aut per localem vel realem discessionem ; aut quod substantialis forma panis desinat ibi esse per relapsum aut cessionem in potentiam materiæ, sed per veram et realem transsubstantiationem substantiæ panis in

A corpus dominicum, quod advenit ibi non per descensum aut recessum a cœlo, neque per aliquem motum localem, sed absque sui mutatione incipit ibi esse per transsubstantiationem substantiæ panis in ipsum, secundum expositionem præhabitam. Quanquam doctor præfatus in eodem libro hinc inde aliqua scribat quæ alium modum et aliam causam præsentiæ corporis Christi in Sacramento altaris videntur prætendere, sicut dum ait : Quia ergo non per medium quasi transiliens aut transvo-

quæst. I.

B lans de altari in altare, vel in aliud quodcumque, aut a solio gloriæ suæ desiliens in omnia altaria, præsentiam suæ humanitatis exhibet, sed solo imperio ac suæ beneplacito voluntatis, cui summa subjectione obedit corpus ipsius ; subito et in ipso *nunc*, ubi vult, est corpus ejus, non suam sequens naturam, sed beneplacitum imperantis. Exhibet ergo illud in manibus sacerdotum absque successione motiva, et inde assumit illud in cœlum absque recessu motivo. Sicut enim voluntas ejus

C subita est et tota simul, sic præsentatio et absentatio corporis sui subitæ sunt, et utraque tota simul per se. Quoniam ergo ex sola voluntate animæ imperantis aut Verbi æterni, et nequaquam ex natura corporis, acquirenda sunt hujusmodi loca corpori Christi, manifestum est quod corpus illud sequitur voluntatem imperantis, non propriam suam naturam ; et propter hoc exhibet præsentiam suam, ubicumque jubetur et quantumcumque, non per motum illuc se transferens, sed per obedientiam,

D inter quam et jussum nihil est medium. — Hæc verba doctoris istius prorsus obscura videntur, et vel mystice, aut metaphorice sunt prolata, aut certe erronee. Etenim corpus Christi in altaribus est atque in hostiis consecratis, non ex solo imperio Verbi seu animæ Christi, sed et per transsubstantiationem præfatam ; nec solum est ibi subito aut instantanee, sed quamdiu species sacramentales permanent ibi. In diversis quoque pyxidibus reservatur assidue.

QUÆSTIO III

NUnc quæritur de materia sacramenti istius, **An scilicet in solo pane triticeo conficiatur corpus Christi, et sanguis ejus in vino vitis dumtaxat.**

In qua quæstione quæstiones quamplurimæ includuntur, quæ (ut patebit) in processu tangentur.

Et arguitur primo, quod non solum panis triticeus sit materia sacramenti corporis Christi : quia ut multi notabiles dicunt doctores, in pane spelteo confici potest. — Secundo, quoniam Christus com-
Joann. xii, 24. parat se grano frumenti, sub quo etiam continentur spelta et far : ergo in illis, pane inde confecto, poterit consecrari. — Tertio, quia si in solo pane triticeo confici potest, videtur in pane mixto consecrari non posse. Sed raro invenitur triticum purum. — Quarto, in omni aqua vera potest baptizari : ergo in omni vero pane poterit celebrari. — Quinto, multæ sunt terræ in quibus non crescit vinum, et vix potest adduci : ergo non convenit ibi vinum ad consecrationem sanguinis requiri, quum materia hujus sacramenti debeat esse communis atque in promptu adipiscibilis. Circa hoc quæritur, an in aceto et agresta conficiatur.

Circa hæc loquitur Thomas : Materia sacramenti competere debet significationi sacramenti ac usui; et utroque modo exigitur duplex materia in hoc sacramento. Usus enim hujus sacramenti est manducatio seu refectio, quæ cibum potumque requirit : ideo duplex debet esse sacramenti istius materia, una quæ in escam, alia quæ in potum accipitur. Significatio quoque hujus sacramenti est duplex. Una qua repræsentat passionem Christi præteritam, in qua sanguis a corpore exstitit separatus : ideo signum corporis, signum quoque sanguinis, offerenda sunt in sacra-
A mento hoc separatim, duplici exsistente materia. Alia significatio sacramenti istius est salus et gratia corporis et animæ, quas inducit : sacramenta enim efficiunt quod designant. Panis autem confortationem et salutem corporis repræsentat, sanguis salutem corroborationemque animæ.

Si autem his objiciatur, quia si ita est, communicandus est populus specie sub utraque. — Videretur quoque quod in terris ubi habetur triticum et non vinum, liceret celebrari sub specie panis sine san-
B guinis consecratione; atque in terris ubi est vinum, sine confectione in pane.

Et respondendum, quod populo non datur sanguis, ad vitandum effusionis periculum. Attamen secundum aliquorum morem, ministris altaris datur sanguis, quoniam de eorum cautela præsumitur quod vitabunt periculum magis quam laici. Denique in veteri lege offerentes, de libaminibus nil habebant, sed soli sacerdotes : per *Lev.* vi, 16.
libamina autem præfigurabatur communio sanguinis; sed de sacrificiis partem habe- *Ibid.* 11-16.
C bant, per quæ significabatur communio corporis Christi. — Ad aliud respondendum, quod quamvis consecratio sanguinis non dependeat a consecratione corporis, ut quidam dixerunt, tamen non habens utramque materiam, potius deberet a celebratione desistere, quam contra morem Ecclesiæ in una sola conficere.

Præterea si quæratur, cur panis et vinum sint hujus sacramenti materia; dicendum, quod principalis causa institutio est divina. Cujus institutionis est multi-
D plex ratio. Primo, ex parte usus sacramenti : quoniam panis et vinum communius in cibum et potum proveniunt, sicque per ea in spiritualem refectionem manuducimur magis apte. Secundo, ex sacramenti effectu : quia ut primæ ad Corinthios undecimo ait Glossa, panis præ ceteris cibis sustentat corpus, et vinum lætificat *Ps.* ciii, 15.
cor. Ita et hoc sacramentum magis lætificat et sustentat caritate inebriatos, quam alia sacramenta. Tertio, ex ritu celebrationis : quoniam duo ista tractantur mun-

dius ac decentius quam cetera alimenta. Quarto, ex significatione duplicis rei sacramenti istius. Panis namque ex multis granis conficitur, et vinum ex multis acinis confluit : quod competit ad significandum corpus Christi verum ac mysticum. Quinto, ex repræsentatione ejus quod præcessit. Grana namque in area conculcantur, panis in fornace decoquitur, et vinum in torculari exprimitur : et ita per ea Christi passio designatur. — Denique non decuit sacramentum evangelicæ legis in aliqua specie aut materia Mosaicæ legis institui, ut signaretur cessatio sacrificiorum legis illius, cujus sacerdotium imperfectius fuit sacerdotio Christi : ideo convenienter ad illas species in novo Testamento reditur, quibus ostenditur sacerdotium Christi sacerdotio Levitico præeminere, hoc est, ad materiam oblationis Melchisedech (qui obtulit panem et vinum), ut probat Apostolus. *Hebr.* vii, 11.

Convenit quoque ut sit panis triticeus ; imo nec confici potest nisi in pane triticeo : cujus causa est institutio Dei, qui in hoc pane confecit. Potestque triplex ratio tradi. Prima ex effectu, quia hic panis nutrimentum melius confert : unde competit ad significandum excellentiam gratiæ quæ in isto sacramento præstatur. Secunda ex usu, quoniam panis triticeus in cibum venit communius ; alii autem panes non fiunt nisi propter defectum tritici. Hinc panis simpliciter dictus, intelligitur de tritico, quemadmodum oleum de olivis. Tertia ex re contenta, quæ est Christus, qui se grano frumenti comparavit, dicens : *Joann.* xii, 24. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, etc. — Omnis autem panis non est omni pani in specie similis, sicut omnis aqua omni aquæ proprie sumptæ. Ideo in omni aqua conferri potest Baptismus. Aliqui vero affirmant, quod in spelteo pane confici queat propter similitudinem ejus cum tritico. Verum ut patet intuenti, quantum ad figuram, plus appropinquat hordeum ad similitudinem tritici quam spelta, amoto cortice ab utroque, quamvis in colore spelta magis conveniat.

A Sed inter omnia alia hujusmodi, plus convenit, maxime in figura, far cum tritico ; similiter in colore. Hinc ex identitate figuræ non potest haberi, quod aliquod horum sit ejusdem speciei cum tritico ; sed ex alio accipi potest experimentum identitatis specificæ. Generans namque et genitum conveniunt de necessitate in specie, non in accidentibus, imo accidentia variantur ex causis extrinsecis. Quumque ex grano tritici, ubicumque seminetur, nunquam nascatur spelta aut far vel hordeum seu B aliquid tale, sequitur quod omnia ista differunt a tritico specie.

Insuper dum quæritur, an confici valeat ex pane mixto de tritico et alio grano ; dicendum, quod ista admixtio potest esse dupliciter. Primo, quod extraneum mixtum solvat speciem ejus cui miscetur, trahendo illud ad speciem suam, aut mediam speciem faciendo, ut dum utrumque æqualiter ponitur, sic tamen ut æqualitas non solum penes quantitatem, sed etiam juxta virtutis proportionem servetur. Secundo C sic, quod species non solvatur, sed additum trahatur ad speciem ejus cui misceatur, ut si modicum aquæ multo vino admisceatur. Si ergo tantum miscetur tritico quod species tritici corrumpitur, non fit consecratio in pane inde formato. Et de hoc potest haberi judicium ex sapore et accidentibus aliis : quoniam teste Philosopho primo de Anima, accidentia magnam conferunt partem ad cognoscendum quod quid est. Si autem specie manente appareat dispositio ad corruptionem, poD test adhuc inde confici, quamvis graviter peccet inde conficiens, propter reverentiam sacramenti. Porro quod species maneat, potest cognosci ex hoc, quod continuitas non est soluta, nec alia accidentia omnino ablata. Quumque amidum fiat de farina triticea, quæ per attritionem et excolationem atque vaporis admixtionem videtur speciem farinæ amisisse, vel ad corruptionem omnino esse disposita ; idcirco ex eo conficiendum non est, imo nec potest, secundum quosdam. Aliqui autem

dicunt, quod amidum quum sit crudum, A non valet hujus sacramenti esse materia, sicut nec pasta; sed si coquatur, inde poterit confici, quoniam amidum fit ex farina maxime depurata.

Ad quæstionem demum de materia consecrationis sanguinis est dicendum, quod non potest confici sanguis nisi de vino vitis, quia hoc proprie vinum est. Alia vero dicuntur vina propter similitudinem ad illud. Communius quoque hoc vinum in potum accipitur, et habet proprietates magis convenientes ad sacramenti effe- B ctum, in quantum calefacit atque lætificat. Nec est aliqua terra ad quam non valeat tantum de vino adduci, quantum necessarium est ad consecrationem istius sacramenti. — De aceto autem non potest confici, quoniam sicut octavo Metaphysicæ scribit Philosophus, ex vino generatur acetum, sicut ex vivo fit mortuum. Hinc sicut animal vivum et mortuum non sunt speciei ejusdem, ita nec acetum et vinum: quod ostendunt etiam proprietates eorum, quoniam vinum est calidum, acetum est C frigidum; nec fit reditus de aceto in vinum, sicut nec de mortuo ad vivum. Idcirco de vino quod omnino acetum factum est, confici nequit; sed si sit acidum quasi in via ad acetum, confici potest inde, sed sine necessitate non debet : alias conficiens inde, peccaret. Porro si vinum consecratum reservatum fiat acetum, non remanet ibi sanguis, sicut nec corpus in pane omnino corrupto. — Amplius, nec de agresta confici potest. Generabile quippe non recipit speciem nisi in termino D generationis. Quumque agresta sit in via generationis ad vinum, quemadmodum sanguis dum incipit coagulari est in via generationis ad animal : hinc sicut sanguis ille nondum est animal, ita agresta nondum est vinum. — Mustum vero ad completam vini speciem est deductum. Dulcedo enim ipsius attestatur maturationem ejus, quæ digestionis est species. Digestio autem est completio a naturali calore, ut quarto Meteororum edicitur. Idcirco ex musto confici potest, sed non decet, propter impuritatem illius, nisi necessitas exigat.

Præterea quæritur, an aqua vino sit apponenda, et an hoc sit de necessitate sacramenti, et utrum in magna quantitate. Ad quorum primum dicendum quod imo, quoniam Christus probabiliter creditur aquam apposuisse, quum in terra illa sint fortia vina, quæ aqua temperantur ibidem; tamen de aqua non fit in Evangelio mentio, quoniam non est principalis materia in hoc sacramento. Sed appositio ejus huic convenit sacramento, quantum ad repræsentationem passionis Christi, et quantum ad significationem rei sacramenti istius mysticam, per aquam significatam, juxta illud Apocalypsis : Aquæ multæ, populi multi. *Apoc.* XVII, 1, 15. Sicque appositio aquæ ad vinum, significat unionem membrorum cum capite ratione ipsius conjunctionis; amorem quoque capitis patientis pro membris ad ipsa, ex hoc quod ex duobus conjunctis fit unum; atque processum redemptionis a capite ad membra, ex ipsa transformatione aquæ in vinum. Hinc asserit Glossa super illud Marci, Accepit Jesus panem : *Marc.* XIV, 22. Neque aquam solam, neque vinum solum alicui licet offerre, ne videatur caput a membris secernere, vel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari. — De aqua demum apposita, est duplex opinio. Una, quod manet in sua natura, et solum vinum transsubstantiatur : sicque aqua non apponitur nisi propter significationem. Alia, quod aqua in vinum convertitur, sicque totum in Christi sanguinem transsubstantiatur. Et quæcumque harum opinionum sit vera, constat quod aqua non sit sacramenti hujus materia. Secunda quoque opinio verior esse videtur, tam secundum naturalem rationem, qua modicum aquæ vino multum majori admixtum, absorbetur ab illo; quam secundum sacramenti istius ritum, quia si aqua in natura propria remaneret, calix consecratus non esset tantum potus spiritualis, sed etiam corporalis : et ita non liceret

post primam sanguinis sumptionem iterum sumere.

Ad secundum quæsitum dicendum, quod materia proportionatur sacramento; unde secundum aliquid est de essentia sacra-
Cf. p. 214 D. menti. Quumque præhabitum sit, quod hujus sacramenti perfectio consistat in consecratione corporis et sanguinis Christi, et non in usu materiæ consecratæ, sicut in Baptismo et Confirmatione; ideo ex parte materiæ illud tantum est de necessitate sacramenti, quod designat corpus et sanguinem Domini, utpote panis et vinum. Quod vero significat usum et effectum sacramenti istius, utpote aqua, non est de necessitate sacramenti istius; ideo vinum sine aqua consecrari posset, quamvis non sine consecrantis peccato.

Quæritur quoque, an liceat aquam artificialem vino apponere. Respondendum, quod ex quo ex vino confici potest, aqua non admixta, non impedit consecrationem si aqua artificialis apponatur; non tamen fieri licet, quum aqua artificialis non sit ejusdem speciei cum vera naturalique aqua. Dicunt tamen nonnulli, quod de pane confecto ex farina tritici et aqua artificiali, ut rosacea, confici posset, quamvis peccaret sic agens. Verumtamen, quum principalis materia sacramenti corporis Christi sit panis, de cujus substantia et compositione est aqua, cujus diversificatio specifica parit speciei diversitatem in pane seu in materia sacramenti : hinc probabilius videtur, quod ex tali pane confici non valeret. — Nec debet multum de aqua apponi, quum aqua illa debeat absorberi a vino, non ipsum vinum convertere in se, nec aliquod medium per mixtionem efficere : ideo tutum est apponere modicum aquæ, præsertim dum vinum est debile : quoniam quantumcumque parum apponatur, significatio conservatur. — Hæc Thomas in Scripto.

Eadem scribit in tertia parte, quæstione
art. 8. septuagesima quarta : ubi et addit, quorumdam fuisse opinionem, quod aqua vino mixta, converteretur in aquam quæ fluxit
A in cruce ex latere Christi. Quod reprobat, quia secundum hoc aqua seorsum consecraretur a vino, sicut vinum a pane. Debet art. 7.
quoque aqua naturalis, non artificialis, vino misceri : quia de latere Christi fluxit vera aqua, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum quod corpus Christi erat vere compositum ex quatuor elementis : sicut per sanguinem fluentem ostendebatur quod vere fuit compositum ex quatuor humoribus, ut Innocentius protestatur. Hæc in Summa. — In
B quibus scripta Petri, Durandi, Richardi, Argentinensis, multorumque aliorum contenta sunt. Et ut refert Innocentius, Græci in celebrando aquam non addunt vino.

Porro Albertus prædictis pro majori parte consentiens, de materia consecrationis panis aliter sensisse videtur dicendo : Absque dubio frumentum est genus, et non species specialissima grani, et habet sub se speltam et triticum. Unde spelta frumentum est, et de ipsa potest confici corpus Domini sicut de tritico; et hoc nulli
C est dubium, considerando granum cum grano, et panem cum pane. Nec obstat, quod Christus instituit sacramentum hoc in pane triticeo, quia in terra illa est frumentum secundum tritici speciem. Spelta autem et triticum non sunt unius speciei; sed unius generis proximi sunt species multum vicinæ. Ideo partim distant in spicarum formatione, sed quasi nihil distant in forma granorum et colore atque sapore panis. — Verum his objici potest, quia hæc quæstio (ut dicitur) fuit ad Sedem
D apostolicam devoluta, judicatumque fuit ibidem quod spelta sit species hordei. Rursus, Christus tactu suæ mundissimæ carnis regenerativam vim contulit aquis, suscipiendo in eis baptismum, propter quod non nisi in aqua exhibetur verum Baptisma : ergo et ipse consecrando in pane triticeo, quem et accepit in manibus suis dignissimis, dedit illi pani ut in eo dumtaxat confici queat. Dicendum, quod non puto Curiam ita determinasse, et si ita determinavit, hoc fuit ex ignorantia grani materiæ

speltæ. Christus autem consecrando in A specie tritici, dedit virtutem generi frumenti in omni specie ejus. Hæc Albertus.

Quocirca scribit Argentinensis : Consuetudinem consecrandi in pane triticeo ab Apostolis sumpsit Ecclesia, atque Apostoli a Christo in Cœna. Nam Christus tunc usus est pane triticeo, et ejus actio, nostra est instructio. — Sed objici potest, quoniam granum speltæ denudatum a palea, est simile tritici grano : ergo de grano speltæ possumus consecrare. Ad hoc aliqui dicunt, quod granum speltæ est ejusdem B speciei cum tritico, et ideo confici queat de eo. Verum Doctor communis aliique communiter dicunt contrarium, quoniam unum nunquam generatur ex alio. Aliqui vero dicunt, quod spelta differt a tritico specie, tamen species est frumenti, et ob id consecrari potest de spelta. Ego autem vellem quod in isto puncto, et in cunctis similibus, ubi tangitur de necessariis ad veritatem sacramentorum, doctores nunquam contradicerent mutuo; et ubicumque hoc fieret, Romana Ecclesia sua deter- C minatione remedium adhiberet. Duo ergo hic dico. Primum est, quod tutius atque consultius est, in consecratione dominici corporis uti triticeo pane, quia in hoc universi concordant quod inde confici possit. Secundum est, quod prætacti doctores sufficienter non probant, consecrari non posse nisi ex tritico. Nempe secundum Isidorum septimodecimo Etymologiarum, frumenta sunt quæ habent aristas; cetera fruges vocantur. Siligo ergo et hordeum sunt species frumentorum. Quumque nec ex Scri- D ptura, nec ex statuto Ecclesiæ plus possit haberi de isto, nisi quod materia consecrationis panis debet esse de granis frumenti, non sequitur quod non nisi ex tritico confici possit. Nec Christus comparat se grano *Joann.* XII, 24. frumenti tritici, sed frumenti. Nec certum est quod Christus usus sit in consecratione triticeo pane, quoniam nec Scriptura sacra, neque Decretum, nec Decretales, nec originalia Sanctorum hoc dicunt expresse. Et quamvis sic esset, ex hoc tamen non sequeretur necessitas, sed solum congruitas utendi pane triticeo in conficiendo. Verumtamen præfatæ doctrinæ communi contradicere nolo, sed idcirco hæc tango, quia si in solo pane triticeo confici posset, tunc majus periculum esset in alia quacumque materia celebrare, quam ex vino vitis non apposita aqua conficere. Idcirco Ecclesia illud potius prohiberet quam istud, et tamen illud non prohibet, istud vero districte prohibuit ac frequenter. — Hæc Argentinensis. Cujus argumentatio videtur nimis extensa, quoniam sequi videretur ex ea, certum non esse quin etiam ex pane siligineo ac hordeaceo confici possit. Hinc positio S. Thomæ exstat securior.

Verumtamen Bonaventura hic scribit : In alio pane quam de grano frumenti, et in alio vino quam de uva vitis, non potest confici; et hoc determinavit Carthaginense concilium. Porro in omni pane de frumento, sicut in omni vino de vite, sive ibi sit differentia accidentalis, sive specifica, confici potest, ut aliqui dicunt, salvata specie panis et vini. Hæc ille. — Qui tamen in Breviloquio dicit, quod panis consecrationis debet esse de purissimis granis : quod non nisi de granis triticeis proprie accipi posse videtur.

Durandus demum affirmat, quod idem sit dicere triticum et frumentum, atque quod spelta et far sint ejusdem speciei cum tritico, et ita ex omnibus illis confici possit. Quod probat, quoniam in terris quibusdam seminato tritico, nascitur spelta. Sed ut patet ex dictis, ista non consonant doctoribus magis authenticis.

Præterea Scotus : Christus, inquit, panem triticeum pro materia sacramenti corporis sui instituit, atque in signum institutionis illa materia consecrando usus est. Quod autem panis triticeus et non alius sit sacramenti istius materia, habetur de Consecratione, distinctione 2, In sacramento. De farina quoque triticea et aqua elementari coagulata debet panis formari : quia supponitur ita fuisse formatum panem quo usus est Deus consecrando. Nec suf-

ficit pasta, sed requiritur panis, quia sic institutum est. — Præterea dubium est de amido, an de ipso valeat formari consecrabilis panis. Et apparet quod sic, quoniam usualiter reputatur panis triticeus. Sed si credamus expertis, qualitates et operationes per quas cognoscimus rerum naturas specificas in tota specie, aliæ sunt in amido ac pane triticeo : ideo non videtur in amido confici posse. Et hoc probabilius est : ideo peccant qui de amido præparant ac faciunt hostias consecrandas. Sacerdos autem utens tali materia, magis poterit excusari, quoniam præsupponit materiam debite præparatam; sed si in veritate non est panis talis consecrabilis, in consecrando nihil facit. Nec tamen est populo occasio idololatriæ : quoniam quantum in se est, supponit materiam esse idoneam. — Denique, quamvis pasta et panis, ut probabile est, non differant specie, non tamen de pasta confici potest, quoniam noluit nobis Christus in sacramentis suis subtilem disputationem imponere de differentia materiarum harum specifica ; sed ut panem usualem triticeum habeamus, qui solus est materia apta pro consecratione corporis Domini, ut patet de Consecratione, distinctione 2, capitulo *Non oportet.* Hæc Scotus.

Sed Argentinensis hic scribit expresse, quod non habetur in jure de Consecratione, nec in Decreto, neque in Decretalibus, sicut Scotus allegat. Et addit se occasione allegationis istius recurrisse ad libros juris, nec ibi ita haberi. Cui contentioni potest quis faciliter finem imponere textus inspiciendo, quos recolo me legisse, quamvis pro nunc non occurrat memoriæ qualiter habeatur ibidem. Nec dubium quin alii quoque doctores allegarent quæ Scotus allegat, si illic haberentur.

QUÆSTIO IV

AMplius quæritur, **An Christus in Cœna corpus suum sub sacramento accepit ac manducavit, ac** A **sanguinem suum sub speciebus vini consecrati potavit.**

Ad quod responsum est supra. [dist. IX, q. 1, p. 235 C.]

Quæritur item, an sacramentum corporis sui tradidit Judæ.

Ad quod responsio supra est tacta. [Cf. t. XV, p. 425 D'.] Et nunc plenius respondendo, dicendum [juxta Thomam] quod imo, ad dandum exemplum, quod occultis peccatoribus non sunt [Cf. dist. IX, q. 1.] deneganda sacramenta, atque ut omnem occasionem malefaciendi ei auferret, quam ille concipere potuisset, si eum ab aliis B in beneficiis discrevisset ante suæ malitiæ manifestationem. Hilarius tamen videtur contrarium dicere ; sed primum communius dicitur, præsertim quia divinus Dionysius tertio Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo testatur : Symbolorum conditor sanctissima ei sacra concœnanti partitur. Per sanctissima autem intelligit corpus et sanguinem Christi, ut patet ibidem. Apud Matthæum quoque sine exceptione legitur Christus dixisse : Accipite et comedite ex [Matth. XXVI, 26, 27.] hoc omnes. Nec per hoc Christus dedit C Judæ occasionem peccandi, sed potius pœnitendi et resipiscendi. Nec obstat quod Christus dixit, Nolite sanctum dare cani- [Ibid. VII, 6.] bus : nam quamvis proditor ille in veritate fuerit canis, hoc tamen nondum innotuit aliis. Hinc expresse asserit Augustinus, quod Christus in Cœna corpus suum tradidit Judæ cum ceteris. Postmodum vero dedit intinctum panem sive buccellam Judæ in ostensionem proditionis, et illa buccella non exstitit consecrata : ideo sub buccella non tradidit ei corpus suum. Quod etiam D Joannis tertiodecimo habetur in Glossa. [Joann. XIII, 26.] Hinc quod de Consecratione loquitur Augustinus, Non mala fuit buccella quæ data [De Consecr. dist. II, c. 66.] fuit Judæ a Domino : salutem medicus dedit, sed ille, quoniam malus erat, accepit ad perniciem ; non exponitur de buccella illa intincta, sed de portione panis consecrati, quam jam ante acceperat. Vel dicitur Judas id ad perniciem accepisse, quia quod Christus fecit ad ipsius salutem et commonitionem porrigendo ei buccellam, quatenus videns se deprehensum, a pro-

A posito iniquo desisteret, ipse ad majorem exasperationem ac indurationem convertit. Et tunc ejus peccatum est auctum etiam propter præsumptionem qua cum magistro misit in paropsiden manum, quatenus audacia bonam conscientiam mentiretur. Hinc post buccellam dicitur in eum introisse diabolus, per accumulationem peccati. (Joann. xiii, 27.) Hæc Thomas in Scripto. Hæc eadem scribit in tertia parte, octogesima prima quæstione (art. 2.) : ubi et addit, quod non decuit magisterium Christi, ut Judam peccatorem occultum, sine accusatione et evidenti probatione ab aliorum communione atque consortio separaret, ne per hoc daretur prælatis Ecclesiæ exemplum faciendi similia.

Ista communia sunt, et concordant in eis doctores, Albertus, Bonaventura et ceteri, allegantes quod super Leviticum scribit Hesychius archiepiscopus et patriarcha Jerosolymitanus : Christus in Cœna suum sanguinem consecravit, et consecratum primo bibit, deinde discipulis dedit. Et item quod super Ruth tertio capitulo loquitur Glossa : Christus in Cœna comedit et bibit, et quia pueri, id est ejus discipuli, communicaverunt carni et sanguini, id est, corpus et sanguinem ejus in sacramento sumpserunt, et ipse communicavit eisdem, id est, corpus suum ac sanguinem sumpsit.

QUÆSTIO V

Restant hic adhuc alia perscrutanda, scilicet : **An conficiendum sit in fermentato vel azymo;** et quale corpus Christus dedit discipulis, hoc est an mortale seu potius immortale; et utrum corpus Christi in triduo in pyxide reservatum, mansisset ibidem vivum; utrum etiam per omnipotentiam Dei hoc fieri potuisset.

De primo horum scribit Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Conficiunt Græci de fermentato, Latini de azymo. Et probant Græci, quod de fermentato sit conficiendum, quia (ut dicunt) Dominus fecit pascha luna tertiadecima, dum nulla azyma erant in domibus Judæorum. Præoccupavit quippe Dominus facere pascha, ut dicunt, quoniam occidendus fuit luna quartadecima. Istud quoque multipliciter probant. Primo, quoniam veritas correspondere debet figuræ et umbræ; sed quartadecima luna offerebatur in lege agnus paschalis et typicus ad vesperam : ergo et tunc Christus per agnum illum præfiguratus, fuit oblatus. B Igitur in die Parasceves fuit quartadecima luna, et in quinta feria luna tertiadecima. Secundo, quia in Joanne scriptum est : Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, etc. (Joann. xiii, 1.) Ergo ante diem festum comedit pascha, quæ dies fuit luna quartadecima. Rursus quoque legitur apud Joannem : Ipsi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. (Ibid. xviii, 28.) Alia etiam quædam his consimilia introducunt. Sed C contra eos est Evangelium, quum dicat Matthæus : Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi pascha? (Matth. xxvi, 17.) Et illo die comedebant Judæi azyma, nec aliquid fermentatum tunc in eorum domibus fuit. Idem asserit Marcus. (Marc. xiv, 12.) Et Lucas ait : Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. (Luc. xxii, 7.) Et ita tunc fuit luna quartadecima. Tunc ergo Dominus confecit, et hoc in azymo, quo solo tunc vescebantur Judæi. Denique, hoc Romana tenet Ecclesia, quæ ab Apostolis D hoc accepit, quorum princeps Petrus tunc adfuit. In typico autem pascha duo notantur, videlicet immolatio ejus atque comestio. Immolatio autem veri Agni, videlicet Christi, inchoata est quartadecima luna, quia tunc captus est Christus, et pati incepit : et quantum ad hoc, veritas consona est figuræ et umbræ. Comestio vero comestioni plenarie correspondet. — Si demum quæratur, cur nos non servamus Pascha quartadecima luna sicut Judæi; dicendum primo, ne videamur judaizare.

Secundo, quia præceptum fuit in Exodo A
Exod. XII, 9. de agno paschali : Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. Sed in triduo mortis Christus fuit quasi in mortis assatione, et tertia die resurgens, plene præparatus est spirituali comestioni. Tertio, quia tunc Christus perfecte factus est pascha nostrum, transiens ab hac via et mortalitate præsenti ad beatæ immortalitatis felicitatem et gloriam. Hæc Antisiodorensis.

Verum de his Thomas plenius ac planius scribens : Dominus, inquit, in azymo B confecit, ut ex tribus Evangelistis manifeste habetur; et ita in primitiva Ecclesia Apostoli observabant ac celebrabant : quem morem Romana Ecclesia ab Apostolis, qui eam fundaverunt, accepit, ut Innocentius III refert. Postea vero, ut recitat Leo Papa, imminente hæresi Ebionitarum, qui dixerunt legalia simul cum Evangelio observanda, sancti Patres, ne hæreticis illis consentire viderentur, statuerunt instinctu Spiritus Sancti celebrari in fermentato. Cessanteque hæresi, Romana Ecclesia ad C pristinum rediit morem; Græci vero manserunt in observantia illa, addentes, quod in fermentato tantum confici posset : ad quod probandum, dixerunt Dominum in fermentato consecrasse. Quumque tres Evangelistæ dicant Dominum prima die azymorum instituisse hoc sacramentum, quidam Græcorum in tantam proruperunt insaniam, quod dixerunt tres Evangelistas falsum scripsisse, atque a Joanne esse correctos, dicente : Ante diem festum Paschæ, etc. Denique dato quod Christus luna D tertiadecima (ut dicunt) cœnam illam fecisset, adhuc evidenter ostenditur, quod in azymo Christus confecit : quia (ut scribit Chrysostomus super Matthæum) apertissime Dominus demonstravit, quod a circumcisionis suæ principio usque ad diem Paschæ extremum, non fuit divinarum contrarius legum, in quibus præcipiebatur ut cum azymis agnus comederetur paschalis. Idcirco dicendum, quod in azymo Christus confecit, et ita conficiendum est, quamvis et in fermentato confici possit, sed non sine peccato, utpote morem et ordinationem Romanæ Ecclesiæ non servando.

Itaque auctoritatem illam S. Joannis, Ante diem festum Paschæ, Græci isti false exponunt, quia eorum intellectus est manifeste contrarius tribus Evangelistis, quibus nullatenus contradicere licet. Nec hoc alicubi invenitur in lege, quod lunam quartamdecimam anticipare aut prævenire licuerit. Unde quidam Græcorum dixerunt, non eamdem fuisse diem, in qua Salvator pedes lavit discipulorum et istud instituit sacramentum; sed quod una aliam præcessit, et de prima loquitur Joannes, de alia ceteri Evangelistæ. Quod est contra usum Ecclesiæ, quæ quinta feria ablutionem celebrat pedum; et contra Evangelii textum, quoniam ut apparet ex serie evangelii B. Joannis, eodem sero quo pedes lavit, a *Joann.* XIII, Juda post buccellam recedente est traditus. 5, 30. Hinc dicendum, quod dies festus Paschæ vocatur prima dies de septem, quæ *Lev.* XXIII, 7. fuit celeberrima et exstitit luna quintadecima, atque in vespere præcedenti offere- *Exod.* XII, 6. batur et comedebatur agnus paschalis cum azymis panibus; tuncque Christus fecit Cœnam cum discipulis. Et hanc diem dicunt tres Evangelistæ diem primum azymorum, et Joannes, ante diem festum Paschæ. — Insuper, non oportet veritatem in omnibus correspondere figuræ : alioqui dicere oporteret Christum fuisse ad vesperam oblatum in cruce.

Quod vero objiciunt, quod Judæi non introierunt prætorium, etc., solvitur : quoniam pascha multis modis sumitur in Scripturis, et ibi pro paschalibus cibis accipitur. Chrysostomus tamen loquitur super Joannem, quod intelligitur de agno paschali, quem in alia die quam lex instituit, comederunt, solventes legem, ut desiderium suum implerent in Christi occisione.

Objiciunt quoque Græci, quod dies sepulturæ Christi vocatur magnus dies fe- *Joann.* XIX, stus : ergo fuit primus dies septem dierum 31. illorum solennium, qui primus dies cele- *Lev.* XXIII, 7. berrimus fuit, secundum legem. — Item,

ubi nos habemus, Accepit Jesus panem, in Græco habetur nomen hoc, ἄρτος, quod significat fermentatum.

Et respondendum, quod dies sepulturæ dicitur magnus, quia in eo cum festivitate paschali concurrebat festivitas sabbati. — Ἄρτος quoque in Græco interdum pro pane azymo ponitur. Nam in Exodo ubi nos habemus, panes azymos, in Græco habetur, ἄρτος. *Exod.* XII, 39.

Quod autem dicunt, nos judaizare celebrando in azymo, nihil est : quia (ut ait Anselmus) judaizare non est idem quod facere aliquid quod fiebat in lege : alioqui et ipsi Græci judaizarent, celebrantes in fermentato, quia in lege fuit præceptum ut panes primitiarum fermentatos offerrent Judæi. *Lev.* VII, 13. Sed facere aliquid legis hac intentione ut legalia observentur, est judaizare. Non autem hac ratione, sed ut Christo nos conformemus, atque Ecclesiæ statuto obediamus, celebramus in pane azymo : qui huic competit sacramento, quia per azymum significatur puritas vitæ, quæ semper servanda est, quemadmodum in thurificatione devotio orationis. Idcirco utrumque servatur in nova lege. — Hæc Thomas in Scripto.

At vero in tertia parte, quæstione septuagesima quarta : Circa materiam (ait) *art. 4.* sacramenti istius sunt duo consideranda, videlicet, quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium est, ut sit panis triticeus; non autem quod sit azymus, quoniam in utroque confici potest. Conveniens vero est, ut unusquisque secundum ritum suæ Ecclesiæ in celebratione sacramenti se habeat. Super qua re sunt diversæ consuetudines Ecclesiarum. Ait namque Gregorius in Registro : Romana Ecclesia offert azymos panes, eo quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Ideo, sicut peccat sacerdos in Ecclesia Latinorum celebrans in pane fermentato, ita peccaret presbyter in Græcorum Ecclesia celebrans in azymo, quasi pervertens morem suæ Ecclesiæ. — Verumtamen consuetudo celebrandi in azymo, est melior. Primo, quoniam Christus in azymo confecit atque instituit istud. Secundo, quoniam panis est proprie materia sacramenti corporis Christi sine corruptione concepti. Tertio, quoniam hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus sacramenti condignum, juxta illud Apostoli : Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. *I Cor.* V, 7, 8. Habet tamen consuetudo Græcorum aliquam rationem, et propter significationem quam tangit Gregorius, et propter detestationem hæresis Nazaræorum, qui Evangelio miscebant legalia. — Hæc Thomas in Summa. In quibus aliquid continetur quod dictis ex Scripto ejus contrariari videtur, quum dicat ibidem, in fermentato non posse confici sine peccato : nisi hoc intelligatur de Latinis.

Insuper in Tractatu contra errores Græcorum disseruit : *Opusc.* VI, p. II, c. 18. Quemadmodum præfati errantes, contra unitatem corporis mystici peccant, Romani Pontificis plenariam potestatem negantes; sic contra puritatem sacramenti corporis Christi delinquunt, dicentes, ex azymo pane corpus Christi consecrari non posse. Quod etiam Doctorum Græcorum auctoritatibus improbatur. Dicit quippe Chrysostomus super illud Evangelii, Prima die azymorum : *Matth.* XXVI, 17. Primam diem dicit diem Jovis, in quo incipiebant legis cultores Pascha celebrare, id est azyma comedere, omni expulso fermento. Dominus ergo mittit discipulos suos die Jovis, Petrum scilicet et Joannem, etc. Ergo quinta feria ablato omni pane fermentato, Christus cœnam fecit novissimam, in qua instituit sacramentum. Dicit item Gregorius Nazianzenus : Celebremus festum Domino in jubilo, non in veteri fermento. Quo constat, quod azyma magis congruit puritati corporis Christi tam veri quam mystici. Hæc idem ibi.

Idem Petrus. Et addit Richardus : Graviter peccant conficientes de fermentato,

eo quod Christus confecit de azymo, et quoniam Petrus Christi vicarius sic conficiendum instituit, ac sancta Romana Ecclesia sic observat et præcipit observari. — Hæc verba Richardi, ut videtur, dictis Thomæ in Summa non bene concordant. Certum est autem, quod Græci omnino delirant, imo magis insaniunt, mentiendo quod ex azymo pane non valeat confici : cujus contrarium tam innumerabiles Sancti, ab omnipotente Deo diversis innumerabilibusque præclaris miraculis mirificati, dixerunt; quorum et multi fuerunt presbyteri.

Unde Albertus hic scribit : In azymo et fermentato confici potest de potestate verborum; verum de congruentia et jure et sine peccato, non potest confici nisi in azymo. Ideo Græci peccant contra congruentiam sacramenti et contra jus, in consecrando. Sed dicentes, quod non possit consecrari in azymo, nesciunt quid dicunt, sicut in pluribus aliis : quoniam modo non
Cor. I, 22. verificatur quod ait Apostolus, Græci sapientiam quærunt; imo potius sapientiam et studium amiserunt, ideo stultis assertionibus detinentur. Hæc Albertus.

Scripta demum Bonaventuræ de ista quæstione, continentur in dictis ex Thoma in Scripto et Antisiodorensi; similiter scripta Argentinensis. Porro Durandus et Scotus nil speciale de istis scribunt ultra præhabita.

QUÆSTIO VI

NUnc quæritur, **Quale corpus dedit Christus discipulis in Cœna sub sacramento.**

Videtur quod impassibile, quia secundum quod ibi erat, nec poterat capi, nec capax fuit alicujus impressionis, passionis aut influxionis ab alio : quia non fuit ibi quantitativo extensivove modo. — Rursus, nihil potest ab alio pati, nisi aliquo modo tangatur ab illo, quum actio et passio sint per contactum, secundum Philosophum;

A estque præhabitum, quod corpus Christi *dist.* X, q. 5.
in sacramento est intangibili modo, in tantum quod nec ipsæ sacramentales species tangunt illud. — Præterea, super illud Matthæi, Transfiguratus est ante eos, loquitur *Matth.* XVII, 2.
Glossa : Corpus quod habuit per naturam mortale, dedit discipulis in Cœna non mortale neque passibile. Et si fuisset passibile, non videtur quod a discipulis potuisset sine sui passione et læsione manducari. Ad idem est Hugo, qui manifeste hoc dicit.

In oppositum est ratio auctoritasque
B multorum, dicentium, quod tale corpus tunc dedit discipulis quale tunc habuit, utpote passibile et mortale : alioqui contradictoria verificarentur de eodem. — Rursus, de corpore quod tunc dedit, dixit:
Hoc est corpus meum, quod pro vobis I *Cor.* XI, 24.
tradetur. Quod utique fuit passibile ac mortale. Unde plures expositores atque doctores fatentur, quod tale contulit corpus quale habebat.

Ad hæc respondet Albertus : Quæstio
C hæc pro utraque parte suos habet defensores. Nempe sequentes Hugonem dicunt, quod Christus ante resurrectionem suam, usum seu actum quatuor dotium corporum glorificatorum assumpsit, non habitum : usum videlicet subtilitatis, quando ex utero Virginis clauso exivit; usum agilitatis, dum super undas maris deambulavit ; usum claritatis, in Transfiguratione; usum impassibilitatis, in sacramentali hac communicatione. Et hæc est sententia magistri Hugonis de S. Victore. Quumque objicitur,
D quod secundum hoc contradictoria verificata de eodem fuissent; respondetur, quod non sequitur, quia passibile et impassibile, mortale et immortale sumuntur æquivoce. Passibile namque et mortale sumuntur secundum habitum, immortale vero et impassibile secundum actum, ut idem sit immortale et impassibile, quod non moriens et non patiens in distributione sacramenti. — Ego autem magis assentio alteri opinioni, quam Magister tangit in littera, Glossa quoque super epistolam ad

I *Cor.* xi, 24. Corinthios : quod scilicet tale dedit quale A tunc habuit; atque Innocentius libro de Sacramentis, quod scilicet dedit corpus suum passibile. Unde et in memoriam suæ passionis frequentatur hoc sacramentum. Quod autem objicitur ex verbis Hugonis; dicendum, quod illa fuit ejus opinio, quam sequi non tenemur. Attamen si vellemus eam sequi, diceremus quod ipse hoc refert ad id quod non patiebatur secundum actum sub sacramento. Hujus tamen non exprimit causam, nec puto quod causa fuit ista, quod impassibilitatem assum- B psit; sed alia quæ paulo post exprimetur. Videntur autem inducti ad istud, quia in sacramento isto aliquid masticari videtur ac dividi. Sed ob hoc non oportet ad istam opinionem induci, quoniam talia non referuntur ad corpus Christi, sed ad formas accidentales, ut sequenti distinctione dicetur. — Hugo autem sic arguebat : Tenuit se in manibus, tenens fuit mortalis, tentum immortale. Ego absque præjudicio veritatis magis ad hoc accedo, ut illud impassibile et immortale, quan- C tum ad significationem pertinet sacramenti, tradidisse dicatur. Si enim hoc potuit esse, quod se ipsum gestavit in manu, et corpus suum sine corruptione sui edendum distribuit, et tamen qui dedit et qui dabatur, et qui portavit et qui portabatur idem esset, quid mirum si dicatur quod ipse in eo quod dabatur, exstitit immortalis, et in eo quod dedit, mortalis? Hæc Albertus.

Concordat Thomas, qui contra opinionem Hugonis sic arguit : Hoc stare non D potest, quia substantia corporis Christi eadem est sub sacramento, et sub propria forma seu specie; sed per comparationem ad exteriora non est eadem, quia in specie propria comparatur ad exteriora secundum situm propriarum dimensionum; in sacramento autem, secundum situm dimensionum panis. Hinc proprietates quæ absolute insunt corpori Christi, oportet eodem modo sibi inesse secundum quod est in sacramento, et ut est in specie propria; illæ vero quæ conveniunt ei in comparatione ad aliud corpus extra, non eodem modo, ut patet de visione. Passibilitas autem est proprietas absoluta corporis Christi. Unde quum in propria specie esset passibile, etiam in sacramento fuit passibile, sicut et alii dicunt. Hæc Thomas in Scripto.

Idem in tertia parte, quæstione octogesima prima. Ubi et addit : Quamvis corpus art. 3.
Christi sub sacramento non erat impassibile, tamen impassibiliter fuit ibi seu impassibili modo, quemadmodum corpus illud secundum se visibile, fuit invisibiliter ibi. Sicut enim visio requirit contactum corporis quod videtur, ad circumstans medium visionis; sic passio requirit contactum corporis quod patitur, ad ea quæ agunt in ipsum. Corpus autem Christi secundum quod est sub sacramento, non comparatur ad ea quæ circumstant, mediantibus dimensionibus propriis, quibus corpora sc tangunt, sed mediantibus dimensionibus panis et vini. Ideo species illæ sunt quæ videntur et patiuntur, non corpus Christi. Hæc ibi.

Quocirca scribit Bonaventura : Duplex proprietas convenit corpori Christi, quædam absoluta, et quædam relativa per comparationem ad locum. Proprietas absoluta convenit corpori Christi prout in uno est loco, et quum sit una, tamen convenit ei ut in omnibus. Proprietas vero relata ad locum, quum in diversis sit locis, etsi conveniat ei in uno loco, non oportet quod in omnibus. Unde non oportet, si corpus Christi sit in pluribus locis, quod si movetur in uno, moveatur in alio. Similiter non oportet, si quis percutit illum in uno loco, quod percutiat eum in alio : quoniam talis operatio respicit localem agentis præsentiam. Ita similiter, non oportet ut si videatur in uno loco, videatur in alio : quia hoc respicit corporalem et situalem visibilis præsentiam. — Hæc Bonaventura. Qui de his plura inducit quæ sequenti distinctione ponentur. In his concordant doctores nunc omncs, aut pene omnes, nec aliquem

legi sequentem opinionem illam Hugonis. Unde Antisiodorensis in Summa loquitur, libro quarto : Ponatur quod aliquis discipulorum servasset corpus Christi consecratum in pyxide toto triduo sepulturæ, et quæratur an mortuum fuisset ibi; videtur quod non, quia impassibile fuit ibi ac immortale. Constat autem, quod mortuum fuit in cruce : ergo idem numero corpus fuit mortuum et non mortuum, animatum et non animatum. Propter hoc dicunt nunc omnes magistri, quod Dominus dedit in sacramento corpus suum passibile ac mortale. Distinguuntque istam, Corpus Christi sub forma panis est passibile : quia passibile idem est quod potens pati. Si ergo determinatio hæc, sub forma panis, determinet ly passibile, quantum ad infinitivum ibi cointellectum, falsa est; quum sit sensus, Corpus Christi potest pati sub forma panis. Si vero determinet ly passibile, quantum ad potentiam patiendi, vera est; et est sensus, Corpus Christi exsistens sub forma panis, habet potentiam patiendi. Distinctionem hanc approbamus. Hæc Antisiodorensis.

QUÆSTIO VII

MOdo quærendum est, **Utrum per omnipotentiam Dei, potuit anima Christi separata a corpore in cruce pendente ac sepulto, manere unita corpori ejus sub sacramento**; et, **An corpus Christi sub specie sacramentali consistens, in casu simili, passum, crucifixum ac mortuum fuisset ibidem**; et rursus, **Si aliquis Apostolorum consecrasset in triduo, an in corpore consecrato fuisset anima Christi.**

In hac quæstione tria tanguntur. Et videtur quod primum [et tertium] fuit possibile. Nam corpus Christi simul et semel est in pluribus locis : ergo et anima potuit simul esse in pyxide seu corpore consecra-

A to, et in limbo. — Rursus, Deus potest aliquid per sui ipsius multiplicationem facere esse in pluribus locis; potest quoque per transsubstantiationem unius in aliud hoc ipsum. — Insuper, mors Christi fuit violenta et ei illata a Pilati ministris, quorum actio non pertingebat ad corpus Christi in altari, nec tetigit illud. — Iterum, corpus Christi non exspiravit nisi per sanguinis effusionem, quæ sub speciebus sacramentalibus esse nequivit.

B Ad hæc, præsertim ad primum, respondet Henricus tertiodecimo Quodlibeto : Esse in corpore, potest incorporeæ substantiæ q. 1. convenire dupliciter : primo, per suam substantiam; secundo, per suam operationem. Per substantiam suam, dupliciter : primo situaliter, secundo localiter. Incorporea autem nequeunt esse localiter in re. Loquendo autem de esse in loco situaliter per suam substantiam, dico quod quum anima separata, sicut et angelus, sit incorporalis substantia, quæ secundum essentiam C suam est simplex, sicut unitas abstracta, non ut punctus, qui in magnitudine determinat sibi situm; angelus autem et anima nullum sibi in magnitudine determinant situm extra quem esse non valeant : hinc difficile est mihi intelligere, quomodo anima situaliter sit in aliquo corpore aut magnitudine, et hoc absque operatione in illa, et absque passione a corpore aut ab exsistente situaliter in eodem; consimiliter quoque de angelo. Attamen, quoniam hoc tenere præcipit quidam articulus de con- D trario interdictus, idcirco non contradico.

Porro per operationem suam habet anima esse in corpore dupliciter : primo per operationem primam, quæ est dare esse, et convenit animæ in quantum est corporis forma, atque essentia distincta ab angelo; secundo per operationem secundam. Quæ duplex potest attribui animæ : una, in quantum est anima et diversa ab angelo; alia, in quantum est substantia incorporea conveniens cum angelo. Primo modo convenit animæ operatio qua dat corpori seu

toti composito per suas potentias sentire, A velle, intelligere; nec convenit animæ operatio ista, nisi per primam : ideo nequit angelo convenire. Secundo modo, ut aliqui dicunt, non convenit animæ operatio aliqua, sicut movere secundum locum; sed falsum est hoc. Verumtamen aliqui dubitant de hoc, an post separationem a suo corpore possit esse in illo, ipsum movendo localiter. Et quantum ad hoc dico, quod non video cur anima Christi non potuerit in triduo esse in corpore suo, non ut forma, sed ut movens, sicut et angelus potest B esse in corpore.

De esse autem animæ Christi in corpore suo sacramentaliter exsistente in pyxide dico, quod quamvis idem corpus fuit in sepulcro et pyxide, tamen alio et alio modo fuit ibi et ibi; atque secundum modum quo habuit esse in pyxide, nulla operatio extrinseca nec aliquod extrinsecum potuit corpus illud attingere. Unde, quamvis corpus mortuum et vulneratum fuisset in pyxide, quod vulnerabatur et moriebatur in cruce, in cruce tamen moriebatur et C vulneratum fuit, sed non in pyxide. Conformiter dico, quod licet anima Christi tunc potuit fuisse in suo corpore in sepulcro, et circa illud aliquid operari, non tamen in pyxide, licet cum hoc verum fuisset dicere, quod fuit in corpore illo. In pyxide namque non potuit esse in corpore suo nisi per concomitantiam : et hoc non nisi per hoc quod actu animaret illud, quemadmodum modo in pyxide in suo corpore animato. Non enim dicuntur esse in sacramento per concomitantiam, nisi D quæ essentialiter et intrinsece, et non ab extrinseco pertinent ad illud. Ideo quamvis recte dicatur quod corpus quod habuit vulnera, fuit in pyxide, non tamen proprie dicitur quod ipsa vulnera erant iu pyxide. — Hæc Henricus. In quibus videtur obscurum quod ait, quod in tali casu corpus illud non moriebatur in pyxide. Sed de hoc plenius jam dicetur.

Denique, hujus responsionis sententiam breviter S. Thomas perstringens : Deus, inquit, bene facere poterat, quod anima Christi a corpore separata in sepulcro jacente, esset in loco ubi erat corpus sub sacramento, quia hoc importat respectum ad extra; sed non quod esset ei unita sub sacramento ut forma, quia hoc pertinet ad dispositionem interiorem. Unde inevitabiliter sequeretur, duo contradictoria esse simul.

Ad id vero quod quæritur de passione et morte corporis Christi, si servatum fuisset sub sacramento in pyxide, respondendum, quod omnia verba quæ significant passionem ab extrinseco illatam, non possunt attribui corpori Christi prout est sub sacramento. Cujus ratio ex dictis apparet. Unde non potest dici, quod in pyxide crucifigeretur, aut verberaretur, aut hujusmodi aliquid. Nec ex hoc sequitur, quod duo contradictoria simul sint vera : quoniam non secundum idem comparatur ad extra corpus Christi hic et ibi. Omnia autem verba quæ significant passionem innatam, conveniunt ei ut reservato sub sacramento, sicut hæc verba, dolet, patitur, moritur, etc.; non autem hæc verba, crucifigitur, lanceatur, flagellatur, cruentatur. Passiones quippe extrinsecæ pertingunt ad substantiam corporis Christi mediantibus dimensionibus propriis, non autem mediantibus dimensionibus panis. Ideo propter impressiones extrinsecas quæ ad speciem pertinent panis, nulla passio intrinseca attribuitur corpori Christi; sed propter impressiones extrinsecas ad dimensiones proprias pertinentes, attribuuntur passiones corpori Christi, et extrinsecæ sub propria specie tantum, et intrinsecæ etiam sub specie aliena. Hinc propter crucifixionem in Calvariæ loco factam, corpus Christi servatum moriebatur sub propria specie, et item sub sacramento. Ex quibus patet solutio ad objecta. — Insuper, quum animatio sit proprietas intrinseca, constat quod sicut corpus Christi sub propria specie fuit exanime, ita sub sacramento. Unde, si corpus Christi fuisset a discipulorum aliquo consecratum in tri-

duo mortis, non fuisset ibi anima. Quidam vero dicunt, quod forma consecrationis tunc fuit suspensa; et quod si primo consecratum, reservatum fuisset, desiisset ibi esse mortuo Christo. Sed hæc frivola sunt, quoniam nec ratione nec auctoritate probantur. — Hæc Thomas in Scripto. Idem in tertia parte, quæstione octogesima prima.

In idem redit quod ait Albertus : In hac (dicens) quæstione cum antiquis dicendum, quod quædam nomina, verba et participia dicunt passiones naturales, vel communes ad passiones naturales ac violentas; et hæc copulari possunt ac convenire corpori Christi, si reservatum fuisset in pyxide in triduo mortis, ut, dolet, moritur. Quædam dicunt passiones violentas ab extra illatas, ut, vulneratur, etc., quæ non conveniunt Christo nisi sub propria forma. Significant enim passionem secundum quod est effectus atque illatio actionis. Hanc responsionem significabant antiqui per versus hos :

Pyxide servato poteris copulare dolorem
Innatum; sed non illatus convenit illi.

Hæc Albertus. — Concordat Bonaventura, Petrus, Richardus, aliique communiter.

DISTINCTIO XII

A. *Utrum in sacramento Eucharistiæ sint accidentia in se ipsis subsistentia, et ubi fundentur.*

SI autem quæritur de accidentibus quæ remanent, id est de speciebus et sapore et pondere, in quo subjecto fundentur; potius mihi videtur fatendum, exsistere sine subjecto, quam esse in subjecto : quia ibi non est substantia nisi corporis et sanguinis dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in judicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia, ad mysterii ritum, ad gustus fideique suffragium : quibus corpus Christi habens formam et naturam suam, tegitur. (Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 4.)

B. *De fractione et partibus.*

Solet etiam quæri de fractione et partitione quæ ibi videtur fieri, utrum vera sit; et si ibi vera fractio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat. Quumque non sit ibi alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. (Hugo, op. cit. c. 8.) Sed econtra, quum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale et impassibile, in ipso non posse esse videtur. Nam et Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant carnem Christi sicut aliam in partes dividendam et morsibus dilacerandam. (Joann. vi, 62.) Ideo quibusdam placet, quod non sit ibi fractio sicut videtur; sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur quod ait Ambrosius : Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non (Ap. Lyran. in I Cor. xi, 24.)

est. Ad hoc illi dicunt : Non fallit nos visus, nec fallitur. Quod esset, si crederetur ita frangi ut videtur. Nec illusio est, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit : sicut et Christus se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini; nec in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.

Luc. XXIV, 15, 16.

C. *Aliorum opinio.*

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 8.

Alii vero dicunt, quod sicut ibi species panis est, et non est ibi res cujus vel in qua sit illa species; ita est ibi fractio quæ non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur. Quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi fiat fractio ubi nihil frangitur.

D. *Aliorum opinio.*

De Consecr. dist. II, c. 42.

Alii tradunt, corpus Christi essentialiter frangi et dividi, et tamen integrum et incorruptibile exsistere. Quod se colligere asserunt ex confessione Berengarii, qui confessus est coram Nicolao Papa et pluribus episcopis, panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Christi esse; et sensualiter non solum sub sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri.

E. *Sententia probabilior.*

Hugo, ubi supra.

I *Cor.* X, 16.

De Consecr. dist. II, c. 70.

Joann. VI, 58.

De Consecr. dist. II, c. 58.

Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane dici potest fractio illa et partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentaliter fieri : ut vera fractio et partitio sit ibi, quæ fit non in substantia corporis, sed in sacramento, id est in specie. Ne autem mireris vel insultes, si accidentia videantur frangi, quum ibi sint sine subjecto, licet quidam asserant ea fundari in aere. Est ibi vera fractio et partitio, quæ fit in pane, id est in forma panis (unde Apostolus ait, Panis quem frangimus : quia forma panis ibi frangitur, et in partes dividitur); Christus vero integer manet, et totus est in singulis. Unde Augustinus : Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen Veritas invitans nos ad manducandum, ait : Qui manducat me, vivet propter me. Non occiditur Christus ut manducetur, sed mortuos vivificat. Quando manducatur, reficit, non deficit; vivit manducatus, quia surrexit occisus; nec quando manducamus, partes de illo facimus, et quidem in sacramento sic fit. Item : Norunt fideles quomodo manducent carnem Christi : unusquisque accipit partem suam. Unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, et manet integer totus; per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur : videtur panis et calix, quod et oculi renuntiant; quod autem fides

instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis. — Ex his datur intelligi, quod fractio et partes quæ ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est in specie visibili. Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt : ut sensualiter non modo in sacramento, sed in veritate, dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum, frangi vero et atteri dentibus vere quidem, sed in sacramento tantum. Vera ergo est ibi attritio et partitio, sed in singulis partibus totus est Christus. Unde Hieronymus : Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet singulis. Item Hilarius : Ubi pars est corporis, ibi est et totum.

De Consecr. dist. II, c. 77.

Ibid. c. 78.

F. *Quid illæ partes significent.*

Quid autem partes illæ significent, Sergius Papa tradit, inquiens : Triforme est corpus Christi : pars oblatæ * in calicem missa, corpus Christi quod jam surrexit, monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad finem Missæ remanens, corpus jacens in sepulcro significat, quia usque in finem sæculi corpora Sanctorum in sepulcris erunt. Et sicut partes illæ mysticam tenent significationem, ita etiam et fractio passionis Christi et mortis est repræsentatio. Unde ipse ait : Hoc facite in meam commemorationem, id est in memoriam passionis et mortis meæ. Nam ut ait Ambrosius, quia in morte Christi liberati sumus, hujus in edendo et bibendo carnem et sanguinem memores esse debemus. Sed caveat quisque ne indigne percipiat, quia judicium sibi manducat. Non enim est iste panis qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Sic ergo vive, ut quotidie merearis accipere, nec accedas indignus. Indignus est, qui aliter celebrat mysterium quam Christus tradidit, vel qui habens mortale peccatum accedit. Ergo etsi sint peccata quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam accedas dimitte debitoribus tuis. Si dimittis, dimittetur tibi, et sic securus accede : panis enim salutaris est, non venenum. Si ita accedis, spiritualiter manducas : spiritualiter enim manducat, qui innocentiam ad altare portat.

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 9.
De Consecr. dist. II, c. 22.
* *alias* oblata
I *Cor.* XI, 24.
Ambrosiast. in I Cor. XI, 26.
I *Cor.* XI, 29.
Ambr. de Sacram. lib. IV, n. 24, 25.
Aug. in Joann. tract. 26, n. 11.

G. *Si illud sit sacrificium, et si sæpius immoletur Christus.*

Post hæc quæritur, si quod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium vel immolatio; et si Christus quotidie immoletur, vel semel tantum immolatus sit. Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur et consecratur a sacerdote, vocari sacrificium et oblationem, quia memoria est et repræsentatio veri sacrificii et sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus est in semetipso; quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. Unde Augustinus : Certum habemus, quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, etc. ; tamen ne obliviscamur quod semel factum est, in memoria nostra omni anno fit, scilicet

Aug. in ps. 21, enarr. 2, n. 1.
Rom. VI, 9.

quoties Pascha celebratur. Numquid toties Christus occiditur? Sed tantum anniversaria recordatio repræsentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri tanquam videamus Dominum in cruce. Item : Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento. Quod sic intelligendum est : quia in manifestatione corporis et distinctione* membrorum semel tantum in cruce pependit, offerens se Deo Patri hostiam redemptionis efficacem, eorum scilicet quos prædestinavit. Item Ambrosius : In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad recordationem mortis ejus; et una est hostia, non multæ. Quomodo una et non multæ? Quia semel immolatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius; id ipsum et semper id ipsum offertur : proinde hoc idem est sacrificium. Alioqui, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique est Christus, et hic plenus exsistens et illic plenus : sicut quod ubique offertur, unum est corpus; ita et unum sacrificium. Christus hostiam obtulit, ipsam offerimus et nunc; sed quod nos agimus, recordatio est sacrificii. Nec causa suæ infirmitatis repetitur, quia perficit hominem, sed nostræ, quia quotidie peccamus. — Ex his colligitur, esse sacrificium et dici quod agitur in altari, et Christum semel oblatum et quotidie offerri; sed aliter tunc, aliter nunc. Et etiam quæ sit virtus hujus sacramenti ostenditur, remissio scilicet peccatorum venialium et perfectio virtutis.

De Consecr. dist. II, c. 52.

* *alias* distentione

Ibid. c. 53.

H. *De causa institutionis.*

Institutum est enim hoc sacramentum duabus de causis : in augmentum virtutis, scilicet caritatis, et in medicinam quotidianæ infirmitatis. Unde Ambrosius : Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Item Augustinus : Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel sit passus, quia quotidie peccamus peccatis sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice immolatur pro nobis. Dedit enim nobis hoc sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, et ille jam mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. Quotidie comeditur ipse et bibitur in veritate, sed integer et vivus manet. Item : Mysterium fidei dicitur, quia credere debes quod ibi salus nostra consistat. — Si autem quæratur, utrum quotidie communicandum sit, audi quid inde tradit Augustinus : Quotidie (inquit) Eucharistiam accipere nec laudo nec vitupero; omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et licet quis peccato mordeatur, si peccandi tamen de cetero non habeat voluntatem, et satisfaciat lacrimis et orationibus, accedat securus; sed hoc de illo dico quem mortalia peccata non gravant.

Ambr. de Sacram. lib. IV, n. 28.

De Consecr. dist. II, c. 72.

Ibid. c. 73.

Ibidem.

Ibid. c. 13.

I. *Quod ter in anno communicandum sit.*

Et si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, nisi forte quis criminalibus impediatur : in Pascha scilicet, et Pentecoste, et Natali Domini. Omnes ergo communicent, qui noluerint carere ecclesiasticis liminibus. De Consecr. dist. II, c. 16. Ibid. c. 10.

SUMMA DISTINCTIONIS DUODECIMÆ

In præcedentibus tractavit Magister de sacramento Eucharistiæ quantum ad id quod in ea est sacramentum et res, hoc est de vero et naturali corpore et sanguine Christi. Hic tractat de illo quantum ad id quod est in ipso tantummodo sacramentum, id est signum rei sacræ, utpote sacramentalibus speciebus, quæ signa sunt veri corporis et sanguinis Domini; et de aliis quibusdam mirabilibus quæ contingunt in eo, puta de fractione, quum tamen nulla in ipso frangatur substantia. Quocirca occurrunt aliæ magnæ difficultates : qualiter species illæ possint nutrire, augere, reficere; et qualiter queat aliquid generari ex eis; et de resolutione quæ apparet in eis.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur primo, **An in isto sacramento accidentia per se exsistant, hoc est sine subjecto.**

Et videtur quod non. Primo probatur omnium auctoritate philosophorum, qui concorditer reputaverunt hoc impossibile esse. — Secundo, quia hoc implicat, et absolute impossibile est, sicut impossibile est hominem esse et non esse rationalis naturæ. De ratione etenim accidentis est inhærere, et inde nomen sortitur : nam dicitur accidens quasi ad aliud cadens, utpote se in se fulciri non valens, nec A sustentare se ipsum. — Tertio, contradictionem includit aliquid esse et non esse. Quum ergo (juxta Philosophum) accidentis esse sit inesse, constat quod quam impossibile sit ipsum esse et non esse simul, tam impossibile est ipsum esse et non inesse, seu subjecto non inhærere. — Quarto, per multa experimenta videtur ostendi, quod in hostia consecrata maneat substantia panis, atque in vino consecrato substantia vini. Ridiculum namque esset apud philosophos dicere, quod accidentia B inebrient, satient, et quod substantia generetur ex accidentibus; et tamen hæc fieri ex hostiis consecratis et vino consecrato, experientia multiplex probat, quum et vermes generentur ex hujusmodi putrefactis. Et quod nutritur, ex nutrimento sustentatur, quod et convertitur in nutritum.

In oppositum est auctoritas totius Ecclesiæ ac fidei christianæ, quæ ab exordio frequentavit istud mysterium, quod et Deus omnipotens per innumerabilia confirmavit miracula, tantoque plenius, quanto hoc C sacramentum incomprehensibilius exstat.

Ad hæc respondet Albertus : Quæstio ista gravissima est, ad quam dicimus quod accidentia in sacramento manent sine subjecto. Non enim afficiunt neque denominant corpus Christi, nec sanguinem ejus, neque substantiam panis et vini, quæ (sicut ostensum est) transsubstantiantur nec manent. Et sicut cetera in hoc sacramento supermirabilia sunt et incomprehensibilia prorsus, ita et istud. Rursus, quemadmo- Cf. p. 278 C et s. D dum cetera in sacramento hoc consistentia, modum ac statum assumunt et induunt altiorem ac penitus supernaturalem, ita et formæ accidentales. Transsubstantiatur

quippe ibi corpus inanimatum in corpus A
animatum, non gloriosum in corpus gloriosum, naturale in divinum, et corpus ipsum illocaliter est ibidem; sic et accidentia modum sortiuntur substantiæ. — Et hujus rei quatuor rationes a magistris traduntur. Prima, ut non exsistente ibi substantia quæ proprium fuit subjectum specierum illarum, ad spiritualem escam mens rapiatur humana, ex significatione accidentium in rebus corporalibus ad spiritualia transvolans ac ea intelligens. Secunda ratio est, ut totum quod est in isto B
sacramento, agnoscatur fidei esse et supra naturam. Hinc Hugo disseruit : Divina et increata Sapientia carnem Christi sub corporalis edulii specie velatam ac sumendam proponit, ut sensus foveatur in uno, et fides in altero. Tertia ratio est assuefactio hominum ad credendum supernaturalia, quum videant oculis suis accidentia quæ nullum subjectum afficiunt. Quarta ratio est ordinatio completiva eorum quæ in hoc sacramento consistunt : quia quum omnia inferiora hujus sacramenti statum C
accipiant altiorem, consequens fuit ut accidentalia quoque signa modum obtinerent sublimiorem in hoc quod remanent sine subjecto in obsequium sacramenti.

Ad objecta ergo dicendum, quod accidentia illa duplicia sunt. Nam quædam sunt qualitates sensibiles, quæ sunt sensuum propriorum objecta. Quædam vero sunt objecta communis sensus, ut quantitas et figura. Hæc autem non æqualiter habent se ad subjectum : imo secundum ordinem naturæ, quantitas proximior est D
subjecto quam qualitas. Et inter qualitates, illæ quæ objecta sunt tactus, causæ sunt aliarum, et immediate complexionem qualitatum tactus sequuntur, ut qualitates gustus, quoniam gustus est quidam tactus. Quumque saporis signa sint odores, odor proximior est subjecto quam color. Atque per hunc modum videtur dicendum, quod continens colorem est quantitas, et causans ipsum est complexio qualitatum tactus : sicque conservatur ibi non solum virtute divina, sed etiam naturali. De quantitate autem non videtur, quod valeat esse sine subjecto secundum naturam, sed solum potestate divina. Quamvis enim quantitas sit ante corpus naturale, non tamen est ante compositum ex partibus substantiæ, quæ sunt materia et forma. Itaque ex his videtur sola quantitas in sacramento esse sine subjecto. — Hæc Albertus, qui plura scribit de his, quæ nunc ex dictis Thomæ clarius innotescent.

Itaque Thomas : Quemadmodum, inquit, prima propositione libri de Causis asseritur, prima causa est vehementioris impressionis super causatum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda. Idcirco, dum causa secunda removet suam influentiam a causato, adhuc potest remanere influentia causæ primæ in causato : sicut remoto rationali, remanet vivum, quo remoto, remanet esse. Quumque accidentium et omnium exsistentium causa prima sit Deus, causa autem secunda sit substantia seu subjectum, ex cujus principiis accidentia oriuntur, potest Deus accidentia conservare in esse, remoto influxu et conservatione causæ secundæ. — Quumque objicitur, quod accidentis esse est inesse; dicendum, quod inesse non dicit esse accidentis absolute, sed potius modum essendi qui competit ei ex ordine ad causam proximam sui esse : quem ordinem potest accidens amittere sine sui corruptione, divina virtute. — Et si rursus objiciatur, quod res per se exsistens est substantia, sicque accidens ita per se exsistens, substantia esset; dicendum, quia (ut probat in sua Metaphysica Avicenna) per se exsistere non est definitio substantiæ, quia per hoc non designatur quidditas ejus, sed esse, quod differt a sua quidditate. Definitio autem vel quasi definitio substantiæ, est res habens quidditatem cui acquiritur vel debetur esse non in alio. Consimiliter, esse in alio, non est definitio accidentis, sed res cui debetur seu convenit esse in alio; et hoc nec separatur nec separari potest ab accidente.

Præterea, quod substantia corporalis sit A subjectum accidentium, habet ex sua materia, cui primo inest subjici alteri. Prima autem dispositio materiæ est quantitas, quia secundum quantitatem attenditur divisio materiæ et indivisio, et per consequens unitas et multitudo, quæ sunt prima consequentia ens : ideo sunt dispositiones totius materiæ, non hujus aut illius tantum. Hinc omnia alia accidentia fundantur in substantia, mediante quantitate, et quantitas prior est illis. Propter quod non claudit in sua ratione materiam sensibi- B lem, quamvis includat materiam intelligibilem, ut septimo Metaphysicæ dicitur. Unde ex hoc quidam decepti fuerunt, ita ut crederent dimensiones esse substantiam sensibilium rerum : quia remotis qualitatibus, nihil sensibile manere videbant nisi quantitatem, quæ tamen secundum esse suum dependet a substantia, sicut et accidentia alia. Divina autem virtute confertur dimensionibus quæ fuerunt in pane, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento, quod est prima proprietas sub- C stantiæ; et per consequens eis præstatur ut sustentent accidentia alia, sicut et ante dum eis substantia suberat : sicque alia accidentia sunt in dimensione subjective, dimensiones vero sunt sine subjecto. — Hæc Thomas in Scripto.

Idem in tertia parte, quæstione septuagesima septima, ubi et addit : Quidam (art. 1.) dicunt accidentia illa esse in aere circumstante. Quod esse non valet, quoniam aer non est talium accidentium susceptivus, nec denominatur ab eis ; nec accidens D idem numero manens, potest transire de subjecto in subjectum ; ad motum quoque accidentium horum aer depellitur ; nec aer ille propriis accidentibus spoliatur ut his informetur. Cetera autem accidentia manent dimensionibus individuata, et dimensiones per se, divina virtute. Hæc Thomas in Summa.

Concordant his scripta ejusdem in Summa contra gentiles, libro quarto, quo addit : (cap. 65.) Habet hoc proprium quantitas dimensiva præter cetera accidentia, quod ipsa secundum se seu per se individuatur, quia positio, quæ est ordo partium in toto, in ejus ratione includitur. Est enim quantitas positionem habens. Ubicumque autem intelligitur diversitas partium ejusdem speciei, necesse est intelligi individuationem : nam quæ unius sunt speciei, non multiplicantur nisi secundum individuum. Nec enim apprehendi possunt multæ albedines, nisi prout sunt in diversis subjectis. Sed apprehendi possunt multæ lineæ, etiam si secundum se considerentur : diversus etenim situs qui per se lineæ inest, ad pluralitatem sufficit linearum. Quumque sola quantitas dimensiva de sui ratione habeat unde multiplicatio individuorum in eadem specie accidere possit, prima radix multiplicationis hujus ex dimensione esse videtur. Nam et in genere substantiæ, multiplicatio individualis fit per divisionem materiæ, quæ nec intelligi potest nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur. Remota etenim quantitate, substantia omnis indivisibilis remanet, prout primo Physicorum ait Philosophus. Manifestum autem est, quod in aliis generibus accidentium, multiplicantur individua speciei ejusdem per sua subjecta. Quumque in hoc sacramento ponamus, dimensiones subsistere per se, et alia accidentia fundari in eis veluti in subjecto, non oportet nos dicere, quod accidentia hujusmodi individua non sint : remanet quippe in ipsis dimensionibus radix individuationis. Hæc idem ibi.

Consonat Petrus, additque : Duplex est subjectum accidentium, utpote primum et proximum, seu mediatum et immediatum. Subjectum primum et mediatum exstat substantia, et sine illo sunt omnia accidentia sacramenti istius, quia substantia ibi non manet. Subjectum vero immediatum et proximum est quantitas, qua mediante, accidentia multa insunt substantiæ, ut color per superficiem. Et sine tali subjecto non sunt omnia accidentia illa, quum in dimensionibus subjectentur

nonnulla. Substantia vero est immediatum quantitatis subjectum, quæ sequitur substantiam ratione materiæ, quemadmodum qualitas ratione formæ. Hæc Petrus.

Porro Richardus : Quidam, inquit, dixerunt accidentia non posse fieri sine substantia, nec posse esse sine subjecto, eo quod contradictionem includat. Quum enim substantia minus dependeat ab accidentibus quam econtra, possibile esset fieri per omnipotentiam Dei, totam substantiam mundi sine accidente consistere. Quod videtur absurdum, quoniam sequeretur, quod possibile esset hominem fieri sine quantitate, ac totam mundi substantiam comprehendi posse in uno puncto : quod eis absurdum videtur. — Sed quia hic error est contra doctrinam Ecclesiæ, asserentis accidentia ibi sine subjecto esse ; alii dicunt accidentia sine subjecto consistere in sacramento, quoniam opinantur quantitatem continuam non differre a substantia corporea nisi secundum relationem seu rationem : quia quod dicit substantia absolute, dicit quantitas sub modo se habendi qui est habere partem extra partem actualiter non distinctas ; continua quoque quantitas qualitatis, est qualitas ipsa ut habens partem extra partem actualiter non distinctas. Et dicunt, quod quamvis natura non possit causare quantitatem qualitatis nisi mediante quantitate substantiæ, tamen continua quantitas qualitatis diversa est realiter a continua quantitate substantiæ, sicut qualitas a substantia. Dicuntque, quod in Sacramento altaris quantitas remanens est quantitas qualitatis : quia ut opinantur, quantitas substantiæ nequit a substantia separari. Verum ista opinio est contra Philosophum, qui in Prædicamentis distinguit quantitatem a substantia et qualitate. Est quoque contra communem positionem doctorum, et contra experientiam. Dum enim substantia corporea condensatur sine conversione alicujus rei in ipsam, efficitur minoris quantitatis absque alicujus suæ partis amissione. Est etiam contra rationem, quoniam

A in diversis substantiis specie differentibus, videtur posse esse eadem quantitas specie. Non enim alia est longitudo vel latitudo aut profunditas in pugillo aquæ quam aeris. Porro, quod dicunt, quantitatem qualitatis realiter differre a quantitate substantiæ, et illam realiter esse idem cum qualitate, est contra auctoritatem et rationem. Ait namque Philosophus sexto Physicorum, quod qualitas non est quanta nisi per accidens : quod verum non esset, si ex se vel ex sua natura consisteret B quanta. Impossibile quoque est, naturaliter corpus quod est quantitas, simul esse cum alio corpore quod est quantitas ; sed qualitas simul est cum substantia : ergo naturaliter simul sunt ibi duæ soliditates, imo et plures, quia qua ratione albedo haberet propriam quantitatem, etiam sapor, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, haberent proprias quantitates ; nec solum simul essent quantitas substantiæ et quantitas qualitatis, sed etiam soliditates plurium qualitatum. Patet ergo, C quod opinio illa multa inconvenientia implicat.

Dicendum ergo, quod extendendo nomen accidentis ad omne quod non est substantia nec pars substantiæ, quædam sunt accidentia quæ non sunt nisi respectus ; et quædam de quorum ratione est res absoluta et respectus, ut simitas ; et quædam de quorum essentia nihil est nisi absolutum. Loquendo ergo de accidentibus primo et secundo modo, accidentia fieri posse sine substantia, si important respe- D ctus immediate fundatos super substantiam, contradictionem includit. Ad quod sequitur, quod nequeant fieri sine subjecto per quamcumque potentiam. Accidentia autem tertio modo dicta, per divinam potentiam posse separari a substantia, nullam contradictionem includit. Exsistentiæ etenim accidentis duæ sunt causæ, videlicet Deus et creata substantia. Et Deus sine causa illa secundaria potest accidens hujusmodi conservare, sicut ostensum est. Cf. p. 314 B'. — Hæc Richardus. In ceteris sicut Petrus.

At vero Bonaventura hic absolute respondet, quod per divinam potentiam accidentia possunt sine subjecto exsistere, quoniam differunt realiter. Verumtamen ratio illa instantiam patitur, quoniam accidentia successivæ naturæ nequaquam queunt esse sine subjecto, a quo nihilo minus realiter distinguuntur, sicut dicetur.

Unde et Durandus hic ait ac probat, quod accidens absolutum potest esse sine subjecto, non autem accidens relativum potest esse absque suo fundamento.

Præterea Scotus hic ait : Sunt duæ opiniones extremæ. Una, quæ ponit solam quantitatem posse esse et esse sine subjecto in Sacramento. Quod probat primo, quoniam solá quantitas per se individua- Cf.p.315A'. tur, ut tactum est; et rursus, quoniam si albedo esset separata a quantitate, non esset sensibilis, imo et indivisibilis efficeretur; item in tali casu esset qualitas spiritualis, nec corruptibilis esset, et posset esse in spirituali substantia, et sic spiritus posset esse albus. Sed istæ rationes non concludunt. Non prima, quoniam nullum ens est singulare per aliquid alterius generis. Quemadmodum enim in omni genere est aliquod supremum in coordinatione ipsius, et media genera, ac species; ita et infimum, de quo cetera omnia illa prædicantur. Qualitas ergo, etiam quando est in quantitate, non est per quantitatem formaliter hæc, sed per intrinsecum aliquid. Ratio quoque illa, quod albedo esset insensibilis, non procedit. Nam quamvis non esset sensibilis de propinqua potentia, attamen esset de potentia remota, quia ex sua natura convenit ei esse in subjecto sensibili. Idcirco non sequitur, quod posset esse modo angelico : quia ex sua natura apta nata est esse in quantitate, non angelus. Insuper, contra opinionem hanc arguo : Dependentia ad primum essentialior est quam ad secundum seu posterius, loquendo de depeudentibus absolutis; qualitas autem est forma absoluta : ergo essentialius dependet a substantia quam a A quantitate. Si ergo qualitas potest esse sine dependentia actuali ad substantiam, poterit esse sine dependentia actuali ad quantitatem. — Secunda opinio est huic omnino contraria, utpote, quod nullum accidens possit esse subjectum alterius accidentis : quia accidentis non est nisi inhærere, non alterius dependentiam terminare, nec subjici alteri : unde secundum Boetium, simplex forma non potest esse subjectum. Ergo omne accidens in isto sacramento consistens, est sine subjecto. Sed hujus probatur contrarium, B quum unum accidens denominet aliud et illud afficiat atque perficiat, ut claritas superficiem. — Hinc inter istas opiniones teneo medium, distinguendo de subjecto. Nam quoddam est subjectum ultimatum, quod ultimate terminat dependentiam formæ, cui competit inhærere, et ita substantiæ est esse subjectum. Secundo sumitur subjectum pro proxime terminante dependentiam formæ accidentalis, et sic unum accidens potest alterius dependentiam terminare. Hæc Scotus.

C Qui circa hæc scribit multum prolixe, et ea quæ magis involvunt quam elucident veritatem : idcirco pertranseo. Verum prima opinionum istarum videtur esse Thomæ, Alberti, Ægidii, Petri, Richardi; qui tamen non negant quin per omnipotentiam Creatoris etiam accidentia de geuere qualitatis possint esse sine subjecto in sacramento; sed siue necessitate ad miracula non recurrunt, neque multiplicant ea.

Argentinensis demum hic loquitur, quod accideutia quæ formaliter dicunt respe- D ctum, nequeuut esse sine subjecto, etiam per omnipotentiam Dei. Ideo sex prædicamenta, de quibus agitur in libro VI Principiorum, sine subjecto nequeunt esse, videlicet actio, passio, situs, habitus, quando et ubi, et præsertim relatio : quoniam aut formaliter dicunt respectum, aut tanta necessitate implicant ipsum et connotant, quod sine subjecto nequeunt esse ueque intelligi : ideo necessario concernuut semper aliquid in quo sunt, vel circa quod habeant esse. Idem patet de numeris, quo-

niam numerus separari non valet a rebus numeratis, nec separabilis est numerus a decisione continui, ut tertio Physicorum patet etiam de accidentibus successivis. Tempus namque non est separabile a motu, nec motus a magnitudine seu mobili : imo de formali ratione accidentis successivi est, quod una pars succedat alteri : quod fieri nequit, nisi subjecto supposito in quo hujusmodi partes sibi invicem succedant. Idem patet de quarta specie qualitatis, quæ separari non potest a quantitate, quum impossibile sit esse figuram sine lineis. Simitas quoque si separetur a naso, non est simitas, quum simitas sit curvitas nasi. — Hæc Argentinensis. Quæ recitative induco magis quam assertive. In hac quippe materia opiniones sunt plurimæ, diversis motivis persuasæ. Et quamvis interdum in conclusione concordent, in mediis tamen dissentiunt, una judicante quod motiva alterius non concludant. Et breviter, infinita contentio est in his, exceptis his quæ fidei sunt.

Postremo Ægidius in tractatu præallegato de Sacramento, multa super his scribit: theor. 36. Cetera (dicens) accidentia per sua subjecta individuationem suscipiunt; sola quantitas dimensiva, secundum se ipsam vel se ipsa est hæc, et ut individuetur, subjecto non indiget. Idcirco ex parte individuationis, reprobari non potest quin quantitas in hoc sacramento possit esse per se. Nempe, quum tota causa ob quam dicimus accidens non posse per se esse, sit quia a subjecto dependet; ideo, secundum quod accidentia magis et minus a suis dependent subjectis, magis et minus difficile est sustinere quod valeant per se esse, loquendo de accidentibus permanentis naturæ, quia de successivis certum est quod non. Accidentia vero quæ per sua individuantur subjecta, vel impossibile est per se exsistere sine contradictionis implicatione, aut valde difficile est hoc sustinere. Si ergo ostendatur, non omnia accidentia per sua subjecta individuari, et quod quantitas per se ipsam individuetur; non poterit hujus sacramenti veritas impugnari ex hoc quod quantitas per se exsistat.

Quod autem quantitas individuetur per se, et non alia accidentia, triplici via probatur. In tribus enim differunt universalia a particularibus. Primo, quoniam particularia habent esse signatum et determinatum ad locum et tempus, universalia non. Ideo dicitur, quod particularia sunt hic et nunc, universalia vero ubique et semper. Secundo, quod particularia plurificantur in eadem specie, universalia vero non : universalia enim plurificantur per differentiam formalem. Tertio, quod particularia sunt corruptibilia atque mobilia. Ex his formantur tres rationes. Prima, quia (ut probat Avicenna in Metaphysica sua) substantiæ accidit esse in loco : substantiæ enim non competit ubi, nisi per quantitatem; et quidquid corporalium est in loco, per quantitatem est in eo. Ergo quantitati per se, non per aliud competit hoc : et ita per se est hæc. Secunda est, quia in quantitate possumus intelligere plura in eadem specie : ergo ipsa per se ipsam individuatur. Quantitas etenim per se ipsam extensa est, cetera non nisi per eam : sicque quantitas per se ipsam habet partes extensas, quæ ejusdem sunt speciei. Tertia, quoniam quantitati convenit moveri localiter, sicut esse in loco, eo modo quo ei competit actualiter esse, et per consequens esse individuale. Unde impartibilia seu non quanta, immobilia appellantur. Et sicut hoc triplici modo probatur, quantitatem individuari per se, non per subjectum; sic ex opposito triplici modo probatur, cetera accidentia per sua subjecta individuationem accipere. Primo, quia non habent esse signatum nisi per subjecta; secundo, quia non plurificantur nisi per ea; tertio, quia nequeunt esse subjecta motus nisi per ea quibus insunt.

Porro, quidquid Deus potest per creaturam, potest per se : ergo sicut per ipsa subjecta conservat accidentia in esse, ita potest hoc per se ipsum, nisi aliud obstet, sicut in successivis et relativis, in quibus

est impossibilitas et incapacitas essendi sine subjecto seu fundamento, ex parte ipsorum, non ex impotentia Dei. Utrum vero accidentia absoluta (præter quantitatem), quæ per sua individuantur subjecta, possint individuari alio modo virtute divina, incertum est; et hoc investigare, magis videtur curiosum quam fructuosum. Quoniam ergo in hoc sacramento sola quantitas ponitur per se sine subjecto exsistere, cetera vero accidentia in quantitate fundantur, doctrina fidei de exsistentia accidentium sine subjecto, nil irrationale continet. Conveniunt autem quantitati respectu accidentium aliorum, quatuor, ex quibus probamus alia accidentia inesse substantiæ mediante quantitate, et quod cetera accidentia in quantitate fundantur. Primum est, quoniam quantitas magis de propinquo se tenet ex parte materiæ, quam accidentia alia. Et ex hoc primo sequitur secundum, ut quod materia ab omnibus aliis accidentibus absolvitur, præterquam a quantitate. Et ex isto secundo sequitur tertium, utpote, quod quantitas immediatius adhæret materiæ, quam accidentia cetera. Ex quo tertio sequitur quartum, quod scilicet materia potest intelligi cum quantitate, aliis accidentibus circumscriptis seu abstractis; non autem potest intelligi materia cum accidentibus aliis, quantitate circumscripta. — Hæc Ægidius. Qui de his scribit prolixe. Præterea scribit Ægidius, accidens non posse intelligi sine subjecto.

Antisiodorensis vero in Summa sua, libro quarto, affirmat quod accidens definiri potest atque intelligi sine subjecto, loquendo de accidenti secundum suum esse formale, seu quantum ad suam essentiam abstracte consideratam, prout definitur per proprium genus differentiamque intrinsecam. — Verumtamen juxta intentionem Ægidii, plene non valet intelligi nisi per suum subjectum, a quo habet originationem, conservationem, unitatem, et individuationem secundum naturam. Et quamvis non insit actu, aptitudine tamen inhærere, et aptitudinalem habitudinem ad subjectum habere, inseparabile est ab eo. Quumque scire sit rem per causam cognoscere, non potest accidens sine suo subjecto plenarie nosci nec definiri.

Denique Thomas de Argentina hoc loco recitat opinionem dicentium, quantitatem non distingui realiter a re quanta, seu corpus quod est de genere quantitatis, a corpore quod est de prædicamento substantiæ, seu a materia quanta. Quod primo sic probant : Omnem rem priorem alia, potest Deus facere et conservare, et posteriorem destruere, non mutando localiter rem priorem. Ergo si quantitas differt re a substantia, et est posterior ea saltem ordine naturæ et causalitate, potest Deus quantitatem destruere, substantia localiter non mutata : ergo substantia adhuc erit extensa, et occupans locum ut prius; et per consequens adhuc manet continua et quanta, sine quantitate realiter distincta ab ea. Secundo, substantia lapidis intelligi potest manere in eodem loco in quo est, circumscripta seu abstracta ab ea per intellectum omni re posteriori ea; sed non potest intelligi manere in loco sine quantitate : ergo quantitas non est ea posterior, nec accidens ejus realiter ab ipsa distinctum. Tertio, si quantitas differt a substantia, posset Deus facere quod substantia corporalis coexsisteret quantitati, nec informaretur per eam : ergo talis substantia esset quanta se ipsa, sine omni quantitate sibi per informationem adjuncta, quoniam tota illa substantia corresponderet toti quantitati cui coexsisteret, atque per consequens pars parti : sicque substantia illa se ipsa consisteret quanta, quia supponitur quod non informetur quantitate cui coexsistit. Quarto, secundum Magistrum, color, sapor et consimilia accidentia in Sacramento, sunt sine subjecto : quod falsum esset, si quantitas a substantia differret realiter : essent enim subjective in quantitate. Quinto, si quantitas differt a substantia, ergo ejus subjectum est materia aut forma, aut compo-

situm ex utroque : non materia, quia sic A aliquod accidens præcederet formam substantialem in materia ; nec forma, quia tunc si materia esset separata a forma, non esset quanta ; neque compositum, quia sic subjectum quantitatis esset compositius quantitate, quod falsum est, quoniam nullum accidens absolutum est simplicius suo subjecto. Sexto, si quantitas non est idem quod substantia, non esset substantia contrariorum susceptiva : quod est contra Philosophum in Prædicamentis. Septimo, si differunt realiter substantia et quanti- B tas, tunc quando de denso fit rarum, aut est ibi quantitas nova, aut non. Si sic : aut est tota nova, et sic tota quantitas prima corrumpitur, quod falsum videtur ; aut partim est nova, et tunc petitur de illius novæ quantitatis subjecto, quia vel est tota substantia, aut pars ejus : quorum utrumque est inconveniens, quia quocumque illorum dato, sequitur quod duæ quantitates sint in eodem subjecto, quod via naturæ est impossibile. Si vero in illa substantia nulla nova quantitas est acqui- C sita, et tamen est rarefacta ; hoc non potest esse nisi quia eadem quantitas coexsistit nunc majori loco quam prius, et hoc æque bene potest dici de substantia : ergo frustra ponitur substantia differre a quantitate. Octavo, id de quo vere prædicantur proprietates quantitatis, hoc vere est quantitas ; sed de substantia prædicantur veraciter proprietates quantitatis, videlicet longum, latum, finitum, etc. Nono, cuicumque convenit definitio, convenit definitum ; substantiæ autem corporeæ convenit defi- D nitio quantitatis continuæ, quoniam partes ejus continuantur ad terminum eumdem communem, alias ab invicem essent disjunctæ.

Verum hæc non concludunt, quia res simpliciter absolute distinctæ genere prædicamentali, differunt realiter ; et tales sunt substantia et quantitas. Præterea, augmentum, cujus terminus est quantitas, et generatio, cujus terminus est substantia, realiter distinguuntur : ergo et præfati hi termini eorumdem. Præterea, lignum et lapis differunt specie, non tamen pedalis quantitas utriusque : ergo quantitates et substantiæ eorum realiter distinguuntur. Præterea, in consecratione sacramentali panis et vinum substantialiter transmutantur, et tamen eorum quantitates dimensionesve remanent, sicut probatum est. *Cf.* p. 253 B et s. Præterea, quantitas per se sensibilis est, substantia vero per accidens, ut secundo de Anima dicitur : non ergo sunt idem in re. Rursus, secundum Philosophum, si sola substantia esset, non esset aliqua magnitudo : ergo substantia et magnitudo, quæ est quantitas, non sunt realiter idem.

Ad primum ergo objectum dicendum, quod substantia secundum se et per se sumpta, est indivisibilis, nec occupat locum ; et quamvis prior sit quantitate, non tamen prior est ea quantum ad esse locale. Ad secundum, quod substantia non potest intelligi manere in loco circumscriptive sine quantitate, sicut nec alba sine albedine. Ad tertium, quod falsum assumit, quia in Sacramento substantia corporis Christi coexsistit quantitati panis, nec tamen coextensa est illi se ipsa. Ad quartum, quod qualitates in Sacramento sunt sine subjecto primo, id est subjecto quod est substantia, quamvis non sine subjecto proximo, quod est quantitas. Ad quintum, quod materia sine forma substantiali potest esse subjectum quantitatis, ut patuit in corpore Christi in triduo mortis. Averroes quoque libro de Substantia orbis, dicit in cœlis non esse materiam, in quibus tamen conspicimus quantitatem. Ad sextum, quod non sequitur : imo et substantia indivisibilis eontrariorum est susceptiva, ut anima gaudii et mœroris. Ad septimum dico, quod quando de denso fit rarum, est ibi quantitas nova ; et si tota densi substantia transmutatur, tota quantitas erit nova ; si pars, tunc pars ; et subjectum illius novæ quantitatis erit substantia ex trausmutatione hujusmodi genita, etc. Ad ultima duo dicendum, quod illud est quantitas, cui primo et per se ac immediate

conveniunt proprietates quantitatis; sed hæ non conveniunt substantiæ nisi per aliud et mediate, puta per quantitatem. — Hæc Argentinensis. Qui etiam scribit hic, quod opinio omnium doctorum de Anglia et quorumdam de Parisiis est, quod in uno et eodem, imo et in quolibet homine sint plures formæ substantiales.

Ad idem confert quod scribit Ægidius
theor. 2. in tractatu de Sacramento altaris : Dum res convertitur in aliquid præexsistens, non est possibile quantum converti in quantum, sed quid in quid. Quo constat, quantitatem corporis Christi esse sub sacramento per concomitantiam. — Ex quo probatur, quod quantitas corporis Christi sit realiter distincta a corpore ipso: alioqui conversio esset in quantitatem, et quantitas esset ibi ex vi sacramenti seu conversionis, non concomitationis, et converteretur ibi quantum in quantum, nec totum corpus Christi esset sub qualibet particula hostiæ, imo et corpus Christi esset ibidem
dist. x, q. 1-3. localiter, ut videtur. Quæ omnia reprobata sunt supra, nec sonant satis catholice. Constat quoque, quod secundum Philosophum, substantia non capit magis et minus : ergo substantia naturæ humanæ, perfecta, tota et integra est quantum ad substantialia in infante sicut in viro. Quod verum non esset, si quantitas esset ipsa substantia corporis. Unde alibi protestatur Richardus, quod ex theologica veritate, puta ex his quæ in Sacramento creduntur, multo certius infallibiliusque probatur quod quantitas differt a re quanta, quam ex philosophia.

QUÆSTIO II

Quæritur consequenter, **An accidentia in Sacramento remanentia, possint facta consecratione agere et pati quæ ante consecrationem, utpote, sensum aut aliud extrinsecum immutare, ad generationem**

A **disponere, nutrire, et an aliquid possit ex eis generari.**

Videtur quod nullum istorum conveniat eis. Primo, quoniam agere est suppositorum ac subsistentium rerum, non formarum simplicium. Idcirco secundum Philosophum, qui dicit animam intelligere, dicit eam texere, quum tamen anima substantialis sit forma. Non ergo conveniunt formis accidentalibus. — Secundo, præhabitum est, quod formæ istæ in Sacramento habent modum essendi supernaturalem et quæst. 1.
B elevatum. Non ergo naturales actiones et passiones conveniunt eis, quum modus agendi sequatur modum essendi. — Videtur quoque, quod non possint corrumpi, quum sint formæ immateriales. Et prorsus incredibile videtur apud eruditos in philosophia, quod ex eis aliquid possit generari, nutriri, augeri. Ex eisdem quippe nutrimur ex quibus componimur. Nec possent superfluitates ex eis resolvi.

Ad hæc respondet Ægidius : Nulla trans- theor. 43.
C mutatione facta in corpore Christi, salvare possumus alterationem in hostia, quoniam remanet quantitas panis, subjecta qualitatibus secundum quas contingit aliquid alterari. Quum itaque supra ostensum sit, Cf. p. 262 D.
quomodo in hostia consecrata salvari valeat motus localis, restat ostendere, qualiter ibi salvetur motus alterationis. Potest equidem hostia consecrata calefieri, infrigidari, imo rarefieri et condensari. Nec dici potest, quod sit ibi illusio in veritatis Sacramento, sicut in præstigiis fit mago-
D rum; neque quod ibi sit alteratio vera et tamen nil immutetur, præsertim quum per hujusmodi alterationem fiat dispositio ad corruptionem, quia per nimiam calefactionem posset hostia incinerari, nec miraculose sed naturaliter fit hoc. Sola ergo restat hæc via ad declarandum qualiter ista contingunt, ut dicamus, in sacramento hoc remanere quantitatem qualitatibus subjectam, quia secundum qualitates fit alteratio. Propterea dicere possumus, quod eadem dimensio successive diversarum

contrariarumque qualitatum fit subjectum. A
Quemadmodum enim naturaliter est generatio in rebus corruptibilibus, quia corruptibilia communicant in materia, quæ est subjectum formarum substantialium; sic naturaliter salvare possumus alterationem in Sacramento, quoniam manet ibi quantitas, quæ subjectum est qualitatum. Sufficit quippe ad salvandum transmutationem, ponere aliquod tertium quod subjici possit formæ utrique.

Verum his objici potest, quia secundum Philosophum, ὕλη, id est materia prima, B
maxime est subjectum generationis. Primum autem in omni genere, causa est aliorum sequentium. Ergo quantitas sine materia nequit esse alicujus alterationis subjectum. Rursus, sicut materia prima est principium omnis alterationis passivæ, sic forma principium est omnis alterationis activæ. Quum ergo nec forma substantialis ipsius panis ac vini, facta transsubstantiatione permaneat, videtur quod nec qualitates remanentes in pane et vino consecrato, poterunt aliquam actionem habe- C
re. Sicque albedo hostiæ visum non immutaret, nec sapor vini gustum, nec humor ejus aliquid humectaret : quorum oppositum docet experientia. — Dicendum, quod causa cur quantitas nequit esse naturaliter subjectum transmutationis sine materia et ejus substratione, est quoniam quantitas naturaliter esse non potest nec conservari in esse absque materia. Conformiter, quod qualitates activæ non possunt esse activa principia alterationum sine forma substantiali, est quoniam naturaliter D
esse aut conservari non queunt sine hujusmodi forma. Quum ergo virtute divina supernaturaliter conferatur in Sacramento quantitati sine subjecto exsistere, qualitatibus quoque sine substantia in quantitate conservari ac permanere, potest quantitas ipsa ex omnipotentia Dei esse subjectum transmutationum et alterationum, ac si subesset ei materia : sic et qualitates manentes exercere valent suas operationes, ac si maneret ibi forma substantialis.

Hinc quoque probatur, quod non aug- theor. 44.
mentata corporis Christi substantia, circa Sacramentum altaris per rarefactionem et condensationem contingere potest motus augmenti : quia dimensiones indeterminatæ determinatis dimensionibus sunt subjectæ. Jam autem supra ostendimus, quo- Cf. p. 262 D,
modo in hostia consecrata valeant esse 321 C'.
motus localis et alteratio; restat ostendere, quomodo ibi salventur diminutio et augmentum : quod majoris est difficultatis. Augmentum autem et diminutionem circa aliquid dupliciter intelligere possumus. Primo, per subtractionem alicujus partis, seu per additionem novæ materiæ, sicut in nutritione viventium, et etiam quodammodo aliorum. Secundo, per condensationem et rarefactionem. Possunt etenim vini species, sub quibus est sanguis Christi, frigore congelari et condensari, sicque locum occupare minorem, et tunc sub dimensionibus minoribus esset sanguis Christi. Per calorem quoque possunt rarefieri species illæ, et sic occuparent locum majorem, ita quod sanguis sub majoribus dimensionibus erit quam ante. Quod certum est fieri, sed qualiter fiat, difficile est videre. Naturaliter quippe loquendo, non est dare aliquam mutationem, nisi sit subjectum tertium quod subjici possit duabus formis oppositis, vel privationi ac formæ. Non enim esset motus aut mutatio secundum illuminationem, nisi esset diaphanum se diversimode habens. Juxta hunc modum salvamus in Sacramento motum localem et alterationem : quoniam hostia moveri potest localiter, quia dimensiones hostiæ exsistentes circumscriptive in loco, possunt successive se commensurare locis diversis. Sic etiam alteratio ibi esse potest, quoniam eadem quantitas qualitatibus differentibus contrariisve subjicitur. Porro in prætacta augmentatione et diminutione quæ fit per condensationem et rarefactionem, nihil subjicitur dimensionibus panis aut vini. Quomodo ergo fiunt ibi ?

Itaque advertendum, quod in materia

panis et vini, omniumque generabilium et corruptibilium rerum, est quantitas duplex et duplex genus dimensionum. Sunt enim ibi dimensiones determinatæ et indeterminatæ. Dicimus namque, quod tantum de materia est sub uno pugillo aquæ, quantum sub decem pugillis aeris; nec tamen tantum occupat locum in uno sicut in alio : quoniam nullum horum convenit materiæ per se, sed per quantitatem. Si ergo probare poterimus, quod non sit eadem quantitas per quam materia est tanta, videlicet unius pugilli in aqua, et occupat tantum locum, utpote decem cubitorum in aere; rursus, si declarare poterimus, quod quantitas illa per quam materia est tanta, præcedit quantitatem illam per quam materia occupat tantum locum; et quod in prima quantitate per quam materia est tanta, fundatur veluti in subjecto alia quantitas per quam materia occupat tantum locum : facile erit sustinere, quomodo per condensationem et rarefactionem contingant augmentum et diminutio in Sacramento, et occupatio majoris minorisque loci. Nam quantitas per quam materia est tanta, possunt dici dimensiones indeterminatæ; dimensiones vero determinatæ dici possunt quantitas per quam materia occupat tantum locum. Nunc itaque declarandum, quod quia quantitas illa per quam materia dicitur quanta, quæ dici potest dimensiones indeterminatæ, subjecta est quantitati per quam occupat locum tantum, quæ dici potest dimensiones determinatæ : oportet dimensiones indeterminatas subjici dimensionibus determinatis. Et quia tantumdem de materia, dum est sub forma aquæ, occupat locum minorem; et dum est sub forma aeris, occupat locum majorem : oportet easdem dimensiones indeterminatas aliquando subjici majoribus dimensionibus determinatis, et interdum minoribus. Utræque autem dimensiones panis et vini manent, facta transsubstantiatione illorum : idcirco salvatur per hoc ibi occupatio majoris minorisque loci, et motus ad majorem atque

A minorem quantitatem, quoniam remanent ibi dimensiones indeterminatæ, possibiles subjici diversis dimensionibus determinatis.

Et ut hæc clarius intelligantur, ostendendum est primo, quod quantitas illa per quam materia est tanta, non est eadem cum quantitate per quam materia occupat tantum locum; et quod dimensiones indeterminatæ non sunt eædem per essentiam cum dimensionibus determinatis, loquendo de eis prout nunc loquimur. Quod pri-
B mo ostenditur, quia materia potest remanere tanta absque hoc quod maneat occupatio tanti loci. Quum enim ex aqua fit aer, manet materia tanta, quoniam quantum materiæ fuit sub forma aquæ, tantum fit sub forma aeris (quoniam nihil de materia ibi deperditur, quia nihil ibi annihilatur, nec quidquam materiæ de novo producitur aut creatur); non tamen manet occupatio tanti loci. Secundo, quoniam virtus naturalis agentis potest in quantitatem materiæ per quam
C materia occupat tantum locum, ut dum naturaliter ex aqua fit aer; sed nulla virtus naturalis agentis potest immutare quantitatem per quam materia est tanta aut tanta. Non enim naturaliter fieri potest, quod parvum de materia fiat multum : quia tunc de grano milii fieri posset mons unus. Dimensiones ergo indeterminatæ non sunt eædem cum dimensionibus determinatis. Conformiter potest probari, quod dimensiones indeterminatæ priores sunt dimensionibus determinatis, et eis subje-
D ctæ sunt : alias materia posset absolvi ab una sicut ab alia; quod non est verum. Quacumque enim transmutatione naturaliter facta, semper manet materia tanta quanta fuit prius, sed non semper occupat tantum locum.

Præterea, quamvis transmutatione com- theor. 45.
pleta, nulla ibi maneat materia, attamen generatio et corruptio possunt esse ibidem absque miraculo alio : quamvis difficillimum videatur qualiter istud possit salvari, videlicet quod ex hostia putrefacta

vermes gignuntur, et ex ea combusta remanet cinis, quæ sunt materiales substantiæ, quarum pars exstat materia. Aliqui ergo dixerunt, quod dimensiones indeterminatæ convertuntur miraculose in naturam materiæ, sicque generari possunt inde istæ substantiæ. Sed hoc sustinere videtur magis difficile, quam dicere quod talia generantur ex aere circumstante, vel ex materia de novo producta. Quamvis magni sint qui hoc dixerunt, et si viverent, suam positionem defenderent, attamen dicta eorum intellectum meum non quietant. Imo *Cf.* p. 314 D et s. et ipsimet alibi aliter sunt locuti, utpote, quod sicut miraculose accidentibus illis collatum est sine subjecto subsistere, ita sine adjuncto novo miraculo facere possunt ac pati quod facit patiturque substantia : et ita possunt inebriare, nutrire, et possunt ex eis generari vermes et cinis, etc. Verum istud intellectum nostrum excedit, et intellectus noster qui ad intellectum eorum non attingit, non quietatur in hujusmodi dictis. Quamvis enim divina virtute datum sit accidentibus illis per se exsistere, non tamen datum est eis esse substantiam.

Tenendo igitur quasi viam mediam, dicimus quod dum ibi ex putrefacta aut combusta hostia generatur vermis aut cinis, incipit ibi esse materia ex qua talia generantur. Corruptis enim accidentibus panis, atque inductis accidentibus aliis, desinit ibi esse corpus Christi, et incipit ibi esse materia; et hoc naturaliter sine miraculo. Possumus quoque dicere, quod quinque sunt ibi simul et in eodem instanti, quamvis naturali ordine unum sit alio prius. In eodem namque instanti plene corrupta sunt ibi accidentia panis, et introducta accidentia alia, et desinit ibi esse corpus Christi, et incipit ibi esse materia, atque de ea educitur forma substantialis vermis et cineris. Quod ut clarius pateat, advertendum, quod dupliciter dicitur aliquid naturaliter fieri. Primo, quoniam naturale agens id efficit; secundo, quia natura sufficienter disponit ut

A fiat. Primo modo ex igne naturaliter gignitur ignis; secundo modo, homo ex homine, quum utique anima intellectiva ab extra sit. Ita per transmutationem naturaliter factam circa Sacramentum, inductis ibi dispositionibus quæ ordinem habent naturalem ad materiam, naturaliter habet esse ibi materia, quamvis solus Deus valeat eam producere. — Hæc Ægidius prolixe prosequitur, et prout potest declarat : in quibus sunt multa incerta et obscura, sicut quod dicit de duplici dimensione et

B duplici quantitate in eodem, realiter ab invicem distincta, de quibus infra magis veritas elucebit.

Insuper, circa hæc asserit Thomas : Agere, proprie non est nisi rei per se subsistentis; ideo neque materia neque forma proprie agit, sed compositum, quod tamen non agit ratione materiæ, sed formæ, quæ est actus materiæ et actionis principium. Quumque quantitas teneat se ex parte materiæ, et qualitas ex parte formæ; quantitas non agit nisi mediante qualitate, quæ

C est per se actionis principium. Hinc qualitates sunt sensibiles primo, quantitates secundo. Quum ergo in Sacramento qualitates retineant eumdem modum essendi quem habebant substantia panis ibi consistente, quia in quantitate subjectantur; ita habent eumdem modum agendi, ita ut immutent et agant naturaliter sicut prius. Quantitatis vero, quoniam habet alium modum essendi, quia non est in subjecto, non est agere nisi mediante qualitate.

Porro dum quæritur, utrum accidentia

D in Sacramento possint aliquid extrinsecum substantialiter immutare; dicendum, quod in actionibus naturalibus formæ substantiales non sunt immediatum et proximum actionis principium, sed agunt mediantibus qualitatibus activis et passivis, ut propriis instrumentis. Unde secundo de Anima dicitur, quod calor naturalis est quo agit anima : ideo qualitates agunt non solum virtute propria, sed etiam virtute formæ substantialis. Propter quod actio earum terminatur non solum ad for-

mam accidentalem, sed etiam substantialem : hinc generatio est terminus alterationis. Hujusmodi quoque instrumentalem virtutem accipiunt eo quod ex essentialibus causantur principiis. Unde sicut remotis substantiis, manet in accidentibus idem esse secundum speciem virtute divina, ita remanet in eis eadem virtus quæ prius : ideo sicut prius poterant immutare ad formam substantialem, ita et facta consecratione. Neque virtute propria agunt ultra speciem suam, sed virtute divina.

Quæritur quoque, qualiter queant corrumpi. Dicendum, quod sicut unaquæque res habet proprium esse suæ speciei, ita et propriam actionem. Unde sicut in qualitatibus remanentibus in Sacramento, manet actio conformis actioni substantiæ prius exsistentis ; ita etiam esse subsistens quod convenit dimensionibus remanentibus, est conforme illi esse quod prius substantia panis habebat. Hinc sicut qualitas facit eamdem actionem quam prius faciebat, substantia panis et vini exsistente ibidem ; sic esse, in quo dimensiones subsistunt, corrumpitur eisdem passionibus quibus et ante. Sicque accidentia manentia corrumpuntur eodem modo quo ante corrumpi valebant. Poterant vero ante corrumpi dupliciter. Primo, manente subjecti substantia, per aliquam alterationem accidentalem : sicut vinum mutare potest suum colorem sive saporem. Quantitas vero ita corrumpi nequibat per motum in quantitate, videlicet per augmentum, quoniam panis et vinum non sunt corpora animata, quæ possunt esse subjectum augmenti et diminutionis ; sed per additionem vel divisionem, quia secundum Philosophum tertio Metaphysicæ, in additione quantitatis ad quantitatem, una quantitas incipit esse duabus desinentibus esse ; econtrario est in divisione. Secundo, per corruptionem substantiæ : quæ corruptio contingit ex transmutatione accidentium ex parte qualitatum, quoniam sicut generatio, ita corruptio est terminus alterationis ; atque ex parte quantitatis, quia quum unaquæque A res naturalis determinatam habeat quantitatem, poterit divisio in tantum procedere, quod species rei non permanebit. Unde quum in hoc sacramento aliquando aliqua facta alteratione in qualitatibus, adhuc manet esse illud dimensionum conforme substantiæ præcedenti, tunc ratione corruptionis accidentium non desinit ibi esse corpus dominicum. Interdum vero alteratio venit ad terminum, et tunc tollitur esse prædictum, et desinit esse sacramentum. Similiter ex parte quantitatis : quia si fiat B divisio in partes tantæ quantitatis quæ sufficiat ad speciem panis et vini, sunt aliæ dimensiones, quoniam partes continui quæ erant potentia, fiunt actu ; sed esse conforme præexsistenti substantiæ manet, ideo adhuc est sacramentum. Si autem quantitas partium ad hoc non sufficiat, utrumque desinet esse, puta dimensio et esse prædictum, et tunc corpus Christi desinit ibi esse.

Præterea, dum quæritur, an aliquid valeat generari ex hujusmodi speciebus; quidam respondent, quod species illæ possunt C putrefieri et corrumpi, tamen ex tali putrefactione non generantur vermes, neque substantia alia. Sed hoc nihil est. Nam accidentia quum corrumpuntur, non penitus annihilantur : imo succedit eis sensibile aliquid, quod oportet de novo esse generatum. Nec differt an sit vermis aut cinis seu aliud quodcumque, quia de omnibus est eadem difficultas. — Alii ergo dixerunt, quod substantia panis remanet ibi : quod reprobatum est supra. — Alii, Cf. p. 280 C.
D quod ex mutua actione accidentium sacramenti ad corpora circumstantia generantur vermes ex aere continente. Quod non videtur, quoniam accidentia illa non habent ibi aliam actionem quam haberent si substantia panis ibi esset. Sed quando substantia erat ibi, non poterant vermes generari ex aere nec cinis per talem actionem. Sensibiliter quoque apparet, quod in loco ubi exstitit corpus Christi, est illud quod generatur, et præcedentis alterationis vestigia apparent ibidem. Aer vero

ante ultimum instans corruptionis specierum, non erat in illo loco, quia sic subintrasset dimensiones sub quibus fuit Christi corpus; nec movebatur ad locum illum, imo forsitan fuit quietus. Unde sequitur, quod totus motus localis aeris et alteratio ejus, et corruptio ac generatio vermium aut cineris, sit in eodem instanti : quod est impossibile. Rursus, idem accideret, si corpus Christi conservaretur intra solida corpora. Idem quoque posset accidere, si corpus Christi in magna quantitate esset consecratum. Nec tanta inspissatio aeris posset de facili evenire sine sensibili ejus immutatione.

Hinc alii dicunt, quod sacramento peracto redit substantia panis sub speciebus, sicque ex ea talia generantur. Sed nec hoc
Cf. p. 279 C'. potest stare, quia quamdiu est ibi corpus Christi, non redit substantia panis : quia sic simul esset ibi corpus Christi et panis substantia. Corpus vero Christi manet ibi tamdiu sicut species panis, quibus remotis, jam non est ibi substantia panis, sed vermis aut cinis. Nunquam enim est substantia panis sine speciebus ipsius : idcirco substantia panis non potest redire, nisi dicatur redire quoad materiam tantum, quia eadem illa materia quæ prius erat sub forma panis, postmodum fit sub forma cineris vel alicujus hujusmodi. Et hoc stare posset juxta secundam opinionem
Cf. p. 281 C. præhabitam, quantum ad hoc quod ponebat substantiam panis in præjacentem resolvi materiam : quod improbatum est supra. Sed quantum ad aliam partem, qua posuit quod annihilaretur, stare non valet: quod enim annihilatum est, non potest rursus idem numero sumi. Quantum vero ad primam opinionem, quæ tenetur communiter, omnino stare non valet, quoniam
Cf. p. 232 B'. quod in aliud est conversum, non potest redire nisi illud aliud convertatur in ipsum. Substantia autem panis in Christi corpus conversa est, et hæc substantia panis facta est substantia corporis Christi. Unde non potest esse quod substantia panis redeat, nec quoad se totam, nec quoad
A partem, nisi corpus Christi convertatur in substantiam panis : quod est impossibile. Si autem substantia panis redire dicatur non eadem numero, sed specie, dicere oportebit, quod illa alia materia de novo creetur. Et forte hoc intellexerunt, qui dixerunt substantiam panis redire. Sicque satis probabiliter per hunc modum sustineri potest opinio, ut dicatur quod ad hoc Deus materiam creat, ne sacramentum deprehendatur, sicque fides meritum perdat. Nec tamen materia corporalis in principio
B creata augetur : quoniam quantum de materia conversum fuerit de substantia panis in corpus Christi, tantum de materia nunc creatur de novo.

Potest tamen et aliter dici, quod sicut species illæ, ex hoc quod per se subsistunt, habent quod possunt agere quidquid poterant agere exsistentibus substantiis panis ac vini; ita habent quod possunt converti in quidquid converti poterant substantiæ præexsistentes. Quod sic intelligi potest. Nam ut Commentator primo Physicorum
C et in libro de Substantia orbis ait, in materia generabilium et corruptibilium oportet intelligere dimensiones interminatas ante adventum formæ substantialis : aliter non posset intelligi divisio materiæ, ut in diversis partibus ejus diversæ formæ substantiales consisterent. Hujusmodi autem dimensiones post adventum formæ substantialis accipiunt esse terminatum atque completum. Quidquid autem intelligitur in materia ante adventum formæ substantialis, manet idem numero in generato, et
D in eo ex quo generatur : quoniam posteriori remoto, remanet prius. Dimensiones autem illæ interminatæ se habent ad genus quantitatis sicut materia ad genus substantiæ. Hinc sicut in quolibet completo in genere substantiæ corporalis, est accipere materiam, quæ est ens incompletum in genere illo; ita in dimensionibus completis in sacramento, est accipere dimensiones incompletas; et his mediantibus materia panis formam reciperet ejus quod ex pane generaretur, pane non converso in

corpus Christi. Unde sicut dimensionibus A illis collatum est per se subsistere, et subesse illi esse quod est conforme esse prioris substantiæ, et terminationi quantitatis, et omnibus aliis accidentibus; ita etiam datur eis, quod possunt subesse alteri formæ naturali et accidentibus aliis, quia de natura sua non habent quod subsint tantum accidenti, sed etiam formæ substantiali. Et tunc vel ex consequenti adveniet etiam materia propter naturalem concomitantiam formæ ad materiam, sicut propter naturalem concomitantiam animæ Christi B ad corpus suum erat anima sub sacramento (et hoc quodammodo redit in primum dictum, ut scilicet materia ibi de novo fiat); vel ipsi dimensioni virtute divina dabitur natura materiæ propter propinquitatem ad ipsam, ut sic illud generatum sit compositum ex materia et forma, sicque dimensio potestate divina convertitur in materiam dimensionatam, et fit illa.

Ex his aliqualiter patet responsio ad quæstionem qua quæritur, an species istæ sacramentales possint nutrire. Ad quod di- C cendum, quod quidam dixerunt species illas non nutrire, sed solum reficere atque inebriare ex sola immutatione accidentali, quemadmodum quidam inebriantur odore, et reficiuntur ac famem amittunt ex odore et sapore. Sed hoc non potest esse, quoniam talis immutatio quamvis ad horam reficiat, attamen sustentare non potest; quod tamen faciunt species illæ, si in magna quantitate sumantur. — Alii ergo dixerunt, quod ibi manet forma substantialis ipsius panis, habens eamdem operationem D quam habuit panis : ideo nutrit. Sed hoc esse non potest, quoniam operatio formæ est agere, et non pati. Nutrimentum autem non nutrit nisi secundum quod convertitur in nutriti substantiam : ideo nutrit secundum quod patitur, et secundum quod ex eo aliquid generatur : quod non potest dici de forma. — Idcirco dicendum, quod quum ex illis speciebus generari aliquid possit,
Cf p.325 C. sicut modo expressum est, eodem modo possunt nutrire. Quum autem dicitur sacramentum hoc seu cibus iste non transire in ventrem, nec alere carnem; intelligendum est quantum ad rem contentam, quod est corpus Christi verum, quod non convertitur in manducantem. Accidentia quoque manendo in suo esse accidentali, non nutriunt, sed prout in aliud convertuntur, seu aliud sub eis creatur aut redit.

Præterea quæritur, an aliquis liquor possit speciebus sacramentalibus vini misceri. Ad quod aliqui dicunt, quod quicumque liquor addatur speciebus illis in quantacumque quantitate, mox desinit ibi esse corpus Christi, quoniam dimensiones illæ non manent eædem; liquor quoque additus per totum diffunditur. Quumque corpus Christi non sit sub speciebus illis cum alio corpore, oportet quod in toto desinat ibi esse corpus Christi. Sed ista opinio stare non valet. Constat enim, quod corpus Christi manet ibi quamdiu illa accidentia manent. Illa vero accidentia non aliter corrumpuntur quam corrumperetur substantia panis et vini. Ex parvo autem liquore adjuncto non destrueretur vinum, ideo nec species vini remanentes. Nec quælibet dimensionum distinctio tollit sacramentum. Sicut enim additio, ita divisio aliam facit dimensionem. Divisio autem non tollit sacramenti veritatem, ut patet in pane qui frangitur : unde nec additio, quoniam illa dimensionum varietas quam facit talis additio et divisio, est quantum ad indeterminationem ipsarum, non quantum ad determinatum esse earum, secundum quod competit eis subsistere; nec quantum ad esse in quo subsistunt conformes substantiæ præcedenti. Nec parvus liquor potest per omnes dimensiones diffundi, nisi rarefieret et transmutaretur in aliam liquoris speciem. Ideo non oportet quod occupet omnes dimensiones.

Ideo aliter est dicendum, quod hoc modo admisceetur liquor quicumque speciebus illis, sicut admisceretur substantiæ vini. Liquor autem additus si esset æqualis quantitatis aut majoris, pertingeret ad omnes dimensiones vini : et ita si esset

alterius speciei, faceret aliam liquoris speciem mediam; si autem esset ejusdem speciei, vinum faceret aliud vinum secundum numerum, maxime quantum ad accidentia. Porro si liquor additus esset quantitatis minoris, non posset pertingere ad omnes dimensiones totius vini, sed ad aliquas, et illas immutaret altero dictorum modorum, et forte immutaretur secundum speciem, si esset alterius speciei. Constat item, quod in hoc sacramento non manet corpus Christi nisi quamdiu species illæ manent eædem numero. Ideo si apponatur parvus liquor, corrumpet partem specierum, et sub illa parte desinet esse corpus Christi: non enim probabile est, quod una gutta aquæ per totum scyphum diffundatur. Si autem in magna quantitate addatur, corrumpet species secundum totum, sicque totaliter desinet ibi esse corpus Christi. — Hæc Thomas in Scripto.

Eadem scribit in tertia parte, quæstione
art. 8. septuagesima septima : ubi et tenet pro probabiliori responso, quod sicut divina virtute confertur quantitati per se subsistere, et aliis accidentalibus formis substare, ita et vicem supplere substantiæ atque materiæ in hoc quod aliquid generetur ex dimensione, et nutriatur ex ea per modum prætactum. — Idem tenet in Summa
cap. 66. contra gentiles, libro quarto; et quæ scribit ibi, jam sententialiter sunt inducta.

Responsio demum Alberti consonat responsioni Thomæ in Scripto : Ego (inquit) nulli præjudico. Quidam enim dicunt, quod in transitu specierum in alia, redit substantia prima specierum illarum. Alii dicunt, quod sicut species sunt ibi sine substantia quasi in actu substantiæ, ita in nutriendo habent substantiæ actum. Et utrumque satis congrue dici potest. Verumtamen accidens hic in substantiam non mutatur. — Hæc Albertus. Cujus hoc ultimum verbum non videtur concordare Tho-
Cf. p. 327 B. mæ, dicenti quod quantitas seu dimensio fit divina virtute materia dimensionata.

Petrus in omnibus his sequitur Thomam, et probabilius arbitratur quod for-
A mæ illæ accidentales finaliter convertuntur in eosdem humores in quos fieret substantiæ, si adesset, conversio. — Concordat Richardus.

At vero Bonaventura : Aliqui (inquit) dicunt, quod accidentia illa non reficiunt nutriendo, nec in alimentum convertuntur, quia nec accidentia possunt ita converti; attamen agunt, aerem ac cerebrum immutando. Unde multi inebriantur ex vini odore. — Sed quoniam ex combustione hostiæ cineres generantur, et ex putrefa-
B ctione vermes, communior exstat opinio, quod percipiens sacramentum alitur ac nutritur : quod satis patet ad sensum, quoniam bibens vinum consecratum, sitim exstinguit in se, si sitiat. Quumque objicitur, quod alimentum est substantia, diversimode respondetur. Aliqui enim dicunt, quod virtute supernaturali accidentia convertuntur in substantiam. Nempe qui omnipotenti sua virtute potest accidentia illa sustentare sine materia, potest eadem sua virtute in substantiam ea convertere, in
C quam converteretur panis substantia si adesset. Et hoc dicunt ipsum sacramentum exigere, ne deprehendatur, et ne fides merito suo privetur. Alii dicunt, quod divina virtute redit substantia panis, quando desinentibus et corruptis speciebus, desinit ibi esse sacramentum. Et hoc dicit Innocentius in libro de Ecclesiasticis officiis. Hanc positionem credo probabilem et securam, maxime quoniam tanti viri auctoritate fulcitur. Caute tamen procedendum est hic, quia in hoc secretum fidei latet,
D et Sancti non multum loquuntur de his. Et quis scit, an Deus faciat sic aut sic? Nec videtur omnino improbabile, quod aliquod accidens in substantiam convertatur, quum divina virtute per se subsistat. Sic nec improbabile reputatur, quin sicut substantia panis in corpus Christi miraculose convertitur, ita et revertatur. Quum enim in conversione substantiæ panis corpus Christi non generetur nec fiat, et tamen sub speciebus illis esse incipiat corpus Christi, quis audeat hoc tanquam

irrationabile reputare, ut corpore Christi A non corrupto, sed desinente esse ibidem, substantia illa quæ prius sustentabat accidentia illa, revertatur : quum accidentia illa non sint ob aliud sine subjecto, nisi ob dignitatem reverentiamque contenti, utpote sacramenti? Quod si quæratur, an illa reversio sit generatio, creatio, aliave mutatio; dici potest, quod sicut illa conversio est singularis mutatio, ita et ista reversio. Quidquid autem horum dicatur, dummodo non pertinaciter asseratur, nullum consistit periculum. Solum hoc obser- B vetur, ut capacitatis nostræ intelligentia in Christi obsequium totaliter captivetur. (II *Cor.* x, 5.) Hæc Bonaventura.

Qui infra quærit, utrum accidentia illa habeant potentiam convertendi alia in sacramentum, utpote si vino consecrato apponatur aqua. Videtur quod sic, quia si aquæ benedictæ addatur aqua non benedicta, totum est aqua benedicta. In oppositum est, quia nihil convertitur in sacramentum nisi per transsubstantiationem, quæ fit sacramentalium virtute verborum, non C vi specierum. — Dicendum ad quæstionem, quod non. Nec est simile de aqua benedicta, quoniam benedictio aquæ non ponit nisi accidens aliquod et proprietatem quamdam sanctificationis. Hæc autem consecratio ponit conversionem in veram substantiam, continentiamque ejusdem realem, quæ est a sola increata virtute. Hæc idem.

Ex præinductis jam declarata est hæc sacrosanctæ fidei veritas, quantum humani ingenii imbecillitate fieri potest. Nihilo D minus quidam circa hæc tot facit involutiones, ut si scripta ejus produxerim, profectus legentis impediretur magis quam cresceret. Recitat circa hæc primo opinionem sancti Doctoris, et primo facit scrutinium circa hoc quod Sanctus ille affirmat, formas substantiales agere mediate per qualitates activas, ut formam ignis per calorem; qualitates quoque agere et producere simile sibi in specie, sicut calor causat calorem; non autem agere ultra speciem suam, nisi virtute formæ substantialis. Circa hæc grandem facit inquisitionem et disputationem, quid ibi intelligatur per virtutem, et in quo sit realiter virtus illa; quum tamen hæc plana et certa sint, nec dignum sit talibus immorari, præsertim quum omnis effectus agat quodam modo in virtute propriæ causæ, id est virtute seu potestate quam habet a sua causa, vel virtute quæ est in causa sua realiter, et in ipso influentialiter, seu per quamdam impressionem aut participationem : quemadmodum serra virtute artis artificis cooperatur ad formæ artificialis inductionem, atque propria virtute seu acumine causat ligni secationem. — Insuper, contra dicta B. Thomæ arguendo, assumit sic : Nihil est in accidente nobilius eo. Hoc falsum videtur, quum caritas et actio ejus sint in voluntate, beatitudo quoque in intellectu aut voluntate; et tamen præstantiores sunt naturalibus illis potentiis, et summæ perfectiones earum formales. — Secundo assumit sic : Quod non est, non est causa. Hoc quoque instantiam patitur, quoniam finis obtinendus nondum consistens nisi in apprehensione agentis, est causa, imo et causa causarum vocatur, quoniam movet causam efficientem, quæ movet materiam : qua mota, inducitur forma, sicque acquiritur finis. — Tertio sic assumit : Nihil est causa instrumentalis respectu ejus ad quod producendum sufficit sola sua virtus activa. Hoc reprobatur, quoniam omnis causa creata, est instrumentalis causa respectu sui effectus per comparationem ejus ad primam causam. Verumtamen causa instrumentalis multipliciter dicitur, et vile censetur de usu nominum disceptare. Juxta hunc modum possent et cetera scripta ejus impugnari.

Argentinensis et Durandus præinductæ communi doctrinæ satis concordant.

Porro Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali tuetur et probare conatur, quod species sacramentales non nutriunt vere, nec augent sumentem : Mensa (dicens) altaris mensa est animarum, non corporum.

Placuit autem clementissimo Creatori hoc declarare isto miraculo. Quidam sacerdos credens hostiis verum panem subesse, conficiebat in magna quantitate, prout ad corporis sui sustentationem sufficere æstimabat, et eas in cibum accepit. Qui infra paucos dies absque alterius morbi occasione defunctus est, ipso mortis suæ experimento cognoscens, hostiis consecratis non subesse quod vere posset corpus nutrire. Non tamen negamus odore quodam posse corpus nutriri; sed odor ille est vaporosa substantia, non accidens : odore autem qui accidens est, non potest hoc fieri. — Hæc Guillelmus, qui probat istud per argumenta quædam prætacta.

Porro Argentinensis cum præallegatis doctoribus contrarium tenens, refert factum quoddam huic contrarium : Audivi, inquiens, a sacerdote fide digno, quod imminente quodam terribili prælio Romanorum, consecravit hostias plurimas pro militibus congressuris communicandis : qui casu ita se offerente, non communicaverunt, propter quod omnes hostias illas solus accepit, ex quibus fuit sic saturatus, quod alium cibum non affectavit. — Verumtamen ista narratio præinductæ non obviat, quia Guillelmus non negat quin dimensiones panis impleant stomachum, et occupent locum; qualitates quoque concedit sitim posse auferre, non alere.

Denique præinductis ex Thoma, Alberto, Bonaventura, Ægidio ac aliis, de exsistentia Christi sub hostia quamdiu manent ibi formæ accidentales seu species, concordant scripta Henrici Quodlibeto secundo. Qui et
q. 36. Quodlibeto quarto interrogat, an species illæ sacramentales nutriant. Ad quod re-
Cf. p. 328 C. spondet omnino ut Thomas in tertia parte.

Amplius, nono Quodlibeto, ultima quæstione, sciscitatur, utrum per miraculum et absolutam Dei omnipotentiam possit unum et idem corpus simul esse in diversis locis localiter. Arguitur quod sic, quia miraculose plura corpora possunt simul esse in uno loco, ergo et unum in pluribus locis. Item corpus Christi simul est

A sub pluribus dimensionibus sacramentaliter; sed virtute divina possunt dimensiones panis converti in dimensiones corporis Christi : ergo virtute conversionis, dimensiones corporis Christi erunt ubi erant dimensiones panis. Sicut ergo substantia corporis Christi potest per conversionem eodem tempore esse sub diversis dimensionibus in diversis altaribus; sic et dimensiones corporis Christi per conversionem possunt esse in diversis altaribus, ubi erant diversæ dimensiones conversæ in il-
B las. Sed non sunt dimensiones corporis Christi, nisi ubi est verum et totum ac integrum corpus Christi : ergo totum Christi corpus simul potest esse per miraculum in locis diversis. In oppositum est, quia sic contradictoria essent simul vera, quoniam dimensiones corporis connumerantur dimensionibus loci. Si ergo idem corpus esset in pluribus locis, esset unum et plura; et ita esset unum, et non unum : quod est absurdum. Nempe qua ratione posset idem corpus esse simul in duobus
C locis, eadem ratione et in tribus et quatuor; et ex consequenti, in omnibus seu ubique, quod Deitati est proprium. Idcirco simpliciter dico, impossibile esse idem corpus simul esse in pluribus locis. Denique, si idem corpus æque corporaliter et dimensionatum esset in pluribus locis, aut ergo quod exsistit in uno loco, exsistit in alio, aut non. Si sic, ergo si in uno loco sit gelu, in alio calor, simul haberet calorem et frigus; similiter in uno loco ex defectu victualium esuriret, in alio comedens
D saturaretur; atque in uno loco infirmaretur, in alio esset sanum; imo in uno moreretur, in alio vivum et sanum maneret. Si dicatur secundum, consimilia inconvenientia sequerentur.

Nec simile est quod arguitur de exsistentia plurium corporum in uno loco : quia ex hoc non sequitur contradictoria esse simul vera, sed obviat tantum contraria dispositio circa idem ad esse simul cum alio, a qua contraria dispositione potest absolvi. In corporibus namque nihil

repugnat ipsa esse simul, nisi dimensio- A nes; et hoc non propter dimensionum essentiam, sed propter situm quem natæ sunt habere in loco : qui situs est accidens dimensionum, quemadmodum situs qui est ordo partium inter se, est differentia illis essentialis. Etenim propter situm qui dicit ordinem ad locum, tangunt se corpora, et tenent se extra se, et sese nequeunt penetrare ; estque dispositio illa imperfectionis in dimensionibus, et præter dimensionum essentiam : ita quod quamvis non naturaliter, tamen supernaturaliter sepa- B rabilis est ab illis per dotem subtilitatis, quæ est quædam potentia non resistendi, ita quod non resistit alicui, nec aliquid sibi. Sicque corpus per eam illabi potest alteri corpori, et hoc absque eo quod tangat illud resistendo. Unde et tale corpus non hâbet esse per se in loco per continentiam inter latera circumdantis. Ad aliud dicendum, quod in Eucharistia duo sunt, utpote, species illæ visibiles, et res contenta, quæ est corpus Christi. Circa quod duo considerantur, puta, conversio facta in C ipsum, et per ipsam conversionem suum esse alicubi ubi ante non erat, sine sua mutatione et motione. Nec potest hoc secundum esse sine primo, quia impossibile est Christum dimensionaliter simul esse in pluribus locis. Dicuntque aliqui, quod nec primum horum potest esse sine secundo, ita scilicet, quod si ponantur simul et dimensiones et substantia panis converti in dimensiones et substantiam corporis Christi, ex ipsa conversione necesse est esse corpus Christi ubi conversio facta D fuit, et panis desinit esse panis. Quod et si verum esset, non tamen esset ibi corpus Christi secundum rationem suarum dimensionum, id est, dimensionaliter : de quali modo quærit hæc quæstio. Idcirco ex illo non potest istud probari. Nam et si dimensiones panis converterentur in dimensiones corporis Christi absque conversione substantiæ panis in substantiam corporis, non tamen dimensiones corporis Christi essent in substantia panis dimensionaliter : quia sic informarent atque extenderent ac figurarent. — Hæc Henricus. Qui de his scribit prolixe ; et infra patebit qualiter verum sit quod de dote agilitatis hoc loco deprompsit.

Verum hujus positionis contrarium asserit Scotus : Maxima (inquiens) mihi certissima est, Deo esse possibile quidquid non includit evidenter contradictionem, et ad quod non sequitur necessario contradictio. Tale est, unum et idem corpus esse in pluribus dimensionaliter atque localiter. Dico ergo, quod Deo simpliciter possibile est facere idem corpus simul esse in diversis locis localiter. Hoc patet ex intellectu terminorum. Quum enim dico, idem corpus simul esse in diversis locis localiter, nihil dico supra corpus nisi respectum extrinsecus advenientem, fundatum in uno quanto ad aliud quantum circumscribens. Talem autem respectum plurificari super idem fundamentum ad diversos terminos, non apparet contra aliquid notum secundum rationem : quia respectus intrinsecus advenientes, de quibus hoc minus videtur, possunt plurificari fundamento eodem manente, ut secundum albedinem unam similitudines duas fundari ad terminos duos. Porro quod *ubi* non dicat nisi respectum extrinsecus advenientem, ostensum est. Et mirum quod sequentes rationem, tantum sequuntur imaginationem, quod quia imaginatio non separat locum a corpore, nec econtra, nec percipit unum plurificari sine alio, ideo dicatur impossibile esse simpliciter, unum sine alio plurificari, præsertim quum ipsa *ubi* sint posteriora quanto locato, et accidentaliter ac contingenter advenientia. Hæc Scotus.

Qui circa hæc prolixe disceptat; et quidquid sit de veritate conclusionis, videntur dicta præcedentis positionis magis idonea. Quid autem Omnipotens possit in istis difficultatibus, definire videtur incautum. Variis etenim modis potest eumdem effectum producere, et pluribus ac mirabilioribus modis quam excogitare valeat homo. Nec audeo dicere, quin possit efficere, corpus

Christi esse sub speciebus panis aliter quam per conversionem panis in illud, aut per localem ejus motum sive descensum. Etenim posset hoc forsan solo imperio, absque alicujus conversione in ipsum. Attamen idem corpus numero, posse simul esse in pluribus locis localiter, non videtur possibile, non ex impotentia Dei, sed ex incapacitate effectus, et incompossibilitate et repugnantia consequentium ad hoc. Et quæ contra hoc modo objecta sunt, non concludunt. Nempe quando arguitur ita, Quum dico, idem corpus simul esse in locis diversis, nihil dico supra corpus nisi respectum extrinsecum, etc.; respondeo, quod dicendo unum et idem corpus esse simul in locis diversis, dicis et includis omnia illa quæ necessario consequuntur ad esse in pluribus locis simul localiter, utpote, propria dimensione commensurari locis diversis, et haberi diversa ubi, atque per se diversis differentiis motuum ac alterationum moveri simul et affici, ac cetera ex Henrico jam tacta, quæ uni et eidem corpori simul nequeunt convenire pariterque inesse. Nec ipsum *ubi* dicit solum respectum, quum sit reale prædicamentum, a prædicamento relationis realiter distinctum. Juxta hunc modum multa valde in dictis istius de hac quæstione ac aliis continentur : quæ etsi prima facie alicujus apparentiæ forsitan videantur, acutius tamen inspecta, facile dissolvuntur.

p. 330 C'.

QUÆSTIO III

MOdo quærendum, **An corpus Christi frangatur in sacramento.**

Videtur quod sic, quia ita videtur ad sensum; et nisi sic esset, videretur ibi esse deceptio sensuumque illusio, quam in tanto veritatis mysterio esse non decet. — Rursus, corpus Christi vere comeditur : ergo masticatur ac frangitur. — Iterum, frequenter in ipso Missæ officio visus est angelus Dei quasi cum gladio divisisse in- A fantulum sub hostia apparentem : ergo tali apparitioni aliquid correspondet reale, alioqui fictio esset sive deceptio.

Contra, formæ illæ sacramentales non videntur dividi posse, quum forma dicatur simplici et invariabili consistere essentia.

Ad hæc Bonaventura respondet : Quidam (ut refert Magister) dixerunt, verum corpus Christi frangi in sacramento, non tamen lædi neque corrumpi; et hoc supernaturaliter fieri, sicut in Cœna Christus dedit B discipulis corpus suum adhuc passibile, quod sine ejus læsione edebant. Et assumpserunt pro se verbum hoc Augustini, Unusquisque de altari accipit partem suam; verba quoque Berengarii, qui de suo errore pœnitens, locutus est coram Nicolao Papa : Confiteor verum corpus Christi manibus sacerdotum attrectari ac frangi. Quod verbum a Papa atque concilio exstitit acceptum. Sed istud erroneum est. Quod enim incorruptibile est, non potest realiter dividi. Verba vero Augustini et Berenga- C rii intelliguntur dicta ratione sacramentalium specierum, quæ dividuntur, in quibus consistunt divisio, masticatio, attritio. Quomodo autem corpori Christi competit manducari, dictum est ante. *Cf.* dist. q. 1.

Porro dum quæritur, an speciebus sacramentalibus competat fractio; respondendum, quod quidam dixerunt, quod ibi non sit vera fractio neque divisio, sed solum apparens; nec tamen est falsitas neque deceptio, quia non ordinatur ad fallendum, sed instruendum, sicut quod Christus fin- *Luc.* xx 28. D xit se longius ire, ac duobus discipulis in alia apparebat effigie. Hæc opinio reprobatur, quia si non est ibi fractio, ergo nec masticatio nec specierum attritio : quod est contra experientiam. — Ideo alia dixit opinio, quod ex parte sacerdotis ibi sit actus seu fractio; attamen nil frangitur ibi, quia nec corpus Christi, nec species. Quod stare non valet, quoniam fractio activa infert fractionem passivam. — Est ergo tertia positio vera, quod sicut ibi sunt veræ dimensiones panis transsubstantiati, veraque

quantitas, ita et fractio vera, non tamen in dimensionibus corporis Christi. — Denique fractio illa designat dominicam passionem, et tres illæ particulæ hostiæ consecratæ significant tres partes mystici corporis Christi, puta Ecclesiæ, cujus una pars regnat in cœlis, alia quiescit in spe in monumentis, tertia versatur in labore ac tentationum periculo. Hæc Bonaventura.

Concordat Albertus, qui addit : Comestio multa includit, puta divisionem cibi per dentes, masticationem, trajectionem in ventrem, digestionem et incorporationem; et tantum passive conceditur quod corpus Christi comeditur ratione trajectionis illius. Berengarius quoque in signum detestationis pristini sui erroris, per excessum confessus est corpus Christi dentibus atteri, manibusque tractari et masticari. Hæc Albertus.

At vero Thomas : Corpus (inquit) Christi est sub speciebus sacramenti, non mediantibus propriis dimensionibus suis, imo illæ sunt ibi concomitanter. Ideo quidquid convenit corpori Christi mediantibus dimensionibus suis, hoc non convenit ei secundum quod est sub sacramento. Quumque divisio quantitativa ei non valeat convenire nisi mediante propria dimensione, sequitur quod fractione specierum non frangitur corpus ipsius : imo nec frangeretur, quamvis passibile esset, sicut fuit in Cœna. — Aliqui autem dixerunt, quod nec species frangantur, ita quod ibi sit fractio sine subjecto. Quod dici non potest, quum fractio sit quidam motus : ideo secundum rationem suæ speciei requirit terminum *a quo*, et terminum *ad quem;* sicque oportet ibi esse unum quod in multa dividitur, quod est fractionis subjectum.

Præterea, de causis fractionis sciendum, quod in hoc sacramento est duplex res sacramenti, videlicet corpus Christi verum et mysticum. Hinc fractio duo significat. Primum est ipsa divisio corporis Christi, facta in passione. Secundum est distributio virtutis redemptionis Christi per diversa membra Ecclesiæ : quam significationem

A tangit divinus Dionysius tertio capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ. Et juxta hoc accipitur significatio partium secundum diversum statum membrorum, quoniam quidam adhuc vivunt in corpore, et hi significantur per partem quæ comeditur, quia diversis pœnalitatibus atteruntur, suntque in motu ut Christo incorporentur. Quidam sunt mortui, qui sunt in differentia duplici. Nam quidam sunt in plena participatione salutis, et hoc est corpus Christi quod jam surrexit, ut Christus et beatis-
B sima Virgo; et hi significantur per partem in calice missam, quoniam illi inebriantur ab ubertate domus Dei. Quidam sunt in exspectatione plenæ glorificationis, ut qui jam stolam animæ tantum habent, ut animæ beatæ in patria, vel neutram, ut in purgatorio consistentes; et hi significantur per partem quæ reservatur usque in finem Missæ. Hi namque perfectam gloriam consequentur in fine, et interim in sepulcris quiescunt. Hæc Thomas in Scripto. — Ista communia sunt, et eis doctores con-
C cordant : idcirco nec immorandum est.

QUÆSTIO IV

Etiam quæritur hic **De effectibus hujus sacramenti.**

Quocirca asserit Thomas, primo respondens ad istud, utrum per hoc sacramentum augeantur virtutes : Proprius effectus cujuslibet sacramenti accipiendus est ex
D similitudine ad materiam sacramenti ipsius : sicut expurgatio veteris vitæ est effectus Baptismi, per ablutionem aquæ significata. Ideo, quum materiale in hoc sacramento sit cibus, oportet quod effectus proprius sacramenti istius sumatur juxta similitudinem ad cibi effectum. Cibus autem corporalis primo in cibatum convertitur, atque ex tali conversione deperdita restaurat, quantitatemque auget. Spiritualis vero cibus non convertitur in manducantem, sed illum convertit in se.

Hinc proprius effectus sacramenti istius A est conversio hominis in Christum, ut cum *Galat.* II, 20. Apostolo dicat : Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ad quod sequuntur alii duo effectus, puta augmentum spiritualis quantitatis in incremento seu profectu virtutum, et restauratio deperditorum per remissionem venialium, seu per reparationem cujuscumque præcedentis defectus. — Si autem objiciatur, qnod augere virtutes commune est omnibus sacramentis, non ergo huic est proprium sacramento ; dicendum, quod B augmentum dupliciter dicitur. Primo, prout in viventibus et non viventibus invenitur, prout quælibet additio facit augmentum : sicque virtntes augentur per omnia sacramenta quæ gratiam inveniunt in subjecto, ex hoc quod ipsa sacramenta ex se nata sunt gratiam causare. Secundo augmentum dicitur proprie, prout in viveutibus est cx conjunctione nutrimcnti : et ita est proprius hujus sacramenti effectus. Potest quoque sacramentum istud perducere ad perfectionem caritatis, loquendo C de perfectione viæ, non patriæ.

Quæritur quoque, an sacramentum hoc prosit Beatis ad augmentum gloriæ. Apparet quod imo, quia (ut Innocentius ait) in collecta B. Leonis Papæ habetur : Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Lconis hæc prosit oblatio. Insuper offertur pro parvulis decedentibus in innocentia baptismali. — Dicendum, quod gloria comprehendit præmium Beatorum, quod duplex est, utpote : gaudium essentiale, quod de Divinitate habent, et accidentale, quod D habent de quocumque creato. Gloria autem Beatorum quoad præmium seu gaudium essentiale, augeri non potest, secundum opinionem probabiliorem ; sed quantum ad præmium accidentale, usque ad diem judicii. Nam et tunc de glorificatione corporis crescet, imo de omnibus fa- *Luc.* XV, 10. ctis bonis accrescit gloria eis, quia gaudium cst angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Sic quoque gaudent de omnibus quæ fiunt in Dei honorem, maxime de his in quibus de eorum electione et gloria agimus gratias Deo. Hinc simpliciter loquendo, quantum ad essentialc gaudium sacramentum hoc non auget gloriam in Beatis, sed solum quoad gaudium accidentale. — Ad objecta dicendum, quod ut Innocentius solvit, ubicumque talis modus loquendi invenitur, intelligendus est ut ad hoc prosit, ut a fidelibus magis ac magis glorificetur Deus vel Sanctus talis. Porro, pro pueris baptizatis Missarum solennia celebrantur, non ut ipsi juventur quantum ad culpæ remissionem aut gloriæ incrementum, sed ob alias causas. Primo, propter vivorum solatium. Secundo, ad ostendendum parvulos pertinere ad mystici corporis unitatem, dum idem modus exsequiarum servatur in ipsis ac aliis. Tertio, ad commendandum redemptionis humanæ mysterium, quod in hoc sacramento commemoratur, per quod parvuli sine proprio merito salutem consequuntur æternam.

Insuper quæritur, an hujus sacramenti effectus impediatur per solum mortale peccatum. Dicendum, quod omnis perfectio acquirenda impeditur per remotionem dispositionis ad eam. Quemadmodum autem dispositiones materiales se habent ad perfectioncm formæ, ita actus se habent ad perfectionem finis. Quumque hoc sacramentum perficiat hominem conjungendo ultimo fini, idcirco ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio : quæ quum interdum sine mortali peccato impediatur, quum distractiones variæ ipsam impediant, et peccata venialia actum virtutum amoveant seu interrumpant; absque mortali peccato potest hujus sacramenti impediri effectus, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen mortalis peccati incurrat reatum, sed forte reatum venialis peccati, eo quod imparatus accedat. Effectum vero Baptismi non impedit nisi mortale peccatum, quoniam in Baptismo datur primum esse spirituale. Verumtamen non est dicendum,

quod omne peccatum veniale impediat (A) hujus sacramenti effectum, sed solum illud quod tollit actualem devotionem illam quæ in hoc sacramento exigitur.

Præterea si quæratur, an virtute hujus sacramenti peccata venialia dimittantur; dicendum, quod virtute hujus sacramenti sit transmutatio quædam hominis in Deum, et hic est proprius sacramenti hujus effectus. Quumque ex caritatis fervore dimittantur peccata venialia, eo quod contrarientur caritatis fervori; idcirco ex consequenti, virtute hujus sacramenti venialia (B) dimittuntur. Hinc tantus posset esse fervor devotionis, quod omnia venialia deleret peccata. — Et si objiciatur, quod tunc homo frequenter sine omni consisteret culpa, contra illud Joannis, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; respondendum, quod non est inconveniens, quod homo aliqua hora absque omni veniali sit culpa, quamvis hoc non diu duret, propter difficultatem vitandi venialia. Et quo major est fervor devotionis in celebrando aut communicando, (C) eo plus de venialibus delet; non tamen semper omnia, quoniam non est proprius ejus effectus venialia tollere. Gratiæ demum sacramenti hujus non solum mortalia, sed et venialia opponuntur, quia in hoc sacramento non solum confertur gratia habitualis, sed etiam excitatur fervor actualis devotionis.

1 *Joann.* I, 8.

Quæritur demum, an virtute sacramenti istius etiam mortalia dimittantur peccata. Et respondendum, quod effectus hujus sacramenti correspondet his quæ exterius in (D) ipso geruntur. Exterior autem usus hujus sacramenti consistit in manducatione, quæ non convenit nisi viventi. Hinc effectus hujus sacramenti præsupponit vitam gratiæ in sumente. Quumque mortale peccatum vitam spiritualem corrumpat, ideo sacramentum hoc non est ad abluenda peccata mortalia, sed solummodo culpas quæ cum vita gratiæ stare queunt. — Sed objici potest, quod dicitur in complenda, Sit ablutio scelerum, etc. Dicendum, quod (ut Innocentius scribit) illæ locutiones sunt impropriæ. Dicitur quippe sacramentum hoc crimina abluere, in quantum impedit ea, præstando robur contra ea, et quia in aliquo potest esse peccatum mortale de quo sibi conscius non est, et talis si devote accedat, consequitur remissionem illius. — Verum objici potest, quoniam celebrans pro iniquis, interdum impetrat eis veniam et gratiæ infusionem virtute sacramenti istius, ergo plus sibi ipsi potest hoc impetrare: et ita, quamvis iniquus, potest licite celebrare et mortalium remissionem sibi mereri. Dicendum, quod Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. In quantum autem est sacramentum, habet effectum in omni vivente, in quo exigit præexsistere vitam gratiæ. In quantum vero est sacrificium, habet effectum quoque in aliis, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia. Idcirco, si dispositos inveniat eos, obtinet eis gratiam virtute sacrificii veri a quo omnis gratia in nos fluxit, et per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut proxima causa, sed in quantum impetrat eis gratiam devotionis caritatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati.

Circa hoc quæritur, an hoc sacramentum remittat pœnam peccati mortalis. Dicendum, quod Eucharistia in quantum est sacramentum, habet pro principali effectu hominis unionem cum Deo: hinc per modum sacramenti non aufert nisi ea quæ in habente vitam invenit opposita huic unioni; et talis non est pœna peccati mortalis dimissi. Ideo in quantum est sacramentum, non habet pro effectu dimissionem pœnæ peccati mortalis. Sed in quantum sacrificium, accipit rationem satisfactionis: sicque tollit pœnam in parte aut toto, sicut et aliæ satisfactiones, secundum mensuram pœnæ debitæ pro peccatis, ac devotionis qua sacramentum offertur. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea, super his scribit diffuse in tertia parte, quæstione septuagesima nona.

Primo respondens ad istud, utrum per hoc A sacramentum gratia conferatur (art. 1.): Effectus, inquit, sacramenti istius consideratur multipliciter. Primo et principaliter, ex eo quod in sacramento hoc continetur, quod est Christus : qui sicut in mundum sensibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ, juxta illud Joannis (*Joann.* I, 17.), Gratia et veritas per Jesum Christum facta est; ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, secundum illud (*Ibid.* VI, 58.), Qui manducat me, vivet propter me. Unde Cyrillus testatur : Vivificativum Dei Verbum uniens se ipsum B propriæ carni, fecit et ipsam vivificativam. Decebat namque cum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ejus carnem pretiosumque sanguinem, quæ in benedictionem vivificativam accipimus in pane et vino. Secundo consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi : idcirco effectum quem passio Christi fecit in mundo, sacramentum hoc facit in homine. Unde super illud Joannis (*Ibid.* XIX, 34.), Continuo exivit sanguis et aqua, dicit Chrysostomus : Quia hinc sus- C cipiunt principium sacra mysteria, quum accesseris ad tremendum calicem, accede quasi ab ipsa Christi costa bibiturus. Unde et ipse Dominus dicit (*Matth.* XXVI, 28.) : Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertio consideratur effectus sacramenti ex modo quo traditur, utpote per modum cibi ac potus : ideo omnem effectum quem cibus et potus corporalis faciunt quantum ad vitam corporalem, quam sustentant, augent, reparant, roborant et delectant, facit hoc sacramen- D tum quantum ad vitam spiritualem. Ideo ait Ambrosius : Panis est vitæ æternæ, qui fulcit animæ nostræ substantiam. Et Chrysostomus dicit super Joannem : Præstat se nobis desiderantibus et palpare et comedere et amplecti. Unde et ipse Dominus dicit (*Joann.* VI, 56.) : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Quarto consideratur ex speciebus sub quibus traditur, utpote speciebus panis et vini, quæ ex multis constant et rediguntur ad aliquid unum. De hoc Augustinus dicit : Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Sicque spiritualem fidelium unionem designant. Unde loquitur Augustinus : O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis! Quumque Christus et passio ejus sit gratiæ causa et refectio spiritualis, et caritas sine gratia esse non valeat ; ex omnibus his manifestum est, quod sacramentum hoc confert gratiam.

Præterea si quæratur, an effectus ejus (art. 2.) sit adeptio gloriæ; respondendum, quod in hoc sacramento considerantur tam Christus in eo contentus, quam usus sacramenti. Et ex utroque competit sacramento, quod adeptio gloriæ est ejus effectus. Nam Christus sua passione modo aperuit atque promeruit nobis aditum regni cœlestis. Refectio quoque qua sacramentum istud nos reficit in via per gratiam, perducit ad refectionem patriæ per gloriam.

Amplius quæri potest, utrum hoc sacra- (art. 6.) mentum præservet hominem a peccatis futuris. Dicendum, quod quo modo præservatur homo a morte corporali, eodem modo præservatur homo a peccatis futuris. Præservatur autem homo a morte corporali dupliciter. Primo, in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva : et sic præservatur a morte per cibum et medicinam. Secundo, per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes : sicque præservatur per arma quibus corpus munitur. Utroque itaque modo præservat hoc sacramentum a peccato futuro. Primo, per hoc quod Christus conjungitur nobis per gratiam, roborat spiritualem hominis vitam tanquam spiritualis cibus medicinaque animæ. Secundo, in quantum est signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones : sicque repellit omnem impugnationem eorum. Unde super Joannem ait Chrysostomus : Ut leones flammam spirantes, sic a mensa illa discedimus terribiles effecti diabolo.

art. 8. Quæritur etiam, an per peccatum veniale impediatur hujus sacramenti effectus. Dicendum, quod effectus Sacramenti non solum est adeptio gratiæ habitualis seu caritatis, sed etiam actualis quædam refectio dulcedinis spiritualis : quæ refectio impeditur per venialia peccata, per distractionem et imparatum accessum. Augmentum vero gratiæ seu caritatis habitualis non impeditur nec tollitur per venialia illa. — Hæc Thomas in Summa. In quibus scripta Alberti, Petri, Richardi et plurium aliorum virtualiter continentur.

Porro Bonaventura : Hoc est, ait, sacramentum unionis. Ideo primus ejus effectus est unire, aut unitos magis unire. Magis autem unire contingit tripliciter. Primo, quia unitur vinculo majori, ut qui caritatem habet majorem. Secundo, quia eodem vinculo unitur strictius, ut qui eodem habitu amat ferventius nunc quam ante. Tertio, quoniam firmius diligit, ut qui in eodem habitu magis est radicatus. Dicitur ergo hoc sacramentum magis unire, quoniam digne accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus; reddit etiam fortiorem, ut bonus cibus. Atque ex hoc quod reddit caritatem magis ignitam, adjuvat ad consumendum venialis peccati rubiginem; ex hoc quoque quod magis confirmat mentem, confert ad vitandum scelera universa : sicque ratione utriusque valet ad virtutum augmenta, potissime caritatis, non quantum ad essentiam, sed quoad fervorem et radicationem. Fervor etenim ille quotidie per venialia minoratur; similiter et radicatio : idcirco oportet per hunc cibum restaurari deperditum. Nec obviat hos effectus produci etiam per alia sacramenta et per virtutes, alio ac alio modo : nam et sacramenta ac virtutes se invicem adjuvant, ac diversum habent modum agendi. Hæc Bonaventura. — Ægidius quoque, super Decretalem *Quum Marthæ,* consonat præinductis.

Postremo, de effectibus hujus superdignissimi sacramenti scribit Guillelmus in suo Sacramentali : Quemadmodum aqua
A baptismalis vere est aqua regenerans et unda purificans, non sua natura, sed virtute divina, quæ per verbum invocationis accedens efficit sacramentum ; sic vera Christi caro accessu virtutis divinæ, quæ ab ea nunquam recedit, fit sanctificationis sacratissimum instrumentum, ac digne sumentibus sacræ refectionis adjumentum. Quæ virtuosissima est propter Dei sapientiam et Dei virtutem, cujus ipsa est vestimentum. Nempe si vestis S. Joannis apostoli ex contactu sacri ipsius corporis
B id virtutis obtinuit, ut per manum Aristodemi adhuc increduli tactu suo tres mortuos suscitavit : quid de hoc vestimento Dei omnipotentis, id est corpore Christi, pia fides edocet sentiendum ? Si Petri apostoli baculus ex attactu Petri assequi potuit, ut tactu suo mortuum socium B. Martialis Lemovicensis suscitaret, et usque in præsens retinet ut dæmones de obsessis expellat corporibus, et eos ad loquendum compellat : quid de sacratissimo Christi corpore sentiendum ? Si Christus Dominus
C tantas virtutes corporibus atque reliquiis Sanctorum suorum largitus est, imo ossibus eorum et capillis, et quod plus est, eorum pulveri ac sepulcris : quomodo non incomparabiliter multo majores ac plures virtutes carni suæ glorificatissimæ ac deitati unitæ donavit ? Quid enim mirabile ac præclarum poterit cogitari, quod non ad Sanctorum suorum reliquias vel etiam memorias operatus sit Christus, et usque nunc operetur ? Amplius, si fimbriæ vestimenti *Matth.* IX, sui hoc tribuit, ut ejus tactu hæmorrhoissa 20-22.
D sanaretur a sanguinis fluxu; imo quod om- *Marc.* VI, nes qui tangebant eam, curarentur ab ægri- 56. tudinibus suis : quid inæstimabilis potestatis et supernaturalis efficaciæ credendus est suo sacratissimo et illibatissimo corpori contulisse ? Præterea, si carni seu pinguedini serpentinæ, de qua theriaca conficitur, virtutem concessit effugandi venenum quod hominis vitam exstinguit : quanto fortius sacratissimæ carni suæ virtutem præstitit ejiciendi animarum nostrarum venena, id est vitia et peccata,

tentationes et passionum aculeos? Insuper,
Gen. II, 9. si ligno vitæ in medio paradisi virtutem
impressit, ut vitam corporalem perpetuaret utentium fructu illius : quomodo non
potius carni suæ ac sanguini contulit, ut
perpetuare vitam valeant animarum? Qui
utique quodammodo fructus ipsius sunt;
ipse vero verissimæ vitæ verissimum est
lignum. Præterea, si hanc virtutem dedit
herbæ pæoniæ et jaspidi lapidi, ut phantasmata fugent, itemque dæmonia; si potestatem hanc præstitit verbis exorcismorum
quorumdam, ut eis arceantur et ligentur
dæmones, et alia fiant miranda quæ in
libris magicis continentur : quomodo Ver-
Joann. I, 3. bum per quod facta sunt omnia, carnem
quam pro nostra salute assumpsit, non
universis virtutibus gloriæ suæ congruentibus et saluti expedientibus animarum illustravit? Nonne ipse smaragdo impressit
hanc vim, ut lætitiam operetur in animabus gestantium ipsum; lapidi quoque
bufonis, ut expellat tristitiam; et lapidi
topazio, ut temperantiam ab ardore libidinum donet; ac adamanti, ut gratiositatem inducat ac pariat in gestante? Propter
hæc omnia et alia innumerabilia mirabilia
ejus, quæ pro parte maxima præterimus et
quæ nec nosse nec numerare sufficimus,
merito beatos reputamus eos qui tam divinissimæ excellentiæ sacramentum tota
devotione ac veneratione assidua amplectuntur, suscipiunt, et spiritualiter intra
se jugiter retinere conantur. Hæc Guillelmus.

QUÆSTIO V

Amplius quæritur, **An expediat homini frequenter celebrare et communicare.**

Videtur quod non, quia accedens indigne, hoc est cum mortali peccato, peccat
Eccle. IX, 1. mortaliter. Quum ergo homo ignoret an
sit dignus amore vel odio, id est, an sit in
caritate aut culpa mortali, videtur se com-
A mittere discrimini, cum incertitudine tali
accedens. — Rursus, accedens aut reputat
se indignum, aut dignum : si indignum,
insipienter et periculose agit accedendo,
quum dicat Apostolus, Quicumque mandu- I *Cor.* XI,
caverit panem hunc vel biberit calicem 27.
Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

Ad hæc Thomas respondet : Quæ in hoc
sacramento geruntur, similitudinem habent cum his quæ in corporali accidunt
B nutrimento. Quum enim fiat deperditio
quædam continua humiditatis naturalis seu
humidi radicalis, per actionem naturalis
caloris exercitiumque laboris, oportet frequenter corporeum sumere alimentum ad
restaurationem deperditi, ne deperditio illa continua mortem inducat. Conformiter,
ex concupiscentia innata et occupatione
circa exteriora fit deperditio devotionis atque interni fervoris, quibus homo in Deum
colligitur. Hinc oportet ut pluries deperdita restaurentur per hujus vivifici cibi
C sumptionem, ne homo a Deo alienetur totaliter.

Si autem quæratur, an sit quotidie celebrandum seu communicandum, quum dicat Ambrosius : Panis iste quotidianus est;
accipe quotidie quod tibi prosit quotidie
ad salutem. Dicendum, quod in hoc sacramento duo requiruntur ex parte recipientis, videlicet : desiderium conjunctionis
ad Christum, quod facit amor; et reverentia sacramenti, quæ pertinet ad donum
timoris. Primum incitat ad frequentatio-
D nem sacramenti quotidianam; secundum
retrahit. Si quis ergo per experientiam
noscat, ex quotidiana celebratione in se
augeri caritatis fervorem ac reverentiam
sacramenti, talis deberet quotidie communicare. Si autem sentiret illa in se ex quotidiana communione non multum augeri,
talis deberet aliquando abstinere, ut postmodum cum majori reverentia ac fervore
accedat. Et quantum ad hoc unusquisque
relinquendus est discretionis suæ judicio.
Ideo loquitur Augustinus : Si dixerit quis-

piam non quotidie Eucharistiam esse sumendam, alius affirmet quotidie accipiendam, faciat unusquisque quod secundum suam fidem pie credit esse agendum. Et probat hoc per exemplum Zachæi et centurionis, quorum primus ex caritatis fer-
ıc. xix, 6. vore accepit Christum in domo gaudens,
'atth. viii, alter ex reverentia dixit, Domine, non sum dignus, etc.; et ambo Domino placuerunt.

Præterea si quæratur, an sufficiat communicare semel in anno; dicendum, quod secundum diversos status fidei diversus B de hoc mos inolevit. In primitiva namque Ecclesia, quando vigebat major devotio ex propinquitate ad tempus dominicæ passionis, eratque major fidelium ab infidelibus impugnatio : quia hæc mensa contra tribulationes Ecclesiæ præparatur, quotidie communio fidelibus indicebatur. Unde Anacletus Papa dixit : Peracta consecratione, omnes communicent qui nolunt ecclesiasticis carere liminibus : sic enim Apostoli statuerunt. Postea fuit indictum, ut saltem ter in anno communicarent. Unde C Fabianus Papa disseruit : Si non pluries, saltem ter in anno communicent omnes, videlicet in Pascha, Pentecoste et Natali Domini, propter solennitatem dierum illorum. Deinde statutum est, ut ad minus semel in anno communicent. Nihilo minus licet pluries communicare : unde B. Au-
ennadius. gustinus hortatur, cunctis diebus dominicis communicandum. — Nec debet quis uno die plus quam semel communicare, ut per hoc designetur unitas dominicæ passionis, et major exhibeatur reverentia sa- D cramento. Verum sacerdos quum publica sit persona, habens non solum pro se, sed et pro aliis sacrificare et eis sacramenta administrare, potest necessitate cogente pluries celebrare in die.

Ex his patet responsio, si quæratur, an liceat omnino a communione cessare. Dicendum est enim quod non, propter præceptum Ecclesiæ de communione ad minus semel in anno sumenda, et propter rationabilem causam statuti illius; et hoc, A si adsint opportunitas et facultas : alias sufficit spiritualiter communicare. Ipse quoque qui celebrat, communicare tenetur, nisi inevitabili impedimento impediatur : quia in sumptione et manducatione ratio hujus sacramenti completur, quum sit alimonia spiritualis. Laudabilius quoque, virtuosius et magis meritorium est accedere, quam a tanto sacramento abstinere, ceteris paribus, utpote si cum præparatione debita accedatur. — Hæc Thomas in Scripto. Eadem in tertia parte, octogesima quæstione.

Concordat Albertus, dicens, quod inter fervorem caritatis trahentem ad celebrandum aut communicandum, et inter timorem reverentiæ retrahentem, medium servet temperatrix discretio. — Qui insuper quærit, quum Patres primum statuerint, ut quolibet die dominico, et deinceps tribus vicibus per annum communicet populus, cur statutum sit, ut semel in anno hoc fiat; et utrum matronæ maritatæ, et se a coitu retrahentes per unam noctem vel duas, aliasque devotæ, prohibendæ sint ne communicent sæpius. Item quæri potest de viduis et aliis caste viventibus. Respondet : Sancti illi Patres fuerunt in alio sæculo respectu temporis nostri, quoniam tunc novitio fervore adhuc fervebat Ecclesia. Postmodum venerunt tempora periculosa, in quibus refriguit caritas; tuncque propter indignitatem populi christiani statutum est, ut ter in anno communicet. Deinde propter graviorem populi declinationem et pronitatem ad vitia et deformationem statutum est, ut saltem semel in anno; et utinam hoc devote impleret! Videtur quoque quod feminæ illæ prætactæ non sint cohibendæ a frequentiori communione, præcipue de mense in mensem : quia injuste arcerentur quæ dignæ sunt, et impie cum eis agitur, dum eis cibus subtrahitur salutaris, qui datus auget eis gratiam concupitam.

Quæritur item de pœna non communicantium saltem semel in anno, an sint excommunicati. Dicendum, quod tales abs-

que dubio excommunicandi sunt post sufficientem admonitionem, et videntur esse obstinatæ malitiæ, aut certe hæreticæ pravitatis. Ideo, meo judicio multum delinquunt prælati, tales fovendo quos præcipue excommunicare deberent. Et hoc videtur innuere Fabianus Papa, dicendo : Ad minus ter in anno communicent, qui nolunt ecclesiasticis carere liminibus, id est, ab ingressu ecclesiæ prohiberi. — Insuper puto, quod communicare volentes debent ad minus triduo abstinere a coitu. Unde in synodo Elibertana habetur : Omnis homo ante sacram communionem debet abstinere ab uxore tribus aut quatuor aut sex diebus, nec inter catholicos computari qui in Pascha, Pentecoste et Natali Domini non communicaverit. Verumtamen si alter conjugum reddat debitum solum invite, non est a communione arcendus, sed qui inordinate extorquet. — Hæc Albertus. Richardus ponit responsionem Thomæ quasi in forma.

His demum Bonaventura alludens, ait : Si quis semper esset paratus, semper utile esset sacramentum istud accipere, ut mundum receptaculum habens, comederet cibum hunc cum honore, devotione ac fructu multiplici. Hinc fidelibus primitivæ Ecclesiæ competebat omni die accedere, utpote sanctis. Postmodum vero caritate refrigescente, instituta sunt tempora communicandi diversa, etc., ut supra. Hæc Bonaventura.

Postremo, circa hæc dico, quod ceteris paribus, multo melius sit ex caritate et zelo boni communis accedere, quam ex humilitate et timore cessare, præsertim quum sacramentum istud sit sacramentum totius caritatis, liberalitatis ac gratiæ, medicinaque animæ. Et dato quod quis tam meritorie, quoad se, abstineret sicut accederet; tamen multo fructuosius est accedere, per comparationem ad alios : quia devote accedens, multipliciter succurrit non sibi dumtaxat, sed et toti Ecclesiæ, et vivis ac mortuis, specialiter quoque adstantibus, et eis pro quibus sacrificat ac deposcit. Quamvis autem nullus sit absolute dignus celebrare aut communicare, per considerationem ad infinitam dignitatem Christi, et quoad suæ deitatis majestatem, necnon etiam per respectum ad suæ assumptæ humanitatis sanctitatem et honorabilitatem; tamen secundum quamdam proportionabilitatem dignus est homo, si cum debita diligentia, custodia, humilitate, munditia et fervore se præparet et accedat. In hac re multi sacerdotes etiam religiosi sunt negligentes, imo et pigri, ne dicam acediosi, qui acediam suam, qua facili occasione a celebratione cessant, palliant quodam virtutum colore, quasi præ reverentia tanti sacrificii accedere non audentes. Quod si ita esset, nec in ceteris divini cultus obsequiis tam negligentes ac tepidi esse auderent. Verumtamen qui accedunt quotidie, studeant tanto ferventius quanto frequentius tanta mysteria pertractare, et coram Altissimo jugiter mundi ac fructuosi consistere. — Postremo, quod dictum est, oportere ad minus semel in anno communicare, intelligendum est quantum est de lege communi. Nihilo minus multi fuerunt sancti utriusque sexus, vitam anachoreticam prorsus divinam in solitudine transigentes, qui infra plurimos annos nec sacramentalem confessionem fecerunt, nec sacram communionem sumpserunt, ut Paulus primus eremita, et beatissima illa Maria Ægyptiaca.

DISTINCTIO XIII

A. *Si hæretici et excommunicati hoc sacramentum conficiant.*

SOLET etiam quæri, utrum pravi sacerdotes hoc sacramentum conficere queant. Ad quod dici potest, quod aliqui licet sint pravi, consecrant vere, scilicet qui intus sunt nomine et sacramento, etsi non vita : quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris. Unde Augustinus : Intra catholicam De Consecr. Ecclesiam, in mysterio corporis et sanguinis Domini, nihil a bono majus, nihil dist. II, c. 72. a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et virtute Spiritus Sancti. Credendum est enim, quod in verbis Christi sacramenta conficiantur. Sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum Sanctum suam efficit carnem et sanguinem. Item Gregorius : Putant qui- Decret. p. dam communionem corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio quorum II, caus. I, q. I, c. 84. vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu ! in quam magnum laqueum incidunt, ut divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, quum unus idemque Spiritus Sanctus in tota Ecclesia invisibiliter ea mysteria et operando sanctificet, et sanctificando benedicat. Mysterium ideo dicitur, quod secretam et reconditam habeat dispensationem. Sacrificium vero, quasi sacrum factum : quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam dominicæ passionis. Sacramentum est in aliqua celebratione, quum res ita fit, ut aliquid significatæ rei accipiamus. Sacramenta sunt Baptisma, Chrisma, Corpus Christi : quæ ideo sacramenta dicuntur, quia sub tegumento visibilium rerum, divina virtus secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur. Unde a secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur. Panis et calicis sacramentum, Græce Εὐχαριστία dicitur; Latine bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore et sanguine Christi? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacramentum tamen est : quia Spiritus Sanctus vivificat, nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. Hoc de Corpore Domini, hoc et de Baptismate et Chrismate dicendum est et tenendum : quia virtus divina secretius operatur in eis, et divina solummodo est hæc virtus sive potestas, non humanæ efficaciæ.

Illi vero qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifeste notati, non videntur hoc sacramentum posse conficere, licet sacerdotes sint : quia nemo dicit in ipsa consecratione, Offero ; sed, Offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ. Et ideo, quum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Quod etiam Augustinus tradere videtur, dicens : Recolite nomen, et advertite veritatem. Missa *Cf.* Algerus enim dicitur, eo quod cœlestis nuntius ad consecrandum vivificum corpus adveniat, de Sacram. lib. III, c. 1. juxta dictum sacerdotis dicentis : Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus

sancti angeli tui in sublime altare tuum, etc. Idcirco, nisi angelus venerit, Missa nequaquam jure vocari potest. Numquid enim, si hoc mysterium hæreticus ausus fuerit usurpare, angelum de cœlis mittit Deus oblationem ejus consecrare? Maxime quum eisdem per Prophetam comminatus sit, dicens : Maledicam benedictionibus vestris. Quod si benedictionibus eorum se asserit maledicturam Veritas, quid erit de hostia? Ergo dicemus illam posse benedici ab illo quem scimus a Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit benedictionibus hæreticorum, et simoniacus benedixerit, quis eorum prævalebit? Numquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verba verissima comminantis Dei? — Ex his colligitur, quod hæreticus a catholica Ecclesia præcisus, nequeat hoc sacramentum conficere : quia sancti angeli, qui hujus mysterii celebrationi adsistunt, tunc non adsunt, quando hæreticus vel simoniacus hoc mysterium temerarie celebrare præsumit. Non enim dubitari licet, ubi corporis dominici et sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus.

Malach. II, 2.

In hujus autem mysterii expletione, sicut formam servari, ita ordinem haberi, scilicet ut sit sacerdos, et intentionem adhiberi oportet, ut illud facere intendat. Sed si non credit de illo mysterio sicut veritas habet, numquid potest intendere illud conficere? Et si non intendit, numquid conficit? Aliqui dicunt, etiam non recte de illo mysterio sentientes posse intendere : non quidem illud conficere, quod jam esset recte credere; sed id agere quod geritur ab aliis dum illud conficitur, et sic adhibetur intentio; et si intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen ex quo intendit ea dicere et agere quæ ab aliis geruntur, impletur mysterium. — Illud etiam sane dici potest, quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus, vel quid manducat? Deus novit hoc. — De hoc cœlesti mysterio aliqua perstrinximus a catholicis fideliter tenenda. Qui enim his contradicit, hæreticus judicatur.

B. *Quid faciat hæreticum, et quid sit hæreticus.*

Ne autem ignores quid faciat hæreticum, vel quid sit hæreticus, audi breviter quid inde sancti Doctores tradant. Hilarius ait : Exstiterunt plures, qui cœlestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius absolutionem susceperunt, aliter interpretantes quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est; et sensus, non sermo, fit crimen. Idem in septimo : Intelligentiæ sensus in crimine est. Hieronymus dicit, quod ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Augustinus definiens quid sit hæreticus, ait : Hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones gignit vel sequitur.

Hilar. de Trinitate, lib. II, n. 3.
Id. lib. VII, n. 38.
Ap. Lyran. in Osee II, 16.
Aug. de Utilitate credendi, n. 1.

SUMMA

DISTINCTIONIS TERTIÆDECIMÆ

SUPRA egit Magister de Eucharistiæ sacramento ; hic tractat de ejus ministris seu de potestate conficiendi. Et primo quærit, an vitiosi presbyteri vere conficiunt. Ad quod catholice respondendo, inserit quædam non vera, utpote quod hæretici et excommunicati non consecrent. Ad quod probandum inducit quædam Augustini eloquia. Insuper addit circa hæc, quid sit proprie hæresis, et quid reddat hæreticum.

QUÆSTIO PRIMA

CIrca hæc quæritur, **Utrum omnis sacerdos vere ordinatus seu rite consecratus in sacerdotem, quantumcumque iniquus, excommunicatus, schismaticus, interdictus, suspensus sive hæreticus, vere conficiat, dum intendit conficere, et debita forma atque materia utitur.**

Videtur quod non, quoniam Canon ait : Quicumque ab unitate Ecclesiæ fuerit alienus, exsecrare potest, non consecrare. Omnes autem prætacti sunt extra ecclesiasticam unitatem. Iterum Augustinus ait : Extra Ecclesiam non est veri sacrificii locus. Omnes autem prædicti sunt extra Ecclesiam. Ait quoque Hieronymus, quod præfati pollutum comedunt panem : ergo non corpus Christi, quod nullatenus est pollutum. Rursus, causa prima, quæstione 1, *Quod quidam,* asseritur : Degradati potestatem non habent consecrandi, sed baptizandi. Sanctus etiam Cyprianus fatetur : Sacramenta hæreticorum sacrilegia sunt.

Ad hæc Bonaventura respondet : Aliqui distinxerunt, de quorum numero videtur A fuisse Magister, quod sacerdotes mali quidam sunt occulte mali, et de Ecclesia, saltem numero ac quantum ad faciem exteriorem ; et tales conficiunt. Alii sunt aperte mali, et ab Ecclesia præcisi ; et isti nequeunt consecrare. Verum ista opinio consonat Cypriano, dicenti quod hæretici non habeant vera sacramenta : cujus oppositum probat Augustinus, et ostensum est supra. Idcirco dicendum, quod duo attenduntur in Sacramento, videlicet sacramenti veritas, et ejus utilitas, quæ est incorpo- B ratio seu unio ad mysticum corpus. Quantum ergo ad sacramenti veritatem, omnes sacerdotes vere conficiunt, in quibus est ordo sacerdotalis et intentio consecrandi, cum forma verborum et requisita materia. Boni vero sacerdotes conficiunt etiam quantum ad secundum, hoc est quoad utilitatem suam ac aliorum ; sacerdos vero peccator occultus, ad suam damnationem, sed ad adsistentium utilitatem qui cum fide et devotione audiunt ejus Missam ; porro præcisus et hæreticus, ad suam ac C adsistentium damnationem. Quumque in præcisis et hæreticis manifestis privetur sacramentum suo fructu, quamvis sit ibi verum corpus Christi : hinc sacri canones atque Sanctorum auctoritates ita loquuntur, quasi non vere conficiant ; et hoc in detestationem impietatis ipsorum, non ratione operis operati. Et per hoc solvuntur et concordantur auctoritates quæ pro utraque parte diversimode loqui videntur. Hæc Bonaventura.

Cf. dist. v, q. 1, et dist. vi A, p. 150.

Qui insuper quærit hic, utrum potestas D sacerdotalis magis consistat in anima sacerdotis, aut in forma verborum ; an etiam brutum, ut mus, hostiam consecratam comedat, corrodat, trajiciatque in ventrem ; et utrum sacramentum in ventrem communicantis descendat. Ad quæ omnia responsum est supra.

Cf. dist. x, q. 6, et p. 227 A'.

Cf. p. 233 C, D.

Cf. p. 232 D'.

Concordat Thomas : Quidam (inquiens) asseruerunt, quod hæretici et præcisi, excommunicati atque schismatici, quum sint extra unitatem Ecclesiæ, non valeant consecrare : cujus opinionis videtur fuis-

se Magister in littera. Sed quoniam omne A quod per consecrationem collatum est, exstat perpetuum ; ideo sicut Baptismus, qui per consecrationem donatur, nunquam amittitur quantum ad impressum characterem, quantumcumque quis in hæresim, schisma vel excommunicationem labatur, ita nec sacerdotalis ordo ullo potest modo amitti. Quumque consecrandi potestas ordinem sacerdotalem sequatur, omnes illi præfati conficiunt, quamvis ad suam perniciem. Interdum tamen dicuntur consecrare non posse, quia id proprie dicimur B posse quod possumus de jure. Hinc sacra-
Cf. p. 343 D. mentum eorum vocatur panis pollutus, quoniam quamvis in se inviolabiliter sanctus sit, tamen ratione effectus accidentaliter consequentis, fertur pollutus : quoniam ipsi se polluunt conficiendo et sumendo hoc sacramentum, imo et alios qui sacramentum ab ipsis scienter recipiunt. Idem dicendum est de degradatis, quoniam ordinem non amittunt.

Præterea si quæratur, an plus valeat Missa boni sacerdotis quam mali; dicen- C dum, quod de Missa loqui dupliciter possumus. Primo, quoad id quod in ea est essentiale, quod est corpus Christi et sanguis, seu ipsum sacrificium : et ita a quocumque dicatur, æqualiter bona est, quoniam opus operatum æqualiter bonum est, salubre ac virtuosum. Unde asserit Augustinus : In mysterio corporis et sanguinis Domini nil a bono sacerdote majus, nil a malo minus perficitur : quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, et in virtute Spiritus Sancti. D Secundo, quantum ad id quod annexum est sacramento, et secundarium est : sicque boni sacerdotis Missa melior est, quia non solum efficaciam habet ex opere operato, sed etiam ex opere operante. Unde ceteris paribus, melius est audire Missam boni sacerdotis quam pravi.

Insuper quæritur, an liceat sacerdoti a celebratione omnino cessare. Ad quod quidam dixerunt quod imo, nisi habeat aliquos sibi commissos ac subditos, vel ex obedientia teneatur. Sed quoniam teste Gregorio, dum dona crescunt, rationes crescunt donorum; quum sacerdoti sit nobilissima potestas collata, negligentiæ reus erit, nisi illa utatur ad Dei honorem, et ad suam ac aliorum salutem et opem, quum et princeps Apostolorum dicat :
Unusquisque sicut accepit gratiam, in al- I *Petr.* IV, 10.
terutrum illam administrantes. Nisi forsan quis ex familiari Spiritus Sancti instinctu
dimittat, sicut in Vitaspatrum de quodam Salamanus.
sancto Patre narratur. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea de his quoque in tertia parte, quæstione octogesima secunda, testatur :
Sacramentum hoc tantæ est dignitatis, art. 1.
quod non conficitur nisi in Christi persona. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo collatam. Potestatem autem consecrandi solis sacerdotibus contulit Christus, in quorum persona dixit
Apostolis : Hoc facite in meam comme- *Luc.* XXII, 19.
morationem. — Insuper malus sacerdos art. 5.
conficere potest. Non enim propria potestate aut meritis suis hoc consecrat sacramentum, sed virtute Christi, ut ejus minister atque in ejus persona. Non autem desinit esse minister Christi, quia malus. Habet namque Salvator et malos servos, præsertim loquendo de servis officialibus et ministris in donis gratiæ gratis datæ.
Hinc et hæretici, schismatici, excommu- art. 7.
nicati, degradati, possunt conficere : quamvis quidam dixerunt contrarium, decepti in hoc, quia (ut ait Augustinus in secundo contra Parmenianum) aliud est aliquid non habere omnino, et aliud non habere hoc recte. Similiter aliud est non dare, et aliud non dare recte. Illi ergo qui intra Ecclesiam constituti, receperunt potestatem consecrandi corpus Christi, recte hanc habent potestatem : qui si postea labantur in hæresim, schisma, excommunicationem, præcisionem, non recte ea utuntur. Quod autem potestatem retineant, patet : quia (ut ait Augustinus ibidem) dum ad Ecclesiam redeunt, non denuo ordinantur. Pos-

sunt ergo conficere, præsertim quum consecrandi potestas ad characterem spectet ordinis sacerdotalis. Omnis autem character sacramentalis indelebilis est, juxta
art. 9. præhabita. Hinc demum non licet talium Missam audire, nec ab eis sacramenta suscipere : quia hoc esset eis communicare in vitiis, loquendo de hæreticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis, qui per sententiam Ecclesiæ sunt ab exsecutione consecrandi suspensi. Peccatores vero, non ita per sententiam Ecclesiæ ab exsecutione sui officii sequestrati, non sunt de ne-
art. 6. cessitate ita vitandi. — Advertendum est etiam, quod quamvis Missa mali sacerdotis minus valeat quàm Missa boni quantum ad orationes et cetera sacramento annexa, ut sunt devotionis affectus et laudes Dei, attamen orationes impii sacerdotis considerantur dupliciter. Primo, prout procedunt ab ipso in propria sua persona : et ita non sunt Deo acceptæ. Secundo, prout effunduntur et offeruntur Deo in persona totius Ecclesiæ, cujus sacerdos talis minister est : quod ministerium, sicut jam tactum est, manet in pravis ministris.

art. 2. Iterum quæritur hic, utrum plures sacerdotes possint eamdem numero hostiam consecrare. Dicendum, quod sacerdos in sua ordinatione constituitur in gradu eorum qui acceperunt a Christo in Cœna potestatem consecrandi hoc sacramentum : ideo, secundum quarumdam consuetudinem Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cœnanti concœnaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant. Nec ob hoc iteratur consecratio super eamdem hostiam, quia ut Innocentius III testatur, omnium intentio ferri ad idem instans consecrationis debet. — Hæc Thomas in Summa.

Porro, ut Bonaventura aliique dicunt, propter hæc quatuor vitia, quæ sunt, hæresis, schisma, excommunicatio, fornicatio notoria, repelluntur sacerdotes ab hujus celebratione sacramenti : quia hæc vitia specialem habent repugnantiam ad istud sacramentum. In hoc quippe sacramento est secretum fidei, ideo repelluntur hæretici; est vinculum caritatis, ideo et schismatici; est vas gratiæ, ideo simoniaci, qui gratiam vendunt et emunt; et elevat hominem ad statum spiritualem, ideo fornicatores notorii, tanquam omnino carnales.

Denique, sicut refert Richardus, quidam dixerunt degradatos ipso sacerdotio seu consecrandi potestate esse privatos, quoniam relinquuntur sæculari judicio puniendi. Sed hoc stare non potest, ut patet ex dictis. Nec persuasio valet, quoniam non subesse judici sæculari, non est ordini essentiale, sed ex privilegio convenit clericis : quo suo facinore merentur degradati privari.

Amplius, sicut Thomas, Richardus et alii quidam hic dicunt, dispensare seu aliis ministrare hoc sacramentum, regulariter spectat ad sacerdotes, qui medii sunt inter Deum et populum, repræsentantque Christum ; et ipsorum consecratæ sunt manus ad tractandum corpus dominicum, non autem diaconorum : ideo ipsis non convenit, nisi cogente necessitate, aut ex commissione episcopi, seu sacerdote longe posito et absente. Participat namque diaconus aliquid de potestate et eminentia sacerdotali. — Si autem objiciatur, quia de B. Laurentio recitatur, quod dominici sanguinis dispensatio fuit ei commissa, qui non sacerdos, sed diaconus fuit : sanguis autem ad istud pertinet sacramentum, sicut et corpus ; respondetur, quod S. Laurentius non legitur dominici corporis, sed sanguinis dispensator fuisse. Nec est eadem ratio de utroque, quia dispensans sanguinem, non tangit nisi vasculum ; qui vero dispensat corpus dominicum, tangit illud. Manus autem diaconorum non sunt consecratæ ad tangendum hoc sacramentum. Hæc illi.

QUÆSTIO II

DEinde hic quæritur, **Quid sit proprie hæresis, et quid faciat hæreticum.**

Circa hoc ait Albertus : Hæreticus dicitur a verbo, hæreo, hæres, vel a Græco nomine, αἵρεσις, quod est electio. Primo modo vocatur hæreticus, qui inordinate hæret suæ sententiæ, quamvis a fide sit aliena, et eam defendit. Secundo, qui talem suum errorem cum electione sectatur magis quam veram sententiam Scripturarum, nec sanæ informationi acquiescit, imo pertinax manet. A

De his plenius scribit Bonaventura : Hæreticus, inquiens, non ex dono Dei, sed propria quasi auctoritate et proprio sensu accipit aliquam falsam sententiam : quam dicitur eligere, non quandocumque opinatur falsum aliquid, sed quando falsum præacceptat et pertinaciter tenet, sive ipse sive alter invenerit tale falsum seu finxerit. Unde definiendo dici potest : Hæreticus est, divinæ legis ignorantia vel contemptu, pertinax erroris inventor, aut alieni sectator erroris, qui catholicæ veritati magis vult adversari quam subjici. Qui autem suam sententiam quamvis erroneam seu perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, parati corrigi, non sunt inter hæreticos computandi. Hæc Bonaventura. B C

Porro Thomas in secunda secundæ, quæstione undecima : Electio, inquit, spectat ad hæresim. (art. 1.) Electio autem est mediorum ad finem, præsupposito fine. In credendis vero voluntas assentit alicui vero, tanquam proprio bono. Unde quod est principale verum, habet rationem finis ultimi ; quæ autem secundaria sunt, habent rationem eorum quæ sunt ad finem. In fide autem credentis est aliquis cujus dictis credens assentit, et hoc est principale in fide ; aliud est sententia, quam sequendo credit alicui. A fide ergo christiana dupliciter deviatur. Primo, non assentiendo ipsi Christo ; et talis est infidelitas Judæorum atque gentilium, qui circa finem habent voluntatem perversam. Secundo, per hoc quod quis Christo assentire intendit, sed errat in mediis, eligendo ea quæ non sunt tradita a Christo, sed quæ propria ratio suggerit, et juxta proprium sensum verba D Christi exponit. Hinc hæresis est species infidelitatis eorum qui fidem Christi profitentur, sed fidei dogmata corrumpunt. Ideo in libro de Utilitate credendi asserit Augustinus : Hæreticus est, qui temporalis utilitatis et maxime principatus aut gloriæ suæ causa, falsas novasque opiniones gignit aut sequitur. Hæc Thomas in Summa. — Qui etiam in Scripto multa inducit de his : de quibus pertranseo, quoniam alibi, ubi opportuniorem habent locum, scripsi de eis. (*Cf.* t. XVII, p.361 B'ets.)

De enormitate autem hæreticæ pravitatis asserit Thomas : Unumquodque dicitur malum secundum quod nocet. Unde, quum hæresis plus noceat quam aliquod aliud peccatum, quia omnium virtutum fundamentum (utpote fidem) subvertit, maximum est omnium vitiorum ex genere suo, quia duritiam cordis habet adjunctam, electionemque mali ; quamvis ex accidenti aliquod peccatum possit esse gravius eo, in quantum major Dei contemptus includeretur in eo. Verum de eo quod est per accidens, non est curandum, secundum Philosophum quinto Ethicorum. Hæc Thomas in Scripto. — Verum in prima secundæ plenius docet, qualiter gravitas in peccatis diversimode et ex diversis pensatur. (quæst. 73. art. 4.) Estque probabile, quod sicut caritas Dei est summa virtus, sic odium Dei gravissimum sit peccatum, quum et octavo Ethicorum dicatur, quod pessimum opponitur optimo. Quibusdam quoque videtur, quod peccata in Spiritum Sanctum gravissima sint.

Quæritur demum, an hæretici sint sustinendi. Ad quod idem Doctor respondet : Hæresis est vitium infectivum. Propter quod ad Timotheum de hæreticis ait Apostolus : Multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit. (II *Tim.* II, 16, 17.) Hinc Ecclesia eos a consortio excludit fidelium, præsertim ne simplices conversentur cum eis, ne corrumpantur. Ideo per Ecclesiam incarcerantur et puniuntur, potissimum si inficiant alios. Si autem non inficerent alios, possent tolerari. Qui vero sunt firmi

in fide, possent cum ipsis conversari, ut A ipsos convertant; non autem in divinis, quoniam excommunicati sunt et blasphemi. Propter quod in judicio sæculari licite possent occidi, suisque bonis spoliari, etiam si alios non corrumpant : quia in Deum blasphemi sunt, quum falsam fidem observent. Propter quod justius possunt puniri quam rei criminis læsæ majestatis, et quam hi qui falsam cudunt monetam. Hæc in Scripto.

Porro in secunda secundæ, quæstione art. 3. undecima : Duo, inquit, circa hæreticum B possunt pensari. Unum ex parte hæretici, puta peccatum ipsius : et per hoc meretur non solum excommunicari, sed etiam mox occidi, quum multo gravius sit fidem corrumpere quam monetam falsare. Secundum est misericordia Ecclesiæ, cujus est errantem ad veritatem reducere : et ita Ecclesia non statim damnat hæreticum, sed primo ac secundo pie ac sapienter admonet ac instruit eum. Qui si tunc permanserit pertinax, separat eum Ecclesia a se per excommunicationis sententiam, C atque ulterius relinquit eum sæculari judicio tradendum ad mortem. Ait quippe Hieronymus : Secandæ sunt putridæ carnes, et scabiosa ovis a caulis est repellenda, ne tota domus et massa inficiatur. Arius una scintilla fuit in Alexandria, sed quoniam statim obrutus non est, totum orbem flamma ejus depopulata est. Exstirpanda ergo sunt zizania, dum sine exstirpatione tritici fieri potest. Hæc in Summa.

lib. III, tr. 37, c. 3. Ait quoque Antisiodorensis in Summa sua, hæreticis litteratis (qui quandoque fu- D erunt catholici) non esse audientiam dandam : imo tollendos esse de medio, nisi simpliciter resipiscant, ne et alios suis persuasionibus versutiisque inficiant; simplices vero aliunde deceptos, pie esse informandos ac revocandos.

Hæc circa istam distinctionem sufficere possent; nunc tamen aliqua sunt addenda in fine hujus ultimæ distinctionis de sacramento Eucharistiæ, scilicet de defectibus qui contingunt in Missæ officio, et pœnitentiis injungendis.

Unde S. Thomas hic scribit de defectibus qui contingunt in Missæ officio, Summ. th. 3ª part. q. 83, a. 6. et de pœnitentiis eisdem injungendis : Ille cujus negligentia accidit, ut mus seu aliud brutum comedit species sacramentales seu hostiam consecratam, quadraginta diebus debet secundum canones pœnitere; et bestiola, si capi potest, comburi ejusque cinis in sacrarium mitti. Si autem amissa fuerit hostia, aut pars ejus, ita ut nequeat inveniri, pœniteri debet triginta diebus. Si vero per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in tabulam quæ terræ adhæret, lingua lambetur, et tabula radetur; si non fuerit tabula, terra radetur ac igni comburetur, et cinis in altari condetur; et sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si autem super altare stillaverit calix, minister sorbeat stillam, et tres dies pœniteat. Si autem super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat; si autem usque ad tertium linteum, novem diebus pœniteat; si usque ad quartum, viginti diebus; et linteamina quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lavet minister calice subtus posito, et aqua ablutionis sumatur ac juxta altare recondatur. Tutum est quoque ut pars lintei abscindatur et comburatur, et cinis in altari condatur. Porro si aliquis per ebrietatem aut voracitatem Eucharistiam vomuerit, quadraginta diebus pœniteat si laicus est; clerici vel monachi diebus septuaginta; episcopus nonaginta. Si autem infirmitatis causa vomuerit, septem diebus pœniteat. Dicunt autem quidam, quod pœna irrogata fuit propter cautelam ut negligentia magis vitetur : ideo circumstantiis pensatis, potest minui seu addi ad eam. Tutius tamen est ut pœna servetur jam dicta. Debet vero, ut aliqui dicunt, illis diebus jejunare, et a communione cessare. Alii dicunt, quod his diebus injungenda est pœnitentia arbitraria, pensatis conditionibus negotii ac personæ; et hoc probabilius videtur. Hæc Thomas in Summa.

art. 6. Insuper quærit ibidem, utrum sufficienter possit occurri, hoc est provideri seu remedium adhiberi defectibus, periculis, inopinatisque casibus, qui circa celebrationem contingunt; et arguit sex argumentis, quod non. Quæ argumenta non aliud quærunt, quam quid agendum sit in hujuscemodi casibus : idcirco ut clarius intelligantur hæc omnia, ponam casus in forma, et ad unumquemque ponam hujus sancti Doctoris responsa.

Itaque quæritur primo, quid agendum sit, si sacerdos ante consecrationem moriatur aut alienetur, aut aliqua infirmitate impediatur ne Sacramentum sumere valeat et Missam perficere. Sicque videtur non posse satisfacere præcepto Ecclesiæ, quo jubetur ut sacerdos celebrans Sacramentum accipiat. — Respondendum, quod si sacerdos morte aut gravi infirmitate præoccupetur ante consecrationem, non oportet per alium sacerdotem suppleri officium inchoatum; si vero incepta consecratione evenerit, utpote corpore consecrato ante sanguinis consecrationem, seu consecrato utroque, debet Missæ celebritas per alium adimpleri. Hinc ut in Decretis, quæstione 7, capitulo 1, *Nihil,* habetur, in Toletano concilio legitur : Censuimus convenire, ut dum a sacerdotibus tempore Missarum sacra mysteria celebrantur, si ægritudinis alicujus contingat eventus, quo sacerdos cœptum nequeat explere officium, sit liberum episcopo seu presbytero alteri exsequi consecrationem incepti officii. Non enim aliud competit ad supplementum initiatis mysteriis, quam aut incipientis aut subsequentis benedictio completa sacerdotis : quoniam nec perfecta videri possunt, nisi perfecto ordine compleantur. Quum enim simus omnes unum in Christo, nihil contrarium format personarum diversitas, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat. Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus absque patentis proventu molestiæ sacerdos vel minister imperfecta præsumat A relinquere munera. Quod si quis temerarie præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

Secundo quæritur, quid agendum sit, quando sacerdos ante consecrationem vel post, recolit se aliquid comedisse aut bibisse, aut alicui mortali peccato non confesso, aut excommunicationi subjacere, cujus ante non recordabatur, in quo casu videtur perplexus. — Dicendum, quod ubi difficultas occurrit, semper eligendum est id quod minus habet periculi. Maxime auB tem periculosum est circa hoc sacramentum, quod est contra ipsius sacramenti perfectionem : imo hoc sacrilegium grande est. Minus autem est, quod ad sumentis pertinet qualitatem. Ideo si sacerdos post consecrationis inceptionem recordetur se comedisse aliquid aut bibisse, nihilo minus debet sacrificium perficere, Sacramentumque sumere. Similiter si recolat aliquod peccatum se habere, pœnitere debet cum proposito confitendi et satisfaciendi. Sic si meminerit excommunicationi se subC jacere, assumat propositum petendi humiliter absolutionem : sicque per invisibilem Pontificem absolvetur quantum ad istum actum. Si vero ante consecrationem memor sit alicujus istorum, tutius reputarem, præsertim in casu manducationis et excommunicationis, quod inceptam desereret Missam, nisi grave scandalum timeretur.

Tertio quæritur, quid agendum sit, si in vinum consecratum cadat musca, aranea aut aliud animal venenosum; vel si sacerdos agnoscat aliquid venenosum calici esD se immissum. In quo casu videtur perplexus, quia si sumit, videtur Deum tentare, et occidit se ipsum; si non sumit, videtur agere contra prætactum præceptum Ecclesiæ. — Dicendum, quod si ante consecrationem tale quid accidat et sacerdos hoc deprehendat, debet totum effundere, abluto que calice, aliud vinum infundere consecrandum. Porro si post consecrationem aliquid horum contingat ac deprehendatur, debet animal caute capi, et diligenter lavari atque comburi, et ablutio simul

cum cineribus in saerarium mitti. Si autem deprehenderit venenum esse immissum, nullatenus sumere debet, nec dare alteri ad sumendum, ne calix vitæ vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari; et ne sacramentum maneat imperfectum, debet aliud vinum apponere, atque de novo resumere a sanguinis consecratione, sacrificiumque perficere.

Quarto quæritur, quid agendum sit, quando per negligentiam ministri non apponitur aqua, aut etiam nec vinum, nec sacerdos advertit hoc. — Dicendum, quod si sacerdos ante consecrationem sanguinis, etiam post corporis consecrationem, percipiat vinum aut aquam non esse in calice, debet statim apponere et consecrare. Si vero post consecrationis verba percipiat aquam deesse, debet procedere, quoniam aqua non est de necessitate sacramenti; et puniendus est cujus negligentia hoc contingit; nulloque modo miscenda est aqua vino jam consecrato, quoniam sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte. Si vero post verba consecrationis percipiat vinum non esse in calice, si hoc percipiat ante corporis sumptionem, debet deposita aqua, si imposita est, imponere vinum cum aqua, et resumere a verbis consecrationis sanguinis. Si vero hoc post corporis sumptionem percipiat, debet apponere aliam hostiam consecrandam simul cum sanguine. Quod dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi. Et sicut dicitur in prætacto capitulo concilii Toletani, perfecta videri non possunt sacramenta, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a consecratione sanguinis, et repeteret omnia verba sequentia, non competeret nisi adesset hostia consecrata, quum in verbis illis oceurrant quædam dicenda atque fienda non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Debet quoque in fine iterum sumere hostiam conseeratam et sanguinem, non obstante etiam si prius

A acceperit aquam quæ erat in ealice : quia præceptum de perfectione sacramenti majoris est ponderis, quam præceptum de accipiendo sacramentum hoc a jejuno.

Quinto quæritur, quid agendum sit, quando sacerdos non recolit se verba consecrationis dixisse, aut aliqua quæ in consecratione hujus sacramenti dicuntur. Nam videtur peccare, sive reiteret verba super eamdem materiam, quæ forte jam protulit, sive utatur pane et vino non consecratis quasi consecratis. — Dicendum, quod
B quamvis sacerdos non recolat se dixisse aliqua quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari. Non enim qui multa dicit, meminit omnium quæ jam dixit, nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione jam dicti. Sic enim efficitur aliquid memorabile. Unde si aliquis attente cogitet id quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum recolit postea se illud dixisse. Sic quippe fit aliquid objectum memoriæ, in quantum accipitur sub ratione præteriti, ut
C dicitur in libro de Memoria. Verumtamen si sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, si illud non est de necessitate sacramenti, non æstimo quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem sacrificii. Si vero certificetur se omisisse aliqua eorum quæ sunt de necessitate sacramenti, videlicet formas consecrationis, idem videtur agendum quod dictum est de defeetu materiæ, ut scilicet resumatur a verbis consecrationis, et cetera per ordinem repetantur, ne immutetur sacrificii
D ordo.

Sexto quæritur, quid agendum sit, quando dilabitur ex frigore hostia conseerata de manu sacerdotis in calicem ante fractionem vel postea. In quo casu non videtur sacerdos posse servare ritum Ecclesiæ de ipsa fractione, vel quod sola tertia pars mittatur in calicem. — Dicendum, quod fractio hostiæ consecratæ, seu quod una sola pars mittatur in calieem, respicit mysticum corpus, quemadmodum admixtio aquæ : ideo prætermissio horum non

facit sacrificii imperfectionem, ut propter hoc necesse sit aliquid iterari circa celebrationem sacramenti istius. — Hæc Thomas in Summa. Et additur hic, quod si per negligentiam sacerdotis hostia conservetur tamdiu ut putrescat, sacerdos triginta diebus pœniteat, id est, jejunet et a communione cesset, sicut expositum est. p. 347 D'.

DISTINCTIO XIV

A. *De Pœnitentia.*

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 10. Hier. Epist. 130, n. 9. POST hæc de Pœnitentia agendum est. Pœnitentia longe positis a Deo necessaria est, ut appropinquent. Est enim, ut ait Hieronymus, secunda tabula post naufragium : quia si quis vestem innocentiæ in Baptismo perceptam peccando corruperit, Pœnitentiæ remedio reparare potest. Prima tabula est Baptismus, ubi deponitur vetus homo, et induitur novus; secunda, Pœnitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reversa repellitur, et novitas perdita resumitur. Post Baptismum prolapsi, per Pœnitentiam renovari valent, sed non per Baptismum. Licet homini sæpius pœnitere, sed non baptizari. Baptismus tantum est sacramentum, sed Pœnitentia dicitur et sacramentum et virtus mentis. Est enim pœnitentia interior, et est pœnitentia exterior. Exterior sacramentum est; interior virtus mentis est; et utraque causa salutis est et justificationis. Utrum vero omnis exterior pœnitentia sit sacramentum, vel si non omnis, quæ hoc nomine censenda sit, consequenter investigabimus. A pœnitentia cœpit Joannis prædicatio, dicentis : *Matth.* III, 2. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Quod autem præco *Ibid.* IV, 17. docuit, illud post Veritas prædicavit, exordium sumens sermonis a pœnitentia.

Pœnitentia dicitur a puniendo, qua quis punit illicita quæ commisit. Pœnitentiæ *Is.* XXVI, 18, juxta LXX. virtus timore concipitur. Unde Isaias : A timore tuo, Domine, concepimus et pe- Hugo, op. cit. c. 12. perimus spiritum salutis. Est autem pœnitentia, ut ait Ambrosius, mala præterita Ambr. Sermo 25, n. 1. plangere, et plangenda iterum non committere. Item Gregorius : Pœnitere est ante- Gregor. Homil. in Evang. lib. II, hom. 34, n. 15. acta peccata deflere, et flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat, ut alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, et adhuc avaritiæ æstibus anhelet ? His verbis quidam vehementius inhærentes, contendunt vere pœnitentem ultra non posse peccare damnabiliter; et si graviter peccaverit, veram non præcessisse pœni- Isid. Sent. lib. II, c. 16, n. 1, 2. tentiam. Quod etiam aliis muniunt testimoniis. Ait enim Isidorus : Irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet; nec videtur Deum poscere subditus, II *Petr.* II, 22. sed subsannare superbus. Canis reversus ad vomitum, et pœnitens ad peccatum. Multi lacrimas indesinenter fundunt, et peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrimas ad pœnitentiam cerno, et affectum pœnitentiæ non habere : quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrimas fundunt; nunc reviviscente usu, ea quæ

fleverunt, iterando committunt. Isaias de peccatoribus dicit : Lavamini, mundi estote. Lavatur et mundus est, qui et præterita plangit, et flenda iterum non committit. Lavatur et non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec deserit; et post lacrimas ea quæ defleverat repetit. Item Augustinus : Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam a malis poscere, et mala denuo iterare. Item Gregorius : Qui commissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ graviori se subjicit. Item Ambrosius : Reperiuntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo. Nam si vere pœnitentiam in Christo agerent, iterandam postea non putarent : quia sicut unum Baptisma, ita est una Pœnitentia. — His aliisque pluribus utuntur in assertionem suæ opinionis. Sed Ambrosius dicit : Hæc vera pœnitentia est, cessare a peccato. Et iterum : Magni profectus est, renuntiasse errori. Imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare, virtutis est perfectæ et cœlestis gratiæ.

Isid. Sent. lib. II, c. 16, n. 4. *Is.* I, 16. De Pœnit. dist. III, c. 12. Gregor. Reg. pastor. p. III, c. 30. Ambr. de Pœnit. lib. II, n. 95. Ambrosiast. in II Cor. II, 7. Ambr. in ps. 118, sermo 22, n. 2, 3.

B. *De Pœnitentia, et determinatio præmissorum.*

Et ideo sane ita definiri potest : Pœnitentia est virtus qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus : quia pœnitentia vera est, in animo dolere et odire vitia. Unde illa verba præmissa, Pœnitere est anteacta deflere, et flenda non committere, recte sic accipi possunt, ut non ad diversa tempora, sed ad idem referantur : ut scilicet tempore quo deflet commissa mala, non committat voluntate vel opere flenda. Quod innuitur ex verbis consequentibus : Nam qui sic alia deplorat, etc. Hinc Augustinus ait : Cavendum est, ne quis existimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda et eleemosynis redimenda. In melius est enim vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus : non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, etsi miserando deleat commissa peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Item Pius Papa : Nihil prodest homini jejunare et orare et alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate revocetur. — Qui ergo a malis sic mentem revocat, ut commissa plangat, et plangenda committere non velit, nec satisfacere negligat, vere pœnitet. Nec ideo non est vera pœnitentia, quia forte post non de proposito, sed casu vel infirmitate peccabit. Ille autem irrisor est et non pœnitens, qui sic commissa plangit, ut plangenda voluntate vel opere committere non desinat. Ille etiam qui post lacrimas repetit quæ flevit, lavatur ad tempus, sed mundus non est, id est, illa munditia non est ei sufficiens ad salutem : quia est momentanea, non perseverans. Item illud, Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, sic intelligendum est : Inanis est, scilicet carens fructu, illius pœnitentia quam sequens culpa inquinat. Illius enim fructus est vitatio gehennæ, et adeptio gloriæ. Mortificatur enim illa pœnitentia, et alia anteacta bona, per sequens peccatum : ut non sortiantur mercedem quam meruerunt quum fierent, et quam haberent si

Aug. Enchirid. c. 70. *I Cor.* VI, 9, 10. De Pœnit. dist. III, c. 21. Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 12.

peccatum non succederet. Sed et si de peccato succedenti pœnitentia agatur, et pœnitentia quæ præcessit, et alia anteacta bona reviviscunt; sed illa tantum, quæ ex caritate prodierunt. Illa enim sola viva sunt, quæ ex caritate fiunt : ideoque si per sequentia peccata mortificantur, per subsequentem pœnitentiam reviviscere possunt. Quæ vero sine caritate fiunt, mortua et inania generantur : et ideo per pœnitentiam reviviscere non valent. Similiter intelligendum est illud, Nihil prosunt lamenta, etc.; et illud, Nihil valet, etc. Si enim replicentur peccata, nihil valet ad salutem vel ad veniam in fine, præcedens lamentum, quia nihil relinquitur de vitæ munditia : quia aut peccata dimissa redeunt, ut quibusdam placet, quum replicantur; vel si non redeunt, eis tamen deletis, propter ingratitudinem ita reus et immundus constituitur, quum adhuc in expiandis implicatur, ac si jam deleta redirent. De hoc tamen, scilicet an peccata redeant, post plenius agemus. Similiter, nihil valet ad salutem obtinendam, vel ad munditiam vitæ habendam, veniam de malefactis poscere, et malefacta denuo iterare. Ita etiam intelligendum est illud quod idem Aug. de Vera pœnit. n. 22. Augustinus alibi ait : Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse. Et infra : Quotidie dolendum est de peccato, quod de- Ibid. n. 35. clarat ipsa dilectionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat quod commisisse se dolet. Pœnitentia ergo est vindicta semper puniens in se Ibid. n. 28. quod dolet commisisse. Quid restat nobis nisi dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit et pœnitentia. Si vero pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a pœnitentia. Dicit enim *Joann.* VIII, 11. Dominus : Vade, et amplius noli peccare. Non dixit, Ne pecces; sed ne voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur? Sed semper doleat, et de dolore gaudeat; et non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, et non semper doluisse doleat.

C. *Determinatio intelligentiæ dictorum.*

De Pœnit. dist. III, c. 22. De pœnitentia perfectorum, vel ad salutem sufficienti, intelligendum est quod supra dixit, scilicet : Pœnitentia est vindicta semper puniens quod commisit, et alia hujusmodi. Illud vero, Si pœnitentia finitur, nihil de venia relinquitur, dupliciter accipi potest. Si enim juxta quorumdam intelligentiam, peccata dimissa redeunt, facile est intelligere nihil de venia relinqui : quia peccata dimissa iterum replicantur. Sicut enim ille qui ex servitute in libertatem manumittitur, interim vere liber est, et tamen propter offensam in servitutem postea revocatur; sic et pœnitenti peccata vere dimittuntur, et tamen propter offensam quæ replicatur, iterum redeunt. Si vero non redire dicantur, sane potest dici, etiam sic nihil de venia relinqui : non quod dimissa peccata iterum imputentur, sed quia propter ingratitudinem ita reus et immundus constituitur, ac si illa redirent.

D. *De solenni et unica pœnitentia.*

Illud autem quod Ambrosius ait, Reperiuntur, etc.; et, Sicut unum Baptisma, ita et una pœnitentia : non secundum generalem, sed secundum specialem morem Ecclesiæ de solenni pœnitentia dictum intelligitur, quæ apud quosdam semel celebrata non iteratur. Item illud aliud Ambrosii, Pœnitentia semel usurpata nec vere celebrata, et fructum prioris aufert, et usum sequentis amittit : de solenni intelligitur. Solennis ergo pœnitentia, ut Ambrosius in eodem ait, est quæ fit extra ecclesiam in manifesto, in cinere et cilicio : quæ pro gravioribus horrendisque ac manifestis delictis tantum imponitur. Et illa non est iteranda, pro reverentia sacramenti, ut non* vilescat et contemptibilis fiat hominibus. Unde Augustinus : Quamvis caute et salubriter provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis vel minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat Deo dicere, Quare huic homini, qui post pœnitentiam primam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Origenes quoque de hac solenni pœnitentia quæ pro gravioribus criminibus injungitur, ait : Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali vel in blasphemia fidei, sed in sermonis vel in morum vitio consistat, hæc culpa semper reparari potest, nec interdicitur aliquando de hujusmodi pœnitentiam agere; sed non ita de gravioribus criminibus. In gravioribus enim criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus; communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, et semper redimuntur. Communia dicit venialia peccata, et forte mortalia quædam aliis minus gravia : quæ sicut sæpe committuntur, ita frequenter per pœnitentiam redimuntur. Sed de gravioribus criminibus semel tantum agitur pœnitentia, scilicet solennis. Nam et de illis, si iterentur, iteratur pœnitentia, sed non solennis. Quod tamen in quibusdam Ecclesiis non servatur.

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 12.
Ambr. de Pœnit. lib. II, c. 11, n. 104.
Ibid. c. 10.
* et ne
Aug. Epist. 153, n. 7.
Origen. in Levit. hom. 15, n. 2.

E. *Auctoritatibus probat, quod non semel tantum, sed frequenter peccata dimittantur per pœnitentiam.*

Quod vero pœnitentia non semel tantum agatur, sed frequenter iteretur, et per eam frequenter iterum venia præstetur, pluribus Sanctorum testimoniis probatur. Ait enim Augustinus scribens contra quosdam hæreticos, qui peccantibus post Baptismum semel tantum dicebant utilem esse pœnitentiam, ita : Adhuc instant perfidi, qui sapiunt plus quam oportet, non sobrii, sed excedentes mensuram; dicunt enim : Etsi semel peccantibus post Baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus proderit iterata : alioqui remissio ad peccandum esset incitatio. Dicunt enim : Quis non semper peccaret, si semper per pœnitentiam redire posset? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, si semper peccantibus subvenit; et ei

Aug. de Vera pœnit. n. 11.
Rom. XII, 3.

peccata placere, quibus semper præsto est gratia. Errant autem. Constat enim, multum ei peccata displicere, qui semper præsto est ea destruere; sed si ea amaret, non semper ea destrueret. Idem ad Macedonium : In tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post peractam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant; et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minus tribuit quam ante tribuerat largissima munera vitæ et salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus ille pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. Ex quorum numero si quis vobis dicat : Dicite mihi, utrum aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si me pœnitendo vehementius quam prius excruciavero, si uberius flevero, si melius vixero, si pauperes largius sustentavero, si caritate ardentius flagravero; quis vestrum ita desipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi ista in posterum proderunt; vade, saltem hujus vitæ suavitate fruere? Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam. Item Joannes Chrysostomus de reparatione lapsi : Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei. Nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur, etiam si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam; suscipit libenter et amplectitur, et facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum. Quodque est adhuc præstantius et eminentius, etiam si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen et quantumlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam; suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguæ conversionis perdere mercedem. Exemplis etiam hoc idem adstrui potest. David enim per pœnitentiam adulterii simul et homicidii veniam impetravit; et graviter tamen postea deliquit in populi enumeratione, quod populi multitudo prostrata ostendit. Illud autem mirabile est, quod angelo ferienti plebem se obtulit, dicens : Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me et in domum patris mei. Quo facto, statim sacrificio dignus judicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam; quum Moyses offerendo se pro plebis errore, peccata diluerit. — His aliisque testimoniis pluribus evidenter ostenditur, per pœnitentiam non semel tantum, sed sæpius nos a peccatis surgere, et veram pœnitentiam sæpius agi. Voluntarie enim peccantibus nobis, ut ait Apostolus, pro peccatis non relinquitur hostia, secunda scilicet, quia semel tantum Christum oportuit pati; nec relinquitur secundus Baptismus. Relinquitur vero secunda pœnitentia et tertia et deinceps, ut Joannes Chrysostomus super hunc locum ait : Sciendum, inquit, quod hic quidam exsurgunt, horum verborum occasione pœnitentiam auferentes, quasi per pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundo et tertio et deinceps. Verum etiam in hoc pœnitentiam non excludit, nec propitiationem, quæ sæpe fit per pœnitentiam, sed secundum Baptismum et hostiam.

Aug. Epist. 153, n. 7.
Matth. V, 45.
Chrysost. ad Theodor. laps. lib. I, n. 6.
II *Reg.* XII, 13.
I *Par.* XXI, 17.
Exod. XXXII, 10 et seq.
Hebr. X, 26.
Chrysost. in Hebr. hom. 20, n. 1.

SUMMA
DISTINCTIONIS QUARTÆDECIMÆ

COMPLETO tractatu de tribus sacramentis quæ pertinent ad bonum obtinendum (per Baptismum namque gratia prima primo acquiritur, quum Baptismus sit regeneratio spiritualis; per Confirmationem augetur, per Eucharistiam perficitur), nunc agit de quarto sacramento, id est de Pœnitentia, per quam gratiarum obstacula removentur, et mens ad omnem gratiam suscipiendam disponitur : imo sine hoc sacramento nullus adultæ ætatis, vitio inquinatus, quodcumque aliud sacramentum salubriter potest percipere. Primo ergo ostendit Magister hujus sacramenti necessitatem et utilitatem; deinde dividit eam in pœnitentiam interiorem et exteriorem, et quid sit pœnitentia ipsa definit. Quocirca ostendit quorumdam errorem, dicentium Pœnitentiam iterari non posse, quemadmodum nec Baptismum. Inducit quoque motiva ipsorum, et verba Sanctorum intricata exponit. Quocirca tractat de pœnitentia perfectorum, de pœnitentia quoque solenni, et quare non iteratur.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum pœnitentia sit sacramentum,** et quid sit pœnitentia.

Videtur quod non, quia sicut præhabitum est, sacramentum est visibile elementum, atque sensibile aliquid; pœnitentia autem est virtus vel actus virtutis. Virtus autem, secundum Augustinum, est bona qualitas seu habitus mentis, et ita est invisibilis res, similiter actus ejus. — Rursus, sacramenta consistunt in rebus et verbis certis præfixis, desuper institutis. Quod non videtur in pœnitentia posse dici, quoniam nullibi in Scriptura canonica

Cf. dist. I, q. I.

Cf. dist. I, q. 3.

A legitur forma ejus expressa. — Insuper apparet quod non sit virtus, sed potius passio animæ, utpote dolor seu pœnitudo animi de malo.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Quemadmodum in Eucharistiæ sacramento sunt quatuor, videlicet forma panis, forma vini, quæ duo, sunt sacramentum et non res; tertium vero est corpus Christi verum, quod est res et sacramentum; quartum B est corpus Christi mysticum, quod est res et non sacramentum : ita in sacramento Pœnitentiæ sunt quatuor, utpote confessio, contritio, satisfactio, remissio culpæ. Inter quæ, confessio et satisfactio sunt sacramenta et non res; suntque sacramenta interioris contritionis et remissionis peccati, imo et ultimo ac principaliter remissionis peccati, quoniam propter illam obtinendam confitemur et satisfacimus. Porro contritio est sacramentum et res : significat enim remissionem peccati et efC ficit eam; res autem est respectu confessionis et satisfactionis. Itaque confessio ista exterior et satisfactio sunt extrinsecum aliquid, et efficiunt quod figurant, videlicet remissionem peccati; non tamen efficiunt omne quod figurant, quoniam non efficiunt id quod primo figurant, puta contritionem. Nec est necesse quod sacramentum novæ legis efficiat omnifarie quod designat : sicut in sacramento Eucharistiæ, forma panis non efficit simpliciter corpus Christi, sed panem convertit D in illud, et efficit mysticum corpus, id est mysticam spiritualemve unitatem in ipsis fidelibus. — Nec verum, quod semper unius non sit nisi unum signum : nam idem potest significari per plura, ut patuit supra. Cf. p. 208 C' et s.
Unde dicimus, quod confessio exterior et satisfactio sunt unum sacramentum extrinsecum : quemadmodum forma panis et forma vini sunt unum sacramentum in Sacramento altaris, quia utrumque convenit in hoc quod constat ex pluribus partibus mundis et puris. Similiter con-

fessio exterior, in quantum est puniens per erubescentiam et satisfactionem, et satisfactio, in quantum est puniens per realem afflictionem forinsecus, sunt idem sacramentum, id est sacrum signum interioris contritionis et remissionis peccati, quia secundum idem significant illas : quia qui punit se, quodammodo conterit atque annihilat se. Hæc Antisiodorensis.

Præterea Thomas : Sacramentum, inquit, importat sanctitatem active per modum hominibus congruentem, ut scilicet adjungatur significatio sanctificationis invisibilis per visibilia signa. Hinc ubicumque fit sanctificatio significata per sensibilia signa, ibi est sacramentum : et ita est hic. Quemadmodum autem in corporalibus medicinis quædam consistunt in sola passione vel receptione curati, ut sectio vulneris, vel appositio emplastri ; quædam in actu laborantis, ut curationes * : ita in sacramentis quædam non requirunt actum ejus qui sanctificatur, quantum ad substantiam sacramenti, nisi per accidens, ut removens prohibens, ut in Baptismo et Confirmatione ; quædam vero requirunt essentialiter et per se actum ejus qui suscipit sacramentum, tanquam ad essentiam sacramenti pertinentem, ut in Pœnitentia et Matrimonio. In illis itaque sacramentis quæ sine actu nostro complentur, est materia quæ designat et causat, quasi medicina exterius apposita. In illis vero sacramentis quæ actum nostrum requirunt, non est talis materia ; sed ipsi actus apparentes hoc agunt quod in aliis materia. Quum autem sacramentum dicitur esse materiale elementum, sumitur materiale elementum multum extense pro omni sensibili, sive sit corporalis materia, sive sensibilis actus. Ipsi quoque exteriores actus in hoc sacramento sunt loco rei, et verba absolutionis sunt forma hujus sacramenti. Non tamen requiritur hic determinatio tanta verborum sicut in Eucharistia et Baptismo, quoniam non est hic materia verbo vitæ sanctificanda sicut in illis. — Sed quæri potest, cur divinus

* exercitationes

A Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia de hoc sacramento non tractat. Dicendum, quod intentio ejus in libro illo non fuit tradere sacramentorum notitiam : imo de aliquibus ibi tractat quæ non sunt sacramenta, ut sunt institutiones seu consummationes monasticæ atque exsequiæ ; sed intendit ibi determinare, quod exteriores ritus significant actus spirituales. Quumque in Pœnitentia et Matrimonio non sit ritus certus determinatus, quum non habeat materiam sicut alia sacramenta, ideo
B non determinat de eisdem.

Cf. t. XV, p. 418 A.

Porro dum quæritur, an pœnitentia sit virtus ; dicendum, quod in pœnitentia homo se habet tanquam recipiens et ut agens. Recipit namque a Deo veniam et reconciliationem ; et secundum hoc habet pœnitentia rationem sacramenti. Ex parte vero actus, sunt de ipso diversæ opiniones. Una, quod solum sit actus virtutis, non virtus. Quod stare non valet, quia quum actus virtutis non sint in dormiente, dormiens non posset dici pœnitens. Alii ergo
C dixerunt, quod ex hac parte pœnitentia sit virtus : non proprie, sed extense loquendo, prout omne laudabile virtus vocatur, quamvis sit passio. Sed nec hoc verum est, quia secundum Philosophum sexto Ethicorum, principale in virtute est electio : unde omnis habitus qui facit rectam electionem, virtus proprie appellatur. Idcirco, quum actus pœnitentiæ non causetur tantum ex passione, sed magis ex electione, etiam si nulla sit passio, constat quod proprie virtus sit. — Verumtamen
D pœnitentia non secundum idem est virtus et sacramentum ; sed in quantum pœnitens per pœnitentiam recipit gratiam vulnus peccati sui curantem, pœnitentia ipsa est sacramentum ; in quantum vero pœnitens per habitum infusum ordinatur ad actum rectum, sic pœnitentia est virtus. Nec ipsa realiter idem est quod gratia gratificans proprie dicta, quamvis extenso nomine gratia nuncupetur : quia suo modo justificat, sicut et gratia.

Quæritur quoque, an pœnitere sit actus

specialis virtutis. Et respondendum, quod A quidam dixerunt, quod pœnitere non sit actus specialis virtutis. Sed hoc esse non potest, quoniam aliquid est de ratione pœnitentiæ, prout nunc de ea loquimur, quod non est de ratione virtutis communiter sumptæ, videlicet satisfacere pro peccato commisso. — Hinc alii dicunt, quod est virtus specialis, et specificatur ex hoc quod detestatur peccatum a se commissum. Verum hoc non potest specificare virtutem : quia quum virtus sit quid peccato contrarium, maxime repu- B gnat eidem, prout est in eodem subjecto. Unde hoc est omni virtuti commune, quod repellit peccatum a suo subjecto. — Ideo alii dicunt, quod specificatur per hoc quod peccatum suum sub spe veniæ detestatur. Quod stare non valet, quoniam nulla virtus sortitur speciem ex hoc quod a virtute alia imperatur. Quod autem dicitur, spe veniæ, non aliud dicit nisi imperium spei. Idcirco ex hoc non haberet rationem specialis virtutis : sicut nec actus castitatis ex hoc quod a caritate imperatur, suscipit C rationem specialis virtutis. — Hinc aliter est dicendum, videlicet, quod pœnitentia accipit specialem rationem objecti ex hoc quod respicit peccatum ut expiabile per actum pœnitentis : sicque actus pœnitentiæ non est absolute detestari peccatum, sed detestari illud cum expurgatione ejus quantum ad culpam et quantum ad pœnam. Hoc etenim nulla alia virtus facit.

Quum ergo objicitur, quod pœnitentia expellit omne peccatum, ergo est virtus generalis; dicendum, quod omnis virtus D expellit peccatum sibi oppositum, formaliter quantum ad actum primum, qui est informare subjectum. Actus vero secundus in virtutibus aliis, qui est operatio, non ordinatur principaliter ad expellendum peccatum, sicut est in pœnitentia. Hinc pœnitentia non formaliter, sed quasi effective excludit peccatum. Habet namque peccatum expellendum pro materia, et operatur circa illud, ut expellatur : ideo non opponitur formaliter omni peccato, sed impœnitentiæ tantum. Unde et quamvis pœnitentia habeat actum circa materiam omnium vitiorum, et per consequens omnium quoque virtutum; tamen considerat specialem rationem objecti, in materia circa quam operatur : quemadmodum magnanimitas habet quodammodo pro materia et objecto operationes omnium aliarum virtutum sub ratione magni, quia in omni virtute operatur magnifice, ut dicitur quarto Ethicorum. Ideo, sicut magnanimitas virtus est specialis, ita et pœnitentia.

Circa hoc quæritur, cur philosophi de virtute hac pœnitentiæ non sunt locuti. Dicendum quod ideo, quia peccati remissio seu expiatio spectat ad providentiam Dei de rebus actibusque humanis, in quantum culpa offenditur, et pœnitentia placatur. Philosophi autem non consideraverunt virtutes in actibus humanis dirigentes, prout ordinantur ad providentiam Dei, sed ad bonum humanum. Verum ex similitudine ad virtutes de quibus locuti sunt, possumus et virtutem istam accipere. Quemadmodum enim alicujus virtutis est, ut homo placet eum quem offendit; ita et hujus virtutis est, ut Deum, quem offendimus, pœnitendo placare conemur.

Ex his constat, quod pœnitentia non sit theologica virtus. Talis equidem virtus habet Deum pro objecto et fine; pœnitentia autem pro objecto habet peccatum, quod expiare intendit. — Quocirca sciendum, quod virtutes infusæ se tripliciter habent ad Deum. Nam aliquæ habent Deum pro objecto et fine, ut theologicæ; quædam vero non pro objecto in quod transeant actus earum, sed pro proximo fine : ut patet de latria, quæ aliquas protestationes servitutis quasi materiam habet, quas ordinat immediate in Deum; et tales virtutes theologicis propinquissimæ sunt. Unde et actus earum theologicis virtutibus attribuuntur, tanquam proximis imperantibus, juxta quod asserit Augustinus : Deus fide, spe, caritateque colitur. Quædam autem non habent Deum pro objecto, neque

pro fine proximo, sed ultimo : sicut temperantia, quæ habet passiones pro materia, et quietem animi pro proximo fine, quem ordinat ultra ad Deum. Pœnitentia vero, quamvis non habeat Deum pro objecto, attamen habet eum pro proximo fine : quia ad hoc contra peccata sua movetur, ut Deo reconcilietur : propter quod actus ejus, qui est peccata expellere seu justificare, quandoque fidei, interdum caritati adscribitur.

Præterea si quæratur, ad quam virtutem cardinalem pœnitentia reducatur; dicendum, quod ad justitiam. Verumtamen quum justitia sit quædam æqualitas, ideo non potest esse perfecta justitiæ ratio ubi non est adæquatio vera, sed aliquis justitiæ modus : quemadmodum quinto Ethicorum ait Philosophus, quod domini ad servum non est simpliciter justum, sed justum dominativum. Quumque inter Deum et hominem sit distantia maxima, non potest esse justitia proprie dicta hominis ad Deum, sed aliquis justitiæ modus quasi per similitudinem. Homo quippe efficitur debitor alteri homini dupliciter. Primo, per id quod sibi ab illo est datum, sicut in communicationibus voluntariis, puta in emptionibus et venditionibus. Secundo, per id quod ei subtraxit, ut in communicationibus involuntariis, sicut sunt furtum, percussio. Similiter homo fit debitor Deo. Primo, per beneficia ab ipso recepta : et sic reddit debitum ei, ipsum colendo per latriam. Secundo, per hoc quod in Deum peccavit : et sic reddit ei debitum per pœnitentiam. Hinc sicut religio seu latria ponitur a Tullio pars justitiæ, non quasi species, sed ut pars potentialis, in quantum quemdam justitiæ modum participat; ita et pœnitentia pars justitiæ perhibetur. — Differt quoque pœnitentia a patientia, quoniam pœnitentiæ est, ferre difficilia sponte assumpta; patientiæ vero, æquanimiter sustinere difficilia aliunde illata.

Insuper, circa descriptiones pœnitentiæ in littera datas, sciendum quod pœnitentia et justitia vindicativa sunt aliquo modo circa idem, videlicet circa punitionem

A offensæ; sed differunt in duobus. Primo, quoniam vindicativa proprie est in judice pœnam infligente, quam reus patitur quandoque invite; pœnitentia vero est in reo pœnam voluntarie sustinente pro suo peccato. Secundo, quoniam vindicativa respicit offensam communiter; sed pœnitentia respicit proprie Dei offensam. Unde oportet quod pœnitentia consistat in emendatione offensæ sponte assumpta, et tali qualis competit Deo. Quemadmodum autem in hominibus, qui vident ea quæ foris *1 Reg. XVI, 7.*
B parent, fit offensæ recompensatio per aliqua exteriora; ita Deo, qui intuetur cor, oportet recompensationem fieri in cordis affectu. Fit quoque bene recompensatio præcedentis offensæ exterius, modis duobus. Primo, per hoc quod quis exterius pœnam subit pro offensa quam fecit. Secundo, per hoc quod cavet in futurum ab offensa alterius. Quæ duo oportet hominem Deo exhibere in corde per pœnitentiam pro peccatis : primo, per dolorem cordis pro malis quæ fecit; secundo, per
C propositum abstinendi ab illis de cetero. Et hæc duo tangit descriptio Gregorii atque Ambrosii, quum dicitur : Pœnitentia est, præterita mala deflere, et deflenda iterum non committere; quamvis non ponantur sub forma definitionis. Propter quod Magister ad formam ea reducens, ponit tria, utpote : genus, quum ait, Pœnitentia est virtus; et dolorem de malis præteritis, addens, Qua commissa mala deplangimus; propositum quoque futuræ emendationis, subjungens, Cum emendationis proposito.
D Et ad idem pertinent ceteræ definitiones. — Si autem objiciatur, quod stultum est dolere de eo quod non potest non esse, sed præteritum non potest non esse præteritum; dicendum, quod quamvis peccatum exsistat præteritum quantum ad actum, manet tamen quantum ad effectum reatus aut maculæ seu divinæ offensæ : et ita de eo tanquam de malo præsenti est dolor. — Hæc Thomas in Scripto.

His addit in tertia parte, quæstione octogesima quinta : Dolor seu tristitia duplici- *art. 1.*

ter sumitur. Primo, ut est passio appetitus A
sensitivi : sicque pœnitentia non est virtus, sed passio. Secundo, prout consistit in voluntate, et ita est cum quadam electione, quæ quum fuerit cum recta ratione, necessario est actus virtutis : quoniam virtus est habitus electivus secundum rectam rationem, ut secundo dicitur Ethicorum; docetque ratio, de Dei offensa maxime esse dolendum. Denique, quum species habituum distinguantur secundum species actuum, ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, necesse est ponere specialem B
virtutem. Quumque in ipsa pœnitentia sit hujusmodi actus, videlicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis; constat quod specialis sit virtus. Hæc in Summa. — Concordat Petrus in omnibus.

Richardus quoque, et addit : Pœnitentia quadrupliciter sumitur. Primo, pro remedio contra mortale peccatum per sacerdotes administrando : et ita est sacramentum, non virtus. Secundo, pro habitu habilitante C
hominem ad pœnitendum sub circumstantiis debitis : et ita est virtus. Tertio, pro actu hujus virtutis. Quarto, pro dolore sensibili pro peccatis : et ita est passio appetitus sensitivi, et auget, fovet ac promovet pœnitentiæ actum, dum eum præcedit ; quum autem sequitur, ostendit eumdem. — Insuper virtus dicitur generalis tripliciter. Primo essentialiter, utpote indeterminate accepta, quæ prædicatur de omni virtute. Secundo causaliter, et sic caritas est virtus generalis in quantum complet, movet ac D
format universas virtutes. Tertio dispositive, et sic pœnitentia dicitur virtus generalis, quia per eam disponitur homo ad omnium susceptionem virtutum. — Dicuntque aliqui, quod objectum pœnitentiæ est peccatum in quantum Dei offensivum. Quibus objicitur, quod sicut caritatis est Deum diligere, ita et ejus offensam odire. Idcirco videtur dicendum, quod pœnitentiæ objectum est proprium actuale peccatum, sub ratione qua est divinæ legis transgressio vindicabilis et expiabilis per actum pœnitentis. Hinc quoque dicendum, quod pœnitentia est species specialissima : quia sub hac ratione formali respicit omne peccatum actuale mortale. Hæc Richardus.

In cujus verbis videtur obscurum quod ait, objectum pœnitentiæ esse peccatum mortale actuale, quanquam S. Thomas et alii quidam hoc dicant. Non enim minus pœnitendum est de peccato mortali omissionis quam commissionis. — Obscurum quoque apparet quod in præhabitis Thomæ verbis habetur, quod philosophi non sint locuti de virtutibus nisi prout ordinantur in bonum humanum, non prout ordinantur ad providentiam Dei. Meliores namque philosophorum, præsertim Plato atque Platonici, apertissime posuerunt animam hominis immortalem, et per virtutes posse ad felicitatem pertingere, hortabanturque suos auditores a vitiis ad virtutes redire. De quibus super Joannem asserit Augustinus : Fuerunt philosophi de virtutibus subtilia multa dicentes, definientes, distinguentes, dividentes, ratiocinationes acutissimas concludentes; qui etiam hominibus dicere ausi fuerunt : Nostram sectam sequamini, si beate vivere vultis. Nec dubium quin Plato in Phædone loquatur de virtutibus prout ordinantur ac ordinant ad beatitudinem. Aliqui tamen philosophi providentiam Dei circa actus humanos immortalitatemque animæ negaverunt : de quibus verificari potest quod asserit Thomas.

Porro Albertus sequitur opinionem dicentium, quod pœnitentia non est proprie virtus, sed communiter et extense loquendo; et quod sit illo modo virtus generalis, quantum ad materiam circa quam versatur, quia de omnibus est peccatis. Nihilo minus sub speciali ratione, ut dictum est, p. 357 C.
et quantum ad hoc, potest dici virtus specialis.

Præterea Bonaventura sequitur positionem ex Thoma inductam, et addit : Pœnitentia est expulsiva peccati actualis, quod est macula animam deformans, atque ad

malum inclinans seu a bono dehabilitans, A et naturam etiam vulnerans : quam culpam perpetravit quis per actum voluntatis cum delectatione et libidine. Quumque delere culpam ut deformantem, sit gratiæ reformantis; delere vero culpam ut dehabilitantem, sit virtutis habilitantis; et delere eamdem ut vulnerantem, sit sacramenti curantis : ideo pœnitentia recte vocatur gratia, virtus et sacramentum. — Concordant Argentinensis, Durandus, et alii plures.

At vero Scotus : Videndum, inquit, quid B manet in peccatore, transeunte actu peccati, a quo nominatur peccator : quia si reale nil maneret in eo, non oporteret quærere quid sit delendum in eo, imo esset similis ei qui non peccavit. Itaque advertendum, quod est duplex justitia : habitualis, videlicet caritas et gratia; et actualis, scilicet rectitudo nata inesse actui elicito. Nam actus natus est elici conformiter regulæ suæ, in qua conformitate consistit rectitudo. Quumque opposita æque multipliciter dicantur, erit et duplex inju- C stitia : habitualis videlicet, puta privatio gratiæ in eo cui debet inesse; et actualis, utpote privatio rectitudinis istius in actu cui deberet inesse. Sed licet post actum extrinsecum transeuntem manet quædam injustitia habitualis, non tamen ab illa sola dicitur quis peccator : alioqui qui commisisset duo millia peccata mortalia, et qui unum solum, essent æque peccatores, quia in quolibet peccato mortali gratia aufertur totaliter. Dicitur ergo, quod in anima quæ peccavit, manet reatus culpæ, qui est quæ- D dam obligatio ad pœnam debitam illi culpæ; estque obligatio illa quædam realis relatio, non fundata super actum culpæ, sed super essentiam animæ, non tamen nisi prævia culpa actuali. — Hæc Scotus. Qui ultimum istud reprobat consequenter, et tenet, illud remanens non esse nisi rationis relationem, quam et asserit esse ordinationem peccatoris ad pœnam : quæ ordinatio est inconveniens naturæ ipsius, ideo macula nominatur; quæ etiam dicitur reatus, in quantum est obligatio ad pœnam formaliter. Verumtamen potius dicendum censetur, quod macula illa sit privatio nitoris gratiæ ac virtutum bonorumque actuum, debiti inesse. Circa istud quod ab aliis clare exprimitur, facit tantam involutionem et agitationem, ut nil aliud videatur nisi obscuratio veritatis.

QUÆSTIO II

Consequenter quæritur **De origine, ordine et subjecto pœnitentiæ, hoc est : an timore concipiatur; et utrum sit prima virtus; atque in qua potentia subjective locetur, imo et in quibus personis consistat, an scilicet in solis viatoribus, et utrum in omnibus illis.**

Videtur autem quod non concipiatur timore primo, quum sit virtus infusa, et per consequens nullo actu, studio aut conatu humano acquisita. — Item nonnulli convertuntur ac pœnitent desiderio vitæ æternæ, aut naturali Dei amore; quidam ex præventione divina dulci ac gratiosa. — Insuper non videtur quod pœnitentia sit prima virtutum ac fundamentum earum, sicut probabitur.

Ad hæc Bonaventura respondet : Origo virtutis pœnitentiæ effectiva, est Deus, qui eam sicut et ceteras virtutes infusas per creationem donavit. Origo vero dispositiva a nobis est : quoniam qui creavit nos sine nobis, non justificat nos sine nobis. Dispositio vero procedit hoc ordine. Primo necesse est Dei bonitatem justitiamque cognoscere, cui omne displicet malum culpæ, et qui inde offenditur, nec relinquit id impunitum; se quoque quædam fecisse quæ illius displicent æquitati, quod est cognitio propriæ culpæ, atque ex hoc agnoscit homo se divino judicio obligatum ad pœnam. Necesse est etiam misericordiam Dei cognoscere, qua paratus est redeunti ac pœnitenti

ignoscere. Et ita ex prima illa notitia A gignitur timor; ex secunda spes veniæ; et ex illis voluntas revertendi per pœnitentiam ad ipsum, et castigandi se, satisfaciendique ei per gemitum et alias pœnas; et faciendo quod in se est, ad justificationem disponit se. — Hinc pœnitentia potius dicitur timore concipi quam generari : quia generare est effectivi principii, sed concipere receptivi. Magis etiam dicitur pœnitentia concipi timore quam amore, quia peccator nondum habet amorem Dei, sed sui : qui amor nunquam generat pœnitentiam, nisi B quando timet. Unde, quamdiu sic amat et credit, non fugit peccatum : ideo non concipitur fide, quoniam ante timorem non est pœnitentiæ seminarium, quod est a culpa cessare. Hinc item magis concipitur timore quam spe : timor etenim concipit, spes promovet. Ex quibus patet, quod concipitur timore servili. Nec hoc inconveniens est, quia conceptio ista non est per productionem in esse, sed per dispositionem præfatam.

Præterea, si quæratur de ordine pœni- C tentiæ, hoc est, an sit prima virtus; dicendum, quod prius dupliciter dicitur. Primo secundum substantiam, secundo penes usum. Secundum substantiam omnes virtutes sunt simul; secundum usum vero est distinguendum : quia aut loquimur secundum imaginis informationem, et sic fides est prima; aut secundum regressum et reparationem, sicque pœnitentiæ actus est primus, quoniam immediatior est. Nam etsi simul stet motus liberi arbitrii cum contritione (qui motus a multis dicitur fidei D motus), gratia tamen adveniens per modum reparantis et expellentis culpam, immediate respicit pœnitentiæ motum seu actum. Quemadmodum enim gratia ordine naturæ prius expellit peccatum, quam habilitet et coaptet ad bonum : ita necesse est ut homo ex parte sui in justificatione sua primo adspernetur culpam, quam dirigatur in opus bonum. Hinc constat qualiter intelligendum sit quod super illud *Matth.* III, 2. Matthæi, Pœnitentiam agite, asserit Glossa : Prima virtus est, per pœnitentiam punire peccatum. Imo, per præinductam distinctionem solvuntur faciliter quæ pro utraque parte introducuntur.

Amplius, de subjecto pœnitentiæ diversæ exstant opiniones. Una, quod pœnitentia circuit omnes animæ vires, quoniam omnia deflet et expellit peccata. Quumque pro omnibus culpis delendis deflet, et ad fletum perfectum concurrant omnium motus virtutum, et ad expulsionem vitiorum habitus cunctarum virtutum; dixerunt pœnitentiam in omnibus viribus esse instar generalis justitiæ. Ad quod probandum, allegant Glossam super illud Isaiæ : Venter *Is.* XVI, 11. meus ad Moab quasi cithara sonabit. Interlinealis exponit, plangendo; et Glossa ait : Quemadmodum cithara compositum sonum non emittit, si una chorda fuerit rupta; sic spiritualis venter Prophetæ, si una virtutum chorda defuerit, dulce melos non resonabit. Ergo et pœnitentiæ luctum oportet per omnes vires diffundi. Satisfacit namque pœnitens orando, quantum ad rationalem; jejunando, quantum ad concupiscibilem; seque affligendo, quantum ad irascibilem. Sed quum juxta præhabita, *Cf.* p. 357 A. pœnitentia sit specialis virtus ac habitus, oportet quod sit in una speciali potentia subjective. — Hinc alii dicunt, quod sit in libero arbitrio, quod dicunt distinctam potentiam a ratione et voluntate ac eis superiorem, ut super secundum est recitatum *Cf.* t. XXII, ac improbatum. — Ideo alii dicunt, quod p. 278 D'. pœnitentia sit in vi rationali, quia reducitur ad justitiam, quam dicunt esse in ratione. Justitiæ quippe est reddere unicuique quod suum est : quod proprie est rationis, quum sit actus judicialis, et ratio in regno animæ judex sit : in qua etiam ratione ponitur prudentia sicut dux et consiliarius. Unde justitia quæ est virtus cardinalis, dicitur omnes vires animæ circuire; et aliquos habitus continet qui ad affectivam pertinere videntur, ut pœnitentiam et obedientiam. Hinc pœnitentia quoque, quamvis in una sit vi, multas tamen circuire perhibetur, estque in rationali tan-

quam regitiva ipsius concupiscibilis et irascibilis. A Scd rationabile non videtur, quod pœnitentia, quæ sonat affectum, quum sit dolor, ponatur in rationali. Habitus quoque virtutis non est ponendus circa potentiam imperantem, sed elicientem : nam in eliciendo est difficultas. Unde actus seu motus virtutis non dicitur proprie esse nisi potentiæ elicientis, sicut pugnare pro bono communi, est proprie fortitudinis actus, quamvis caritas imperet eum. — Hinc alia positio est, quod pœnitentia sit in irascibili, id est, in superiori vi affectiva, quæ B est voluntas, quemadmodum spes et caritas : quia hæ omnes dicunt affectiones, et pœnitentia respicit arduum, atque insurgit contra malum culpæ, tanquam odiens, persequens ac puniens illud. Huic positioni consentio.

Si vero objicias, quomodo potest pœnitentia esse in irascibili, quum sit species justitiæ, quæ est in rationali; dicendum, quod justitia est in tribus viribus, ut dicit *Gen.* II, 14. Glossa Genesis secundo. Et si instes, quomodo potest unus habitus esse in viribus C tribus; dico, quod justitia cardinalis est habitus, non sicut particularis conclusio, sed sicut una totalis scientia quæ continet multos habitus scientiales particulares. Sic et justitia continet obedientiam, humilitatem, pœnitentiam, largitatem ac veritatem; et secundum hos habitus potest justitia in diversis viribus collocari. Nam veritas cst in rationali, largitas in concupiscibili, pœnitentia et humilitas in irascibili. Attamen omnes uniuntur in hac ratione communi, quæ est unicuique reddere D Glossa in ps. XLI, 6. quod suum est. Quum autem auctoritas aliqua dicit, quod pœnitentia est in ratione; dicendum, quod ratio dupliciter sumitur, scilicet: proprie, pro speciali potentia, quæ etiam dicitur intellectus; et communiter, pro tota parte hominis superiori, quæ rationem et voluntatem includit. — Hæc Bonaventura.

Qui in quæstionibus circa litteram addit : Quæro, quomodo pœnitentia nuncupatur secunda tabula post naufragium. Si enim est secunda tabula post Baptismum, ergo erit secundum sacramentum. Et cur dicitur tabula? Quid item naufragium? Et dicendum, quod mare est mundus iste, juxta illud Psalmi, Hoc mare magnum. *Ps.* CIII, 25. Navis vero in qua et per quam transit homo super undas maris hujus, est gratia Spiritus Sancti, vel Ecclesia glutino caritatis conjuncta, secundum illud Proverbii: Facta est quasi navis institoris. Naufra- *Prov.* XXXI, 14. gium fuit corruptio nostra in Adam, in qua omnes posteri ejus jactati sunt super undas sæculi hujus per concupiscentiam et per pœnam. Ab hoc naufragio liberatur Cf. I *Petr.* III, 21. homo primitus per Baptismum, qui restituit innocentiam gratiamque amissam : idcirco vocatur et est tabula prima. Quumque quamplures gratiam deserant baptismalem, nec per Baptismum denuo possunt reparari, indigent rursus tabula alia, quæ est pœnitentia : in qua cuncta lavantur, et homo spiritualiter renovatur. Utrumque demum tabula nominatur : quoniam sustinet ac sustentat viatorem ne periclitetur per culpam, nec vitiis, tentationibus, inquietudinibus sæculi obruatur. Non tamen ponit hominem ita in tuto sicut erat in innocentiæ statu. Per naufragium quoque quidam intelligunt casum in quodcumque mortale peccatum. Quumque duplex sit mortale peccatum, utpote, originale et actuale; contra originale est Baptismus, contra actuale pœnitentia. Prior tamen expositio melior est. — Hæc Bonaventura. In quibus quod ait de subjecto et multiplicitate justitiæ, non apparet : quia justitiæ subjectum videtur esse voluntas, et ipsa est simplex specialisque habitus, unum simplex habens subjectum, ut de- *Cf.* t. XXIII, p. 521 C, 526 D. claratum est plenius super secundum et tertium.

Circa hæc loquitur Thomas : Virtutem pœnitentiæ Deus nobis infundit; dispositio vero aliqua ex parte nostri procedit, sicque originem quamdam habet in nobis. Verum quum actus humani non ex necessitate, sed ex libero procedant arbitrio; non potest cx parte nostri assignari causa

aliqua ex qua actus nostri semper proce- A dant, sed ex qua ut in pluribus : quod contingit propter indispositionem et variationem exsistentem in nobis, quæ tamen necessario non inclinat. Hinc omnes sermones morales intelligendi sunt ut in pluribus, ut primo Ethicorum habetur. Quumque secundum Damascenum, pœnitentia sit revocatio a peccatis, oportet originem ejus accipere secundum dispositionem exsistentis in peccato, qui non habet gustum spiritualiter sanum ut ex dulcedine divinæ bonitatis a vitiis retrahatur : imo habet B affectum inordinato sui ipsius amore infectum ; idcirco per pœnas, quæ suæ naturæ ac voluntati contrariantur, retrahitur. Hinc ut in pluribus, pœnitentia in eis ex timore habet initium, quamvis in aliquibus ex quodam inchoetur amore.

Porro dum quæritur, an pœnitentia sit prima virtutum ; dicendum, quod virtutes omnes pariter infunduntur quantum ad habitus ; sed quod una dicitur prior altera, intelligendum est quantum ad ordinem in earum actibus consideratum. Quumque C per actus virtutum homo tendat in Deum, oportet ordinem actuum considerari secundum ea quæ sunt in motu. Motum vero voluntatis præcedit cognitio, quia ut fertur tertio de Anima, appetibile imaginatum aut intellectum, movet appetitum ; similiter æstimatio possibilitatis, quia electio, quæ est principalis motus virtutis, non est de impossibili æstimato. Motus autem appetitus in duobus consistit, puta, in fuga mali et prosecutione boni : quæ duo diversimode ordinantur. Quandoque enim D aliquis fugit malum propter desiderium boni, aliquando econverso : et hic motus frequentius est in conversione peccatoris ad Deum per pœnitentiam. Hinc actum
Hebr. XI, 6. pœnitentiæ præcedit fidei actus, quia accedentem ad Deum oportet credere. Motus quoque spei conjunctus est motui timoris, quia ex motu spei habetur æstimatio de possibilitate veniæ consequendæ : ideo ait Gregorius, quod pœnitens movetur inter timorem et spem. Deinde ut in pluribus, sequitur pœnitentiæ motus ; deinde motio seu actio caritatis et aliarum virtutum per ordinem. Quandoque etiam motio amoris præcedit pœnitentiæ motum ; sed ille amor non est caritas, quia amissa caritas non recuperatur nisi per contritionem de culpis præteritis, quæ contritio est pœnitentiæ actus. Itaque pœnitentia prior est caritate et virtutibus eam sequentibus, atque posterior fide et spe. Verumtamen fides et spes non habent rationem perfectæ virtutis, nisi per caritatem sint informatæ, et secundum hoc pœnitentiam sequuntur. Sicque pœnitentia aliquo modo prima est inter omnes virtutes.

Ex quibus patet responsio, si quæratur utrum pœnitentia sit fundamentum virtutum. Respondendum est enim, quod fundamentum in spiritualibus dicitur ad similitudinem fundamenti in corporalibus, quod duas habet proprietates : unam, quod est prima pars ædificii ; secundam, quod ipso totum ædificium sustentatur. Hinc in spiritualibus aliquid dicitur fundamentum, vel ratione prioritatis, vel ratione conservationis sustentationisque aliorum, aut etiam ratione utriusque. Prioritas quoque dupliciter potest attendi. Primo, quantum ad spiritualium disciplinam : sicque quæ primo discenda sunt in christiana religione, fundamenta vocantur. Secundo, quantum ad vitam spiritualem : et sic fides dicitur fundamentum simpliciter primum ; timor autem et pœnitentia, in genere pertinentium ad affectum, quantum ad fugam mali ; caritas vero, quantum ad prosecutionem boni. Sed ratione sustentationis, in prosperis humilitas dicitur fundamentum, in adversis autem fortitudo. Timor quoque et pœnitentia in recedendo a malo, diversimode sunt fundamenta : quoniam timor est primum in toto genere, quod est recedere a malo ; pœnitentia autem quantum ad speciem istam, quæ est ratio recedendi a malo commisso. Hinc et timor præcedit pœnitentiam, sicut principia generis priora sunt principiis speciei.

Præterea quum dicitur, quod pœnitentia est secunda post naufragium tabula, est locutio metaphorica. Qui enim navigant prospero itinere mare, prima tabula sustentantur, utpote integra navi. Passi autem naufragium, pertingunt ad portum auxilio alicujus tabulæ navis fractæ. Et hæc secunda tabula nuncupatur, etiam post naufragium : non quod sit secunda post naufragium, sed quia ipsa exsistens post naufragium, est secunda a tabula quæ erat ante naufragium. Unde consuetudo Hieronymi est, ut patet ejus dicta legenti, ut omne illud quod præstat remedium post periculum aliquod, vocet secundam tabulam post naufragium. Quumque gratia baptismalis, per quam in Ecclesia collocamur, prima tabula ante naufragium appelletur, passis quodcumque naufragium per mortale peccatum, atque a gratia innocentiæ cadentibus, non restat remedium nisi pœnitentia : idcirco pœnitentia secunda tabula dicitur. — Hæc Thomas in Scripto.

De subjecto autem pœnitentiæ recitat opiniones quæ ex Bonaventura jam recitatæ sunt, et improbat, et concordat responsioni Bonaventuræ in hoc tam hic quam in tertia parte, quæstione octogesima quinta. Attamen, sicut patet ex tactis jam, hoc quod pœnitentia dicitur secunda tabula post naufragium, aliter Thomas, aliter Bonaventura exponit; et utraque expositio bona est, ac suos habet sequaces. — Scripta Petri de his in dictis Thomæ includuntur, et consonant eis.

Richardus vero : In eadem (inquit) potentia est habitus, in qua est principalis actus ipsius. Actus autem pœnitentiæ est in voluntate. Etenim actus ejus præcipuus, est proprium peccatum suum punire in quantum est contra justitiam legis divinæ, et expiabile per actus pœnitentis. Sed in peccati punitione principale, est efficax displicentia culpæ. Displicentia autem est actus exsistens in voluntate. Hæc Richardus.

Qui etiam sciscitatur, an pœnitentia sit
A nobis ex acquisitione, hoc est, an sit virtus acquisita. Ad quod breviter respondetur, quod sicut ponuntur in nobis aliæ virtutes morales infusæ, et aliæ acquisitæ, ita et pœnitentia.

Item quærit, an aliquando formetur (id est, caritate perficiatur) actus pœnitendi non elicitus ab aliquo pœnitentiæ habitu. Respondet : Ad hoc aliqui dicunt quod non, ita quod primus pœnitentiæ actus, quo quis primo pœnitet imminente mortis articulo, nunquam formatur; sed tali in-
B funditur pœnitentiæ habitus, quo de novo salubriter pœnitet. Hæc autem opinio nec auctoritate nec ratione probatur : ideo magis videtur contrarium. Hæc Richardus. — Quibus objici potest, quod juxta præ- p. 363 B.
habita, virtus pœnitentiæ simul cum caritate ac aliis virtutibus infunditur, ita quod caritas pœnitentiam illam habitualem non præcedit duratione.

Præterea Albertus præhabitis pro maxima parte concordans, respondendo ad id, in qua vi animæ sit pœnitentia, aliquid
C asserit speciale : Aliqui (inquiens) dicunt potentiam animæ esse subjectum virtutum ac vitiorum; quod tamen non est verum, nec subtili ratione prolatum. Impossibile enim est, aliquid esse subjectum non habens proprietatem materiæ : ideo anima est subjectum omnium quæ sunt in anima secundum id quod est, non secundum id quo est. Attamen verum est, quod quum anima perficiatur formis atque habitibus quæ sunt in ea, perficitur quodammodo quoad hanc et quoad illam potentiam : et
D hoc forsitan dicere volunt, dicendo quod hæc vel illa virtus est in ista vel illa potentia. Dico ergo sine præjudicio, quod pœnitentia est in irascibili, quum sit vindicta puniens in se propriam culpam. Hæc Albertus.

De cujus verbis oritur admiratio, quum ipsemet toties fateatur diversas virtutes in diversis esse potentiis animæ; sicut et hoc loco, postquam asseruit virtutum subjectum non esse vim animæ, protinus addit pœnitentiam esse in irascibili, quam fre-

quenter perhibet vim animæ esse. Denique A juxta eum, inter essentiam animæ et operationem ipsius media est potentia, per quam et a qua procedit actio mediante virtute seu habitu ; et habitus ipse determinat, aptat, expeditamque reddit potentiam ad agendum. Hinc communiter atque concorditer dicunt doctores, quod fides est in intellectu, sapientia quoque, scientia, prudentia et ars; spes vero, caritas, timor ut est donum, in voluntate. Nec cogit persuasio illa : nam et in potentiis animæ est aliquid materialis proprietatis, quum ab B essentia animæ fluere ac dependere dicantur, perficique indigeant, et quidam effectus consistant.

De pœnitentia composuit dominus Guillelmus Parisiensis episcopus tractatum specialem, devotionalem ac multum subtilem : Secunda (inquiens) tabula post naufragium, qua post reparationem et liberationem rursum mersi eripimur, est pœnitentia, in tantum salubris et necessaria, ut sine ea Baptismus liberare non valeat adultos qui præter originale passi C sunt naufragium mortalis peccati. Pœnitentia vero sine Baptismo potest salvare adultum, dummodo non adsit contemptus Baptismatis. Videtur autem pœnitentia quasi pœnæ tentio dicta, propter amissam innocentiam, seu quasi tentio amissæ innocentiæ. Pœnitens quippe amissam innocentiam quasi tenet, dum voluntate atque proposito eam tenet, dum eam desiderio toto insequitur, toto dolore revocat, toto studio totisque viribus recuperare conatur. Est ergo voluntate ac proposito D in statu innocentiæ, quam peccando amisit, nondum actu : imo jam quasi habet eam, habendo plenam et integram voluntatem habendi eam. Nempe maximum omnium quibus innocentia tenetur, est bona voluntas; minimum vero est opus, quod Deus modicum reputat et computat, ubi perfecta voluntas adfuerit. Pœnitens autem veraciter, vellet se nunquam peccasse; sed quia non peccasse impossibilitas perhibetur, vellet innocentiam tenere, nec valet : ideo totus dolet de amissione, totus ardet in recuperatione, totum quod potest paratus est facere, ut eam rehabeat. Itaque vere pœnitens, qui nomine et re pœnitens est, tantam sortem ac partem gratiæ jam accepit, ut ab omni debito quo præcedente lapsu se obligavit, se absolvere merito sufficiat. Quasi ergo æstimationem omnium amissorum in ipsa compunctionis gratia recipit ac sortitur.

Insuper pœnitentia recte etymologizatur ac dicitur quasi tentio pœnæ, id est pœnalis afflictionis, quum sit quasi carcer et mors veteris hominis, et punitio sui ipsius pro peccatis. Est namque pœnitentia quasi crux atque patibulum hominis veteris : pœnitentem etenim dolor compunctionis urget interius, et labor satisfactionis premit exterius. Est quoque pœnitentia judicium propriæ condemnationis, quo reus accusat et dijudicat semetipsum; et terminatio ægritudinis interioris, redditio rationis, computus, ac reconciliatio ab offensis, nativitas spiritualis parturitionis, resurrectio ex mortuis, ortus surgentis auroræ de tenebris, abjectio Ægyptiæ servitutis, computrescente jugo a facie olei; contritio, annihilatio, et in pulverem redactio veteris hominis, feriente desuper pilo doloris ac malleo indignationis contra se ipsum ac propriam perversitatem; eductio item de conclusione et carcere, restitutio sedis gratiæ thronique gloriæ; contra culpam triumphus, atque victoria salutaris. Denique auctoritatem ita judicandi et puniendi se ipsum sortitus est homo a Creatore, eo ipso quo ab illo constitutus est dotatus arbitrio, rationisque particeps et naturali lege imbutus : potissime quia et lege divina instructus, qua edocetur de sui conditoris injuriis et offensis summe incomparabiliterque dolere, ac toto conatu satisfacere illi, et recuperare amicitiam ac gratiam ejus et de cetero vitare omnem inhonorationem ipsius. — Hæc Guillelmus. Qui in præfato tractatu et in suo Sacramentali de his loquitur copiose, prout opportunis tangetur locis.

QUÆSTIO III

Et quia jam tactum est de subjecto pœnitentiæ, quæritur plenius, **In quibus naturis et personis locum habuerit aut habeat pœnitentia ista seu pœnitentiæ virtus.**

Si enim virtutes connexæ sunt, nec una sine alia valeat haberi, videtur quod in comprehensoribus, et in Christo gloriosaque Virgine, atque in innocentibus seu parvulis baptizatis pœnitentia habeat locum.

Ad hoc Thomas respondet : Habitus medius est inter actum et potentiam. Et quia remoto priori, removetur posterius, non econtra; idcirco remota potentia ad actum, removetur et habitus, non autem remoto actu. Et quia subtractio materiæ tollit actum, propter hoc quod actus non potest esse sine materia in quam transit; ideo habitus virtutis competit alicui cui non suppetit materia, propter hoc quod suppetere potest, et ita in actum transire : quemadmodum pauper homo habere potest habitum seu virtutem magnificentiæ, quamvis non habeat actum, quoniam potest habere magnitudinem divitiarum, quæ sunt materia magnificentiæ. Ideo, quum innocentes in statu innocentiæ non habeant peccata, quæ sunt materia pœnitentiæ, sed possint habere; actus pœnitentiæ in eis esse non potest, sed habitus : et hoc si gratiam habeant, in qua omnes virtutes infunduntur.

Porro dum quæritur, an pœnitentia sit in Beatis; dicendum, quod virtutes cardinales manent in patria secundum actus quos habent in suo ultimo fine, ut super tertium dictum est. Quumque pœnitentiæ virtus sit pars justitiæ, quæ est virtus cardinalis; idcirco quicumque habet virtutem pœnitentiæ in hac vita, perseveranter habebit eam in regno cœlesti, non tamen secundum eumdem actum quem nunc habet, sed actus pœnitentiæ erit ibi gratias

Cf. t. XXIII, p. 522 D', 524 A, 525 D.

A agere Deo pro misericordia dimittente peccata. — Postremo, quum in angelis sanctis peccatum non fuerit nec esse possit, constat in ipsis non esse virtutem pœnitentiæ, nec actum ejusdem, similiter nec in anima Christi. In dæmonibus vero et ceteris condemnatis, quum sint obstinati in malis, non potest esse pœnitentia ut est virtus, sed ut est passio, utpote dolor et quædam tristitia de propria culpa, secundum quod est eis tantæ miseriæ causa. Et quamvis in spiritibus non sit dolor ut est B passio partis sensitivæ; tamen in eis est aliquid simile, videlicet motus voluntatis detestans et contristans seu dolens. Unde in libro Sapientiæ legitur de damnatis : Gementes intra se, pœnitentiam agentes. — *Sap.* v, 3. Verum his objici potest, quia in Vitaspatrum quidam Patrum fertur dixisse : Abraham pœnitebit quod non plura operatus est bona, quum viderit gloriam Beatorum. Dicendum, quod voluntas Beatorum in patria est omnino conformis voluntati divinæ. Unde sicut Deus voluntate antecedente C vult omnia esse bona, non autem voluntate consequente, ita etiam est de Beatis. Et talis voluntas antecedens improprie pœnitentia appellatur a sancto illo Patre. — Hæc Thomas in Scripto. Concordant Bonaventura et Petrus.

Porro Thomas de Argentina ab his partim dissentiens, ait quod parvulo in Baptismo infunditur pœnitentiæ virtus, dato quod nunquam peccet, nec in futurum possit peccare. Doctores quoque communiter fatentur, quod virtus pœnitentiæ nun- D quam fuit in Christo; et tamen hic dicunt, quod manet in animabus beatis ad ornamentum. Ex quibus sequitur necessario, quod aliquod animæ ornamentum desit animæ Christi : quod inconveniens esse videtur. Hinc salvo meliori judicio, videtur dicendum, quod actus magis proprius pœnitentiæ est inclinare animam ad faciendum emendam Deo pro relaxanda offensa. Ad quem actum aliquis potest se habere dupliciter. Primo absolute, sicut qui peccavit aut peccat; et iste non convenit in-

nocenti nec Christo. Alio modo sub conditione, taliter cogitando : Si quocumque modo Deum offenderem, mox emendarem, et ex corde protinus pœniterem. Hoc modo actus pœnitentiæ debet esse in quolibet justo quamvis innocente, tam viatore quam comprehensore. Hinc pœnitentia non solum quantum ad ornatum, sed etiam quantum ad hujuscemodi actum, videtur esse in Christo non minus quam in quocumque alio justo ac innocente. Hæc Argentinensis.

Verum in his scripta S. Thomæ multo rationabiliora esse videntur. Nempe quum habitus ordinetur ad actum, non est rationabile ponere habitum ubi impossibile est ejus consistere actum. Conditionalis quoque nil ponit; et talis voluntas non est nisi valde incompleta velleitas, nec ad eam requiritur pœnitentiæ virtus, sed sufficit caritas et illuminatio mentis. Denique aliquid spectat ad ornatum et perfectionem in uno, quod non pertineret ad perfectionem et ornatum in alio, sed ad grandem imperfectionem : sicut in homine esse discursivum, atque quotidie in scientiis virtutibusque proficere, quod in angelis esset imperfectionis. Imo in eodem homine aliquid est perfectionis et ornamenti in uno ipsius statu, quod in alio ejus statu imperfectionis exsisteret in eodem : sicut esse fortem in fide et spe, est perfectionis et decoris in via, non in patria. Sic quamvis pœnitentiæ virtutem habere, sit ornamentum in Beatis qui aliquando potuerunt peccare, non tamen in Christo secundum assumptam naturam, secundum quam fuit D confirmatus in bono et comprehensor, quantum ad superiorem animæ portionem, a primo incarnationis instanti. Eadem etiam ratione qua probatur in Christo pœnitentia esse, sequeretur quod in ipso sint fides et spes, præsertim quum hæ virtutes sint pœnitentia digniores, unde et magis ornant.

Richardus quoque sanctum sequens Doctorem : Ad istam (inquit) quæstionem aliqui dicunt, Beatorum aliqui nunquam pec- A caverunt, sed transgredi potuerunt : qui si peccassent, peccatum eorum potuisset remitti, ut sunt animæ beatæ innocentium si diu mansissent in corpore. Alii nunquam peccaverunt, sed potuerunt peccare, et si peccassent, veniam consequi nequivissent, ut sunt angeli sancti. Alii peccare potuerunt et peccaverunt : ut qui in hac vita finaliter pœnituerunt. In primis est habitus pœnitentiæ. Nam quamvis in eis non habuit actum, potuit tamen habere. Habitus namque infusus non præsupponit ac- B tum neque includit, sed præsupponit in subjecto suo possibilitatem ad actum possibilem elici per illum eumdem habitum in numero, vel per alium speciei ejusdem. In tertiis quoque est habitus pœnitentiæ, quia in eis potuit habere suum actum et habuit : imo adhuc habet non actum illum qui est de peccato dolere, sed qui est gaudere de remissione peccati et se velle nunquam peccasse si esset possibile. In mediis vero non est pœnitentiæ virtus, quoniam nunquam potuisset in eis suum C actum habere, quia pœnitere non potuissent. Unde nec pœnitentia fuit in Christo. Habitus enim præsupponit esse vel fuisse, in illo in quo est, possibilitatem ad suum actum. In exsistentibus vero in purgatorio est pœnitentia quantum ad actum et habitum : dolent etenim de suis peccatis, et aliquo modo gaudent de remissione peccati. Hæc Richardus. — Ex quibus etiam patet, quod in statu innocentiæ fuit pœnitentia habitualis in primis parentibus.

QUÆSTIO IV

QUæritur quoque, **Utrum pœnitentia debeat usque in finem vitæ continuari, an gaudio interrumpi, et an valeat iterari.**

In hac quæstione tria tanguntur. Primum est, an pœnitentiam oporteat usque in finem durare. Videtur quod imo. Primo, omne tempus vitæ præsentis indultum est

nobis ut pœnitentiam in eo agamus, ut sancti Patres testantur. Secundo, peccatum in quantum est contra Deum majestatis ac sanctitatis immensæ, est enormitatis quodammodo infinitæ : ergo per totum tempus vitæ nostræ, etiam si mille annis viveremus, debemus inde dolere et illud deflere.

Secundum quod quæstio tangit, est utrum pœnitentia sit gaudio interrumpenda. Videtur quod sic, quia afflictus indiget vicissim consolatione. Et quia de omni actu virtuoso gaudendum est, ipsique actui meritorio delectatio est annexa; videtur quod de ipso actu pœnitentiali gaudendum sit, et delectandum in ipso.

Tertium est, an pœnitentia possit iterari. Et apparet quod non, quia de ratione pœnitentiæ est præterita mala deflere, et deflenda non committere. Quædam etiam peccata irremissibilia nominantur. Sed et primo Regum habetur : Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro peccato illius? (I *Reg.* II, 25.)

Ad hæc respondet Albertus : Absque ambiguitate pessima est hæresis, dicere pœnitentiam non posse excidere nec iterari, sicut Magister in littera bene declarat. Nec fundamentum aut ratio est veræ pœnitentiæ, de cetero non peccare, sed habere propositum firmum amplius non peccandi. Et ita pœnitentia quodammodo est infinita, non duratione, sed cordis intentione : quoniam detestatur peccatum in perpetuum, in quantum intendit illud nunquam reiterare. Hinc si quis patiatur recidivum, non sequitur quod non fuerat ante veraciter pœnitens; nec impossibile est eum iterum pœnitentiam iterare, quum totum tempus vitæ præsentis sit tempus merendi et demerendi.

Et si objiciatur illud Apostoli ad Hebræos, Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam bonum verbum Dei, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam (*Hebr.* VI, 4-6.); respondendum, quod aliud est renovari ad pœnitentiam, et aliud iterum pœnitere. Renovari enim ad pœnitentiam, est denuo baptizari in remissionem peccatorum : quod non potest contingere. Sed iterum pœnitere, est manente charactere baptismali, rursus de peccato dolere cum emendationis proposito. — Si autem instetur, quia Baptismus non potest iterari, imo injuriam ei infert qui repetit illum, ut patuit (*Cf.* dist. VI, q. 3.): ergo nec pœnitentia, præsertim quum utrumque a Christi passione efficaciam sortiatur; dicendum, quod non est simile, propter tria. Primo, quia Baptismus immediate trahit vim suam a Christi passione tantummodo : ideo sicut passio Christi non iteratur, sic nec Baptismus. Pœnitentia autem supponit aliquid in nostra voluntate, quæ mutabilis iterabilisque consistit, cujus dolor est pœnitentia. Secundo, quia Baptismus characterem imprimit, ut patuit supra (*Cf.* p. 160 C' D'.) : idcirco si iteraretur, essent in eodem duo characteres baptismales. Tertio, quia Baptismus est contra originale peccatum, quod non iteratur (*Cf.* p. 161 B); pœnitentia vero contra actuale, quod iteratur quotidie. — Hæc Albertus.

Consonat Thomas : Opinio, inquiens, quæ dicit hominem a pœnitentia vera non posse excidere, falsa est, et similis errori dicentium, quod caritas semel habita, non possit amitti. Quod reprobatum est super tertium (*Cf.* t. XX p. 54 B e s.; XXIII p. 503 C.) : quoniam caritas non aufert libero arbitrio flexibilitatem in statu viæ. Similiter quod futurum est, non est de integritate atque essentia virtutis nunc exsistentis et actualiter inhærentis, nisi secundum quod illud futurum est præsens in apprehensione ac voluntate. Habitus quippe quum sit naturæ permanentis, totam suæ essentiæ perfectionem habet in instanti, quæ et tota simul in unum actum potest effluere. Hinc potest esse pœnitentia vera, quamvis ab ea per recidivum quis excidat. Quemadmodum autem offensa quamdam habet infinitatem, ita et actus contritionis, in quantum procedit ex gratia et actuali motione Spiritus Sancti, efficaciam-

que sortitur ex virtute et merito Christi. A

Porro dum quæritur, an dolorem pœnitentiæ oporteat gaudio interrumpi : dicendum, quod gaudium et tristitia secundum genus contraria sunt; non tamen quodlibet gaudium cuilibet tristitiæ opponitur, sed tristitiæ de eodem. Si autem de contrariis sunt vel de diversis, unum potest esse causa alterius, vel materiale ad ipsum. Qui etenim de alicujus præsentia gaudet, sequens est ut de ejus absentia contristetur. Similiter, quando de aliquo contristari est nobis utile seu decens, ipsa tristitia potest B esse materia gaudii. Si ergo gaudium et tristitia directe contraria accipiantur, non possunt simul esse in eodem secundum idem. Si vero sint de contrariis vel diversis, possunt esse simul quantum ad causam suam : quoniam potest simul inesse voluntas de uno, et voluntas de alio; et similiter, si unum sit ratio alterius. Verum quantum ad sensum (qui requiritur in utroque, quoniam gaudium non est sine perceptione convenientis, neque tristitia sine perceptione nocivi) impossibile est utrum- C que simul inesse intense : quia dum anima circa unum intense occupatur, ab alio retrahitur. Sed imperfecte possunt simul inesse, ita tamen quod unum sit modo perfectius, et aliud postmodum. Dolor autem qui est in pœnitentia, est de peccato commisso : ideo simul cum hoc non potest esse gaudium de eodem. Sed potest esse gaudium de spe veniæ quam pœnitens concipit per dolorem; et item de hoc ipso, quod habendo dolorem pro suis peccatis, facit quod debet. Ideo detestatio peccati D commissi, quæ est causa doloris, et voluntas detestandi, quæ causa est gaudii, simul sunt : nam volens detestatur. Quumque unum sit ratio seu causa alterius, anima ad utrumque simul potest converti, in quantum ex utroque fit quodammodo unum. Quum autem ex duobus fit unum, unum est quasi materiale, aliud ut formale : ideo anima convertitur ad unum per prius, et ad aliud per posterius. Idcirco utrumque non potest simul esse secundum rationem suam completam, sed nunc unum, nunc alterum. Dum quippe plene convertitur ad spem veniæ, tunc principaliter concipitur gaudium, et dolor de peccato ex consequenti. Quando vero principaliter convertitur ad peccatum commissum, tunc est econtrario. — Hæc Thomas in Scripto. De tertio scribit sicut Albertus.

Præterea Bonaventura : Causa (ait) deceptionis dicentium non posse hominem a vera pœnitentia cadere, fuit quia non attenderunt quid designet hoc nomen, vera, quum dicitur vera pœnitentia seu caritas vera. Quamvis enim *unum* dicat indivisionem principiorum entis, et *verum* dicat indivisionem entis ab esse seu ab actu absoluto (attamen prout natum est notum fieri apud intellectum), et *bonum* indivisionem dicat ab actu ut in finem relato; dum tamen verum reflectitur super bonum, dicendo, vera virtus, utrumque potest importari, et utroque accipi modo. Itaque veritas pœnitentiæ dupliciter sumitur, quemadmodum et uniuscujusque virtutis. Nam primo dicitur virtus vera, quæ habet verum opus virtutis, vel nata est habere de se : et hæc veritas est de virtutis essentia. Secundo dicitur virtus vera, quæ perducit in finem : et hæc veritas non est essentialis virtuti, sed solum dicit virtutis statum seu contiuuationem. Itaque pœnitentia dicitur vera primo modo, si sit dolor de culpa cum efficaci emendationis proposito, quamvis non perseveret usque in finem; sed secundo modo dicitur vera, quando perducit ad ultimum finem. — Postremo crudelissimus ac pessimus error est, dicere quod pœnitentia nequeat iterari, claudens viscera misericordiæ Dei, et homines faciens desperare, ac pene universos a salute secludens. Unde per Ezechielem Dominus protestatur : Si impius *Ezech.*
egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis xviii, 21, 22.
suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. Hæc Bonaventura.

Concordat Richardus, et addit : Pœnitentia accipi potest ut virtus, et ut sacramentum;

et de peccato remisso per pœnitentiam quæ est virtus seu actus virtutis, tenetur homo pœnitentiam quæ est sacramentum recipere, si potest. Si autem homo non habeat conjecturam probabilcm de remissione sui peccati, et quando ex deliberatione cogitat de suis peccatis, tunc ea detestari tenetur. Non enim servat fideliter recuperatum divinæ amicitiæ fœdus, cui actu non displicet id quod inter Deum et ipsum causa inimicitiæ fuit, quando de illo actualiter cogitat atque deliberat. Et quoniam homo quamdiu est in hac vita, potest facere quod in se est, potest gratiam recuperare. Homini autem hoc facienti, Deus gratiam et pœnitentiam mox infundit. Hæc Richardus.

QUÆSTIO V

Nunc quæritur, **An debeat esse aliqua solennis pœnitentia, et de ritu illius, atque an possit reiterari.**

Videtur quod nulla debeat pœnitentia solennis seu publica confitenti imponi. Hoc enim esset ejus peccatum manifestare, et alios perterrere et a confessione avertere. — Omnia quoque quæ in foro conscientioso inter confessorem confitentcmque fiunt, debent esse secreta. Non ergo publica pœnitentia est injungenda.

Ad hæc Thomas : Aliqua (inquit) pœnitentia debet esse publica et solcnnis, propter quatuor. Primo, ut publicum peccatum publicam habeat medicinam. Secundo, quoniam maxima confusione etiam in hoc mundo est dignus qui gravissimum facit scelus. Tertio, ut sit aliis ad terrorem, ne tale quid audeant perpetrare. Quarto, ut sit eis ad pœnitendi exemplum, ne desperent qui gravibus detinentur excessibus. Sicque in his pœna correspondet culpæ, dum enormi ac publico sceleri gravis ac publica injungitur pœna. Unde patet, quod

A confessor in tali casu non patefaciat facinus confitentis, quum aliunde constet gravitas sui excessus in speciali, vel saltem in generali. Interdum quoque unus pro alio pœnitentiam agit, et ita non sequitur quod taliter pœnitens personaliter excessit enormiter. Nec istud derogat secreto fori confessionis, quoniam sicut confitens confitetur secrete, ita et pœnitentia ei occulte injungitur, quam tamen exsequi ipse potest aperte. — Dicitur autem pœnitentia omnes revocare defectus, restituendo ac B reducendo confitentem ad pristinam gratiam, non ad pristinam dignitatem : ideo mulieres post peractam pœnitentiam de fornicatione, non velantur, quoniam virgineam non recuperant dignitatem. Similiter post publicam pœnitentiam peccator non potest ad clericatum assumi ; et episcopus talem ordinans, potestate ordinandi privandus est, nisi forte necessitas exposcat Ecclesiæ aut consuetudo. Tunc enim dispensative ad minores recipitur ordines, non ad ordines sacros. Primo, propter di- C gnitatem ordinum horum. Secundo, propter recidivandi timorem. Tertio, propter scandalum evitandum in populo, quod posset oriri ex præcedentium memoria delictorum. Quarto, quoniam non haberet frontem corrigendi alios, quum ejus excessus fuerit publicus.

Denique de ritu solennis pœnitentiæ advertendum, quod omnis pœnitentia solennis est publica, non econtra. Pœnitentia quippe solennis fit sic : In capite Quadragesimæ tales pœnitentes præsentant se D cum presbyteris suis episcopo civitatis ante fores ecclesiæ, sacco induti, nudis pedibus, vultu demisso, coma deposita ; et eis in ecclesiam introductis, episcopus cum omni clero dicit septem psalmos pœnitentiales. Deinde manum eis imponit, aquam benedictam spargit, cineremque eorum imponit capitibus, cilicio operit colla eorum, denuntians eis lacrimabiliter, quod sicut Adam ejectus est de paradiso, sic ipsi de ecclesia ejiciuntur ; et jubet ministris ut eos de ecclesia pellant, clero eos perse-

en. III, 19. quente cum responsorio isto : In sudore A vultus tui. Porro in Cœna Domini omni anno a suis presbyteris in ecclesiam reducuntur, et erunt ibi usque ad octavas Paschæ; ita tamen quod nec communicabunt nec pacem accipient. Sicque fiet omni anno, quamdiu aditus ecclesiæ eis est interdictus. Ultima vero eorum reconciliatio reservatur episcopo, ad quem solum spectat solennis pœnitentiæ impositio. Potest autem imponi viris ac mulieribus, sed non clericis, propter scandalum. Talis quoque pœnitentia non debet imponi nisi pro B peccato quod totam commoverit urbem. — Pœnitentia demum publica et non solennis, est quæ in facie Ecclesiæ fit, non cum solennitate prædicta, ut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Potest quoque iterari atque a simplici sacerdote injungi, imo et clerico potest imponi. Interdum tamen unum istorum pro alio ponitur, ut solennis pro publica, et econtra. Mulieri vero non deponitur coma in solenni pœnitentia sicut viro, quoniam mulier gerit comam in signum subjectionis. C

Denique solennis pœnitentia non est iteranda. Primo, ne ex iteratione vilescat. Secundo, propter significationem, quia designat ejectionem Adæ de paradiso, quæ semel tantum est facta. Tertio, quoniam solennizatio ista est quasi quædam professio pœnitentiam perpetuo conservandi. Verumtamen si peccaverit denuo, non negatur ei pœnitentiæ locus, sed alia pœnitentia ei est imponenda. — Hæc Thomas in Scripto. Concordant Petrus, Richardus aliique communiter, qui affirmant triplicem esse D pœnitentiam, puta : privatam seu secretam, quæ communiter fit occulte, item publicam, et solennem.

QUÆSTIO VI

Modo quærendum est **De effectibus pœnitentiæ**, qui sunt multi. Et quæritur primo, an per pœnitentiam auferantur ac dimittantur peccata.

Videtur quod non, quoniam de Antiocho II Mach. rege legitur secundo Machabæorum, quod IX, 11 et seq. sentiens se justo Dei judicio plagatum, pœnituit, veniam petiit, et multa opera bona se promisit facturum, nec meruit exaudiri. De Esau quoque ait Apostolus ad Hebræos, quod non invenit pœnitentiæ locum, Hebr. XII, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. 17.

Quæritur quoque, an per pœnitentiam dimittatur reatus, id est obligatio ad pœnam pro culpa dimissa, et item reliquiæ vitiorum.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa, libro quarto : Dum peccator primo ad Deum convertitur, dimittit suum peccatum, proponens de cetero non peccare, et de suis dolet peccatis : quod totum aliquo modo facere potest per fidem informem, et per timorem servilem liberumque arbitrium. Quum vero facit omnino quod in se est, tunc protinus Deus quoque facit quod in ipso est, sicut ait per Zachariam prophetam : Convertimini ad Zach. I, 3. me, et convertar ad vos. Et quum Deus ita se convertit ad hominem, infundit ei gratiam gratum facientem, quæ expellit peccatum, et pœnam æternam mutat in temporalem. Adhuc tamen manet in pœnitente vitiorum sequela, quæ triplex est. Prima est, difficultas videndi spiritualiter, seu spiritualis obscuritas. Nondum enim potest tam clare videre quid sit agendum et quid non, sicut ante peccatum. Quod figuratum est in cæco a Christo illuminato, qui dixit : Video homines sicut arbores Marc. VIII, ambulantes. Secunda est, difficultas bene 24. agendi juxta bonum affectum. Tertia est, pœna temporalis. Duo prima tollit ac pellit contritio, gratiam et ejus illumiuationem ac confortationem adipiscendo, sicut ait Apostolus : Optimum est gratia stabiliri Hebr. XIII, 9. cor. Tertium aufert per modum meriti, dummodo contritio in tantum crescat ac vigeat. Præcipua vero difficultas est, auferre has vitiorum reliquias ac sequelas in his qui prava consuetudine sunt infecti, quum in Ecclesiaste dicatur : Si retusum Eccle. X, 10.

fuerit ferrum, multo labore acuitur. — Sed A argui potest, quod non requiratur contritio ad delendum obscuritatem videndi ct difficultatem bene agendi : quia virtutes non solum per motum doloris contrariæ sunt illi obscuritati ac difficultati, sed et per motum clarificationis ac roborationis, quum sint lumina, arma ac fortitudines animi. Respondendum, quod in pœnitentia requiritur dolor. Primo, quoniam est medicina contraria causæ morbi, id est libidini seu concupiscentiæ, qua homo vult in creatura inordinate delectari. Secundo, quia pec- B catum est quædam rubigo : idcirco multa defricatione, afflictione atque punitione oportet ipsum auferri. Unde ait Gregorius: Ferrum nostræ mentis ad subtilitatem non ducitur, nisi frequenti tribulationum asperitate elimetur. Hæc Antisiodorensis.

At vero Bonaventura : De peccatis (inquit) dolere seu pœnitentiam agere, contingit dupliciter. Primo, propter læsionem naturæ, et pœnam debitam pro peccato. Secundo, propter divinæ majestatis offensam atque justitiæ derogationem, cum C emendationis proposito ac conatu. Primo modo potest quis pœnitere ex sola natura. Nam sicut homo se naturaliter diligit, ita et naturaliter odit id per quod malum incurrit. Ideo pœnitentia ista est in damnatis et in pravis hominibus. Potissime quoque erit in angelis malis, quando omnino absorpti erunt a pœnis. Verum in hac pœnitentia vivit et regnat mala voluntas, quum sit proprii boni amica. Proptcr quod Deus eam non acceptat, nec talitcr pœnitens veniam gratiamve meretur. Secundo modo D pœnitere, non est sinc gratia Dei gratum faciente, aut gratis data quæ in tantum disponit ad gratiam gratificantem, quod omnis sic pœnitens, mox consequitur veniam et gratiam Dei. Imo, dato per impossibile quod diabolus taliter pœniteret, misericordiam sortiretur; sed libero arbitrio nequit se vertere ad veniam postulandam. Gratiam vero taliter pœnitendi Deus finaliter nulli largitur, nisi cum quo vult misericordiam facere consummatam. — Itaque Antiochus et Esau non pœnituerunt secundo modo, sed primo. — Quod ait Isidorus in libro de Ordine creaturarum, quod dæmones non pœnituerunt, et si pœnituissent, veniam non obtinuissent : intelligendum est de pœuitentia primo modo accepta.

Præterea si quæratur, utrum pœnitentia restituat homini opera bona prius mortificata per culpam; dicendum, quod verum est, et communis tenet positio, quod opera quæ prius fuerunt viva, ac postea per culpam mortalem mortificata, restituuntur et denuo vivificautur, gratia redeunte. Unde super illud Joelis, Reddam vobis annos *Joel* II, quos comedit locusta, asserit Glossa : Non patitur Dominus perire ubertatem, id est meritorum fecunditatem, quam per turbationem amisistis. Denique quod quis præmio operum prius meritoriorum privatur, est quia peccando mortaliter, incapacem se fecit mercedis æternæ. Ergo quum pœnitendo exhibeat se rursus capacem illius, revivificantur in ipso, non quod eodem numero redeant, sed quod reputantur ei in præmium, et acceptantur a Deo, ut prius. Dicunt quoque nonnulli, quod opera bona in caritate facta, in quantum bona sunt, a Deo sunt : ideo sunt in laudem Dei, et ipse de eis laudandus est. Et quia in unitate mystici corporis, id est in caritate Ecclesiæ, facta sunt, pertinent ad mysticum corpus; et quia ex libera et justa voluntate hominis prodierunt, ad ipsius facientis meritum spectant. Idcirco, ipso pcccante, manent in mystico corpore ; et alii elccti de ipsis gaudebunt, ac Deum inde laudabunt; sed isto per pœnitentiam resurgente, ei denuo reviviscunt : sicque nunquam inania sunt.

Quæritur quoque, an perfecta pœnitentia restituat in pristinum gradum. Et respondendum, quod pœnitentia nominatur perfecta dupliciter : primo, quantum ad durationem tantum; secundo, quantum ad durationem et fervorem. Et primo modo exhibita, non restituit semper in pristinum gradum, ut si fiat ita remisse, quod faciens

eam non præparat se ad gratiam tantam quantam amisit. Si vero perfecta sit secundo modo, dico quod si pœnitens tam ferventer dolet de culpa, ut decet eum qui de tanto cecidit statu, credo quod per eam redit in pristinum gradum. Unde in libro Quinque responsionum, de ista pœnitentia loquitur Augustinus : Pœnitentia est res quædam perfecta ac optima, universos defectus revocans ad perfectum. Nam et opera Dei perfecta sunt, et ipse medicus summus, quantum in se est, sanitatem largitur perfectam. — Hæc Bonaventura.

Ex quibus patet responsio ad alia quædam quæ quærit, videlicet an necesse sit resurgere in caritate æquali aut majori : Ad quod, ait, aliqui dicunt quod imo, quia (ut opinantur) Deus non permitteret cadere suos electos, nisi videret quod hoc eis deberet prodesse. Et addunt, quod Deus electos suos in meliori statu seu dispositione vitæ ipsorum accipit de hac vita; et item, quod opus bonum remuneratur a Deo quantum meruit radix ex qua fuit. — Sed hanc opinionem credo falsam, quia contingit perfectum cadere virum, qui tamen pœnitendo resurgens, non statim perfectus est, quia nemo repente fit summus. Item minima caritas potest delere omne peccatum : non ergo oportet in caritate æquali resurgere; sed potest aliquando in minori. Item qui in majori exstitit caritate ante ruinam, potest remissius pœnitere, et ita caritatem sortietur minorem. Hæc Bonaventura.

At vero Thomas super his plenius scribens : Pœnitentia, ait, potest considerari ut sacramentum, et ut virtus. Et utroque modo aliquo modo cooperatur ad remissionem peccatorum. Nam ut est sacramentum evangelicæ legis, gratia datur in ea ad defectum illum sanandum contra quem est instituta, utpote ad dimissionem actualis peccati. Operatur quoque ad remissionem peccati, in quantum virtus, speciali modo præ virtutibus ceteris : quia secundum omnem virtutem formatam, ex parte habitus dimittuntur peccata, ratione

A gratiæ quæ cum ea infunditur ; sed hoc est formaliter remittere. Pœnitentia vero ex parte sui actus habet quod peccata per eam dimittuntur, secundum quod peccata sunt materia ejus. Quum enim peccatum ex hoc remitti dicatur vel retineri, quod habet rationem offensæ, id quod tollit offensam, aufert peccatum. Quumque offensa, in quantum hujusmodi, sit inæqualitas quædam qua unus alteri detrahit quod illi debetur, actu illius virtutis peccatum dimittitur quæ inæqualitatem illam ad æqualitatem reducit.
B Quod facit pœnitentia, quæ in recompensationem divinæ offensæ spiritum contribulatum offert Deo : ideo pœnitentiæ etiam ex parte sui actus convenit peccata auferre. Et hoc non est solum formaliter, sed etiam efficienter per pœnitentiam peccata dimitti.

Verumtamen pœnitentia non semper tollit totum reatum peccati. Ut enim quinto et octavo Ethicorum ait Philosophus, tam justitia quam amicitia in quadam æqualitate consistit. Qui ergo aliquem offendit,
C peccat contra æqualitatem amicitiæ, in quantum affectum debitum non impendit; et contra æqualitatem justitiæ, in quantum rem alteri debitam subtrahit. Et sicut hæc duo in offensa quandoque ab invicem dividuntur, ita et in recompensatione aliquando separantur : ut quando pœna per violentiam offendenti infertur. Tunc enim fit recompensatio quantum ad justitiam, non quantum ad amicitiam. Similiter, quando offendens placat offensum verbis, re subtracta non restituta, fit recompensatio
D amicitiæ, non justitiæ. Peccator ergo per affectum peccandi amicitiam Dei violat, atque per inobedientiam seu transgressionem legis divinæ honorem debitum subtrahit Deo. Et ex primo amittit gratiam et incurrit offensam ; et ex secundo meretur pœnam, ut quod subtraxit per inobedientiam, subtrahatur ab eo per pœnam. Hoc quoque meritum pœnæ vocatur reatus. Ideo per pœnitentiam qua homo se subjicit Deo, peccata detestando cum emendationis proposito, remittitur peccatum quantum

ad offensam ; non tamen oportet quod dimittatur quantum ad totum reatum, nisi pœna jam persoluta.

Si autem objiciatur, quia Deus non plus exigit in pœna, quam fuit in culpa ; sed major dolor est in contritione de peccato, quam fuit delectatio in peccando, quoniam quantitas doloris de peccato est secundum quantitatem amoris divini, qui major est quam omnis cupiditas : ergo Deus non exigit pro peccato aliam pœnam, quam illam quæ est in contritione, sicque pœnitentia ab omni solvit reatu. — Dicendum, quod secundum Philosophum quinto Ethicorum, in recompensatione injuriæ justitia commutativa non semper servat æqualem quantitatem absolute in pœna, ei quæ fuit in culpa : non enim si quis percussit principem, sufficit quod repercutiatur tantumdem. Requirit tamen æqualem pœnam, habita prius comparatione ad personam in quam culpa commissa est. Quumque per pœnitentiam homo de se ipso faciat justitiam Deo, non sufficit tantus dolor in pœnitentia, quanta delectatio fuit in culpa : quoniam illa delectatio in injuriam Dei fuit, in quantum Deo prætermisso, homo delectationi se subdidit in peccando.

Insuper, si quæratur an per pœnitentiam reliquiæ peccati tollantur : dicendum, quod sicut pœnitentia non tollit reatum totaliter per quemlibet actum, sed tunc quando ad perfectum perducitur secundum omnes pœnitentiæ partes ; sic nec oportet per primum pœnitentiæ actum universos defectus auferri qui ex actuali sequuntur peccato, et reliquiæ peccatorum seu vitiorum vocantur. Unde et in corporali sanatione, cui pœnitentia assimilatur, reddita sanitate, adhuc quædam manent reliquiæ morbi prioris, quousque perfecta sanitas obtineatur.

Amplius, per pœnitentiam gratia ac virtutes restituuntur. Hæ namque causantur in anima ex divini luminis influentia, quæ intercipitur et impeditur per peccatum : quemadmodum nubes interposita inter solem et nos, radios ejus tollit a nobis,
A juxta illud Isaiæ, Peccata vestra diviserunt *Is.* LIX,
inter Deum vestrum et vos. Quumque pœnitentia tollat peccata, et in primo suo actu offensam peccati, deinde reatum ; ideo sicut ventus auferens nubem, restituit nobis solis splendorem, sic pœnitentia tanquam removens quod prohibebat gratiam, restituit nobis gratiam gratum facientem et omnes virtutes. Et hoc modo est homo causa gratiæ sibi desuper datæ, se disponendo et obicem removendo. Nec obstat quod in eodem instanti obex removetur et
B gratia datur. Nam et in eodem instanti quo obstaculum luminis primo remotum est, lumen consequitur, et tamen remotio obstaculi est causa illuminationis. — Ex istis elicitur, quod opera bona ex genere extra caritatem facta, non vivificantur per pœnitentiam. Nam quod aliqua bona per pœnitentiam restituuntur, non est nisi per accidens, in quantum pœnitentia removet prohibens. Talis autem causa exigit causam per se respectu effectus, cujus ipsa est causa per accidens. Nulla autem potest
C poni causa per se vivificationis operum extra caritatem factorum, quoniam vita operum ex vita operantis dependet : idcirco quod opera viva sint, habent a caritate et gratia, quæ non formant neque vivificant nisi actus qui procedunt ex ipsis.

Denique opera facta in caritate, per peccatum mortale sequens mortificantur, quia impotentia fiunt et inidonea ad perducendum hominem in vitam beatam. Et si objiciatur, quod non manent, ergo non mortificantur ; dicendum, quod sicut opera
D prava transeunt actu et manent reatu, sic opera bona in caritate facta quamvis actu desinant esse, tamen manent quantum ad meritum, et quantum ad hoc possunt mortificari. — Sed contra hæc objici potest, quoniam pœna non debet excedere culpam. Si ergo sit aliquis multis actibus bonis abundans, non videtur decere bonitatem divinam, ut illum privet tot tantisque meritis vitæ æternæ propter unum opus iniquum. Et respondendum, quod omnia merita nostra ac bona sunt Dei dona ;

per ingratitudinem autem meretur homo A accepta beneficia perdere. Ideo per quodcumque mortale peccatum quantumlibet parvum, meretur homo omnium præcedentium actuum amittere merita. — Verumtamen opera bona ac meritoria per sequens mortale peccatum mortificata, per sequentem pœnitentiam rursus vivificantur. Opera namque facta in caritate, manent ad meritum in Dei acceptatione, et ita efficaciam habent perducendi hominem ad vitam beatam : a quo effectu impediuntur in recidivante, per accidens, hoc B est per sequens peccatum, per quod fit homo indispositus et indignus ad præmium præcedentium meritorum. Quumque per supervenientem pœnitentiam indispositio atque indignitas removeantur a pœnitente, palam est quod opera illa bona denuo vivificantur in ipso, quia suum sortiuntur effectum et reacceptantur a Domino, cui per pœnitentiam reconciliatur peccator. Unde quod Hugo ait, Nemo peccet in spe, quia quod semel amittitur, amplius non recuperatur : intelligendum est de C tempore ipso, quod semel amissum recuperari non valet. Ideo temporis jactura exstat gravissima.

Præterea quæri potest, an isti effectus conveniant pœnitentiæ in quantum est virtus, vel in quantum est sacramentum. Dicendum, quod in peccato consideranda sunt duo, utpote : inordinatio actus, et macula consequens inde in anima. Et secundum hoc, peccatum dupliciter remittitur. Quum enim per illam inordinationem homo injuriam fecerit Deo, idcirco ex hac D parte peccatum remittitur, per quod inæqualitas illa injuriæ reducitur ad æqualitatem justitiæ : quod facit pœnitentia per actum suum, in quantum est virtus. Ex parte vero maculæ, peccatum remittitur per gratiam, quæ formaliter maculam aufert, sicut albedo nigredinem, atque ex consequenti per virtutes alias gratia formatas. Quumque pœnitentia sit talis virtus, etiam ipsa formaliter tollit peccatum ex parte habitus. Et hoc est quod aliqui dicunt, quod remittit peccata in quantum est gratia. Non enim potest dici gratia nisi in quantum informata est ea, vel propter similitudinem operis. Sed ut sacramentum, etiam ex parte hac tollit quasi effective peccatum, quia gratiam tribuit : sicut inducens albedinem tollit nigredinem. Sicque pœnitentia in quantum est sacramentum, dimittit peccatum : quoniam sacramenta novæ legis sunt instrumentales causæ gratiæ. Deus vero remittit sicut causa efficiens principalis, et Christus homo sicut meritoria causa, sacerdos vero sicut minister Dei sacramentorumque dispensator. Et quoniam ceteri effectus pœnitentiæ jam prætacti sequuntur ex ea in quantum remittit seu tollit peccata, ideo similis est ratio de ceteris omnibus pœnitentiæ effectibus.

Postremo quæritur, an sine pœnitentia peccator remissionem consequi valeat peccatorum. Et dicendum, quod manente causa, manet effectus. Causa autem quare privatur quis gratia, est inæqualitas peccatoris qua Deum offendit : quæ quamdiu ad æqualitatem reducta non fuerit, non cessabit privatio gratiæ. Quod quum per pœnitentiam fiat, non potest sine pœnitentiæ actu remitti peccatum. Unde libro de Pœnitentia loquitur Augustinus : Nemo suæ voluntatis arbiter constitutus, potest novam vitam incipere, nisi pœniteat eum veteris vitæ. Hinc pœnitentia dicitur sacramentum necessitatis. Quemadmodum enim Baptismus ordinatur contra originale peccatum, ita pœnitentia contra actuale. Sed ab originali nullus adultæ ætatis potest mundari, nisi actu aut proposito Baptismum suscipiat : ergo et sine pœnitentia taliter accepta, nemo ab actuali purgatur. — Et si objiciatur, quod sufficit bona voluntas et fervens affectio; dicendum, quod ista sine gratia haberi non queunt, nec gratia sine pœnitentia in eo qui fuit in peccato actuali mortali. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus Albertus, Petrus, Richardus, aliique communiter satis concordant.

DISTINCTIO XV

A. *Quod pluribus irretitus peccatis, non potest pœnitere de uno vere, nisi de omnibus pœniteat.*

ET sicut prædictis auctoritatibus illorum error convincitur qui pœnitentiam sæpius agendam non putant, et per eam a lapsu peccantes frequenter surgere diffitentur; ita eisdem illorum opinio eliditur qui pluribus irretitum peccatis asserunt de uno vere pœnitere, ejusdemque veniam a Domino consequi posse sine alterius pœnitentia. Quod etiam auctoritatibus adstruere conantur. Ait enim Pro-
Nahum I, 9. pheta : Non judicabit Deus bis in id ipsum, vel ut alii transtulerunt : Non consurget duplex tribulatio. Si ergo (inquiunt illi) aliquis sacerdoti fuerit confessus unum de duobus vel pluribus peccatis, et de illo injunctam sibi a sacerdote satisfactionem expleverit, ceteris tacitis; non pro illo peccato amplius judicandus est de quo satisfecit ad arbitrium sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideoque si de eo
De Pœnit. dist. III, c. 42. iterum judicetur, bis in id ipsum judicat Deus, et consurget duplex tribulatio. — Sed de his oportet illud tantum intelligi qui præsentibus suppliciis commutantur in bonum, et sic perseverant, super quos non consurget duplex tribulatio. Qui vero inter flagella duriores et deteriores fiunt, ut Pharao, præsentibus æterna connectunt,
Ibid. c. 43. ut temporale supplicium sit eis æternæ pœnæ initium. Unde Augustinus : Ignis succensus est, etc., id est, vindicta Dei hic incipiet, et ardebit usque ad extremam damnationem. Hoc contra illos notandum est qui dicunt illud, scilicet, Non judicabit Deus bis in id ipsum, ad omnia pertinere flagella : quia quidam hic flagellis emen-
Beda, in Matth. IX, 4. dantur, alii hic et in æternum puniuntur. Quinque enim modis flagella contingunt :
Job I, 12 et seq. vel ut justis per patientiam merita augeantur, ut Job; vel ad custodiam virtutum,
II *Cor.* XII, 7. ne superbia tentet, ut Paulo; vel ad corrigenda peccata, ut Mariæ lepra; vel ad
Num. XII, 10, 14. gloriam Dei, ut de cæco nato; vel ad initium pœnæ, ut Herodi, quatenus hic vide-
Joann. IX, 3. *Act.* XII, 23. atur quid in inferno sequatur, secundum illud : Duplici contritione contere eos,
Jer. XVII, 18. Domine. Illa ergo auctoritas Nahum non cogit nos sentire, omnia quæ temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda. Nam etsi super eumdem locum Hieronymus
Hier. in Nahum I, 9. dicat Ægyptios et Israelitas a Deo temporaliter punitos, ne in æternum punirentur ;
Gen. VII, 10 et seq. non est tamen de omnibus generaliter intelligendum. Ait enim sic : Quod genus
Ibid. XIX, 1 et seq. humanum diluvio, Sodomitas igne, Ægyptios mari, et Israelitas in eremo perdidit,
Exod. XIV, 16 et seq. scitote ideo temporaliter pro peccatis punisse, ne in æternum puniret, quia non
Num. XI, 1 et seq. judicabit Deus bis in id ipsum. Qui ergo puniti sunt, postea non punientur : alioqui mentitur Scriptura, quod nefas est dicere.

B. *Quæ sit intelligentia præmissorum.*

Attende, lector, his verbis, et cave ne de omnibus generaliter intelligas, sed de his tantum qui inter ipsa flagella pœnitentiam egerunt, credentes in Deum Hebræorum; quam etsi brevem et momentaneam, tamen non respuit Deus. Quod autem qui per temporale flagellum non corriguntur, post æternaliter puniantur, ibidem ostendit, agens de fideli deprehenso in adulterio qui decollatur; ubi ostendit, levia peccata brevi et temporali supplicio purgari, magna vero diuturnis æternisque suppliciis reservari, ita inquiens : Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat. Aut enim punietur, et falsum est quod dicitur, Non judicabit Deus bis in id ipsum; aut non punietur, et optandum est adulteris, ut hic brevi pœna puniantur, ut frustrentur cruciatus æternos. Ad quod respondemus, Deum ut omnium rerum ita suppliciorum quoque scire mensuras; et non prævenire sententiam judicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferre potestatem, et magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. Si quis vero punitus sit temporaliter, ut ille qui Israelitæ maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa levis præsenti supplicio compensata sit. Levis enim culpa levi supplicio compensatur. — His satis innuit Hieronymus, gravia peccata et hic puniri gravi supplicio, et in futuro punienda æternaliter, de quibus pœnitentia non agitur inter flagella; levia vero quæ hic puniuntur, levi pœna compensationem recipere : quod in bonis fieri non ambigimus, et in malis forte etiam fit ita. Satis jam apparet, quod illi de prophetia induxerunt, non facere pro eis qui dicunt, ei qui crimen sibi reservat, de alio veniam præstari per pœnitentiam. — Alias quoque auctoritates inducunt. Ait enim Gregorius : Pluit Dominus super unam civitatem, et super alteram non pluit, et eamdem civitatem ex parte compluit, et ex parte aridam relinquit. Quum ille qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, et ex parte arida remanet, quia sunt quidam qui quum quædam vitia resecent, in aliis graviter perdurant. Item Ambrosius : Prima consolatio est, quia non obliviscitur misereri Deus; secunda, per punitionem, ubi etsi fides desit, pœna satisfacit et relevat. — Ratione quoque utuntur, dicentes : Si is qui unum peccatum confitetur, altero tacito, satisfactionem a sacerdote injunctam expleverit, numquid si et peccatum tacitum conversus fuerit confessus, pro utroque ei pœnitentia imponetur? Longe hoc videtur a ratione et Ecclesiæ consuetudine esse, quæ pro eodem peccato, nisi reiteretur, nulli bis pœnitentiam imponit. Fuit ergo illa peccati condigna satisfactio, unde et peccatum deletum videtur.

De Pœnit. dist. III, c. 4.

Hier. in Nahum I, 9.

Lev. XXIV, 10-14. *Num.* XV, 35, 36.

Gregor. in Ezech. lib. I, hom. 10, n. 23. Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 13. *Amos* IV, 7.

Ambr. in ps. 118, sermo 18, n. 3. *Ps.* LXXVI, 10.

C. *Quomodo accipienda sint præmissa.*

His responderi potest sic. Illud Gregorii, Pluit Dominus, etc., non ad criminis veniam, sed ad operis pravi desertionem referendum est, ut ideo pars civitatis

De Pœnit. dist. III, c. 44.

dicatur complui, quia ab actu et delectatione peccati cui ante serviebat, modo cessat, non quod ejus veniam habeat. Vocaturque pluvia, illa talis continentia qua ab opere peccati revocatur : quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur, ut vel sic paulatim ad pœnitentiam veniat, vel eo minus a Deo puniatur, qui diuturniori delectatione et actu peccati majus sibi accumulasset tormentum. Si vero ad indul- *Matth.* XVIII, 23 et seq. gentiam reatus pluvia referatur, evangelicæ sententiæ contraire videbitur. Si enim propter misericordiam qua quis proximo suo non miseretur, etiam quæ dimissa sunt, replicantur ad pœnam ; multo magis quæ nondum sunt dimissa, propter odium fraternum ad pœnam reservari probantur. Et si ille qui arbiter suæ voluntatis con- Aug. Sermo 351, n. 2. stitutus est, non potest inchoare novam vitam (ut ait Augustinus), nisi pœniteat eum veteris vitæ ; quomodo ad novitatem indulgentiæ perveniet qui odii vetustatem non deposuit? Illud etiam quod Ambrosius ait, Etsi fides desit, pœna satisfacit, etc., non de fide intelligitur qua creditur in Deum, sed de conscientia delicti. Deest enim *Ps.* XVIII, 13. fides, quum conscientia peccati non subest. Nam quum delicta omnia nemo intelligat, est aliquando in homine peccatum cujus non habet conscientiam. Unde I *Cor.* IV, 4. Apostolus : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Quum ergo quis flagellatur pro peccato cujus non est conscius, si patienter fert pœnam et humiliter amplectitur, cogitans se forte peccatum habere quod non intelligit, et pro eo puniri a Deo, pœna illa satisfacit et relevat gravatum. — Ad hoc autem quod objicitur de satisfactione illa : Si satisfactio non fuit, iterum imponenda est ; si vero iterum imponenda non est, satisfactio fuit ; sed si satisfactio fuit, veniam impe- *Matth.* III, 8. travit : responderi potest, satisfactionem ideo non fuisse, quia ille dignos fructus Gennad. de Eccles. dogm. c. 24. pœnitentiæ non fecit. Est enim satisfactio pœnitentiæ, ut ait Augustinus, peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere. Idem : Sane qui sce- Aug. Enchirid. c. 75. lerate vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur quia Dominus *Luc.* XI, 41. ait, Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Hoc enim quam late Aug. op. cit. c. 72. pateat, non intelligunt. Multa enim sunt genera eleemosynarum, quæ quum facimus, adjuvamur. Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, et hujusmodi ; sed etiam qui dat veniam petenti, eleemosynam dat ; et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, vel orat ut ei peccatum dimittatur, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, Ibid. c. 73. quando eorum consulitur utilitati et non voluntati. Sed ea major est, qua ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccavit. Minus enim magnum est, erga eum esse benevolum qui tibi nihil mali fecit ; illud multo grandius, ut tuum etiam inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest, facit, semper bonum velis Ibid. c. 75. faciasque quod possis. Quod ergo Dominus ait : Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis : itane intellecturi sumus, ut non credentibus in Christum munda sint Ibid. c. 76. *Eccli.* XXX, 24. omnia, si eleemosynas istas dederint? Qui vult ordinate eleemosynam dare, a se debet primum incipere et eam primum sibi dare. Est enim eleemosyna opus mise- Aug. op. cit. c. 77. ricordiæ, verissimeque dictum est : Miserere animæ tuæ, placens Deo. Non ergo se

fallant qui per eleemosynas largissimas fructuum suorum vel pecuniæ impunitatem se emere æstimant, in peccatis permanentes : quæ ita diligunt, ut in eis optent versari. Qui vero diligit iniquitatem, odit animam suam; et qui odit animam suam, *Ps.* x, 6.
non est misericors ei, sed crudelis. Diligendo quippe eam secundum sæculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vult ei dare eleemosynam per quam fit munda, odiat eam secundum sæculum, et diligat eam secundum Deum. Hac eleemosyna, quam sibi homo primitus debet, mundantur interiora. Ad quod hortans Christus ait : Mundate quæ intus sunt. Immundis enim nihil est mundum; sed polluta sunt eorum *Matth.* XXIII, 26.
mens et conscientia, ut ait Apostolus. Immundi vero sunt omnes quos non mundat *Tit.* I, 15.
fides qua creditur in Christum, de qua scriptum est : Mundans fide corda eorum. *Act.* XV, 9.
Sed ne istas eleemosynas quæ fiunt de fructibus terræ, respuere Christus videretur : Aug. Enchirid. c. 76.
Hæc (inquit) oportuit facere, scilicet judicium et caritatem Dei, et illa non omittere, *Matth.* XXIII, 23.
scilicet eleemosynas fructuum terrenorum. — Ex his datur intelligi, quod in peccato mortali permanentes, etsi eleemosynas largas faciant, non tamen per eas satisfaciunt : quia inordinate agunt, dum a se non incipiunt. Nec proprie dicitur eleemosyna tale opus, dum sibi ipsis crudeles exsistunt, non placentes Deo. Non ergo dicenda est illa peccati satisfactio, quam quis agit pro uno peccato, dum perdurat in altero : quia nihil prodest jejunare et orare et alia bona agere, nisi mens revocetur a De Pœnit. dist. III, c. 21.
peccato; et si aliquando conversus tacitum peccatum sacerdoti fuerit confessus, de utroque imponenda est ei satisfactio, quia de primo condigne non satisfecit.

D. *Secundum quosdam fuit satisfactio.*

Quibusdam tamen videtur fuisse satisfactio, sed infructuosa, dum in peccato Ibid. c. 44.
altero persistit; percipietur tamen fructus ejus, incipietque proficere, quum peccati alterius pœnituerit. Tunc enim utrumque dimittitur peccatum, et satisfactio præcedens vivificatur, quæ fuerat mortua : sicut Baptismus illi qui ficte accedit, tunc primitus valet, quum fictio a mente recedit per pœnitentiam. Et in hujus opinionis munimentum auctoritates inducunt. Ait enim Augustinus : Pium est credere, et Aug. de Vera pœnit. n. 29.
nostra fides expostulat, ut quum gratia Christi in homine destruxerit mala, priora etiam remuneret bona; et quum destruxerit quod suum non invenit, diligat bonum quod in peccante plantavit. Item Hieronymus : Si quando videris inter multa pec- Hier. in Agg. I, 6.
cata quemquam facere aliqua justa opera, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum; sed faciet ea metere et in horrea congregare quæ in bona terra seminavit. — Sed hæc dicta intelligimus de illo qui in caritate quodam tempore bona facit et bonus est, alio vero tempore malus est et multa peccata facit. Non ergo intelligendum est eum inter multa peccata justa opera fecisse, quasi simul uno eodemque tempore peccata fecerit et justa opera, sed diversis temporibus utraque fecisse. Nisi enim bonus foret quando bona fecit, non seminasse diceretur in terra bona. Destructis ergo malis post opera bona commissis, priora bona, in caritate scilicet facta, quæ sequentia mala mortificaverant,

De Pœnit. dist. iv, c. 19. pœnitentia de illis malis habita vivificantur, et remunerantur. Unde Apostolus,
Hebr. vi, 1. Jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis; opera mortua nominans,
priora bona significat, quæ per sequens peccatum erant mortua : quia hi peccando
priora bona irrita fecerunt. Hæc sicut peccando irrita fiunt, ita per pœnitentiam
reviviscunt, et ad meritum æternitatis prodesse incipiunt. Similiter et illud bonum
amat Deus quod plantavit in peccante, in illo scilicet qui post bonum illud peccavit,
**alias* bene non simul peccans et bonum* operans exstitit : quia talis hominis opus non diligeret
Deus ad remunerationem. — Potest etiam accipi de operibus bonis quæ ab aliquo
fiunt dum malus est et in peccato mortali persistit vel ad tempus vel usque in
finem : quæ dicuntur a Deo remunerari et non dari oblivioni, non quia proficiant
ad vitam æternam obtinendam, sed ad tolerabilius extremi judicii supplicium sen-
Aug. de Patient. n. 23. tiendum; sicut de fide et ceteris quæ sine caritate habentur, Augustinus ait : Si
Ephes. iv, 3. quis non habens caritatem quæ pertinet ad unitatem spiritus et vinculum pacis, quo
Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget
patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammas, vel bestias, vel ipsam
crucem timore gehennæ, nullo modo ista culpanda sunt, imo et hæc laudanda est
patientia. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nihil
horum pateretur quæ passus est confitendo; sed æstimandum est fortasse tolera-
bilius ei esse futurum judicium, quam si Christum negando nihil horum pateretur,
I *Cor.* xiii, 3. ut illud quod ait Apostolus, Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem
autem non habuero, nihil mihi prodest : nihil mihi prodesse intelligatur ad regnum
obtinendum, sed ad extremi judicii tolerabilius subeundum supplicium. Et infra :
Aug. op. cit. n. 20. Hæc propter caritatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse vera patientia :
I *Cor.* xiii, 4, 7. quoniam in bonis caritas Dei est, quæ tolerat omnia.

E. *Perstringit dictorum summam, ut alia addat.*

Ex his ostenditur, bona quæ sine caritate fiunt, prodesse quidem ad tolerabilio-
rem pœnam sentiendam, sed non ad vitam obtinendam. Illa enim quæ in caritate
quis facit, si postea prolapsus fuerit nec exsurrexerit, non esse in memoria Dei,
Ezech. iii, 20; xviii, 24. Ezechiel dicit : Si averterit se justus a justitia, et fecerit iniquitatem, numquid
vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur; in peccato suo morietur
et non erunt in memoria justitiæ quas fecit. In cujus loci expositione Gregorius
Gregor. in Ezech. lib. i, hom. ii, n. 21. ait : Hoc nobis maxime considerandum est, quia quum mala committimus, sine
causa ad memoriam transacta bona revocamus, quoniam in perpetratione malorum
nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. Intelligendum est hoc, ad vitam
percipiendam bona præterita non dare fiduciam, etsi ad mitiorem pœnam : alioqui
præmissæ auctoritati Augustini obviaret. Et bona ergo sine caritate facta, et bona
in caritate facta quæ concomitatur mortalis culpa quam non delet sequens pœni-
tentia, ad sensum mitioris pœnæ proficiunt, non ad vitæ fructum.

F. *Auctoritates alias inducit contra eos qui dicunt de uno peccato pœnitentiam agi altero tacito.*

Satis arbitror illis esse responsum qui asserunt de uno crimine pœnitentiam agi et veniam præstari, alio in delectatione retento, vel per confessionem non exposito : qui non modo præmissis auctoritatibus confutantur, sed etiam subditis. Ait enim Augustinus : Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quædam in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a dæmonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reservari, habenti septem dæmonia proficere potuit, sex expulsis. Expulit autem septem, ut omnia crimina simul ejicienda doceret. Legionem vero dæmonum ab alio ejiciens, nullum reliquit ex omnibus qui liberatum possideret, ostendens quod et si peccata sint mille, oportet de omnibus pœnitere. Nunquam aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberavit. Totum enim hominem sanavit in sabbato : quia et corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione liberavit, indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine. Scio enim Deum inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui crimen reservat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo unquam invenit gratiam. Hostis enim Dei est, dum offendit perseveranter. Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est dimidiam sperare veniam : jam enim sine vera pœnitentia inveniret gratiam. Pœnitentia enim vera ad Baptismi puritatem confitentem conatur ducere. Recte enim pœnitens, quidquid sordis post purificationem Baptismi contraxit, oportet ut abluat saltem lacrimis mentis. Sed satis durus est cujus mentis dolorem oculi non declarant. Sed sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis vel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit in lacrimis. Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat. Idem : Pœnitentes, si vere estis pœnitentes, et non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo ! Pœnitentiam agis, genua figis et rides : subsannas Dei patientiam. Si pœnitentiam agis, pœnitet te; si non pœnitet te, non es pœnitens. Si ergo pœnitet te, cur facis quæ male fecisti? Si fecisse pœnitet, noli facere; si adhuc facis, certe non es pœnitens. Item Innocentius II : Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, quum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur; vel quum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.

Aug. de Vera pœnit. n. 24. — Marc. VII, 32 et seq. — Luc. VIII, 2. — Ibid. 30. — Joann. VII, 23. — Aug. Sermo 393, n. 1. — De Pœnit. dist. V, c. 8.

G. *Repetit de vera pœnitentia, ut addat quædam.*

Ex præmissis perspicua fit notitia veræ pœnitentiæ vel satisfactionis. Illa enim vera est pœnitentia, quæ peccatum abolet : quod illa sola facit quæ scelus corrigit. Illa vero scelus corrigit, quæ odium commissi criminis et committendi cum desiderio satisfaciendi affert. Judas enim pœnituisse legitur sine assecutione veniæ, quia

Hier. in Matth. XXVII, 5. tali pœnitentia non correxit crimen. Unde Hieronymus : Nihil Judæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando frater sic peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti; sin autem permanent Ps. CVIII, 7. opera, frustra voce assumitur pœnitentia. Hoc est quod de eo dicitur, Et oratio ejus fiat in peccatum : ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed proprii homicidii scelus addiderit. Cave qualiter intelligas illud, Ut emendare valeat quod peccavit, etc. Non enim emendatio hic intelligenda est rei demptæ recompensatio, sed delicti exprobratio et abominatio cum satisfactionis desiderio. Demit enim injuste quis alicui, quod restituere non valet, ut oculum vel vitam, et hujusmodi; et tamen si pœnituerit peccati cum amore condignæ satisfactionis, veniam habet. Nec ideo Decret. p. II, caus. 14, q. 6, c. 1. quisquam putet, qui rem alienam injuste abstulerit quam reddere potest, de illo peccato pœnitere ac veniam consequi, nisi restituat ablatum. Quamdiu enim res propter quam peccatum est, non redditur, si reddi potest, non agitur pœnitentia, sed fingitur.

SUMMA
DISTINCTIONIS QUINTÆDECIMÆ

PRÆHABITA distinctione tractavit Magister quid sit pœnitentia ipsa in se, et de quibusdam proprietatibus ejus, quorumdam quoque errores excludens ; hic circa eamdem materiam excludit et alium quemdam errorem dicentium, hominem posse pœnitere, satisfacere et veniam obtinere de uno peccato mortali, aliis peccatis mortalibus retentis, seu per pœnitentiam non deletis. Et de hoc tractat diffuse ac diligenter, motiva illius opinionis tangens ac solvens, et multa verba Sanctorum obscura exponens, catholice ac bene declarans, atque ecclesiasticam assertionem demonstrans, videlicet mortalia simul inexsistentia non posse ab invicem dividi quantum ad pœnitentiam ac veniæ consecutionem. Tanguntur autem in textu materiæ Scripturarum utiles valde, et specialiter verba Hieronymi circa illud Nahum I, 9, juxta LXX. Nahum prophetæ, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum, de Ægyptiis a Deo plagatis, de Sodomitis sulfureo igne consumptis, et de Israelitis in solitudine propter sua peccata occisis, an per temporalem A pœnam evaserunt æternam. De qua etiam materia plene tractat magister Gratianus in Decreto; cujus dicta concordant his. Deinde, circa finem hujus distinctionis breviter tangitur de satisfactione et restitutione, et quod ad satisfactionem specialiter pertinent oratio, eleemosyna, jejunium. Nec relaxatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quum prætactus error in ista distinctione plenissime reprobetur, quæ paucos aut nullos habet nunc defensores, idcirco doctores specialiter scribunt hic et quæ- B runt de satisfactione et de prænominatis partibus ejus, et item de restitutione.

QUÆSTIO PRIMA

PRimo ergo hic quæritur, **Quid sit satisfactio, et an homo valeat pro suis peccatis satisfacere Deo.**

Et sicut continetur in littera, satisfacere est peccatorum seu vitiorum causas exci- C dere, et eorum suggestionibus aditum non præbere aut indulgere.

Contrà quod objicitur, quia satisfacere est per opera satisfactoria offensam atque injuriam alicui irrogatam recompensare. Et sicut habetur in textu, satisfactionis

opera quantum ad Deum, præcipue sunt, A orare, eleemosynam dare, et jejunare: quæ non sunt idem quod causas vitiorum excidere. — Rursus causæ et radices vitiorum sunt fomes et innata fragilitas, amor privatus, instabilitas cordis : quæ non videntur posse excidi. Imo circa hæc excidenda et exstirpanda perpauci videntur intenti, et ita paucissimi satisfacerent Deo.

Videtur quoque quod homo non queat satisfacere Deo, quia non potest aliquid æquivalens rependere Deo. Satisfacere autem dicit quamdam adæquationem satisfa- B ctivi ad offensam injuriati, inæqualitatem injuriæ seu offensæ reducendo ad complanationem et æqualitatem justitiæ. Quum ergo peccatum Deitatis offensivum et injuriativum, sit quodammodo infinitæ enormitatis, non videtur homo pro illo satisfacere posse. — Item quidquid habemus, sumus et possumus, a Deo sortiti sumus, ac ei debemus tam pro beneficio creationis quam conservationis, et potissime pro supernaturalibus beneficiis ejus. Ergo ex illis non possumus ultra debitum illud Deo C aliquid exhibere, ac debita alia ei persolvere.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa, libro quarto : Dicendum est, inquiens, de satisfactione. Sicut enim tribus modis offendimus Deum, videlicet corde, ore et opere; sic justum est ut tribus modis satisfaciamus, corde per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem. Hoc significatur per triduum de
Exod. v, 3. quo Moyses ait in Exodo : Ibimus viam D trium dierum in solitudinem, ut sacrificemus Deo nostro. Tunc demum utilis est exterior satisfactio, quando homo videt, odit ac detestatur fœditatem sui peccati, quo sufficienter expleto, aptus est Deo immolare dignas spiritualesque hostias. Itaque satisfacere est causas peccatorum excidere, etc. Qui enim abstinet a peccato cum proposito non peccandi, satisfacit. Ait namque Hieronymus : Non jejunat qui abstinet a carnibus naturalibus et vescitur carnibus draconis, id est diaboli, cujus carnes sunt, arrogantia, odium, invidia, detractio, contentio, etc. Ergo abstinere a peccato, est jejunium quod elegit Dominus.

Si autem objiciatur, quod ministri Ecclesiæ confessores sequi debent Christum summum sacerdotem, qui pro peccato non injunxit exteriorem satisfactionem, sed abstinere de cetero a peccato, dicens mulieri in adulterio deprehensæ, Vade et noli *Joann.* VIII, amplius peccare : ergo minores sacerdotes 11. non debent exteriorem satisfactionem injungere. — Rursus, veraciter pœnitens in infinitum plus dolet de culpa sua quam de amissione suæ pecuniæ. Habet enim caritatem quæ in infinitum plus odit peccatum quam temporale damnum. Quum ergo pœnitere sit dolere, quod est quoddam puniri, sequitur quod pœnitens interiori punitione incomparabiliter se plus punit, quam peccando gavisus est, vel exteriori satisfactione affligitur. Non ergo requiritur exterior satisfactio.

Respondendum, quod sacerdos quædam injungit ad fundamentum satisfactionis, utpote abstinere a vitiis et restituere ablata, sine quibus nullus digne satisfacere valet. Quædam vero injungit ad expeditionem satisfactionis, ut vitare pravorum consortia. Corrumpunt enim mores bonos I *Cor.* XV, colloquia mala. Hinc dictum est Lot : Noli 33. *Gen.* XIX, 17. post tergum respicere, etc. Quædam injungit ad substantiam satisfactionis, ut jejunare, eleemosynas dare, peregrinationes, disciplinas, et consimilia. Quædam vero ad perfectionem, plenitudinem et securitatem satisfactionis, ut opera supererogationis. Abstinere igitur a peccatis fundamentum est satisfactionis, non ipsum satisfacere. Duplex quoque est excisio causarum peccati : una simplex, consistens in abstinentia a peccato; alia quodammodo violenta, et per contraria, quemadmodum per jejunium excidimus causam luxuriæ, per eleemosynarum largitionem causam avaritiæ. Sicque accipitur excidere causas peccatorum in præhabita definitione. Jeju-

nium quoque a solis corporalibus cibis Dominus non acceptat, sed illud quo simul a vitiis abstinetur. — At vero minores sacerdotes Christum sequi debent in actibus virtuosis, non in eminentia atque potentia, in quibus nec possunt nec debent ipsum sectari. Dominus autem mulierem illam in adulterio captam vidit pro suis peccatis perfecte punitam per contritionem et erubescentiam quam coram hominibus fuit passa : ideo aliam ei pœnitentiam non injunxit. Et quia minores sacerdotes pœnitentium corda non intuentur, ignorant an contritio sola sufficiat : ideo exteriorem satisfactionem injungunt. — Nec sequitur, Magis dolet, ergo magis se punit sola contritione : quum dolor ille non sit ita proportionalis exteriori punitioni. — Hæc Antisiodorensis.

Præterea, circa hæc Thomas primo sciscitatur, an satisfactio sit virtus, vel actus virtutis. Respondet : Aliquis actus dicitur esse actus virtutis dupliciter. Primo materialiter : et sic quilibet actus non implicans nec includens malitiam, nec defectum debitæ circumstantiæ, dici potest actus virtutis, quoniam quolibet tali actu potest virtus uti in suum finem, ut ambulare, etc. Secundo dicitur actus esse actus virtutis formaliter, quia in nomine suo formam et rationem virtutis habet implicitam : sicut fortiter sustinere est fortitudinis actus. Formale autem cujuslibet virtutis moralis est ratio medii : hinc omnis actus qui medii rationem importat, est formaliter actus virtutis. Quumque æqualitas sit medium quod designat satisfactio in nomine suo (quum nil dicatur satis nisi secundum proportionem æqualitatis ad aliquid), constat quod satisfactio etiam formaliter sit actus virtutis.

Si autem quæratur cujus virtutis, dicendum quod secundum Philosophum quinto Ethicorum, medium justitiæ sumitur secundum adæquationem rei ad rem in aliqua proportionalitate. Quumque talem adæquationem nomen satisfactionis designet, constat quod satisfactio sit formaliter ju-

A stitiæ actus. Porro justitiæ actus, secundum Philosophum, est vel sui ad alterum, ut dum quis reddit alteri quod ei debet ; vel alterius ad alterum, ut quum judex facit justitiam inter duos. Quum autem actus justitiæ est sui ad alterum, æqualitas in ipso faciente consistit. Quum vero est alterius ad alterum, æqualitas consistit in passo justum. Quumque satisfactio æqualitatem designet in faciente, dicit actum justitiæ qui est sui ad alterum, proprie loquendo. Sed sui ad alterum potest quis

B facere justitiam, vel in actionibus, vel in passionibus, vel in rebus exterioribus : quemadmodum et injuria fit alteri vel subtrahendo res ejus, vel eum aliqua actione lædendo. Et quoniam usus exteriorum rerum est dare aut exhibere, ideo actus justitiæ secundum quod æqualitatem in exterioribus rebus constituit, est reddere. Sed satisfacere, æqualitatem in actionibus demonstrat, etc.

Circa prætactam demum justitiæ definitionem notandum, quod justitia non so-

C lum tendit ad hoc, ut præcedentem tollat inæqualitatem, puniendo culpam præteritam, sed etiam ut in futurum custodiat æqualitatem : quia secundum Philosophum secundo Ethicorum, pœnæ sunt medicinæ. Hinc satisfactio, quæ est actus justitiæ pœnam inferentis, est medicina curans peccata præterita, atque a futuris præservans : ideo, dum homo homini satisfacit, præterita recompensat, et de futuris cavet. Sicque satisfactio potest dupliciter definiri. Primo, respectu culpæ præteritæ quam

D recompensando curat, et sic ita describitur : Satisfactio est illatæ injuriæ recompensatio in æqualitatem justitiæ. Et in idem redit descriptio Anselmi dicentis, Satisfacere est Deo debitum honorem impendere : ut consideretur debitum ratione culpæ commissæ. Secundo, potest definiri prout præservat a culpa futura, et ita definit eam hic Augustinus *, dicendo : Satisfacere est peccatorum causas excidere, etc. Præservatio demum a morbo corporali fit per ablationem causarum ex quibus

* Gennadius

consequi potest morbus. Sed in morbo A spirituali non est sic, quoniam liberum arbitrium non cogitur : idcirco manentibus præcedentibus causis, potest morbus iste vitari, quamvis difficulter ; remotis quoque causis illis, potest incurri. Ideo in hac satisfactionis definitione duo ponuntur, puta : abscissio causarum, quantum ad primum ; ac renitentia liberi arbitrii contra peccatum, quantum ad secundum. Denique intelligenda sunt hæc de proximis causis peccati aetualis, quæ sunt libido ex consuetudine peccandi vel actu pec- B cati relicta, et quædam reliquiæ peccati præteriti, ac exteriores peccandi occasiones, ut locus, mala societas, etc. ; quæ causæ possunt vitari, quamvis fomes, qui est causa remota peccati, nequeat totaliter exstirpari. — Hoc quoque sciendum, quod causa mali seu privationis eo modo quo habet causam, est bonum deficiens. Bonum vero facilius tollitur quam construitur. Idcirco facilius est causas privationis seu mali abscindere, quam ipsum malum removere, quod non removetur nisi bo- C num constituendo, ut patet in cæcitate et causis ejus.

Modo videndum, qualiter valeat homo pro suis peccatis satisfacere Deo. Itaque advertendum, quod homo dupliciter fit debitor Deo : primo, ratione beneficii accepti ; secundo, ratione peccati commissi vel admissi. Quemadmodum autem latria seu gratiarum actio respicit debitum accepti beneficii, sic satisfactio respicit debitum peccati commissi. In honoribus autem exhibendis diis atque parentibus, etiam D secundum Philosophum, impossibile est reddi æquivalens secundum quantitatem ; sed sufficit quod homo faciat quod potest, quoniam amicitia non respicit æquivalens nisi secundum quod possibile est. Et hoc etiam est æquale aliqualiter, puta secundum proportionalitatem. Nam sicut se habet hoc quod Deo debitum est, ad Deum ; ita hoc quod iste potest reddere, habet se ad ipsum. Sicque aliqua forma justitiæ conservatur ibidem. Consimiliter est ex parte satisfactionis. Itaque non potest homo satisfacere Deo, si ly *satis* æqualitatem quantitatis importet ; sed prout æqualitatem proportionis designat. Et sicut hoc sufficit ad rationem justitiæ, ita ad rationem satisfactionis.

Ad objectum ergo dicendum, quod sicut offensa habet quamdam infinitatem ex infinitate majestatis divinæ, ita et satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, prout satisfactio informata est gratia, per quam acceptum redditur Deo quod homo reddere potest. Verumtamen quidam dicunt, quod peccatum habet infinitatem ex parte aversionis, et sic gratis dimittitur ; sed ex parte conversionis est gravitatis finitæ, et ita pro eo satisfieri potest. Sed hoc nihil est, quoniam satisfactio non correspondet peccato nisi secundum quod est offensa Dei : quod non habet ex parte conversionis, sed solum ex parte aversionis. Hinc alii dicunt, quod etiam quantum ad aversionem, pro peccato satisfieri potest virtute meriti Christi, quod fuit quodammodo infinitum. Et hoc est quod dictum est, quod per fidem mediatoris hominibus gratia data est. Attamen si Deus hominibus alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum prædictum. — Hæc Thomas in Scripto.

Sciendum autem, quod sanctus Doctor iste recessit a corpore ac migravit ad Dominum in compilatione tertiæ partis Summæ, ante ipsius completionem, in tractatu isto de Pœnitentia. Interim quidam doctor supplevit quod defuit ex hoc Scripto ejusdem sancti Doctoris : idcirco de cetero scripta illa ex tertia parte non allego, quia nil aut parum ibi habetur, nisi quod ex hoc Scripto aeceptum est. — Concordant Albertus et Petrus.

In idem redit responsio Richardi, dicentis : Hominem posse satisfacere Deo, intelligi potest dupliciter. Primo, quod hoc possit per se sine alterius adjutorio : et ita non potest hoc. Secundo, quod per adjutorium meriti ac gratiæ Christi hoc possit : et ita est concedendum.

Quærit quoque Richardus, an Deus posset homini dimittere culpam mortalem sine ipsius contritione et satisfactione. Et respondet, quod de lege communi non possit hoc fieri, quum repugnet omnino justitiæ. Dicuntque aliqui, quod nec de lege speciali possit hoc fieri, quia culpa sine gratiæ infusione non dimittitur; gratiæ vero obex non potest auferri sine contritione, quæ est satisfactio quædam. Sed quidam dicunt coutrarium : quia quod Deus potest per causam secundam et instrumentalem, potest immediate per se ipsum. Mihi vero (ait Richardus) videtur quod impio, quamdiu est in actu peccati, gratia non possit infundi, nec culpa dimitti; sed in somno hoc fieri ei potest, quum tunc nihil positivum sit in eo nisi quod bonum est et a Deo, et quod præter hoc in ipso est, non est nisi privatio gratiæ ac virtutis. Hæc Richardus.

At vero Bonaventura respondendo ad istud, an homo queat reconciliari ac satisfacere Deo, ponit duas responsiones, videlicet, tam illam quam Thomas ponit ac sequitur, quam aliam quam breviter tangit ac reprobat. Bonaventura vero utramque dicit esse probabilem. Verumtamen responsio Thomæ verior esse videtur, eo
Cf. p. 385 B'. dempto quod ait, peccatum habere rationem offensæ ac culpæ solum ex parte aversionis a Deo, et non ratione conversionis ad creaturam. Quod non apparet, quum et conversio illa sit a Deo prohibita atque in se inordinata, et pœna sensus correspondeat ei.

Insuper prætactis ex Richardo consonare videntur verba Scoti, dicentis : Ad deletionem culpæ mortalis post Baptismum commissæ, requiritur punitio voluntaria vel punitionis voluntas, quorum nullum sine pœnitentia esse potest. Quod tamen non intelligo de *requiri* simpliciter necessario, cujus oppositum contradictionem includat, quoniam posset Deus remittere sine omni actu illius cui remittit; sed nec de *requiri* necessario, supposito hominis actu cui remittitur : posset namque Deus

A remittere per aliquem ferventem motum dilectionis in Deum, absque quocumque actu prædicto, sumpto sub propria ratione : puta in actu fervoris ad martyrium statim suscipiendum, ubi forte non esset cogitatio de aliquo mortali peccato, nec per consequens aliquod pœnitere prædictum; et hoc formaliter, quamvis virtualiter in illo actu esset pœnitere. Itaque ad deletionem culpæ regulariter necesse est pœnitere. Et dico regulariter fieri, quod fit secundum regulas a divina sapientia
B determinatas : quarum hæc una est, quod peccatum mortale non dimittatur sine displicentia de peccato commisso; quæ regula est rationabilis valde, quoniam sicut peccatum avertit a fine et convertit ad creaturam, ita rationabile est quod non deleatur nisi per motum contrarium avertentem a peccato, et a creatura secundum quod circa illam fuit peccatum, et convertentem ad Deum. Hæc Scotus. — Introductis autem ex Thoma concordant scripta Argentinensis, Durandi, ac plurium
C aliorum.

QUÆSTIO II

**QUæritur quoque, An homo queat satisfacere pro uno peccato sine alio; et utrum pœnitentia seu satisfactio in mortali peccato facta, sit valens aut potius iteranda, vel saltem alicujus temporalis
D boni aut commodi meritoria, vel infernalium suppliciorum mitigativa.**

In hac quæstione multa tanguntur. Primum est, an homo possit satisfacere reconciliarique Deo pro uno peccato sine alio.

Videtur quod sic. Peccata enim sigillatim ac diversis temporibus fiunt, et diversas pœnas mereutur, nec habent connexionem : ergo sigillatim possunt deleri et expiari. Nam et homo potest se emen-

dare de uno, non se emendando de aliis. A — Rursus, durus esset homo qui non reciperet solutionem et satisfactionem pro una parte debiti sibi obligati, nisi et totum pariter solveretur. Ergo multo minus hoc decet superpiissimum Deum.

Insuper videtur quod pœnitentia facta in mortali, sit valida : alias enim omnes
Eccle. IX, 1. essemus in grandi periculo, quum ignoremus an digni simus amore an odio. Quumque mortaliter peccet qui se committit discrimini, oporteret nos indesinenter reiterare pœnitentiam nobis injunctam, B quum simus incerti an eam ex caritate solverimus.

Deinde apparet quod opera facta extra caritatem, non sint meritoria alicujus boni, nec minorativa alicujus supplicii. Peccator namque, secundum Augustinum, non est dignus quo vescitur pane. — Et a mortuo et displicente et odio habito, non potest procedere opus acceptum ei qui odio habet illum. Sed qui in mortali est culpa, est spiritualiter mortuus, ac displicens Deo et inimicus ejus. — Amplius, quum C pœna inferni finita sit intensive, si per opera bona extra caritatem facta minueretur, posset tandem per ea totaliter expiari ac tolli.

In oppositum est, quod nullum bonum est irremuneratum ; et quod Deus non est pronior ad puniendum quam ad ignoscendum.

Circa hæc scribit Bonaventura : Quidam dixerunt de uno peccato satisfactionem fieri posse, peccatore exsistente in alio, quia D immensa Dei benignitas acceptat satisfactionem quantumlibet modicam. Verum hi non adverterunt, quid sit satisfacere. Nam satisfacere non solum designat tolerationem pœnæ pro culpa. Non enim Deus delectatur directe in pœnis nostris, sed in justitia voluntatis et reconciliatione, quæ agitur per virtutes et per conversionem mentis ad ipsum. Quod esse non potest quamdiu aliquod peccatum mortale manet in nobis : et hoc, propter connexionem virtutum in una gratia, quæ delet omnem culpam mortalem, quum habeat omnem virtutem sibi annexam ; et item propter divinam largitatem, quæ nequaquam secundum partem gratificat, imo omnem offensam simul condonat ; et rursus propter peccata mortalia, quæ omnia communicant in aversione atque contemptu Dei, et omnia sunt contra Deum et contra unum. Idcirco, si Deus remitteret culpam de uno sine alio, is cui remittitur, simul esset amicus et inimicus, conversus et aversus, reconciliatus et non reconciliatus. Ideo in Ecclesiaste habetur : Qui in uno peccave- *Eccle.* IX,
rit, multa bona perdet. Et B. Jacobus in 18.
sua ait Canonica : Qui offendit in uno, *Jacob.* II,
factus est omnium reus. Quoniam qui pec- 10.
cat in uno, non satisfacit pro aliquo, eo quod in omni peccato unus offenditur : imo in omnibus peccatis unus et idem inhonoratur, relinquitur atque contemnitur ; et impossibile est quod Deus simul sit amicus et inimicus ejusdem. Hinc per Isaiam Dominus loquitur : Ecce ad con- *Is.* LVIII, 4,
tentiones et lites jejunatis ; numquid tale 5.
est jejunium quod elegi ? Gregorius quoque in homilia : Qui sic alia plangit, ut alia committat, pœnitentiam agere dissimulat aut ignorat. Hoc etiam ratione probatur : quia in hoc peccator dignus est pœna, quod in se imaginem Dei deformat. Ergo non satisfacit nisi per reformationem imaginis, quæ non reformatur nisi omni mortali peccato excluso. Hæc Bonaventura.

Qui consequenter respondens ad istud, utrum homo abstinens, seu alia satisfactoria et pœnitentialia opera extra caritatem exercens, satisfaciat pro peccatis, hoc est, utrum homo contritus et confessus ac pœnitentiam sibi injunctam in caritate facere inchoans, et ante ejus completionem in mortale vitium corruens, satisfaciat pro illis confessis, continuando et complendo satisfactionem sibi injunctam : Satisfacere, inquit, ex sua significatione includit Dei acceptationem et reconciliationem ac amicitiam. Quumque sine gratia gratum faciente et caritate impossibile sit quem-

quam Deo placere, ejusque opera acceptari A a Domino; ideo sine caritate et gratia impossibile est satisfacere Deo. Attamen potest se homo in peccatis exsistens præparare ad gratiam, et ita satisfacere ex eadem. Sicque intelligendum est quod Da-
Dan. IV, 24. niel dixit Nabuchodonosor regi : Peccata tua eleemosynis redime. — Porro dum quis satisfactionem sibi injunctam complevit, si probabiliter putat seu verisimiliter dubitat non satisfecisse se Deo, id est in caritate non implesse, non debet a satisfactione cessare, quousque per probabilia sigua B certitudinem habeat de culpa dimissa et
Cf. p. 239 D'. pœna. Hinc, sicut dictum est de aliis sacramentis, præsertim de Eucharistia, quod non valet nisi caritatem habenti, non tamen tenetur quis vere ex caritate accedere, sed probabiliter se ad eam disponere; ita de satisfactione dicendum, quod opera pro satisfactione tenetur implere, seque quantum in se est, ad caritatem disponere. Et sic absolutus est in foro Ecclesiæ atque a pœna conscientiæ suæ, et in foro Dei est absolutus, ita ut non peccet in hoc facien- C do. Attamen per hæc opera non absolvitur omnino : ideo sanum consilium est, quod homo semper pœniteat. Sufficit tamen cum signis probabilibus pœnitentiam fecisse, nec oportet eam reiterare. — Hinc advertendum, quod duplex est forum secundum duplex judicium, utpote forum conscientiæ, et forum divinæ justitiæ. Primum est manifestum, secundum occultum. Si quis impleat pœnam pœnitentiamve injunctam sine remorsu diligentis conscientiæ, tamen extra caritatem, non tenetur D satisfacere amplius nec judicio sacerdotis nec conscientiæ suæ. Tenetur tamen judicio Dei, quia adhuc Deus exigit pœnam.

Præterea quæritur, an opera satisfactoria extra caritatem facta, adveniente caritate reviviscant. Dicendum, quod de hoc sunt duæ opiniones. Una, quod opus satisfactorium, quantum est de sua ratione perfecta, meretur collationem gloriæ remissionemque pœnæ : collationem gloriæ, in quantum est ex caritate; remissionem pœnæ, in quantum est sacramentale. Ideo sufficit quod fiat in caritate, quantum ad hoc : quia per caritatem pœna debita satisfacienti fit proportionalis pœnæ quam sustinet. Dicunt ergo, quod impossibile sit opera illa vivificari quantum ad meritum seu retributionem vitæ æternæ, quoniam non fuerunt ex caritate; sed quantum ad meritum remissionis pœnæ, quia non erat alius defectus, nisi quia pœna non erat proportionalis : ideo isto posito in caritate, et pœna facta proportionali, vivificantur quantum ad hoc quod sunt computanda in sortem. Sicque aliter vivificantur quam opera mortificata. Nam illa vivificantur ad retributionem æternam, ista solum ad pœnæ dimissionem. — Alia opinio est, quod omne opus satisfactorium est opus meritorium vitæ æternæ, et fieri oportet ex caritate : idcirco opera satisfactoria extra caritatem facta nullo modo vivificantur. Prima opinio est multum probabilis, sed ista secunda securior est.

Verum tunc quæstio oritur, quia si opera ista non vivificantur, an homo per ea aliquid mereatur a Domino. Respondendum, quod de hoc quoque sunt duæ opiniones. Prima, quod homo per ea nil mereatur, nec de congruo, neque de condigno; quamvis Deus ratione suæ abundantissimæ largitatis ea aliquo modo remuneret. Alii probabilius dicunt oppositum, ita quod quamvis peccator per opera bona in genere nil mereatur de condigno, aliquid tamen meretur per ea de congruo. Peccator quippe quandoque facit bonum opus ex genere ad propriam gloriam, ut dando eleemosynam ad propriam laudem : et sic demeretur. Aliquando vero facit hoc ad gloriam Dei, et propter naturalem amorem Dei quem habet; et hoc non potest esse sine aliqua gratia gratis data, quæ disponit de congruo ad gratiam gratum facientem : quam gratiam gratis datam Deus aliquo modo acceptat, et ex hoc peccator meretur de congruo. Quod meritum comparatum merito caritatis est improportionale, ut punctus lineæ et linea superficiei. Unde

sicut linea nihil est ad superficiem, aliquid A tamen est in se; ita est de peccatore ad justum, et de ejus amore naturali ad infusum caritatis amorem, atque de merito congrui ad meritum condigni.

Postremo si investigetur, an opera hujusmodi valeant ad tolerabilitatem pœnarum; dicendum, quod hujusmodi opera bona, dum recta fiunt intentione, valent ad multa. Primo, ad temporalium multiplicationem. *Is.* I, 19. Isaias enim ait : Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Secundo, ad tolerabilitatem pœnæ æternæ, B quemadmodum loquitur Augustinus, quod valent ut tolerabilior (id est minus afflictiva) exsistat damnatio. Quod a diversis diversimode intelligitur. Quidam dicunt, quod pœnam faciunt tolerabiliorem, non ipsam pœnam mutando, sed fortificando subjectum. Sed hoc non congruit dicere, quod virtus aliqua detur damnato propter opera illa bona ex genere, quæ faciat mitius sustinere : quoniam aut daretur ad semper, vel ad tempus; quorum utrumque inconveniens est. Nam virtus illa aut C est naturalis, aut gratuita : quorum neutrum facile est assignare. — Alii dicunt, quod valent ad remissionem pœnæ vermis, quia non tantum conscientiæ sustinebunt remorsum, quantum haberent si nulla opera bona fecissent. Sed illud non valet, quia remorsus conscientiæ erit secundum quantitatem culpæ, sicut et ignis. Ergo si non valet ad ignem, nec ad vermem. — Idcirco dicendum, quod valent ad tolerabiliorem damnationem ex consequenti, quia impediunt culpam factam aggravari, D et retrahunt hominem a peccandi frequentia, atque ab intensione libidinis et contemptus. Non enim ex tanta peccat libidine qui interdum facit aliqua opera bona, ut qui obliviscitur Dei. Adhuc quoque per consequens valent ad tolerabiliorem damnationem, et ad ignem ac vermem : quoniam talis minus torquebitur, et minorem habebit remorsum, quam si opera illa non fecisset. Minus ergo punietur, non de culpa quam commisit, sed de malis quæ commisisset, et de bonis quæ omisisset, si illa opera bona non fecisset. Et ita intelligendum est de illo qui moritur statim, et de eo qui magis vult mori quam negare Christum, et de consimilibus. — Denique, circa illud, Non consurget duplex tribulatio, *Nahum* I, 9. intuendum quod tribulatio quadrupliciter potest intelligi duplicari : primo, quantum ad subjectum punitum; secundo, quantum ad modum puniendi ; tertio, secundum proportionem ad meritum; quarto, penes statuum diversitatem. Et tribus modis tribulatio duplicatur : primo, quantum ad subjectum, quia in anima et corpore affliguntur; secundo, quoad modum punitionis, quoniam habent pœnam damni et pœnam sensus, et per ignem ac frigus, quemadmodum peccaverunt per timorem et amorem; tertio, quantum ad statum, quia quorumdam, ut impœnitentium, pœna hic incipit, et in futuro continuatur. Sed quantum ad proportionem ad meritum, non consurget tribulatio duplex, quoniam Deus semper punit citra condignum. — Hæc Bonaventura.

Præinductis concordat Albertus : Opera (inquiens) pœnitentiæ in quibus quæritur Dei placatio, oportet fieri secundum voluntatem acceptationemque Dei. Acceptatio autem Dei non est in nobis ex nobis, nec in opere nostro ex ipso opere nostro, sed ex eo quod a Deo accepimus, quod est gratia gratum faciens. Hinc oportet opera talia ex gratia gratum faciente procedere. — De his multa conscribit Albertus, quæ ex dictis Thomæ nunc introducendis clarius innotescent.

Itaque sanctus Doctor circa quæstiones prætactas conscribit : Quum per satisfactionem tolli debeat præcedens offensa, oportet quod modus satisfactionis conveniat deletioni offensæ præcedentis, cujus deletio est amicitiæ restitutio. Hinc quod amicitiæ restitutionem impedit, satisfactioni repugnat. Et tale est omne mortale peccatum. Ideo impossibile est hominem satisfacere de uno mortali peccato, si manet in aliquo alio. Hinc satisfactio facta in mor-

tali peccato, non valet, quia in satisfactione oportet quod amicitia restituta, restituatur etiam æqualitas justitiæ, cujus contrarium amicitiam solvit, ut dicitur octavo Ethicorum. Porro æqualitas in satisfactione ad Deum, non est secundum æquivalentiam, sed magis secundum acceptationem divinam. Hinc oportet, et si jam offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod eis dat caritas : ideo sine caritate satisfactoria non sunt. Et sicut homo non est certus quod satisfaciendo fuit in caritate, ita nec de vera et plena satisfactione. Propter quod in Ecclesiastico
Eccli. v, 5. dicitur : De propitiato peccato noli esse sine timore. Nec tamen ideo necesse est satisfactionem reiterare, si conscientiam peccati mortalis homo non habet. Quamvis enim per hujusmodi satisfactionem non expiet pœnam, non tamen incurrit omissionis reatum ex satisfactione neglecta : sicut nec ille qui accedit ad Eucharistiæ sacramentum sine conscientia mortalis peccati cui subjacet, reatum indignæ susceptionis incurrit, si tamen debitam diligentiam fecit conscientiam suam examinando; aliter falsum esset quoniam nulli debet sua negligentia suffragare.

Hinc quoque stare non potest quod aliqui dicunt, opera extra caritatem facta, per sequentem caritatem vivificari quoad hoc quod sint satisfactoria respectu pœnæ, non quantum ad hoc quod sint meritoria vitæ æternæ : quoniam utrumque habent ex eadem radicc et ratione, puta ex hoc quod grata sunt Deo. Ideo sicut caritas adveniens non potest ea gratificare quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud. Verumtamen attendendum, quod quædam sunt satisfactiones ex quibus manet effectus in satisfacientibus, etiam actibus ipsis cessantibus, sicut ex jejunio manet corporis debilitatio, et ex eleemosynarum largitione diminutio substantiæ, et ita de consimilibus: et tales satisfactiones in peccatis exhibitas non oportet reiterari, quoniam quantum ad id quod de ipsis manct,

A Deo per pœnitentiam sunt acceptæ. Satisfactiones vero quæ in satisfaciente post actum non relinquunt ullum effectum, sunt iterandæ, sicut orationes. Actus vero interior, sicut contritio, quia omnino pertransit, nequaquam vivificatur, sed oportet quod iteretur.

Insuper, si quæratur, an talia opera sint meritoria alicujus boni, saltem temporalis; dicendum, quod meritum proprie dicitur actio qua fit ut ei qui agit, sit justum aliquid dari. Justitia autem dupliciter di-
B citur. Primo proprie, quæ respicit debitum ex parte recipientis. Secundo improprie et quasi similitudinarie, quæ respicit debitum ex parte dantis. Aliquid etenim decet interdum dantem dare, ad quod recipiendum non habet debitum seu jus ipse recipiens. Sicque justitia dicitur decentia bonitatis divinæ, secundum quod ait Anselmus, quod Deus justus est quum peccatoribus parcit, quoniam decet eum. Et juxta hæc meritum dupliciter dicitur. Primo, actus quo agens debitum habet seu
C jus aliquid recipiendi : quod vocatur meritum condigni. Secundo, id per quod efficitur ut sit debitum dandi in dante secundum condecentiam ejus : quod vocatur meritum congrui. Quumque in omnibus quæ gratis dantur, prima ratio dandi sit amor, impossibile est quod aliquis faciat sibi debitum tale qui amicitia caret. Quumque omnia bona temporalia et æterna ex divina liberalitate nobis præstentur, nullus acquirere potest debitum recipiendi aliquid horum nisi per caritatem ad Deum :
D ideo opera extra caritatem facta, non sunt meritoria ex condigno, nequc æterni neque temporalis alicujus boni apud Deum. Verum quoniam divinam condecet bonitatem, ut ubicumque aliquam invenerit dispositionem, adjiciat perfectionem ; ideo merito congrui dicitur quis promereri aliquod bonum per opera extra caritatem facta. Atque secundum hoc opera ista valent ad triplex bonum, utpote : ad temporalium consecutionem, ad dispositionem infusionis gratiæ, et ad assuetudinem operum

bonorum. Quia tamen hoc meritum non A proprie meritum appellatur, ideo potius concedendum, quod hujusmodi opera non sint meritoria alicujus boni, quam quod sint meritoria. Denique, quia secundum Philosophum octavo Ethicorum, filius per omnia quæ facit, non potest æquivalens reddere his quæ a patre suo recepit, propter quod pater nunquam efficitur debitor filii sui ; et multo minus potest homo per æquivalentiam meriti Deum sibi constituere debitorem : hinc nullum opus nostrum ex quantitate suæ bonitatis habet, B quod aliquid mereatur, sed ex vi caritatis, quæ facit ea quæ sunt amicorum esse communia. Verumtamen opus malum ex quantitate suæ malitiæ secundum æquivalentiam meretur pœnam : quia ex parte Dei non sunt nobis aliqua mala facta sicut bona.

Porro, dum quæritur, an tale opus bonum extra caritatem, valeat ad infernalis pœnæ mitigationem ; dicendum, quod diminuere pœnam æternam, intelligi potest dupliciter. Primo, ita quod quis liberetur C a pœna quam meruit : sicque quum nullus liberetur a pœna nisi sit absolutus a culpa, quia effectus non minuuntur neque tolluntur nisi causa sit diminuta aut ablata : hinc per opera extra caritatem facta, quæ nec culpam tollere nec minuere queunt, pœna inferni mitigari non valet. Secundo, ita quod meritum pœnæ impediatur. Sicque opera illa infernalem minuunt pœnam : primo, quoniam homo reatum omissionis evadit, qui opera illa exercet ; secundo, quoniam opera illa aliquo modo D disponunt ad bonum, ita quod homo ex minori peccat contemptu, imo et a multis retrahitur peccatis. Dilationem quoque aut diminutionem temporalis pœnæ per ea
III *Reg.* xxi, 29. meretur, ut tertio Regum de Achab describitur, eodem modo sicut et temporalium consecutionem bonorum. Quidam vero affirmant, quod diminuunt pœnam inferni, non de ea aliquid subtrahendo quantum ad ejus substantiam, sed fortificando subjectum ut melius valeat sustinere. Sed hoc esse non valet, quia fortificatio esse non potest nisi ex ablatione passibilitatis. Passibilitas vero est secundum culpæ mensuram. Ideo si non minuitur culpa, subjectum non fortificatur. Alii dicunt, quod minuitur culpa quantum ad conscientiæ vermem, licet non quantum ad ignem. Quod etiam nihil est, quoniam sicut pœna ignis æquatur culpæ, ita et pœna remorsus conscientiæ. — Hæc Thomas in Scripto.

Consonat Petrus. Et addit Richardus, quod loquendo de satisfactione quantum ad actum exteriorem temporalemque pœnam, homo potest satisfacere de uno peccato, non de aliis, implendo pœnam debitam uni peccato, non aliis, dummodo pro aliis satisfacere tempore opportuno proponat. Nam obligatio ad talem pœnam stat simul cum caritate. Hæc Richardus.

Præterea huic responsioni Richardi consentit Scotus, et addit, quod etiam loquendo de satisfactione quantum ad actum interiorem, qui est contritio, potest homo satisfacere et dolere actualiter de uno peccato, non habendo contritionem aut satisfactionem actualiter de aliis : quemadmodum etiam potest cogitare de uno, non de aliis. Tamen in tali actuali contritione de uno, contritionem habet de aliis saltem in habitu. Imo impossibile est aliquem reconciliari Deo de uno peccato, et manere in alio. Unde Augustinus de Vera et falsa pœnitentia : Scio Deum esse inimicum omni criminoso ; quomodo ergo qui crimen reservat, de aliquo recipiet veniam sine Dei amore, sine quo nemo unquam invenit gratiam ? Infidelitatis species est, a Deo veniam sperare dimidiam. Hæc Scotus.

Qui consequenter aliquid addit dissonum a prædictis : Dico (inquiens) sine præjudicio, quod qui semel pœnitet vere, et recipit pœnitentiam sibi a confessore injunctam, quantumcumque postea recidivet, nunquam tenebitur nisi ad illam unicam satisfactionem implendam. Et si impleat eam in caritate, hoc melius est : quia non tantum solvit pœnam, sed et meretur.

Sed si impleat eam voluntarie extra cari- A tatem, solvit pœnam, non autem meretur gratiam. Et in primo est satisfactio simpliciter, quia reconcilians et placans; in secundo est satisfactio, quia voluntaria redditio, sed nec reconcilians, neque placans. Et si arguas, Mortua est, ergo non est satisfactio; non sequitur, nisi quod non est satisfactio placans, neque reconcilians in amicitiam. Et si dicatur, Ergo non est satisfactio; non sequitur, quoniam sufficit, Deo voluntarie solvere pœnam debitam ad punitionem peccati commissi. — Hæc Sco- B tus. Cujus opinio præallegatorum doctorum concordi assertione et ratione satis confutari videtur.

Unde et Argentinensis loquitur contra eam : Nullus homo carens gratia et caritate, potest Deo satisfacere de peccato, quoniam opera hominis talis non sunt Deo grata, accepta seu cara. Etenim inimicus non gratificat nec acceptat opus inimici; sed homo sine caritate, inimicus est Dei, et ira est actualiter contra eum : quoniam
Ephes. II, 3. omnes nascimur natura filii iræ, ut ait C Apostolus. Non autem possumus satisfacere Deo, nisi in quantum ipse acceptat atque gratificat modicum illud quod facimus. Præterea, deficiente vera contritione, non potest satisfactio debita fieri. Contritio autem caritatem requirit : imo satisfactio non minus præsupponit contritionem quam confessio, quum tres sint pœnitentiæ partes, quæ sunt contritio, confessio, satisfactio; et tertium non minus præsupponit primum quam secundum. Confessio autem sine contritione non valet. Amplius, D ab eadem radice procedunt opera satisfactoria et meritoria; sed sine caritate mereri non possumus : ergo nec satisfacere. — Hæc Argentinensis, qui defensorem contrariæ positionis insinuat esse in aliquo imitatorem Pelagiani erroris ac hæresis, asserentis hominem ex puris naturalibus mereri ac satisfacere posse.

Unde et Richardus disseruit : Non potest fieri satisfactio per opera quæ fiunt in
Ps. XV, 2. peccato mortali. Deus namque quum bonorum nostrorum non egeat, opera hominis non acceptat tanquam satisfactoria, nisi acceptet operantem. Propter quod in Genesi asseritur : Respexit Dominus ad Abel *Gen.* IV, 4. et ad munera ejus. Deus autem non acceptat hominem exsistentem in peccato mortali. Hæc Richardus. — Et breviter, juxta præhabita, hoc est contra significationem et rationem satisfactionis, quod non sit placans nec amicitiam reparans.

QUÆSTIO III

QUæritur quoque, **An satisfactionem oporteat fieri per opera pœnalia; et utrum cuncta pœnalia et adversa quæ servis Dei contingunt, sint satisfactoria eis, si æquanimiter tolerentur; ac quæ et quot sint satisfactoria opera.**

Videtur quod non oporteat opera satisfactoria esse laboriosa, dura, pœnalia, quia ut ait apostolus Jacobus, caritas operit *Jacob.* V, 20. multitudinem peccatorum. Caritas ergo potissime satisfactiva est, quæ etiam maxime placat offensum. — Secundo, quanto opera satisfactoria ex majori veniunt caritate, tanto sunt delectabiliora, et etiam magis satisfactoria, reconciliativaque Deo : quia ut dictum est, sine caritate satisfactoria esse non valent.

Insuper videtur quod adversa et aspera non sint satisfactoria, quoniam promereri consistit in actione, non in passione; atque in his quæ voluntarie agimus, non in his quæ necessario sustinemus, et quæ bonis ac malis communia sunt, cujusmodi sunt flagella quæ accidunt nobis.

Videtur quoque quod opera satisfactoria non solum sint tria hæc, oratio, eleemosyna, jejunium. Nam peregrinationes, disciplinæ, vigiliæ, sunt satisfactiones pro culpis, quemadmodum tria illa : imo quum oratio sit actus spiritualis dulcis ac animæ refectivus, in tantum ut S. Jacobus protestetur, Tristatur aliquis vestrum? oret *Ibid.* 13.

æquo animo et psallat; non videtur inter opera satisfactoria esse ponenda. — Rursus, lacrimatio præsertim satisfactoria est pro culpis. Item ipsa contritio et confessio sunt satisfactivæ pro vitiis, et satisfactiones pro ipsis : ergo satisfactio non differt a contritione et confessione.

Circa hæc scribit Albertus : Satisfactio non dicitur hic omne illud quod solvit culpam aliquo modo, aut pœnam debitam culpæ, sed illud quod injunctum est et taxatum vi clavium secundum sacerdotis arbitrium. Illa enim pœna voluntaria est simpliciter, et ordinata secundum quantitatem delicti. Verum in contritione et confessione sunt pœnæ, videlicet dolor in contritione, et pudor in confessione, quæ sunt pœnæ ex natura corrupta inflictæ pro peccato, nec taxantur nec limitantur secundum tempus certum : imo quanto majores sunt, tanto est melius, dummodo discretum et rationabile exstet obsequium. Hinc quamvis per eas peccatum expietur, non tamen sunt satisfactoriæ secundum judicium atque arbitrium fori confessionis. Idcirco hæc pars quæ est satisfactio, ab ipsis distinguitur. Præterea, dolor in contrito, et pudor in confitente, non dicunt nisi pœnam interiorem. Satisfactio vero est etiam foris in conspectu Ecclesiæ seu ministri : propter quod tunc totus homo punitur, quoniam pœna interior redundat extrinsecus, et manifestatur in corpore. Ob hoc, ut aliqui dicunt, hæc pars pœnitentiæ satisfactio præcipue nominatur. Prima tamen solutio est melior, quia ut dictum Cf. p. 389 C'. est, satisfactio respicit judicium arbitrii voluntatis divinæ. Hæc Albertus.

Porro Thomas diffusius loquens : Satisfactio, inquit, respicit ad culpam præteritam, pro qua per ipsam fit recompensatio, et ad culpam futuram, a qua per satisfactionem præservamur; et quantum ad utrumque exigitur quod satisfactio per opera fiat pœnalia. Recompensatio quippe offensæ importat quamdam adæquationem, quam oportet esse ejus qui offendit, ad eum qui A offensus est. Adæquatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno qui habuit plus justo, et per additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte sui, nil subtrahi possit; tamen peccator, quantum in se est, subtrahit aliquid Deo, utpote debitum honorem et cultum. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod cedat in Dei honorem. Sed opus bonum ex hoc quod hu- B jusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, imo potius perficit ipsum. Ad hoc ergo quod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut cedat in Dei honorem, et pœnale, quatenus peccatori aliquid subtrahatur, puta aliquid delectationis aut corporalis quietis. Conformiter pœna præservat a culpa futura, quia non facile homo ad peccata revertitur ex quibus pœnam perpessum se recordatur. Ideo pœnæ sunt medicinæ, et earum timore homo a peccatis retrahitur.

C At vero recompensatio offensæ præteritæ fieri potest ab eo qui offendit, et item ab alio. Quumque ab alio fit, magis sortitur rationem vindicationis quam satisfactionis. Sed quando fit ab offensore, proprie satisfactio appellatur. Itaque si flagella quæ pro peccatis divinitus infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, ita quod acceptantur ab eo, et patienter feruntur pro peccatis ad Dei honorem, rationem satisfactionis accipiunt; non autem, si ei omnino displiceant. Hinc teste Augustino, D quemadmodum ex eodem igne aurum rutilat, et palea fumat; ita eisdem flagellis boni purgantur, et mali per impatientiam inquinantur. Quamvis autem flagella seu pœnæ respectum habeant ad culpam præteritam, non tamen semper ad culpam personæ, sed frequenter ad culpam naturæ. Nempe si in natura humana non præcessisset aliqua culpa, non fuisset secuta aliqua pœna. Sed quoniam culpa in natura præcessit, dum personæ alicui pœna a Deo infertur sine culpa personæ, hoc fit ad me-

ritum virtutis, et ad cautelam peccati sequentis. A

De enumeratione demum operum satisfactoriorum dicendum, quod quum satisfactio debeat aliquid nobis subtrahere ad Dei honorem, et non habeamus nisi tria bona, videlicet bona animæ, bona corporis, et bona exteriora, quæ sunt bona fortunæ : hinc ex bonis fortunæ aliquid nobis subtrahimus per eleemosynam, et ex bonis corporis per jejunium. Ex bonis autem animæ non oportet ut aliquid nobis subtrahamus quantum ad essentiam, vel quan- B tum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti ; sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter : quod fit per orationem. Competit quoque hic numerus ex ea parte qua satisfactio causas peccatorum excidit, quia radices peccatorum sunt tres : concupiscentia carnis, contra quam (*I Joann.* II, 16.) est jejunium ; concupiscentia oculorum, contra quam ordinatur eleemosyna ; et superbia vitæ, contra quam est oratio. Quamvis quoque oratio dulcis sit, præsertim oratio contemplativorum, attamen oratio C pro peccatis, in quantum gemitus et lacrimas habet, est aliqualiter afflictiva. In refrenatione quoque distractionum ac cordis custodia tempore orationis, labor consistit. Quamvis etiam quodlibet horum trium per appropriationem contra aliquod speciale malum seu vitium adaptetur, nihilo minus omnia tria contra singula vitia valent. Ideo ei qui non potest unum eorum peragere, aliud injungatur. Et præcipue eleemosyna potest aliorum vices supplere : nam et alia satisfactionis opera meretur D homo sibi communicari ab eis quibus eleemosynas tribuit. Alia quoque satisfactionis opera ad tria hæc reducuntur. Quidquid enim ad afflictionem corporis pertinet, refertur ad jejunium ; et quidquid ad proximi utilitatem expenditur, eleemosynæ rationem sortitur et ad eam reducitur ; omnis etiam latriæ cultus sub oratione comprehenditur. Unde et unum ac idem opus potest habere plures rationes satisfaciendi. — Hæc Thomas in Scripto. Eadem Petrus.

Concordat Richardus, et addit : Opus vocatur pœnale dupliciter. Primo, ex genere operis. Secundo, ex parte operantis. Loquendo de opere pœnali primo modo, satisfaciendum est pro peccato per facta pœnalia, tam propter emendationem culpæ præteritæ, quam propter præservationem a culpa futura. Culpæ namque debetur pœna ; pœnæ quoque, secundum Philosophum, sunt medicinæ non tantum curativæ, sed item præservativæ. Loquendo autem de opere pœnali secundo modo, non oportet : quia frequenter opera ex genere suo pœnalia, sunt delectabilia ex caritate fervida operantis. Insuper sustinens flagella, sive immissa per justam operationem, cujusmodi sunt omnia illa quæ Deus infligit, sive per actionem injustam, ut ea quæ Deus juste permittit ab injustis infligi, non satisfacit ea sustinendo, in quantum patiens tantum : quia sic sua voluntas nequaquam cooperatur ad ea ut activum principium ; oportet autem ut voluntas ejus qui meretur, sit activum principium meriti. Sed in quantum voluntas patienter et pia intentione sustinet ea pro suis demeritis, sic sunt sustinenti satisfactionis materia. Formaliter autem ipsa satisfactio in actu voluntatis consistit. Flagella demum quæ ipsemet Deus infligit, majorem habent efficaciam inclinandi voluntatem ad bonum, quam illa quæ non immittit, sed permittit inferri. Hæc Richardus.

At vero Bonaventura : Satisfactio, ait, fit per pœnalia opera quadruplici ratione. Prima, quia in satisfactione est ablati honoris redditio. Hinc pœnitens debet honorem istum reddere Deo magis, quam si non abstulisset eumdem : unde oportet ut non tantum famuletur Deo per bonam operationem, verum etiam se ipsum dejiciat per pœnarum spontaneam assumptionem. Secunda ratio, quoniam satisfactio est deordinati ordinatio : quod quum deordinatum est per culpam, optime ordinatur per pœnam. Tertia, quia est infirmi curatio : pœnitens enim ante infirmatus per delectationem caloris, curatur per pœnalitatem

algoris. Quarta, quoniam ibi est persolutio debiti. Quumque peccator sit debitor pœnæ, debet per pœnam satisfacere, sicque Deo debitum honorem impendere. Est etenim multiplex debitum ita colendi Deum. Unum, proveniens ex beneficiis desuper datis : quod per gratiarum actionem implemus. Secundum, proveniens ex divino mandato : quod implemus per obedientiæ exsecutionem. Tertium, ex majestatis imperio : quod debitum implemus per latriæ adorationem. Quartum, quod provenit ex peccati contractione : cui satisfacimus per pœnitentialem nostri punitionem.

De operibus autem satisfactionis sciendum, quod quodlibet horum trium, oratio, jejunium, eleemosyna, tripliciter sumitur, scilicet : proprie, communiter, communissime. Proprie oratio est ascensus mentis ad Deum, ad aliquid degustandum vel impetrandum aut exsolvendum; communiter oratio dicitur, secundum quod comprehendit omnem actum contemplativæ vitæ ad Deum relatum, utpote meditationis, lectionis; communissime, secundum quod comprehendit omnem actum bonum, juxta quod dicitur : Non cessat orare, qui non cessat bene facere. Jejunium quoque proprie nuncupatur afflictio carnis secundum gustum ; communiter vero, omnis afflictio carnis in vigiliis, disciplinis, flagellis; communissime autem, abstinentia ab omni
Is. LVIII, 6. peccato mortali, ut dicit Isaias : Hoc est jejunium quod elegi : dissolve colligationes impietatis, etc. Similiter eleemosyna proprie est opus pietatis impensum proximo ad relevandum ejus indigentiam corporalem ; communiter, omne opus pietatis exhibitum proximo, sive sit corporale, sive spirituale; communissime, omne opus misericordiæ impensum sibi ipsi vel proximo, secundum quod asserit Augustinus: Eleemosyna hominis debet incipere a se
Eccli. XXX, 24. ipso, juxta illud Ecclesiastici : Miserere animæ tuæ, placens Deo.

Itaque tria hæc sumpta communiter, non proprie nec communissime, sunt partes satisfactionis : quorum sufficientia sumi-
A tur secundum appropriationem, et secundum proprietatem. Secundum appropriationem, juxta triplicem radicem peccandi, quæ est concupiscentia carnis, etc., ut dictum est. Secundum proprietatem vero *Cf.* p. 394 B.
sic sumitur : Omne opus pœnale aut ordinat nos ad Deum, et sic est oratio; aut ad nos, sic est jejunium, quo maceratur propria caro; aut ad proximum, et ita est eleemosyna. Aliter accipitur sufficientia ista secundum appropriationem : quoniam per orationem Deo reconciliamur; oratio
B autem duas, quibus ascendat ad Deum, debet habere alas, puta jejunium et eleemosynam, juxta illud in Tobia : Bona est *Tob.* XII, 8.
oratio cum jejunio et eleemosyna, etc. Unde Augustinus in libro de Sermone Domini in monte : Si vis orationem tuam volare in cœlum, fac ei duas alas. Accipitur quoque sufficientia ista penes vitam activam et contemplativam : ad activam pertinet eleemosyna, ad contemplativam oratio; jejunium ad utramque, et ad utramque expedit ac disponit. — Hæc Bonaventura.

C Præinductis consonant scripta Antisiodorensis, dicentis : Tres sunt species satisfactionis : oratio, quæ tollit pondus superbiæ ; jejunium, quod tollit pondus luxuriæ; eleemosyna, quæ tollit pondus avaritiæ. Quibus sublatis, oratio celerrime volat in cœlum. Iterum ait : Nihil est satisfactorium, nisi aliquo modo pœnale; idcirco oratio quæ nihil pœnalitatis habet, sed tota delectabilis est, ut oratio viri contemplativi pro gaudiis regni cœlestis, non est satisfactoria. — Hæc ille in Summa, de
D quorum veritate plenius dictum est. p. 394 B.

Postremo Scotus : Satisfactio, inquit, proprie dicitur operatio exterior laboriosa seu pœnalis, sponte assumpta ad puniendum peccatum suum, ad placandum Dei offensam; vel est passio seu pœna voluntarie tolerata pro causa illa. Si autem aliquis non sit bene dispositus ad suscipiendum et exsequendum unum horum operum satisfactoriorum, quamvis sibi appropriate corresponderet juxta exigentiam suæ culpæ, tunc debet ei sacerdos injungere aliud

ad quod conspicit eum magis dispositum A ac potentem. Ad quod necessaria est confessori magna discretio, ut si pauperi confitenti de furto, injungenda esset eleemosynarum largitio, ad quam ex sua inopia exsistit ineptus. Similiter, si dives lapsus sit in vitia carnis, propter quæ injungendum esset jejunium, ad quod si inveniatur involuntarius, vel probabile sit quod illud cito dimitteret, injungenda est ei oratio et eleemosynarum collatio. Si autem nullam pœnitentiam velit subire, et tamen dicit se displicentiam de suis habere pec- B catis ac firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, non remittendus, ne cadat in desperationem; et insinuanda est sibi pœnitentia sua, et hortandus est ut velit eam implere in se vel in sua æquivalente. Atque dicendum est ipsi, quod nisi adimpleat eam hic, oportebit ad minus eam implere in purgatorio. Unde de
Is. XLII, 3. Christo est prophetatum : Arundinem conquassatam non conteret. Hæc Scotus.

Sed quum satisfactio sit pars pœnitentiæ, non apparet quod nolens aliquam sa- C tisfactionem pœnitentialem assumere, sit absolvendus, præsertim quum sit hoc evidens signum impœnitentiæ, quantumcumque dicat se pœnitere. — Et si objiciatur, quod Christus mulieri in adulterio deprehensæ satisfactionem nullam injunxit,
Cf. p. 384 A. respondet Antisiodorensis, quod Christus vidit eam perfecte punitam per contritionem et erubescentiam quam passa fuit coram tam multis. Interdum namque sufficit contritio ad totam pœnam delendam. Sed quia sacerdos non videt an sit tanta D confitentis contritio, ideo pœnitentiam aliquam illi injungit.

QUÆSTIO IV

Modo de restitutione scrutandum est diligenter. Et primo nunc quæritur, **An restitutio sit pars satisfactionis, et necessaria ad salutem.**

Videtur quod sit pars satisfactionis. Primo, quoniam sine restitutione nemo potest satisfacere Deo, nec proximo : quoniam teste Augustino, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. — Secundo, quoniam satisfactio est restitutio quædam, qua pœnitens Deo restituit ac rependit honorem ac cultum, quos ei peccando subtraxit.

Videtur quoque quod non sit semper necessarium, neque possibile ablatum restituere. Nam qui alium diffamavit, mutilavit aut sanitate privavit, non videtur ei posse restitutionem peragere, quia non valet ei æquivalens reddere.

Et circa hæc occurrunt multa quærenda, quæ infra tangenda sunt, utpote : cui sit restitutio facienda, et utrum statim, et quis tenetur ad eam, an scilicet solus qui abstraxit. Nempe de hac materia frequenter rogatus sum a viris religiosis aliquid scribere, quia in foro confessionis et alibi sæpe occurrit materia ista. Et quid agendum sit de lucratis per varios ludos, præsertim per aleas et taxillos.

Itaque circa hæc scribit S. Thomas : Inæqualitas opposita justitiæ, duobus modis contingit. Primo, ex rebus exterioribus : ut dum unus rem alterius aufert aut detinet. Secundo, in actionibus et passionibus : ut dum quis alium percutit violenter. Et hæc duo quandoque sunt separata, ut patet per se; quandoque vero conjuncta, ut quum quis per violentiam aliquid ab alio accipit, in quo ei a quo accipit illud injuriam aut contumeliam infert (sicut qui alium spoliando lædit et percutit); et juxta hoc reparatio æqualitatis justitiæ dupliciter significatur. Reparatio namque æqualitatis exsistentis in rebus, restitutio appellatur; reparatio vero inæqualitatis exsistentis in actionibus et passionibus, satisfactio nominatur. Hinc satisfactio quandoque est sine restitutione, ut dum quis se humiliat proximo de aliquibus contumeliis ei dictis. Interdum quoque restitutio est sine satisfactione, sicut quando quis mutuum

reddit. Aliquando vero utrumque exigitur, ut dum quis alteri rem suam violenter subtraxit ac detinet. Et ita nunc loquimur de restitutione rei injuste ablatæ, per quod homo Deum offendit et proximum.

Quidam igitur dicunt, quod talis restitutio non est pars satisfactionis, quoniam non debetur Deo tantum, sed etiam proximo, nec fit ad sacerdotis arbitrium. Unde dicunt, quod sit ad satisfactionem quoddam præambulum. Sed hoc nihil est, quia omne peccatum commissum in proximum, etiam in Deum commissum est, quemadmodum in dilectione proximi includitur dilectio Dei. Propter quod satisfactio proximi conjunctam habet satisfactionem Dei. Nec obstat, quod non est ad arbitrium sacerdotis, quia sacerdos non est ibi vicarius proximi, sicuti est vicarius Dei : ideo satisfactio Deo facienda, dependet ex arbitrio sacerdotis, non autem satisfactio quæ simul facienda est Deo et proximo. — Hinc alii dicunt, quod restitutio consistit pars satisfactionis. Sed nec hoc verum est, quoniam satisfactio offensam removet, atque a pœna debita liberat. Nullus autem ex hoc ipso quod desistit offendere, consequitur hoc quod de præcedenti offensa reconciliationem inveniat, vel pœnam pro illa debitam evadat; sed hoc tantum consequitur, quod majorem offensam et pœnam non accumulat sibi : sicque cessare ab offensa, nulla est pars satisfactionis. Ideo, quum restitutio nil aliud sit quam ab offensa cessare, quoniam ex hoc ipso quod rem alienam detinet domino rei invito, offendit; constat, quod restitutio non est pars satisfactionis proprie sumptæ, sed præambulum ad satisfactionem. Verumtamen bene concedimus, quod satisfactio proximo facta, est pars satisfactionis Deo exhibitæ; attamen restitutio non est pars satisfactionis nec Deo nec proximo factæ.

Præterea restitutio ablati de necessitate est facienda. Quemadmodum enim per satisfactionem oportet hominem reconciliari Deo, ita et proximo suo. Reconciliatio autem non aliud est quam amicitiæ repara-

A tio. Manente autem causa dissolutionis amicitiæ, amicitia reparari non valet. Causa autem dissolutionis amicitiæ fuit inæqualitas causata ex injusta arreptione seu detentione rei alienæ. Ideo ille satisfacere nequit, nec Deo reconciliari, qui rem male ablatam aut male detentam non reddit. Sed sciendum, quia ut octavo Ethicorum ait Philosophus, amicitia non semper requirit æquale, sed quod possibile : ideo si aliqua sint ablata quæ omnino restitui nequeunt, sufficit voluntas restituendi B cum tanta restitutione sicut possibile est secundum conditionem utriusque, juxta arbitrium virorum bonorum.

Ad objecta ergo de his qui alios diffamant, mutilant, seu irreparabile aut incompensabile damnum inferunt : respondendum, quod ille qui alicujus malitiam manifestat ei qui habet corrigere, vel etiam si sit incorrigibilis, in conspectu Ecclesiæ, ut confusus a peccato desistat, vel saltem alii ab ejus consortio corruptivo discedant, servato ordine caritatis, non injuste C aufert famam alterius, nec ad illius restitutionem tenetur. Si autem intentione diffamandi id fecerit, injuste aufert, etiam quamvis sit verum quod dixit : idcirco ad famæ restitutionem obligatur, dicendo se falsum dixisse, si falsum dixit, vel quocumque alio modo, non tamen aliquod mendacium interserendo, quia non debet alterius famam restituere mentiendo. Attamen dicere potest se incaute esse locutum, quamvis quod dixit, sit verum. — Denique restitutio principaliter est inventa D in damnis quæ inferuntur in rebus fortunæ, quæ plenarie possunt restitui. In damnis vero læsionibusque personæ quæ non possunt ad æquale bonum restitui, restitutio fieri debet qualis possibilis est, secundum bonorum ac prudentium virorum arbitrium, et juxta jura patriæ circa hoc instituta.

Verum his objici potest primo, quia qui impedit alium a consecutione alicujus boni, æquivalenter aufert sibi hoc bonum; non tamen tenetur ei restituere illud aut

recompensare, quemadmodum qui impedit A alium a consecutione præbendæ. — Secundo, qui occasionem dat damni, damnum intulisse videtur secundum regulam juris. Sed qui subvertit semina projecta in terram, dat occasionem damni de toto fructu. Similiter qui detinet pecuniam creditoris ultra terminum præfixum, ex qua ille lucraretur, dat occasionem damni totius hujusmodi lucri. Nec tamen apparet quod isti ad restitutionem omnium talium teneantur. — Insuper argui potest, quod homo plus restituere obligetur quam abstu- B
Exod. xxii, 1. lit. Nam Dominus jussit in Exodo, pro una ove furata restitui quatuor oves, atque pro uno bove quinque boves. Unde Zachæus
Luc. xix, 8. locutus est : Si aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

Et respondendum ad primum, quod impediens aliquem a consecutione præbendæ, si facit hoc quoniam alter indignus est vel ut de alio melius provideatur, non injuste hoc agit, ideo nec restituere obligatur; si autem animo lædendi illum, tenetur ad restitutionem : non quidem tanti C quantum valebat præbenda, quoniam ille nondum fuerat eam adeptus, sed pensatis conditionibus utriusque secundum bonorum arbitrium. — Ad secundum, quod ille qui suffodit semina, non tenetur ad tantum quantum fructus agri fuerant valituri, sed quantum ager sic seminatus consuevit valere : nam multis modis potest agri fructificatio impediri. Sic quoque dicendum de eo cui non restituitur debitum tempore suo, quia non tenetur restituere tantum quantum potuisset ille alter lucra- D ri, sed secundum æstimationem lucri quod accidere solet, pensato labore et infortuniis quæ accidere alias possent in lucro : quoniam lucrum non provenit ex pecunia tantum, sed item ex industria et labore. — Ad tertium, quod illud præceptum legis Mosaicæ, quamvis sit de moribus, non est tamen morale, sed judiciale. Talia quippe præcepta pro loco ac tempore populo illi dabantur : idcirco non obligant, nisi de novo statuantur ab aliquo auctoritatem ad hoc habente. Quod vero dixit Zachæus, non fuit necessitatis, sed supererogationis, ex abundantia devotionis.

Præterea quæritur, an solum ille qui accipit alienum, ad restitutionem teneatur. Videtur quod sic. Nam alias ille qui damnum perpessus est, reciperet multo plus quam amisit. Dicendum, quod de illis qui ad restitutionem tenentur, dantur hi versus :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Inter quæ, quinque sunt quæ semper ad restitutionem obligant : quorum primum est *jussio,* qua quis jubet alium deprædari : alias tyranni non adstringerentur ad restitutionem. Secundum est *consensus* ad rapinam perpetrandam, in eo sine quo rapina non poterat fieri. Tertium est *recursus,* ut quum aliquis receptor latronum est, et eis patrocinium præstat. Quartum est *participatio,* ut dum quis latroni se sociat ad spoliandum, et partem accipit spoliorum. Quintum est *non obstans,* dum quis ex officio tenetur obstare, quemadmodum principes, qui in terris suis debent servare justitiam : unde si non obstent pro posse, tenentur ad restitutionem eis qui in eorum territorio spoliantur. Verum in aliis casibus enumeratis non obligatur quis semper ad restitutionem, nisi in casibus certis, videlicet quando probabiliter credit quod consilium suum fuit efficax, et quod alias injusta ablatio non fuisset commissa. Similiter, non omnis *palpo,* id est adulator, tenetur ad restitutionem, sed qui adulando incitat ad auferendum, dicendo hoc signum esse strenuitatis, aut aliquid simile. Conformiter, *mutus* vocatur qui ex officio reclamare tenetur, nec reclamat; nec tamen semper ad restitutionem tenetur, nisi operetur ut fiat injusta ablatio, sed debet inducere eum qui abstulit, quatenus reddat. Similiter, non omnis qui *non manifestat,* ad restitutionem adstringitur, sed ille qui pro latrone celat, et particeps est lucri. In omnibus etiam his, si princi-

palis restituit, alii deobligantur a debito A restituendi.

Insuper quæritur, an restitutio facienda sit semper ei qui damnum perpessus est. Et videtur quod non, quia quandoque ille nescitur. Interdum etiam non potest pervenire ad illum sine grandi periculo. Sic etiam in deprædatione civitatum, prædator ignorat cui intulit damnum. — Dicendum, quod restituere est aliquem rursus statuere in suarum rerum possessione : ideo restitutio fieri debet ei qui re sua privatus est. Ad objecta autem dicendum, quod B quando incertus est dominus rerum ablatarum, pauperes sunt heredes : ideo non deobligatur a debito restitutionis, nisi det pauperibus pro anima ejus cui restitutio debebatur, adhibita tamen prius diligentia debita pro illo cognoscendo aut reperiendo. Ad aliud vero dicendum, quod si sint res magni valoris, debet sibi transmittere si commode potest. Nec obstat, quod ex hoc patitur damnum, quia ipsemet causa est sibi hujusmodi damni. Si autem transmittere nequit, vel res modici est valoris, C potest eam dare propinquis illius, si habet, vel alicui claustro, si non habet propinquos, cum protestatione quod reddere tenebuntur, si ille requisierit aut unquam comparuerit. Porro, qui deprædatur communitatem et nescit quem aut quos in speciali, restituere debet pauperibus illius civitatis aut villæ vel communitatis, seu in alios pios usus talis communitatis expendere secundum arbitrium episcopi, aut illorum ad quos communitatis illius pertinet cura. Quod si prælatus alicujus Eccle- D siæ, res suæ Ecclesiæ injuste concedit et perdit, restitutio fieri debet Ecclesiæ, ut res illæ deveniant ad successorem illius prælati, quoniam quamvis ipse eas recipere non meretur, tamen Ecclesia eas non debet amittere. — Hæc Thomas in Scripto.

At vero in secunda secundæ, quæstione sexagesima secunda, hæc eadem scribit, et aliqua addit vel planius exprimit, dicens : Aliquis potest alteri famam auferre (art. 2.) tripliciter. Primo, verum dicendo, et juste seu ordinate, ut dum quis crimen alterius prodit debito ordine caritatis atque justitiæ observato : et tunc non tenetur ad famæ restitutionem, neque ad aliquam recompensationem faciendam. Secundo, falsum dicendo, et injuste : tuncque tenetur ad famam restituendam, confitendo se falsum dixisse. Tertio, verum dicendo, sed injuste, ut dum quis crimen pandit alterius non servato debito ordine, utpote non procedendo secundum formam et ordinem fraternæ correptionis : et tunc ad famæ restitutionem tenetur, quantum potest, tamen sine mendacio, ita ut fateatur se male dixisse, et quod injuste diffamaverit eum; et si non potest ei restituere famam, debet ei aliter pro posse facere recompensam.

Quæritur quoque, an sufficiat restituere (art. 3.) simplum. Et videtur quod non, quia (ut tactum est) in Exodo Dominus jussit pro una ove furata reddi quatuor oves, et pro (*Exod.* XXII, 1.) uno bove injuste sublato quinque boves. Dicendum, quod dum quis injuste accipit rem alienam, duo sunt consideranda. Quorum unum est inæqualitas ex parte rei, quæ interdum est sine injustitia, sicut in mutuis. Aliud est injustitiæ culpa, quæ potest esse etiam cum rei æqualitate : ut quum quis intendit inferre violentiam alteri, sed non potest. Quantum ad primum, adhibetur remedium per restitutionem, in quantum per eam æqualitas reparatur : ad quod sufficit, quod tantum restituat quantum de alieno accepit. Sed quantum ad culpam, remedium adhibetur per pœnam, cujus inflictio pertinet ad judicem : ideo antequam sit condemnatus per judicem, non tenetur plus reddere quam accepit ; sed data sententia, tenetur etiam solvere pœnam. — Per quod objecti patet solutio, quia lex illa fuit determinativa pœnæ per judicem infligendæ. Tamen ad observantiam illius judicialis præcepti nemo in evangelica lege tenetur. In qua nihilo minus aliquid simile statui posset per tantæ auctoritatis prælatum seu judicem.

Denique, quum restitutio ordinetur ad (art. 5.)

utilitatem ejus cui fit (nam cuncta quæ possidemus sub ratione utilis cadunt) ; idcirco, dum res restituenda videtur graviter noxia ei cui esset restituenda vel alteri, non cst pro tunc illi restituenda. Detinens vero eam, non debet eam sibi appropriare, sed vel reservare, ut eam congruo restituat tempore, vel alibi tradere tutius conservandam. Verum his objici potest, quod simoniace recipiens, illicite recipit, non tamen debet restituere danti. Similiter meretrix vitiose recipit pretium corporis sui, non tamen obligatur reddere danti. Et respondendum, quod aliquis dupliciter illicite dat. Primo, quoniam datio ipsa exstat illicita et contra legem, ut simoniace tribuens. Et talis meretur quod dedit amittere : idcirco non debet ei restitutio fieri. Nec qui rccepit, potest licite retinere, quoniam contra legem accepit, sed debet in pios usus convertere. Secundo, aliquis donat illicite, quia dat propter illicitam rem, quamvis ipsa datio non exsistat illicita, sicut dans meretrici propter fornicationem : ideo mulier datum illud potest sibi licite retinere ; si tamen per fraudem aut dolum superfluum aliquid extorsit a viro, tenetur restituere ei. — Præterea advertendum, quod prælatus rem Ecclesiæ tripliciter potest subripere. Primo, si rem Ecclesiæ non sibi, sed alteri deputatam, usurpet, ut si episcopus rem capituli sibi usurpet : et sic planum est, quod restitutionem dcbeat facere ipsi capitulo, ponendo in manus eorum ad quos spectat de jure. Secundo, si rem Ecclesiæ deputatam suæ custodiæ, in dominium transferat aliorum, utpote cognatorum ; et tunc restituere debet Ecclesiæ, atque sub sua cura habere. Tertio, potest hoc facere animo solo, dum scilicet incipit habere animum possidendi rem Ecclesiæ tanquam suam, non nomine Ecclesiæ ; tuncque restituere debet, talem animum deponendo.

art. 6. Amplius, circa illum qui rem alienam accepit, sunt duo consideranda, utpote : res accepta, et ipsa acceptio. Ratione rei tenetur restituere eam. Ipsa vero acceptio

A rei alienæ potest tripliciter se habere. Interdum namque est injuriosa, videlicet contra voluntatem domini rei, ut patet in rapina et furto : tuncque tenetur homo ad restitutionem, non solum ratione rei, sed etiam ratione injuriosæ actionis, quamvis res apud ipsum non maneat, et ultra hoc pro injuria debet puniri. Secundo, aliquis accipit rem alterius in suam utilitatem absque illius injuria et dissensu, sicut in mutuo : tuncque tenetur restituere quod accepit, non solum ratione rei, sed etiam
B acceptionis, etiam si rem amisit : tenetur quippe ei recompensam, qui sibi exhibuit gratiam. Tertio, quis accipit rem alterius absque illius injuria, non tamen pro sua utilitate, ut in depositorum commissione. Idcirco qui accipit ita, in nullo tenetur ratione acceptionis : imo accipiendo impendit obsequium. Tenetur autem ratione rei. Unde si ei subtrahatur absque propria culpa, non tenetur ad restitutionem ; secus esset, si ex magna sua negligentia perderet rem.

C Quemadmodum autem tactum est supra, principes justitiam conservare tenentur in terra ; et si per eorum negligentiam latrones, prædones, spoliatores increscant ac spolient viatores, tenentur principes ipsi spoliatis ad restitutionem. Nam redditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut in terris suis conservent justitiam. — Tenetur etiam homo ad restitutionem statim et citius quo potest : quoniam sicut peccatum est rem alienam injuste accipcre, ita peccatum et eam
D apud se detinere invito domino rei. Nam impedit hominem ab usu rei suæ. Et si objiciatur, quod rem alienam restituere, est præceptum affirmativum, ergo obligat semper, sed non ad semper ; dicendum, quod præceptum hoc quamvis secundum formam verborum sit affirmativum, implicat tamen in se negativum illud præceptum quo prohibemur rem alterius detinere. — Hæc Thomas in Summa. In prima demum secundæ, quæstione centesima quinta, aliqua scribit de his, quæ in

A præinductis et introducendis satis contineri censentur.

De his Petrus non scribit, nisi quod quærit, utrum restitutio sit pars satisfactionis. Et respondet, quod pars satisfactionis dicitur aliquid dupliciter. Primo communiter, quia ad debitam satisfactionem exigitur : sicque satisfactionis pars restitutio dici potest. Secundo proprie, id in quo satisfactio ipsa consistit : et ita non est. Hæc Petrus.

Quod autem in præhabitis S. Thomæ
p. 397 C. B verbis asseritur, quod restituere non est nisi a peccato cessare, non videtur omnifarie verum : quia dum quis dolet ex corde de injusta ablatione et detentione alieni, et restituere illud proponit tempore opportuno, jam cessat ab illo peccato, non tamen restituit, absolute loquendo. Restituere quoque dicit actum; non autem cessare a culpa, quamvis materialiter possit actum includere. Potest etiam accipi negative ac privative. — Verius etiam reor, quod restitutio sit pars satisfactionis C proprie loquendo. Sed pars multipliciter dicitur, utpote pars integralis, pars essentialis, pars subjectiva, pars potestativa. Unde videtur pars satisfactionis : sicut declinare a malo, pars appellatur justitiæ.

Richardus autem de his scribit diffuse : Opus (inquiens) pœnale per quod secundum divinam justitiam solvitur seu remittitur pars pœnæ debitæ pro peccato, est pars satisfactionis. Justitia vero in Deo dupliciter sumitur, secundum Anselmum in Proslogion : primo, pro condecentia bo- D nitatis divinæ; secundo, pro rectitudine voluntatis ad retribuendum unicuique secundum merita sua. Primo modo restitutio est pars satisfactionis, quoniam condecet bonitatem Dei, ut homini facienti actum quem præcipit Deus, non tantum imputet sibi actum illum ad meritum gratiæ, sed etiam remittat sibi pro actu illo aliquid pœnæ debitæ pro peccato. Sicut videmus quod rex aliquis liberalis, militi suo sibi reconciliato, attamen obligato ad aliquam emendam pro aliquo facto, interdum remittit partem emendæ propter hoc, quod fideliter exhibet regi obsequium quod et alias impendere tenebatur. Sed per comparationem ad justitiam Dei secundo modo acceptam, restitutio non est pars satisfactionis : quia secundum rigorem justitiæ non potest satisfacere homo per opus ad quod faciendum exstitit obligatus, etiam si non peccasset, vel si totam pœnam pro peccatis debitam exsolvisset. Ab hac responsione parum aut nihil differt positio dicentium, quod restitutio est pars satisfactionis ex misericordia potius quam ex justitia. Hæc Richardus.

Qui insuper quærit, utrum damnificans alium in bonis animæ aut corporis, teneatur ad restitutionem. Respondet : Nemo potest alium damnificare in anima nisi dispositive, utpote inclinando ipsum ad culpam exemplo, verbo aut omissione. Et talis pro restitutione tenetur pro posse illum disponere verbo et exemplo ad recuperandum amissa animæ bona, atque pro ipso orando, et aliorum orationes procurando pro ipso. Sed in bonis corporis potest unus alium simpliciter damnificare occidendo, lædendo aut spoliando. In quibus quamvis non queat membrum aut vitam seu sanitatem restituere, tenetur tamen refundere alia bona pro damno illo, pensatis qualitate læsi quantitateque damni, et viribus damnificantis.

Quærit quoque, utrum injuste damnificans alium in fama, teneatur ei restituere famam. Ad quod respondet sicut ex Tho- p. 397 C'.
ma responsum est, et addit : Qui diffamat alium de ipso falsa dicendo, talis tenetur facere posse suum fideliter, ut illi sua fama restituatur, dicendo se falsum dixisse, quamvis ex hoc redderetur infamis. Nam quamvis homo teneatur propriam famam magis tueri et conservare quam alienam, ceteris paribus, magis tamen tenetur alteri servare famam suam juste, quam servare propriam famam injuste : quia tenetur bonum animæ suæ præferre bono propriæ famæ. Interdum quoque damnificat quis alium in fama sua injuste indirecte, dum

proprium crimen renuit pandere aut fateri. Et talis quamvis peccet, non tamen tenetur alteri restituere famam recognoscendo propriam culpam, ut quidam probabiliter dicunt : quia dum alter non servat justitiam, ipsum accusando vel denuntiando, nec ipse tenetur se ita culpabilem insinuare. Aliqui tamen contrarium dicunt, quod nimis durum videtur.

Si autem quis teneatur alicui restituere aliqua, et sciat quod ille per illa impugnaret bonum commune, non debet ei restituere statim, sed restituenda illa diligenter servare apud se, vel facere apud alium reservari fideliter ac secure, quatenus restituantur tempore opportuno illi aut ejus heredibus, quando hoc fieri poterit sine præjudicio boni communis. — Præterea qui in guerris scienter inferunt innocentibus damnum, tenentur illis ad restitutionem, non obstante consuetudine contraria, quoniam mala consuetudo est corruptela. Verumtamen illi in guerris innocentes non sunt, qui habenti bellum injustum favent directe aut indirecte, dummodo sciant illum habere bellum injustum, vel hoc merito scirent.

Denique qui intulit alteri damnum, si habet aliquid ultra necessitatem sustentationis naturæ, quamvis sit necessarium sibi ad victum secundum condecentiam sui status, tenetur restituere : quia non licet ei vivere de alieno cum sæculari honore. Si autem non habet nisi necessaria ad sustentationem naturæ, est distinguendum. Aut enim is cui restituendum est, non indiget restitutione ad necessitatem naturæ ; et tunc alter restituere non tenetur, quia ex naturali jure licitus est unicuique usus possessionis ad necessitatem naturæ suæ : extrema quippe necessitas omnia facit esse communia. Aut indiget ille ad sustentationem, et tunc subdistinguo : quia aut prius taliter indiget re restituenda quam alter ; aut eodem tempore taliter indigent ambo ; aut alius ille prius sic eget re illa. Primo modo atque secundo dici posset, quod restituere obligatur, A quia res illa nunquam fuit sua de jure : quia dum alter fuit in statu in quo res illa fuit sibi extreme necessaria, non potuit fieri hujus, illo contradicente. Sed tertio modo, restituere non tenetur, quia extrema necessitas facit rem illam tunc esse ipsius.

Porro si quis præcidat in fundo suo venas per quas derivabatur aqua ad puteum alterius, intentione nocendi alteri, tenetur ei ad restitutionem damni. Si vero hoc facit sine fraude, intendens utilitati suæ B consulere, ut si multum utile sibi sit facere murum, nec potest convenienter fieri fundamentum sine illarum præcisione venarum, non tenetur ad aliquam restitutionem, quia jus habet faciendi in agro suo suam utilitatem. Unde regula juris est : Nemo damnum alteri facit, nisi qui id facit ad quod faciendum jus non habet.

Insuper qui retrahit a religionis ingressu personam utilem, intentione damnificandi, tenetur illi conventui cui subtrahit talem personam, ad bonorum arbitrium. C Si vero hoc faciat intentione consulendi suæ utilitati temporali aut spirituali, non suggerens falsum, neque in fraudem, non tenetur illis ad aliquam restitutionem; sed personæ cujus spiritualem impedivit profectum, tenetur in spiritualibus ad restitutionem quantum potest.

Præterea quæri potest, quid de muliere quæ ex adulterio suscipit filium, per quod exheredat verum heredem. De qua aliqui dicunt, quod ad restitutionem non obligatur, si hoc fecit non animo exheredandi, D sed luxuriandi. Dicendum, quod mulier illa non excusatur quin teneatur ad restitutionem post mortem mariti, nisi filius a matre persuasus, hereditatem voluerit reddere ; non tamen tenetur credere matri, nisi possit sibi facere certam fidem de hoc quod ex adulterio habuerit eum. Non tamen tenebitur ad restituendum totam hereditatem, quoniam multa poterant impedire ne hereditas devolveretur ad alium ; sed tenebitur ad interesse juxta bonorum arbitrium.

Amplius, damnificans alium injuste in A sua libertate, videlicet procurando injuste ipsum redigi in servitutem, tenetur se facere servum pro illo, si aliter non potest eum restituere libertati ; nisi forsan hoc redundaret in detrimentum boni communis : in quo casu teneretur ad omne aliud interesse ad bonorum arbitrium. Quantumcumque vero damnificaret illum in possessionibus, nunquam teneretur pro restitutione se vendere in servum, quia libertas inæstimabilis res est.

Præterea, quoniam restituenda sunt quæ B per usuram sunt acquisita, quæritur an quilibet in quocumque contractu accipiens aliquid ultra sortem, teneatur illi a quo accipit, ad restitutionem. Et videtur quod sic, quia frequenter continetur in jure : Quidquid ultra sortem accipitur, usura est. Respondendum, quod in contractu aliquid accipere ultra sortem, quadrupliciter potest intelligi : primo, de mutuo ; secundo, de locatione ; tertio, de venditione ; quarto, de emptione. Primo modo contingit accipere aliquid ultra sortem, aut ratione C pœnæ conventionalis a jure permissæ, aut ratione donationis, aut ratione interesse, aut tanquam exactum pro mutuo directe vel indirecte, explicite vel implicite. Primo modo accipiens aliquid ultra sortem, non tenetur ad restitutionem, si pœna non fuit apposita in fraudem usuræ, sed intentione arctandi accipientem ad observationem fidelitatis promissæ : quia ut dicitur Digest. lib. 50, tit. 17. ff. de Regulis juris, quod nomine pœnæ ab aliquo est exactum, hoc nemo restituere cogitur. — Accipiens quoque secun- D do modo ultra id quod mutuavit, restituere non tenetur. Si enim mutuo aliquid alteri non in fraudem usuræ, et ille tanquam gratus reddit mihi plus ex sua liberalitate, non teneor restituere : quia illud meum est jure liberalis donationis. — Tertio quoque modo, utpote ratione interesse, licet accipere ultra sortem pluribus modis. Primo, dum fidejussor pro defectu debitoris compulsus est creditori solvere capitale atque usuram. Tunc namque fidejussor debet a debitore utrumque recipere, quia servari debet indemnis : *extra* de Fidejussoribus, capitulo Constitutus. Secundo, dum mutuans incurrit damnum ex hoc quod ille qui accepit, non solvit in termino assignato : *extra* de Fidejussoribus, capitulo Pervenit. Tertio, dum aliquid impignoratur marito pro dote. Tunc enim maritus ultra capitale potest retinere fructus perceptos ad onus matrimonii supportandum : *extra* de Usuris, capitulo Salubriter. Quarto, quando vassallus Ecclesiæ impignorat illi feudum quod tenet ab ea, nec interim reddit Ecclesiæ servitium quo ei tenetur pro feudo. Tunc quippe potest Ecclesia retinere capitale cum fructibus perceptis. Sicque posset etiam dominus temporalis : quoniam quum usura sit præter jus naturæ, secundum Philosophum primo Politicorum, et contra jus divinum, juxta illud Lucæ, Mutuum date, nihil inde *Luc.* VI, 35. sperantes : si illud esset usura, non liceret Ecclesiæ nec clericis. Quod autem id liceat, habetur *extra* de Usuris, capitulo Conquestus. Quinto, quum quis mutuat illi qui violenter aut frauduleuter suam rem detinet. Tunc etenim mutuans restituere non tenetur id quod ultra mutuum accipit : quia non accipit alienum, sed quod suum est retrahit ad se.

Quarto modo, videlicet aliquid exactum pro mutuo directe aut indirecte, implicite vel explicite, ultra sortem accipere, potest fieri sine pacto ac insinuatione intentionis plus habendi, aut cum insinuatione et pacto. Primo modo accipiens aliquid ultra sortem, restituere non tenetur, quamvis peccet si corruptam habuit intentionem plus habendi. Corrupta demum fuit intentio, si mutuavit principaliter in spe lucri ; non autem, si secundario : *extra* de Usuris, capitulo Consuluit, in Glossa. Secundo modo non licet : quia sic est quasi quoddam pactum interpretative, quia ex hoc præsumit acceptor mutui, quod ipse mutuans mutuat intentione plus habendi ; et quod ille non mutuaret nisi ipse daret ultra sortem. Idcirco, si dat ali-

quid mutuanti, non est liberalis donatio, A sed quasi sub conditione coacta. Tertio modo contingit aliquid accipere ultra sortem quadrupliciter. Primo, quando capitale et lucrum ponuntur sub certitudine. Secundo, quando capitale sub certitudine ponitur, et lucrum in fortuna : ut quum aliquis alteri mutuat centum sub tali pacto, quod habebit aliquam lucri portionem, si fuerit lucrum, capitali suo sibi semper salvo quidquid contingat. Tertio, dum lucrum ponitur sub certitudine, et capitale in fortuna : ut quum quis eunti B ad nundinas mutuat centum pro certa summa pecuniæ, recipiens in se periculum capitalis, nisi pereat per culpam vel negligentiam mutuum accipientis. Quarto, dum utrumque ponitur sub dubio, ita quod non videtur notabiliter magis in favorem dantis quam accipientis. Tribus primis modis accipiens aliquid ultra sortem, ad restitutionem tenetur : quia contractus sunt usurarii, sive fiant directe sive indirecte, vel explicite sive implicite. Quumque istud non sit tam evidens de tertio C modo sicut de primo et secundo ; ideo istud de tertio modo probatur per auctoritatem, *extra* de Usuris, capitulo Naviganti : quo loco dicitur, Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra, usurarius est censendus. Quarto modo aliquid accipiens ultra sortem, restituere non tenetur : quoniam ratione verisimilis dubii excusatur contractus hujusmodi, *extra* de Usuris, capitulo Naviganti. Rationeque hujusmodi D dubii excusatur, qui merces suas vendit ut in termino certo recipiat amplius pro eisdem, quam valent tempore contractus, si tamen contractus tempore eas non fuerat venditurus. Si autem alias tempore contractus fuit rem illam venditurus pro minori pretio, atque ex certa scientia plus recipiat alio tempore, quasi usurarius est censendus.

Porro in contractu locationis licitum est ultra rem locatam accipere aliquid ac retinere pro usu rei locatæ, etiam dum locantur res quæ non pejorantur, ut pecuniæ vel scyphi argentei, ad honorandum illum qui accipit. Sic enim dare pecuniam, non est eam mutuare, sed locare : ff. Commodati vel contra. Ibi etenim dicitur, quod non potest commodari id quod usu consumitur, nisi forte ad pompam vel ostentationem quis accipiat. — In contractu quoque venditionis licitum est accipere ultra sortem, non tamen ultra id quod res valet dum venditur. Nempe eamdem rem uno tempore et in una terra emit unus pro centum, quæ in alio tempore et in alia terra valet centum viginti. Item ratione emptionis redditus hereditarii, vel ad vitam, licitum est recipere proventus, quamvis excedant sortem, si in emptione servetur æqualitas juris naturalis, sine qua nulla emptio licita esse potest : 16, quæstione 3, capitulo Si sacerdotes. — Ratio autem cur pro re mutuata nil exigi potest ultra sortem, et potest pro re locata, est : quoniam mutuum est de rebus quarum principalis usus non potest concedi sine re ipsa, eo quod ille usus est earum consumptio, ut patet in esibilibus et potabilibus ; vel distractio, ut patet de pecunia, quæ ad hoc principaliter est inventa, ut expendatur in emptione rerum aliarum. Idcirco, quando res tales aliis conceduntur, transfertur in illos earum dominium. Unde mutuare est, de meo tuum facere. Quumque concedere principalem usum rerum illarum, sit concedere res ipsas ; ille qui ultra recompensationem rei exigit recompensationem pro usu ejus, exigit pro eadem re bis recompensationem : quod est contra naturalis juris æqualitatem. Locatio vero est de rebus quarum usus concedi potest sine re, quia earum usus non est earum consumptio. Hinc vendi potest dominium domus, retento usu ipsius ; et concedi usus, retento dominio. Ideo ille cui restituitur domus locata, si ultra hoc exigit pretium pro usu illius, non exigit pro eadem re bis recompensationem, nec recompensationem pro eo quod non est. — Hæc Richardus.

Digest. lib. 13, tit. 6.

Decret. p. II.

Qui insuper sciscitatur, utrum homo teneatur restituere ea quæ legitima mercatione lucratus est de bonis quæ ipse vel pater ejus acquisierunt per usuram. Videtur quod sic, quoniam tenens rem impignoratam, tenetur eam restituere cum fructibus perceptis, si sibi solvitur capitale pro quo res fuit impignorata. Si autem de fructibus sortem receperit, tenetur restituere pignus sine solutione alia, hoc excepto quod sibi debetur pro laboribus et expensis : *extra* de Usuris, capitulo primo et sequenti. Ergo a simili, si de eo quod mihi restituere debuisti, lucratus es, deductis expensis tuis, et retento quod tibi pro labore debetur, residuum lucri cum hoc quod ante debebas, restituere teneris. — Ad istam quæstionem aliqui dicunt, quod talis non tenetur restituere lucrum prædictum, lucrum tamen de re furtiva vel rapta reddere obligatur : quia usurarius est dominus rei quam lucratus est per usuram, furator autem non est dominus rei furatæ, nec raptor rapinæ. Sed contra, quicumque alicujus rei est dominus, ejus est dominus aliquo jure, non injuria ; sed rei acquisitæ per usuram, usurarius non est dominus aliquo jure. — Hinc alii dicunt, quod usurarius non solum tenetur ad restituendum usuram, sed etiam quidquid lucratus est justa mercatione de re per usuram acquisita, prius tamen deductis laboribus et expensis ; fur autem seu raptor de lucro justa mercatione acquisito non debet inde deducere nec labores neque expensas : quoniam mitius agendum est cum usurario quam cum latrone aut fure. Sed contra hoc est, quod pro re sterili nemo debet exigere fructum. Pecunia vero de se res sterilis est, quia per se nullum potest parere fructum, sed solum per laborem sollicitudinemque utentis. Ergo lucrum de pecunia tua non debes exigere, si in lucro illo non laborasti neque sollicitus exstitisti.

Hinc mihi videtur dicendum, quod rerum quædam sunt quæ habent usumfructum, ut res quarum usus non est earum A consumptio neque distractio ; et si quis talem rem extorserit per usuram, non solum obligatur ad restituendum rem ipsam, sed et fructus perceptos, deductis prius laboribus et expensis : quoniam tales fructus sunt fructus rerum quarum alius dominus est. Quædam quoque sunt res quæ non habent principaliter usumfructum, cujusmodi est pecunia. Lucrum enim de pecunia proveniens, non est fructus pecuniæ, sed humanæ industriæ ac laboris. Quumque homo dominus sit suæ industriæ atque B laboris, ideo lucrum quod justa mercatione adeptus est de pecunia per usuram extorta, restituere non tenetur. Veruntamen, quia pecuniam alterius præter ejus absolutam voluntatem detinuit, si ille cui facienda erat restitutio, ex hoc aliquod damnum incurrit, alius sibi tenetur ad restitutionem damni una cum restitutione usuræ.

Rursus quæritur, utrum homo tenetur restituere ea quæ reperit fortuna. Dicendum, quod rerum quædam sunt communes C omnium jure naturali, ut volucres non domesticæ et pisces maris ; quædam vero sunt universitatis, sicut quod est communitatis, ut theatra, stadia ac consimilia ; quædam autem sunt proprie singulorum. Si quis ergo inveniat aliqua de primo genere horum, restituere non tenetur. Si autem invenerit aliqua de secundo genere, restituere communitati tenetur ; rem autem singularis personæ, singulari personæ. Et secundum hanc distinctionem concordantur et solvuntur diversæ auctorita- D tes quæ diversimode loqui videntur. Si etenim quis sciat cujus sit res inventa, nec restituerit eam, similis est raptori ; et si nesciat cujus sit, non tamen potest eam retinere, sed debet facere quod in se est, ut sciatur cujus sit : quia ut dicitur ff. de Furtis, etc., qui alienum quid jacens in terra, causa lucri faciendi sustulit, furto adstringitur, sive sciat cujus sit, sive non. Et hoc rationabile est, quia quum sciat rem suam non esse, supponere debet eam de jure ad alium pertinere. Quod

Digest. lib. 47, tit. 2, l. 43 § 4.

si invenire nequeat cujus sit, restituat illi cui incumbit cura rei publicæ.

Adhuc quæritur, utrum homo tenetur restituere ea quæ lucratus est per ludos prohibitos. Videtur quod non, quoniam meretricium magis prohibitum ac vitiosum consistit quam hujusmodi ludi; sed meretrix non tenetur restituere pretium corporis sui : ergo nec lusor lucratam pecuniam. Item quod torneatores in torneamentis lucrantur, restituere non tenentur, secundum leges. In contrarium est, quia ab alio repeti non potest quod ille restituere non tenetur; sed secundum constitutionem Græcam usque ad quinquaginta annos repeti potest quod in ludo amittitur alearum. — Dicendum, quod aliqui ludi sunt ita prohibiti, quod non jubetur restitui id quod lucratur homo secundum legem ludorum illorum, ut torneamenta, in quibus quod quis lucratur, restituere non tenetur, quamvis peccet mortaliter exercendo ludum ab Ecclesia tam vehementer prohibitum, ita ut careant ecclesiastica sepultura occisi in illo. Alii sunt ludi ita prohibiti, quod præcipitur restitui quod homo lucratur cum eis, ut ludus alearum et taxillorum. Non tamen prohibitum est ludere non ex cupiditate et pro communi convivio. Itaque communis atque securior via est, quod eo ipso quo ludus taxillorum prohibitus est, homo ipso jure tenetur restituere quod tali ludo lucratus est : quia non tantum prohibetur ille ludus, sed etiam acquisitio lucri per talem ludum. Ratio demum quod leges potius prohibent ludum alearum quam torneamenta, est : quia in ludo torneamenti sunt multi labores qui macerant carnem et a turpibus retrahunt, et torneantes exercent se, ac artem militiæ discunt pro defensione rei publicæ; sed propter abusus supervenientes et crudelitates et vanitates annexas, Ecclesia ludum illum districte rationabiliterque prohibuit. Ludus autem taxillorum otium nutrit, et plurima mala habet adjuncta, nec aliquid utile ibi addiscitur, et totum exercitium ludi illius fortunæ commit-

A titur atque innititur. — Hæc Richardus.

Porro scripta Alberti de restitutione, in præhabitis verbis Thomæ quasi totaliter continentur. Aliqua tamen possunt addi. Restitutio (inquit) bene definitur, quum dicitur : Restitutio est rei ablatæ redditio vel recompensatio. Ablatum namque aut restituitur idem numero, et tunc redditur; aut in æquivalenti, et tunc recompensatur. Contingit ergo dupliciter reddere. Primo, secundum ablati valorem : et ita fama ablata atque virginitas violata, restitui nequeB unt. Secundo, penes acceptationem ejus cui ablatum est aliquid : quæ restitutio fit juxta arbitrium virorum bonorum, et hoc fit quotiescumque debitor facit quidquid potest ad satisfaciendum læso; et sive læsus tunc remittat, sive non, nihilo minus excusatur qui abstulit, coram Deo. Denique clerici et quidam religiosi, suadentes principibus licitas esse quasdam acceptiones quæ revera injustæ sunt, ad restitutionem tenentur : quemadmodum etiam consiliarii pravi, qui instar Achitophel, excogitant (II *Reg.* XVI, 21-23; XVII, 1-3.) C varios modos extorquendi et auferendi ab aliis, volentes placere impiis principibus ac tyrannis; emissarii quoque qui exsequuntur quod illorum consilio norunt injuste esse dictatum.

Deinde quærit hic doctor, quid debeat restitui. Quam quæstionem dicit esse difficilem, ponendo casus de diffamante et semina suffodiente, seu aliquem impediente a consecutione alicujus spiritualis sæcularisve boni. Ad quæ respondet sicut ex Thoma responsum est, et addit, quod om- (p. 397 B'ets.) D ne illud ablatum est restituendum quod cum dolore amittitur, et cum delectatione, utilitate aut honestate possidetur, præsertim cujus ablatio aut minoratio ad vituperium pertinet vel ad damnum. Auferre vero famam in his quæ spectant ad vanitatem, non censetur peccatum, nec satisfactionem requirit. In ceteris, sicut in dictis S. Thomæ inductum est.

Scripta vero Thomæ de Argentina consonant per omnia præinductis ex sancto Doctore et Richardo de Mediavilla; et ad-

dit : Si quis bona fide emat ablata, non A debet damnificari, quia non scivit nec suspicabatur illa esse injuste ablata. Idcirco si dominus talium rerum vult eas rehabere, debet huic emptori restituere pretium capitale. — At vero de muliere quæ falsum heredem constituendo, defraudat verum heredem, aliqui dicunt, quod mulier talis satisfacere nequit, nisi illud suo revelet marito, quatenus spurium illum privet hereditate. Quod non videtur idonee dictum, quia se ipsam exponeret mortis periculo et virum suum uxoricidio. Ideo B dico, quod mulier illa pro posse suo debet laborare ut spurius ille intret religionem, et talem religionem in qua non sit capax hereditatis. Quod si noluerit spurius, puto quod mater sua debeat ei quod gestum est, clam revelare, ipsumque admonere ne animam suam perdat usurpando hereditatem sibi indebitam. Potest quoque hæc revelare confessori spurii in confessione vel extra, et supplicare ut super his spurium illum informet. Qui si acquiescere nolit, et mulier supervixerit suo marito, C debet parcius vivere, quatenus heredi damnificato recompenset damnum suum pro posse.

Quæritur etiam, quo tempore tenetur quis restituere. Quæ quæstio dupliciter potest intelligi. Primo, de illo qui nunquam fuit bonæ fidei possessor; et ille tenetur immediate restituere, quantum potest. Secundo, de illo qui aliquando fuit fidei bonæ possessor, tamen antequam transeat tempus præscriptionis, sufficienter informatur de hoc quod injuste possidet ali- D quid, et quod illi per quos seu a quibus habet rem illam, nunquam fuerunt veri possessores rei illius, atque sufficienter docetur injustus ille possessor, cui debeat reddere illam rem : et tunc ad restitutionem tenetur immediate et indilate, quia ejusdem est criminis alicui rem suam injuste auferre, et detinere, nisi dilatio expediat, ut quando furioso non redditur gladius. Tertio, potest hæc quæstio introduci propter tempus præscriptionis, quia aut est præscriptio juris, ex tempore capiens firmitatem : cujus præscriptionis tempus est decem anni contra personam laicam et privatam, si præsens sit, et viginti anni, si absens exsistat. Intelliguntur autem esse præsentes, qui in eadem provincia commorantur; absentes vero, qui sunt in diversis provinciis. Porro contra Ecclesiam non præscribitur, nisi tempore quadraginta annorum, ut patet 16, quæstione 3. Decret. p II. Et excipitur ibi Romana Ecclesia, contra quam non præscribitur nisi tempore centum annorum. Differt item præscriptio ab usucapione : quia præscriptio cadit super rem immobilem, ut est ager, villa, castrum; usucapio super rem mobilem, ut sunt pecunia, liber, vestis. Quæro ergo, si quis rem possideat pacifice bona fide per totum tempus præscriptionis, concurrentibus conditionibus universis requisitis ad præscriptionis valorem, quæ multæ sunt valde ; deinde veniat quis, evidenter ac sufficienter declarans quod bona illa fuerant sua, vel ad ipsum legitima successione pertineant : utrum teneatur bona illa restituere illi. Respondeo quod non, quoniam jus canonicum ac civile conferunt ei justum titulum possidendi. Verum quidam doctores tenent contrarium, asserentes quod in foro conscientiæ restituere obligatur. Nec jus humanum sua institutione potest præjudicare juri divino ac naturali, ita ut faciat id quod meum est, esse tuum; quum homo legislator non sit dominus rerum, sed Deus creator, legislator supremus. Insuper, quod non est secundum se licitum, sed tantum a jure permissum, non præbet defensionem in conscientiæ foro. Talis autem est præscriptio, quoniam solum est a jure permissa, ad vitandum majus malum, videlicet jurgia quæ possunt oriri propter dominia. Sed ista non concludunt. Et dico, quod princeps terrenus non solum est rerum tutor, sed etiam distributor secundum merita atque demerita possidentium eas. Hinc sicut propter crimina aliqua tollit uni suum, et præstat hoc alteri; sic in proposito per præscri-

ptionem aufert uni propter negligentiam A suam, quod fuit aut esset suum, et alteri illud largitur. Magna vero est negligentia ejus qui infra tot annos præscriptionis non requirit rem debitam sibi. Hinc jura testantur, quod qui rem suam curare negligit, merito ejus proprietatem amittit. — Hæc Argentinensis.

Verum secunda opinio amplius placet quibusdam. Nam dato quod negligens sit, tamen negligentia illa posset puniri alia minori pœna, et posset quis ex alia meliori causa omittere hujusmodi rei suæ re- B quisitionem. Nec dominus terrenus potest esse rerum distributor principalis, aut secundum propriam voluntatem, sed solum secundum summi legislatoris complacitum, seu juxta divinam naturalemque legem, vel saltem non contra eas.

At vero Scotus circa hæc scribit prolixe, in primis discutiens, an omnia ista exteriora debeant esse cunctis communia : de quo satis dictum est in Scripto secundi. Deinde inserit multa, quæ in dictis Richardi jam habita sunt. De muliere quoque C spurium habente scribit sicut ex Thoma de Argentina inductum est. De his quoque qui tenentur ad restitutionem, allegat et exponit præfatos versiculos :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Istorum omnium quilibet tenetur ad restituendum in solidum, sed uno eorum restituente, omnes alii liberantur a debito restituendi quoad illum cui unus ille satisfecit ; et tenentur pro taxa portionis D quæ eos contingit, illi qui pro ipsis omnibus satisfecit. — Insuper addit, quod quamvis teneatur quis damnificato restituere ablatum, et ultra hoc suum interesse, et fructum perceptum de re, si res fuit fructifera ; non tamen fructum qui provenit ex industria ejus qui utitur illa re. Ex quo sequitur, quod lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri, non tenetur reddere fœnerator : alioqui ille qui reciperet, posset juste usurarius esse, quia recipere fructum de sua pecunia venientem per alterius industriam, est facere usuram. Et hoc est forte quod magis posset homines inducere ad usuram : quoniam de usuris lucrantes, id quod lucrantur restituere non tenentur : imo id suum est, quia per eorum industriam est acquisitum. Alienum vero est restituendum. Hæc Scotus.

Qui in hujus quæstionis decisione sequitur valde opinionem ex Argentinensi inductam de præscriptionis valore, etiam in conscientiæ foro, potissime probans hoc, quia (ut ait) dominiorum et terrarum divisio, translatio, permutatio, factæ sunt ab exordio auctoritate humana principum sæculi hujus, præsertim imperatorum, ergo et postea eorumdem auctoritate talia fieri potuerunt. Quod dictum nec Scripturis canonicis, nec providentiæ Dei satis consonare videtur. Omnino enim omnipotentis Dei ordinatione, justitia, moderamine, ab exordio divisa est terra, translata sunt regna, variata dominia, possessiones mutatæ sunt, juxta illud Danielis : Ipse *Dan.* II, 21. mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit. Unde per Jeremiam testatur : Ego feci terram in fortitudine mea *Jer.* XXVII, 5. magna, et dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Hinc sicut in Deuteronomio recitatur, præcepit filiis Israel de Ægypto egressis, ne moverentur ad prælium contra Idu- *Deut.* XXIII, 7. mæos, nec contra Moabitas, neque adversus *Ibid.* II, 9, 19. Ammonitas : quoniam terras in quibus commorabantur, tradidit patribus eorum ac ipsis in possessionem. Hinc quoque in cantico Deuteronomii Moyses cecinit : Con- *Ibid.* XXXII, 8. stituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Quibus et regna Chananæorum divisit in mansiones. Hoc est quod Paulus apostolus protestatur : Deus *Act.* XVII, 26. fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super faciem universæ terræ, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum. Quod qualiter factum est, in Genesi, in Paralipomenon et aliis locis *Gen.* XI, 8, 9. Scripturæ clare ac copiose docetur. Unde I *Par.* I et seq. in Daniele describitur, qualiter secundum *Dan.* V, 18, 20. ordinem providentiæ Dei juxta exigentiam

meritorum hominum, diversis nationibus successive tradita est et ablata monarchia. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Deus transtulit regna de gente in gentem propter diversos dolos et iram et injustitias. (*Eccli.* x, 8.) Quod autem principes sæculi divisiones quasdam fecerunt terrarum, ex divina providentia ortum habet, cujus dispositione aut permissione cuncta aguntur in terris, præsertim in rebus actibusque humanis.

Præterea Scotus respondendo ad istud, utrum damnificans alium in bonis personæ, videlicet animæ et corporis, teneatur ad restitutionem, inter cetera scribit : Nullus potest alium damnificare in bonis animæ, inducendo ad culpam directe seu necessitando, quum peccatum ex propria voluntate peccantis dependeat; sed indirecte, inclinando, persuadendo, scandalizando, et a bonis actibus retrahendo sive impediendo. Quod qui fecerit, tenetur omni modo sibi possibili ad restitutionem, id est ad ædificationem illius, ut recuperentur in eo bona virtutum. Inducere ergo eum debet efficaciter ad pœnitentiam virtuososque actus. Et si sola inductio non sufficiat, quia facilius est pervertere quam convertere, tenetur per se orando, et aliorum orationes procurando, gratiam conversionis illi acquirere, et item per alios persuasores idoneos ad hoc agendum studere, non tamen pandendo occulta peccata illius. Ex quibus patet, quantum periculum sit et peccatum, alios sollicitare aut inducere ad peccatum, quia vix potest restituere illis quod debet. Et quia bona virtutum quæ abstulit sunt pretiosissima bona, et mala ad quæ induxit sunt pessima mala, et damna gravissima ; idcirco, incomparabiliter plus damnificat proximum, qui in istis damnificat eum, quam qui solum in corporalibus rebus. Et ergo secundum justitiam tanto plus obligatur restitutionem facere proximis in his quam in aliis.

Si damnificavit autem proximum in bonis corporis, aut intulit mortem aut læsionem citra mortem : et talis læsio vel est irremediabile malum, ut mutilatio ; aut remediabile, ut vulneratio simplex. Mutilatio quoque est duplex : una enormis, quæ impedit totaliter actum humanum competentem homini secundum partem abscissam, ut amputatio manus ; vel non enormis, quæ non ex toto impedit talem actum, ut amputatio digiti. Videndum est ergo, quid in damnis istis possit juste restitui, et quid inde statutum sit. — Quantum ad primum dico, quod si lex talionis in his omnibus statueretur, justa consisteret, quia difficile est in his aliam dignam recompensationem rependi. Nec tamen ob hoc judaizaremus, quia aliqua præcepta judicialia veteris Testamenti possent a principe christiano, videlicet Papa aut imperatore, institui, atque a Christianis servari, non in quantum per Moysen data, sed quia a christiano principe auctoritatem habente rationabiliter instituta : sicut et princeps unius regni posset populo suo mandare aliquas ordinationes et leges alterius regis ac regni, et una religio aliquas accipit ordinationes ab alia religione. Sic si modo statueretur, quod blasphemi atque adulteri occiderentur, multo justius esset, quam quod ordinatum est ut fures suspendantur, sicut blasphemia et adulteria sunt multo graviora facinora quam sit furtum. Sed clarum est ad quid adspiciant principes christiani : quia ad commodum temporale propriumque honorem magis quam ad honorem et cultum divinum. Ideo gravius puniunt peccata in proximum quam peccata in Deum. — Verumtamen in multis terris pro scelere homicidii pœna talionis infligitur, et juste, quia hoc non solum consonat legi Moysis, imo et legi naturali, et approbatum ac confirmatum est in evangelica lege, Christo dicente : Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. (*Matth.* xxvi, 52.) Et si alicubi non infligitur pœna hujusmodi, expedit homicidæ ut in recompensam exponat se morti pro fidei defensione, seu pro bono communi. Quod si tantam restitutionem noluerit facere, non tamen po-

test esse a restitutione immunis, sicut fatui quidam absolvunt tales, non ostendentes eis restitutionem pro homicidio eis incumbentem, quasi facilius possit transire homicida, quam (ut ita dicam) canicida aut bovicida : quoniam qui bovem aut canem alterius perimit, non absolvitur sine restitutione. Quod si interfectus sustentavit quosdam propinquos, ut parentes, uxorem aut filios, interfector omnibus illis tenetur ad restitutionem, quantum ipsis abstulit per illius occisionem. — Hæc Scotus.

Qui multa scribit de his, nescio an tam sapienter, quam audenter. Nempe simpliciter asserit et evidenter fatetur, se non videre quod lex aliqua justa potuit ordinare hominem pro solo furto occidi. Et esto (inquit) quod Judæis licuisset pro furto occidere, rigor iste potius revocatus esset per evangelicam pietatem de fure, quam de adultero : sicut et furtum minus peccatum est quam adulterium, juxta illud Proverbiorum : Non grandis est culpa, quum quis furatus fuerit; furatur enim ut esurientem repleat animam. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, id est, vitam amittet, quia lapidabitur juxta legem. — Verumtamen his objici posset, quia in Ecclesia Dei fuerunt de gratia Dei aliqui sancti et justi imperatores, multoque plures sanctissimi summi Pontifices, qui Dei honorem magis quam temporale commodum intenderunt; et tamen nullus eorum instituit, furta et adulteria puniri juxta mensuram enormitatis eorum, ita ut adulter tanto plus puniatur quam fur, quanto gravius crimen est adulterium quam furtum, et ut adulteri potius occidantur quam fures. Periculosum quoque videtur asserere, quod pro solo furto non valeat pœna mortis inferri. Denique leges et plebiscita recte instituuntur secundum exigentiam finis eorum. Finis autem juris civilis est conversatio hominum ad invicem pacifica et quieta. Cui fini quum furtum præcipue adversetur, nisi rigorosissime exterminetur, imo magis quam adulterium, ut videtur, saltem in pluribus terris : sequitur, quod furtum non immerito punitur suspendio. Imo etiam secundum jura canonica, minus peccatum, ut uxoricidium, punitur districtius quam matricidium, eo quod homines non sint proni occidere matrem, sicut uxorem. Sic et major pœnitentia imponitur adolescenti pro fornicatione quam seni, ut infra dicetur.

Prov. VI, 30, 32.

Insuper addit Scotus : Pro mutilatione enormi et non enormi, non est in Ecclesia restitutio instituta nisi pecuniaria, quæ correspondere debet non solum damno per mutilationem pro tempore toto futuro quo usurus quis esset membro abscisso, sed et expensis appositis in curatione; et ultra hæc etiam placationi ipsius læsi, quæ requireretur, quamvis non esset mutilatio talis : imo et consolationi afflicti, quia perpetua est sibi desolatio de tali mutilatione. Plus etiam ponderanda est desolatio pauperis quam divitis, si magis egebat membro abscisso ad victum necessarium sibi ac suis, quamvis ex alia parte ponderanda sit conditio seu dignitas divitis. Hæc idem.

Præterea de his non nisi perpauca scribit Bonaventura. Et ad hoc, utrum restitutio sit pars satisfactionis, respondet sicut ex Petro inductum est. De ipsa vero restitutione quærit, utrum de male acquisitis possit eleemosyna vel debeat restitutio fieri. Respondet : Quædam sunt male acquisita in quibus transfertur dominium, et non competit repetitio ; et talia non est necesse restitui, et possunt licite retineri, ut lucrum histrionis pretiumque prostibuli. Et talia possunt in eleemosynam dari, sed recipienda non sunt in oblationem, si sit publicum crimen, propter honorem altaris et confusionem peccati, ut resipiscant. Hinc in Deuteronomio legitur : Non offeres mercedem prostibuli. Quædam sunt in quibus non transfertur dominium, et competit repetitio, ut in furto et rapina; et de talibus non potest oblatio fieri, nec eleemosyna, sed restitutio fieri debet. Atque ad hoc genus reducuntur omnia quæ

p. 401 A.

Deut. XXIII, 18.

mala fide et injusto titulo possidentur, quia injustus titulus pro nullo habendus est. Malæ autem fidei possessor vocatur qui contra legum interdicta mercatur, ut quæ habentur per usuram et simoniam. Idcirco de talibus non debet eleemosyna fieri.

Si autem quæratur de aleatore, dicendum quod generaliter malæ fidei possessor est, et injusto possidet titulo : idcirco nullatenus potest retinere quod lucratus est, quum talis ludus sit turpis et reprobatus, et contra Deum ac omnia jura. Utrum tamen restituere teneatur, distinguunt aliqui : quia aut ille penes quem lucratus est, talis persona est quæ rebus suis præesse non potest, ut minorennis, pupillus, surdus, mutus aut incurabiliter languidus; et sic restituere obligatur. Si vero sit talis persona quæ amittere potest, tunc aut tractus est ipse ludens et inductus ab illo ad ludendum, aut non. Si tractus fuit ab illo, non tenetur restituere illi, quoniam illi non competit repetitio in vindictam peccati; sed eleemosynam inde facere potest. Si autem ipse ludens traxit illum, tunc ipse non valet inde eleemosynam facere, quoniam restituere obligatur saltem in foro conscientiæ. Nam quamvis nemo velit amittere, tamen qui non vult amittere nec ludere, sed inducitur ad ludendum, minus culpabilis est : idcirco non debet damnificari. Et qui induxit eum, quum sit magis culpabilis, non debet meliorari in aliquo. Nulli tamen licet ex hoc aliquid lucri acquisiti in proprios usus convertere. — Similiter dicendum de torneamentis, quod scilicet in illis pactionibus quas habent inter se, bona non transferuntur in invicem : ideo in usus pauperum convertantur, propter ludi inhonestatem et juris prohibitionem. — Hæc Bonaventura, cujus hoc ultimum verbum de torneamentis, videtur a præhabitis dissentire. *Cf.* p. 406 B.

Insuper de his multa conscribit Antisiodorensis concorditer ad prædicta. Primo, quod restitutio non est pars satisfactionis, sed præambulum ad eamdem. Secundo,

A quod obligatus ad restitutionem, tenetur restituere statim, si potest, juxta illud Deuteronomii : Quum votum feceris Domino, non tardabis reddere. *Deut.* XXIII, 21. Quum ergo votum statim reddendum sit, eadem ratione furtum et rapina et omne aliud restituendum. Nec licet differre sine voluntate ejus cui quis debet : voluntate (inquam) impetrata non per fraudem. Quidam etenim impetrant fraudulenter, allegantes majorem inopiam, necessitatem seu impotentiam quam sit. Quibus incumbit facere id

B quod possunt : creditor namque potius vult rehabere partem quam nihil. — Si objiciatur, quia confessio (præsertim exterior) et satisfactio possunt differri, ergo et restitutio; dicendum, quod non est simile, quoniam restitutio est de pure naturalibus moralibus, non autem confessio illa exterior nec satisfactio. Unde nec Papa dispensare potest adversus eam.

Deinde quæritur, an ad restitutionem tenentur currentes cum fure, juxta illud Psalmi, Si videbas furem, currebas cum *Ps.* XLIX, 18.

C eo; et Isaiæ primo capitulo, Principes tui *Is.* I, 23. infideles, socii furum. Currentes autem cum fure vocat communicantes in crimine, de quibus sunt versus præhabiti :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Et respondetur, quod duplex est necessitas, utpote, absoluta et conditionata. Si ergo fur ipse, id est principalis auctor iniquitatis, restituat, currentes secum a restituendi debito absolvuntur; ideo ipsi non

D tenentur restituere necessario, nisi necessitate conditionata, videlicet si fur non restituat.

Iterum quæritur, an generalis necessitas Ecclesiæ dispenset seu excuset a restitutione, utpote si milites habeant bona injusta, et fides periclitetur in locis fidelium, Christianique occidantur ibidem a perfidis, an Ecclesia dispensare cum militibus queat, quod bona illa retineant ad expendendum ea in subventione fidei atque credentium. Respondetur : Præceptum de re-

stitutione, quum sit de primis et puris moralibus, est immobile : idcirco in nullo casu dispensationem recipit vel admittit, nec dominus Papa potest in hoc dispensare. Unde nec milites nec alii debent in tali causa expendere aliena. Quemadmodum *Job* xiii, 7. enim Deus non indiget nostro mendacio, ut loquamur pro eo dolos, ut dicitur in Job ; ita non indiget fraudibus et injustitiis, ut pro illo faciamus injuriam aliis.

Amplius, quæritur de illo modo currendi cum fure, qui per participationem fit, dum quis participat furto vel rapinæ : quæ participatio fit variis modis, puta per hereditariam successionem, per dationem, per venditionem et emptionem, aut simili modo. Unde datur hæc regula : Quicumque habet conscientiam rei alienæ, tenetur restituere aut vero domino rei aut ei a quo habet. Qui autem hujusmodi bona per dationem habet, tenetur ea reddere vero domino, cum consensu ejus qui contulit ea sibi, quatenus et ille dator absolvatur a debito illo. Si vero habet ea per emptionem aut venditionem, restituere debet ei a quo habet, ut ipse servetur indemnis : quoniam magis debet providere indemnitati suæ, quam damno alterius. Si vero consumpsit rem illam, non tenetur eam neque æquivalens restituere domino rei, si consumpsit eam ignorans quod esset de jure alterius, nisi in fraudem consumpsisset eam, vel aliis rebus eam admiscuisset, ne posset discerni. Quum autem cognoverit rem illam fuisse alterius, debet satagere ut illi recompensetur. Porro de his qui per violentiam aut furtum recuperant sibi ablata, dicimus quod non tenentur ad restitutionem, dummodo sine scandalo faciant hoc, et hoc saltem secundum judi- *Josue* viii, 1-19. cium populi. Nam Josue per insidias cepit oppidum Hai. Verumtamen, secundum judicium fori exterioris istud non licet : quia maximum periculum immineret rei publicæ, si unusquisque præsumeret sibi ipsi justitiam facere.

Quæritur item de acquisitis per simulationem sive hypocrisim, seu per fraudem A vel adulationem, an sic acquirens, teneatur ad restitutionem : ut si dives fingat se pauperem, sanus infirmum, hypocrita sanctum. Respondemus, quod non est simile de errore personæ, et de errore fortunæ vel qualitatis. Nam error personæ generaliter impedit dationem, sicut et matrimonium, præterquam in benedictione : nam et Isaac benedixit veraciter Jacob, quem putavit Esau esse. Hinc qui per simulationem paupertatis aliqua acquisivit, quum dives sit, ad restitutionem tenetur ; non B tamen ei a quo accepit, quoniam non est ille re sua defraudatus, imo a Deo mercedem accipiet, sed rei publicæ quam defraudavit, id est pauperibus. Hypocrita quoque et adulator qui fraude adepti sunt aliqua, ad restitutionem tenentur, quia dolus nemini debet suffragari ; non tamen semper ei a quo acquisierunt, sed tunc ei, quando ille est simplex nec adulationem advertit. Si autem non est simplex, sed adulationem cognovit, et tamen dedit illi propter adulationem, non est sibi restituendum, quia C indignus est rehabere, sed pauperi. Meretrix quoque si fraude utatur, tenetur restituere quod fraude obtinuit, ut si pingat oculos stibio, et faciem ornet, aut nobilem se simulet. — Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto.

Prædicta etiam omnia Udalricus in Summa sua collegit, libro sexto, ubi et addit : Dicta de debito restituendo intelligenda sunt, quamdiu subest restituendi facultas : quæ intelligenda est usque ad mendicam paupertatem, vel extremam necessitatem. D — Asserit quoque, pro simplici furto non esse infligendam pœnam mortis, nec dimembrationem, et hoc secundum jus positivum atque humanum, sed in exsilium destinandus est aut fustigandus. Quibus verbis addit consulte : Oppositum hujus servatur in multis terris ex consuetudine, quam justam fecit necessitas pacis communis, et incorrigibilitas hominum atque experta malitia plurimorum, id est pronitas ad furandum. Hæc Udalricus.

At vero Durandus, non ille quem huc-

usque multoties allegavi, qui fuit Ordinis S. Dominici, sed Durandus Ordinis S. Francisci, cujus Summa sententiosa est valde, et mihi præ ceteris Summis placens, super his in sua disseruit Summa: Multiplex est ludus, quorum unus, de quo nunc sermo, recte vocatur ludus confusionis, ut est ludus taxillorum et aleæ. Qui merito ludus confusionis censetur, quia in ipso bona omnia confunduntur, utpote bona naturæ et gratiæ ac fortunæ, imo et bona gloriæ amittuntur; qui et hominem æterna confusione dignum efficit. Circa quem ludum consideranda sunt quatuor. Primo, quid dicatur aleæ ludus. Respondetur: Ludus aleæ dicitur omnis ludus qui viribus fortunæ innititur. Ludus autem qui non innititur fortunæ viribus, potest in pecunia fieri, secundum modum jam exprimendum, ut fiat sine periculo atque dolo: ff. de Aleatoribus, ubi dicitur: Senatusconsultum vetuit in pecunia ludere, præterquam si quis certet hasta vel pila, jaculo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando vel pugnando, quod fit causa virtutis, id est fortitudinis exercitandæ ad finem honestum. — Ludus autem qui innititur viribus fortunæ, non potest in pecunia fieri, nisi sex concurrant. Primum est congruitas personæ. Clericis namque non licet. Unde aleator publicus et usurarius repelluntur a dignitate obtinenda, consuetudine non obstante: *extra* de Excessibus prælatorum, Inter dilectos. Tamen in beneficio obtento potest ei episcopus gratiam facere, si se corrigat, alias de jure debet deponi: 14, quæstione 4, capitulo Si quis. Secundum est congruitas materiæ, quia pro esculento et poculento licet: ff. de Aleatoribus, l. Quod in convivio. Tertium est finis, ut non causa avaritiæ fiat, sed recreationis intuitu. Quartum est mensura, quia non licet ludere ultra solidum unum, etiam si multum dives sit lusor: Cod. de Aleatoribus, l. Alearum usus. Quintum est congruitas temporis, ut non tempore luctus aut pœnitentiæ seu communionis ludatur. Sextum est congruitas modi, ut sit sine fraude, et non contra legem ludi, nec ludentem provocet.

Summa Durandi. — Digest. lib. 11, tit. 5, l. 2. — Decret. p. II. — Digest. lib. 11, tit. 5, l. 4. — Cod. lib. 3, tit. 43, l. 3.

Quumque ludus iste alias illicitus sit, lex punit cooperantes: quoniam hospes tenens lusores, non potest agere causam suæ injuriæ. Imo si quis eum verberaverit, aut aliquid ei abstulerit tempore quo ludebatur in domo ejus, non datur ei judicium: ff. de Aleatoribus, l. 1. Quod intelligitur, quando causa emolumenti sui consuevit tenere lusores, et quando occasione ludi hoc fit. Lex quoque punit inspicientes, quoniam clericus inspiciens arcetur a ministerio. Item punit ludentes, quoniam id quod lucrantur, nequeunt retinere. Similiter punit cogentes ludere, quia mulctantur pecunia, vel incarcerantur, aut in publica vincula dantur. Et ut tenet opinio, id quod perdit aleator, non potest repetere; sed pauperibus dandum est, quoniam turpitudo vertitur ex parte utriusque. Tamen secundum Raimundum, si lusit invitus, et tractus est ad ludum, reddendum est ei. Et si lucratus est, non tenetur restituere ei a quo tractus est ad ludendum; nec tamen potest tenere, sed debet pauperibus erogare. — Nec obstat prædictis, si lusor dicat, Quamvis ex cupiditate luserim, non tamen feci injuriam proximo, quum et ipse voluntarius accesserit, et idem mihi fecisset, si valuisset. Respondendum est enim, quod invitus et non volens amisit. Quumque ludus iste sit turpis et reprobatus secundum leges, ita quod nec sponsio facta in ipso tenet, quum sit contra Deum et contra omnia jura, nemo potest per ludum istum accipere titulum justum nec bonam fidem. Hinc secundum Ostiensem, nunquam retinendum est lucrum tale: quoniam saltem in judicio contentioso non creditur quin ex cupiditate prodiit ludus, quia pro majori parte fit ita. Et si dicat se non lusisse ex cupiditate, ludat sine denariis. Hæc Durandus.

Digest. lib. 11, tit. 5.

Qui insuper de restitutione personarum ecclesiasticam administrationem habentium, ait: Prælati et alii ecclesiasticam administrationem habentes, tenentur Ecclesiam reddere indemnem, si prælatus de

rebus Ecclesiæ melioravit patrimonium A suum; et item si propter nimiam negotiorum suorum sollicitudinem, neglexit bona Ecclesiæ procurare. Videtur quoque teneri de culpa et negligentia sui procuratoris atque vicarii. Porro si de suo expenderit aliquid pro negotiis Ecclesiæ, potest illud repetere, vel heres ejus ex ejus commissione, ut sic fiat recompensatio. Item non deservientes, et tamen accipientes distributiones quotidianas, nisi in infirmitate vel necessitate corporali, aut pro evidenti Ecclesiæ utilitate, ipsarum dominium non B accipiunt, sed ad restitutionem tenentur. Idem de anniversario pro mortuis est tenendum. Denique sacerdos aut clericus abutens rebus Ecclesiæ, aut abutitur non serviendo, ut si non fecit residentiam : et sic tenetur restituere fructus perceptos, vel in usus pauperum erogare. Aut abutitur male serviendo, et male servando : et sic aut expendit res ecclesiasticas in peccato mortali, et ad mortale; aut in mortali, sed non ad mortale. Si primo modo, ut si dedit turpibus personis aut mimis aut C histrionibus vel joculatoribus, propter peccatum vel carnalitatem favoremve sæculi : sic peccat mortaliter, et ad restitutionem tenetur. Restituere quoque debet ex patrimonio aut artificio, vel rebus quæ datæ sunt ratione suæ personæ : nam alias res tribuere debet pauperibus indistincte, præter victum et vestitum, quia patrimonium Christi est pauperum. Item recipiens Ecclesiam parochialem, non intendens promoveri, sed fructus per annum percipere, dum voluntate mutata promotus fuerit, tenetur D ad restitutionem. Imo et qui sic contulit, tenetur Ecclesiam servare indemnem. Si vero expendit in mortali non ad mortale, ut si causa eleemosynæ vel pro sustentatione naturæ contulit aliqua meretricibus, histrionibus, etc., restituere non tenetur : quoniam odienda sunt vitia, non homines. De his quoque qui taliter receperunt propter committendum peccatum, non dubium quin ad restitutionem teneantur; sed non ille qui dedit superiori, quoniam hoc ad Ecclesiæ utilitatem expendit. Conformiter divites et potentes restituere obligantur, quando per fraudes vel minas, vel per importunitatem recipiunt res Ecclesiæ, non propter hospitalitatem aut rationabilem causam. Hæc Durandus.

Qui de his scribit egregie ac diffuse, quæ omnia recitare esset nimis prolixum. Nempe de restitutione pecuniæ simoniace datæ aut receptæ; de restitutione advocatorum quibus illud officium est illicitum, ut sunt religiosi et clerici in sacris constituti; et item de restitutione advocatorum quorum negligentia vel imperitia perditur causa, et qui inidonei sunt ad advocandum, et qui plus justo accipiunt pro mercede, vel causas quas sciunt injustas assumunt; de restitutione etiam ad quam tenentur testes iniqui, judices injusti, imperiti, et qui sine rationabili causa judicium protrahunt in gravamen proximorum; atque de restitutionibus ad quas diversa genera hominum, officiatorum, mercatorum, viatorum, mechanicorum, obligantur, scribit præ aliis plene. In quibus omnibus constat, quod quicumque alium injuste damnificat, defraudat, gravat aut decipit, ad recompensam seu restitutionem tenetur : sicut qui injustis mensuris utuntur, et res suas nimis care vendunt, et qui infideliter serviunt ac laborant. Idem dicendum de medicis qui immoderatum accipiunt lucrum, aut peritiores se ostendunt aut simulant quam sunt, vel ne videantur imperiti, inepta medicamina applicant aut certe nociva. Qui omnes ad restitutionem tenentur, imo interdum rei sunt mortis eorum quibus præsumunt mederi, ut etiam super Genesim scribit Henricus de Hassia.

Sed nunc huic quæstioni terminum imponendo, quæritur primo, quid per ludum aleæ intelligatur. Dicendum, quod pluribus modis accipitur alea. Ait quippe Brachylogus : Alea dicitur ludus quidam seu instrumentum quo luditur, ab Aleo milite sic vocato, qui in bello Trojano ipsum ludum invenit. Sicque videtur species specialissima. Idem dicit Ugutio. Et quidam di-

cunt, quod sit ludus qui Teutoniee vocatur A schiffsspiel. Secundo accipitur pro omni ludo qui fortunæ innititur, prout in Summa Durandi et Summa confessorum habetur : et ita videtur esse genus seu species subalterna. Tertio pro ludo taxillorum. Unde tertio Decretalium, titulo de Vita et honestate clericorum, quo dicitur, Clerici ad taxillos et aleas non ludant, glossa quædam interlinearis exponit ly *et* pro *id est*. Quarto, secundum quosdam, ludus aleæ nuncupatur omnis ludus qui ex cupiditate ac lucri desiderio exercetur. Quæ acceptio B est valde extensa atque impropria, quum plures ludi qui innituntur arti et industriæ ac viribus, etiam sæpe ex cupiditate ac desiderio lucri agantur.

Itaque id quod homo lucratur ludo illicito, lucratur et acquirit illicite : idcirco id restituere debet, aut in pios usus convertere. Quæ autem requirantur ad hoc
Cf. p. 413 C. quod ludus sit licitus, modo in ista expres-
Cf. p. 406 B. sum est quæstione. Dictum est quoque, qui ludi ex se ipsis exsistant illiciti et in jure prohibiti, utpote hi qui innituntur princi- C paliter aut præsertim fortunæ, ut ludus taxillorum et alearum. Qui autem viribus, arti seu industriæ innituntur, in jure permittuntur, et liciti perhibentur, dum in eis illa serventur quæ jam dicta sunt requiri ad hoc quod ludus sit licitus. Nec aliquis ludus ex sua specie tam licitus est censendus, quin ex immoderato affectu ludendi vitiosus reddatur. Et item si per ipsum præcepta Dei aut Ecclesiæ negligantur, sicut in his qui tempore divini ludunt officii quod audire aut facere obli- D gantur. Verumtamen quidam juristæ dicere audent, quod ludus taxillorum et aleæ universaliter non exstet prohibitus, quum tamen in multis utriusque juris locis prohibeatur. Idcirco securius est simpliciter sic tenere. Attamen hi qui dicunt ipsum universaliter non esse prohibitum, addunt quod non liceat taliter ludere, nisi pro esculento et poculento, utique moderato et sobrio : et si aliquo modo pro pecunia, non tamen ultra solidum unum ; ita tamen, ut non cupiditate ludatur, sed causa recreationis honestæ ac licitæ. Verum juxta præhabita, tutius est hoc modo ludere ludo non prohibito in aliquo jure, et ne occasione ludi taxillorum seu alearum specietenus seu opinative liciti, deveniatur ad immoderantiam et excessum in ludo illo. — Insuper diebus festivis specialiter est illicitum ludis insistere, et ludendo quidquam lucrari, præsertim ex cupiditate seu desiderio lucri, quum nec tunc liceat per officia mechanica in se licita lucris vacare. — Legi demum in dictis cujusdam, quod quidquid lucratur homo ludendo pro deductione temporis recreationeque virium, universaliter restituere obligatur. Ad quod allegat Bernardum et Thomam, et nescio an nomine Bernardi denotet S. Bernardum. Sed puto quod a nullo eorum hoc dictum sit, nec a Bernardo jurista. Quod enim hujusmodi ludo quis lucratur, potest esse juste lucratum, sicut et ille ludus potest licite fieri, imo et virtuose virtute eutrapeliæ. Et si fiat pro esculento poculentove sobrio, aut pro nummo non ultra solidum, nec cupiditate, sed rationabili causa, non tenetur lucrans restituere tale lucratum. De hac materia quoque scripsi in tractatu de Regimine curatorum.

Postremo Henricus in suis Quodlibetis circa hæc plurima sciscitatur ac loquitur, primo interrogans, utrum qui acquisivit ec- Quodl. IV,
clesiasticum beneficium per simulationem q. 30.
atque hypocrisim, teneatur resignare seu restituere illud. Videtur quod imo, quoniam non intravit per ostium, quod est Christus, ergo intravit sicut fur et latro, Christo ipso protestante : Qui non intrat *Joann.* X, 1.
per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Sed fur et latro restituere obligantur furtive et latrocinanter acquisita. In oppositum est, quod Jacob simulatione *Gen.* XXVII.
quadam procuravit se benedici a patre suo. — Dicendum, quod in collatione ac receptione ecclesiasticorum beneficiorum curandum est, ut dignis idoneisque donentur, ne dans sit personarum acceptor, et recipiens mercenarius. Distinguendum est

ergo. Aut enim recipiens simulavit se, quatenus dans adspiceret ad hoc quod simulavit, et ob hoc beneficium sibi conferret, et ipse dans in conferendo ad illud respexit. Aut iste propter aliud se simulavit, nec conferens dedit adspiciendo ad simulationem, sed ad hoc quod simpliciter fuit idoneus. Aut iste simulavit ut ille ad simulationem adspiceret, ille tamen ad eam non adspexit; vel econverso ille ad eam adspexit, sed iste non simulavit ad hoc. Si primo modo, nullo modo tenetur ad restitutionem, quoniam simulatio fuit beneficii collationi impertinens. Si secundo modo, aut ergo simulatio fuit de eo quod est simpliciter bonum, per quod scilicet persona apta est beneficio ac Dei servitio, ut est actus virtutis; aut simulatio fuit de eo quod indifferens est, atque impertinens ad Dei obsequium, ut sunt favor et amicitia humana. Si primo modo, etsi conferens ad illud respiciat quod simulatur, quoniam tamen nemo sanæ mentis in conferendo respiceret ad illud in quantum simulatur, sed solum in quantum æstimatur inesse, ad quod æstimandum ille se simulat : quamvis ergo iste perversa intentione simulat seu confingit in se esse quod non est, attamen quia conferens in conferendo respicit ad id quod vere credit inesse, confert bene et sancte; ille vero qui sic se simulando beneficium obtinet, si alias sit idoneus, peccat tamen in illa simulatione ac prava intentione qua per simulationem intendit beneficium adipisci : ideo inde pœnitentiam agere debet, sed resignare beneficium non tenetur. Estque simile de illo qui alias idoneus est beneficium obtinere, et offert munus prælato ut sibi beneficium conferat : quod ille respuens non acceptat, vel si acceptat, non tamen propter illud beneficium illi largitur, sed pro eo quod alias est idoneus. Unde si ita se simulans, alias non esset idoneus, peccaret dupliciter : utpote simulando, et beneficium sibi incompetens acceptando. Prælatus quoque multum peccaret si eum inidoneum sciret. Ad restitutionem tamen

A non tenetur ille, nisi ita sit, quod mortaliter peccet omnis qui beneficium tenet ad quod est et esse se scit inidoneum ad serviendum : quilibet namque tenetur removere a se quod tenet se in peccato mortali. Porro si simulatio fuit de his quæ pertinent ad favorem amicitiamque carnalem, quæ pertinent ad bona personalia tantum, et ideo sunt quasi munera oblata a lingua vel ab obsequio : hinc credo, quod in isto casu peccat dans, tanquam personarum acceptor, et quantum in ipso est, B simoniacus fit ; et recipiens simoniam quamdam incurrit, ac restituere obligatur. Hæc Henricus.

Quibus objici potest, quod nullus idoneus est beneficium ecclesiasticum obtinere, nisi sit membrum et servus Christi : imo ut Guillelmus Parisiensis, Udalricus, Joannes quoque in Summa confessorum, multique alii dicunt, qui in mortali peccato novit seu merito sciret se esse, peccat mortaliter instando pro beneficio, quum sit illo indignus. Qui ergo per simulatio- C nem intendit beneficium consequi, eo ipso quo tam impius simulator consistit, beneficio est indignus.

Insuper quærit Henricus Quodlibeto sexto, utrum habens apud se rem restituendam, teneatur eam restituere statim. Ad quod respondet satis concorditer ad prædicta, videlicet quod ita sit regulariter generaliterque loquendo, quamvis interdum ita non sit in casu, ut si is cui restituendum esset, sit impos mentis, etc., ut supra. q. 24. *Cf.* p. 407 C.

Iterum quærit, utrum recipiens aliquid D ab eo cujus bona sunt partim juste partim injuste acquisita, restituere teneatur. Circa quod multipliciter distinguit et subdistinguit : quoniam bona illa aut ab invicem sunt distincta, ita quod dominus novit quid habeat juste, quid injuste; aut unum non est separatum ac distinctum ab alio, ita quod dominus nescit quid habeat juste, quid injuste. Et similiter de recipiente est distinguendum : quia aut novit quid ille juste, quidve injuste possideat. Et si quid recipit quod scit illum injuste habere, ad q. 25.

restitutionem tenetur. Si autem ignorat hoc, excusatur quousque cognoverit. Quod si noverit bona illa non esse ab invicem distincta ac separata, nec unum posse discerni ab alio, peridem est ac si omnia essent injusta. Si autem dans alteri bona injusta, intendit de bonis suis justis facere recompensam, potest recipiens datum sibi tenere. Si vero dans intendit recipientem obligare cum dono illi dato, ad id ad quod ipse dans exstitit obligatus, recipiens restituere obligatur. De his scribit prolixe.

q. 26. Amplius quærit, an recipiens aliquid pro mutuo sine pactione, ad restitutionem teneatur. Respondet, quod si intendebat aliquid ultra mutuum capere, illicite recipit ultra mutuatum. Si autem hoc non intendebat, nec attraxit ad mutuandum a se intuitu commodi sui, et alter sibi aliquid præbet sponte ex benevolentia in recognitionem beneficii sibi impensi, potest illud

Cf. p. 403 B. ita recipere. — De his quia jam multa sunt dicta, pertranseo.

q. 22. Quærit item Quodlibeto octavo, utrum res præscripta bona fide, quum constiterit de mala fide, tenens eam teneatur restituere eam illi ad quem alias pertineret de jure. Ad quod diffuse et eleganter respon-

Cf. p. 407 C et s. det, tangendo de hoc opiniones superius tactas ; et magis videtur consentire opinioni dicentium, quod tenens rem illam, tenetur in casu proposito restituere eam : et hoc, secundum jus canonicum, quamvis non secundum jus civile, nec aliter tutus sit.

QUÆSTIO V

NUnc de partibus satisfactionis dicendum est, et primo de eleemosyna, de qua quæritur, **Quid sit, et cujus virtutis sit actus; qualiter quoque sit pars satisfactionis, quum multi quibus illicitum est dare eleemosynas, satisfaciant Deo sicut eleemo-**

A **synarum datores; et de speciebus ac divisionibus eleemosynæ.**

Itaque eleemosyna sic definitur : Eleemosyna est opus quo aliquid datur indigenti ex compassione, propter Deum. Misericors namque ex compassione alienam miseriam quasi propriam computat, et illam a proximo expellere nititur, propter quod sua bona communicat illi : quod meritorium non est nisi fiat finaliter propter Deum. Sicque ipsi actus quibus aliis subvenitur, eleemosynæ appellantur. Simili-

B ter ipsa data indigentibus communicata : frequenter enim nomen actus seu habitus pro materia seu objecto accipitur, quemadmodum fides pro re credita, et spes pro bono sperato. In prætacta quoque definitione compassio sumitur potius pro condolentia superioris appetitus, quam pro passione appetitus sensitivi. Nihilo minus ex condolentia superioris appetitus fit redundantia atque impressio in inferiorem, quæ proprie passio et compassio nominatur, et ad subventionem seu eleemosyna-

C rum largitionem concurrit et movet. — Si vero dictis objiciatur, quod eleemosynæ dantur religiosis et clericis non indigentibus; respondendum, quod dantur eis tanquam ministris pauperum, quatenus quod ipsis superest, egenis dispensent.

Insuper eleemosyna est actus virtutis quæ misericordia nuncupatur : quæ est pars seu species liberalitatis, quæ conjectat bonum communiter in dationibus; misericordia vero conjectat in dationibus bonum aliquod speciale, quod est releva-

D men miseriæ proximorum. Pietas quoque uno modo pro misericordia sumitur, et sic eleemosyna dicitur opus pietatis. Imo et misericordia interdum pro passione partis sensitivæ accipitur, et ita non est virtus.

Amplius, eleemosyna vocatur satisfactionis pars, non integralis, sed subjectiva, præsertim eleemosyna ad quam quis aliunde non obligatur, quam exercet et ordinat homo ad expiationem reatus culparum suarum.

Si autem quæratur, an cadat sub præce-

pto, quemadmodum aliarum actus virtu- A tum ; dicendum quod imo. Et reducitur ad illud præceptum, Habeas in honore parentes : parentum etenim nomine omnis proximus designatur, secundum Augustinum. Nam et honor ille ad reverentiam ct subventionem in necessariis pertinet. Quumque præceptum istud sit affirmativum, obligat semper, sed non ad semper, sed pro loco et tempore opportuno. Ordo demum subventionis est sicut et ordo caritatis, ut homo subveniat primo sibi ipsi, deinde magis conjunctis, et consequenter extra- B neis. Exigit ergo præceptum Dei, ut id quod homini superest ultra decentem sui ipsius ac suorum provisionem, indigentibus communicet et impendat, potissime in necessitate.

Eleemosyna etiam dicitur potissima inter partes satisfactionis, quoniam virtualiter continet orationem atque jejunium ; et est quædam oblatio quæ recipientem obligat ad orandum pro dante. Et quanto ex majori datur affectu, tanto est efficacior ; sed quoad accidentale præmium, confert C specialiter magnitudo dati exterioris, quod etiam attenditur penes facultatem donantis. Elcemosynarum autem seu operationum misericordiæ, quædam sunt corporales, quædam spirituales, et utræque sunt septem. Primæ continentur hoc versu :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Secundæ vero tanguntur versiculo isto :

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Præterea, de quibus rebus danda sit elee- D mosyna, et quibus competat eam dare, tactum est in præcedenti quæsito. *Cf. p. 410 C'.* Nempe, quum vir sit caput uxoris, et principalis in regimine domus, non licet uxori sine consensu viri facere eleemosynas magnas ac speciales, nisi forsan sit lucrosa, aut specialia bona habens præter dotem. Idem dicendum de filiofamilias respectu parentum, sine quorum licentia non competit ei facere eleemosynas magnas aut damnum sensibile inferentes, nisi forsan ex instinctu Spiritus Sancti. Idem de servis et ancillis dicendum. Conformiter, monacho dispensationem rerum monasterii non habenti, et in claustro manenti, non licet facere eleemosynam sine superioris licentia, ct nisi forsitan illo absente modicum sub spe ratihabitionis. In via autem et studio positus, potest moderatam eleemosynam facere, de rebus quarum dispensatio sibi commissa est. Certum est etiam quod impiis non sit eleemosyna danda ad fovendum eorum malitiam, sed dari potest ad succurrendum naturæ. — De his scribit Thomas tam hic quam in secunda secundæ diffuse (*q. xxxii, a. 2.*) : de quibus pertranseo, quia communia sunt, et in aliis diversis opusculis, tractatibus et sermonibus, multa de eis conscripsi, nec talibus in hoc opere immorari oportet.

QUÆSTIO VI

Amplius quæritur, **An jejunium pars satisfactionis exsistat.**

Videtur quod non, quoniam jejunare commune est bonis ac malis, et secundum Apostolum, corporalis exercitatio ad modicum utilis est (*I Tim. iv, 8.*). Christus quoque asserit : Non possunt filii sponsi jejunare, quamdiu cum illis est sponsus (*Matth. ix, 15.*). Quum ergo Christus multipliciter sit nobiscum, non congruit nobis in vita hac jejunare.

Circa hæc scribit Bonaventura : Jejunium cst opus satisfactorium, secundum quod Christus ait : Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio (*Marc. ix, 28.*). Est, inquam, satisfactorium liberando a pœna, quum sit opus pœnale. Hinc Deo est placitum, quoniam animæ et corporis est reordinativum, quatenus corpus spiritui non repugnet, quia ut Salomon ait, qui a pueritia delicate nutrit servum suum, postea eum sentiet contumacem (*Prov. xxix, 21.*) ; atque ut spiritui totaliter subjiciatur, juxta illud Apostoli, Castigo corpus (*I Cor. ix, 27.*)

meum et in servitutem redigo; et item, ne A æternaliter crucietur, secundum illud Ecclesiastici, Est qui multa redimat pretio modico; et ut etiam æternaliter glorietur, dicente Apostolo, Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Itaque jejunium placet Deo, non propter solam exteriorem afflictionem, abstinentiamque a cibis, sed in quantum ab animæ virtute procedit et ordinatur ad finem salubrem, imo et ex interiori contritionis dolore assumitur. Sic quoque corporalis B exercitatio per se solam modicum valet; sed et comparative loquendo, ad modicum utilis perhibetur, utpote pietatis respectu. — Verum his objici potest, quoniam jejunare est vitam abbreviare, quum in jejunio sit major consumptio et minor restauratio; qui autem vitam suam abbreviat, homicida censetur, quum dicat Hieronymus: Non refert an tempore parvo vel magno te ipsum interimas. Respondendum, quod vitam abbreviare contingit dupliciter. Primo, ex intentione, et ita illicitum est. C Secundo, præter intentionem; et hoc, vel dando operam rei licitæ vel illicitæ rei: primo modo non est peccatum, sed secundo. Aliqui tamen dicunt, quod abstinentia non accelerat mortem; tamen ut credo, gravis abstinentia mortem bene accelerat. Sic moderate affligenda est caro, ut vitia mortificentur, nec natura ipsa deficiat. Hæc Bonaventura.

Eccli. xx, 12.

II Cor. iv, 17.

Insuper Richardus: Abstinentia, inquit, est virtus, non prout solum aut absolute designat abstractionem cibi aut potus, sed D prout importat abstractionem cibi ac potus ratione regulatam. Et si quæratur, an jejunium sit abstinentiæ actus; dicendum, quod tripliciter sumitur jejunium. Primo, pro jejunio naturæ, quo unusquisque homo quotidie ante primam suam refectionem jejunus vocatur: quod non est actus virtutis. Secundo, pro jejunio gratiæ, quod est actus abstinentiæ, qui est refrenare delectationes gustus in cibis secundum regulam rationis, sive homo comedat semel in die, seu pluries. Tertio, pro jejunio Ecclesiæ, quod institutum est ad satisfaciendum pro peccatis. Ad quod requiritur, quod non solum abstineat homo ab his quæ prohibet virtus, sed etiam ab his quibus alias uti possemus salva virtute. Qui enim commisit illicita, satisfacere debet, ab aliquibus licitis abstinendo; ita tamen, ut virtutis medium non corrumpatur.

Præterea quæritur, an omnes ad jejunium teneantur. Dicendum, quod jejunium sumptum non ut est actus virtutis tantum, sed præcise ratione hujus quod superaddit statutum Ecclesiæ, non est de jure naturali neque divino, sed pure positivo. Tali autem jure prohibentur aut præcipiuntur ea quæ alias bene et male fieri possent. Ideo legislator condendo jus positivum, non intendit homines legitimam excusationem habentes, obligare ad observantiam hujusmodi juris. Multi vero sunt homines legitimam excusationem habentes, propter quam melius est eos non obligari ad jejunandum quam obligari, ut sunt pueri, mulieres prægnantes, ægrotantes, nimium senes, necessarium victum cum gravi labore lucrantes, et ad sancta loca peregrinantes, ac necessaria victui ostiatim mendicantes. Mulieres quippe prægnantes indigent sumere cibum non solum pro se, sed et pro nutrimento sui fetus. Interdum quoque habent desideria tam intensa ad alimenta, quod nisi possent desiderio suo satisfacere, esset tam ipsis quam fetui periculosum. In senibus quoque multum debilis est calor et virtus, et quamvis sint sicci siccitate opposita humiditati naturali, superabundat tamen in eis humiditas accidentalis ex indigestione causata. Unde si totus cibus quem pro uno die requirit eorum natura, sumeretur ab eis una vice, nimis obtunderetur et gravaretur in eis calor naturalis, nec possent cibum convenienter digerere. Qui autem non jejunant, debent si poterunt, dispensationem a suo petere præsidente, et ille debet eis concedere.

Quæritur demum, an esus carnium frangat jejunium. Videtur quod non, quoniam vinum magis incendit concupiscentiam quam esus carnium, saltem quarumdam. Rursus, quidam pisces magis oblectant gustum quam carnes, saltem nonnullæ. — Et respondendum, quod jejunio Ecclesiæ annexa est abstinentia ab esu carnium, ut in Decreto habetur : quoniam esus carnium multum excitat carnis concupiscentiam, ad quam edomandam institutum exstat jejunium. Et quamvis etiam vinum excitet illam, tamen aliunde utile est ad digestionem. Exhilarat quoque, quod valet contra mœrorem qui jejunantibus solet accidere ; et multis esset valde grave a vino abstinere. Quamvis etiam aliqui pisces magis delectant quam carnes quædam, communiter tamen magis delectat manducatio carnium. Ecclesia autem respicit ad id quod ut in pluribus accidit.

Iterum quæritur, an gula et ebrietas frangant jejunium. Dicendum, quod triplex est jejunium. Unum, a voluptatibus et iniquitatibus abstinere, quod est perfectum jejunium, et solvitur per quodcumque mortale peccatum. Aliud est actus virtutis abstinentiæ, quod per gulam violatur. Tertium est jejunium Ecclesiæ, quod frangitur per quamlibet gulam quæ est mortale peccatum, in quantum jejunium hoc includit id quod necessarium est ad actum virtutis abstinentiæ. Sed quantum ad id quod additur ex statuto Ecclesiæ, specialiter frangitur per gulam quæ est in comedendo plus quam semel, atque in comedendo cibos qui jejunantibus interdicuntur, et in præveniendo nimis notabiliter horam comedendi ab Ecclesia determinatam. Denique intuendum, quod ebrietas dupliciter sumitur. Primo, pro impedimento usus rationis ex immoderata potatione, quod est passio quædam et pœna peccati. Secundo, pro immoderata sumptione potus inebriantis : quod peccatum est maxime præcavendum, et frangit jejunium quod est abstinentia a peccatis, et id quod necessarium est ad virtutem
A sobrietatis. — Hæc Richardus. Quæ pene omnia etiam continentur in Thoma hic in Scripto, et in secunda secundæ.

Porro de hora reficiendi in diebus jejunii, addit Thomas hoc loco : Competens hora comedendi in diebus jejunii est hora nona; et hæc est ab Ecclesia instituta et communiter observata, quia secundum communem cursum tempus comedendi est hora sexta. Cibus namque non debet addi quousque natura circa cibum præcedentem est occupata. Occupatur autem circa
B cibum præcedentem dupliciter. Primo, in digerendo. Quumque digestio fiat per calorem, illud tempus digestioni est congruum in quo calor naturalis ad interiora revocatur, videlicet nox, propter subtractionem solis ac somnum, in quo intenduntur naturales virtutes. Secundo, cibum decoctum deducendo per membra, quibus est assimilandus : ad quod requiritur, quod calor nutrimentum deducens, usque ad extremas partes corporis evocetur. Calor vero solis naturalem calorem ad exteriora evocat : id-
C eo quando completur solis ascensus, quod fit hora sexta, quia tunc est circa medium, tunc opus ejus completum est. Hinc tunc communiter est tempus comedendi. Et quia jejunium debet esse satisfactorium ac pœnale, idcirco magis differtur; non autem in tantum, ut humor cibi sumpti penitus exsiccetur, aut virtus naturalis multum debilitetur. Propterea partito residuo tempore, hora nona occurrit, in qua cibus secundum statutum Ecclesiæ in diebus jejunii est sumendus. — Nec obstat
D quod in veteri Testamento jejunabant usque ad vesperam : quia nos nostro jejunio conformamur novo homini Christo, qui per passionem suam nos revocavit a vetustate ac tenebris; et ideo tunc jejunium solvimus, quando Christus passionem suam finivit, utpote hora nona. Sed ante hanc renovationem competebat tempus vespertinum jejunantium comestioni, ad designandum quod per cibum veteris hominis in tenebras peccati ac mortis erant dejecti, a quibus non statim exuebantur,

etiam post tribulationes vitæ præsentis : A quia in morte ad limbum descendebant, qui locus exstitit tenebrosus.

Porro de electuariis aliqui dicunt, quod si ad delectationem sumantur, solvant jejunium; non autem si causa medicinæ sumantur. Quod non videtur, quia statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed actum : eo quod modus virtutis non cadat sub præcepto, sed est finis præcepti. Ex intentione autem potest quis mereri ac demereri. Idcirco dicendum, quod electuaria quamvis aliquo B modo nutriant, non tamen iste est principalis usus eorum : unde nec loco manducationis accipi solent. Hinc talis sumptio non solvit jejunium Ecclesiæ, quamvis homo possit totaliter aut in parte ex tali sumptione meritum jejunii perdere, mortaliterque peccare, si sit immoderata libido. Non tamen ex hoc est transgressor præcepti Ecclesiæ, nisi in fraudem acciperet, aut si eis quasi aliis cibis uteretur ad famem exstinguendam. — Hæc Thomas in Scripto. Concordat Richardus, Petrus, et alii C quidam. Idem quoque in secunda secundæ.

In quibus tamen obscura quædam contineri videntur. Primo quod ait, statutum positivæ legis non attendere intentionem observantis. Lex etenim positiva intendit homines facere virtuosos, et a peccatis retrahere : ad quod præsertim requiritur rectificatio intentionis, quæ teste Ambrosio, imprimit speciem actioni. Rursus, legislator intendit ac tendit ad hoc, ut subditi obediant suæ jussioni, non solum materialiter quoad tenorem superficiemque ver- D borum, sed magis formaliter juxta suam intentionem. — Deinde quod ait, modum virtutis non cadere sub præcepto. Modus quippe virtutis videtur, ut agatur taliter sicut oportet, et discrete ac ordinate, et cum circumstantiis debitis : quod videtur cadere sub præcepto, saltem in multis, quum et ipse sanctus Doctor affirmet ordinem caritatis cadere sub præcepto; observantiam quoque temporis quantum ad horam refectionis in diebus jejunii, quamvis non punctualiter. — Rursus, quum jejunia instituta sint pro carnis afflictione, pro concupiscentia edomanda, et satisfactoria sint, in quantum pœnalia; videtur omnino contrarium intentioni Ecclesiæ, in diebus jejunii electuaria sumere et lautitias hujusmodi quærere, nisi sit ingens necessitas. Potissime vero his videtur esse hoc illicitum qui abundanter et laute reficiuntur in diebus hujusmodi. Et multi pessima consuetudine trahuntur atque falluntur in hoc.

De oratione.

Nunc circa istam distinctionem tractandum esset de oratione, de qua quum specialem tractatum ediderim, modo pertranseo, non nisi pauca brevissime perstringendo. Nempe, ut scribit Richardus, oratio uno modo vocatur desiderium aliquid impetrandi, et ita est actus voluntatis; alio modo vocatur expressio desiderii hujus, et ita est quædam petitio et actio intellectus. Atque ut asserit Hugo, est pars contemplationis : quia ut loquitur Damascenus, oratio est ascensus mentis in Deum. Est actus virtutis moralis quæ latria nuncupatur, quæ Deo cultum ac reverentiam exhibet. Oratio quoque est duplex. Una publica, quæ a ministris Ecclesiæ pro populo manifeste ac solenniter funditur : quam oportet non solum esse mentalem, sed item vocalem. Alia est privata oratio, quam quisque pro se aut aliis seorsum offert Altissimo; et illa potest esse solum mentalis. Potest etiam esse vocalis pariter et mentalis. Ad efficaciam vero orationis præcipue confert attentio sensus, et fervor affectionis obtinendi quod petitur; consideratio quoque propriæ defectuositatis ac vilitatis; et item contemplatio excellentiæ bonitatis, pietatis ac justitiæ Dei, ut sic cum profunda humilitate et caritatis ardore, cum reverentia et grandi custodia cordis invocemus Omnipotentem, cum timore et puritate repræsentantes nos ei. Et taliter Deum orare, non caret labore, in tantum quod abbas Agathon dixit, non esse laborem sicut orare Deum.

A Hinc scribit Bonaventura : Vocalis oratio ordinatur ad mentalem, non econverso. Itaque quædam oratio est pure mentalis, dum labia non moventur, sed cor cum Deo intime loquitur. Unde ait Gregorius : Orare est amaros in compunctione gemitus fundere, non ornata verba resonare. Quædam vero est pure vocalis, quando mens nil cogitat de his quæ postulat, nec in generali neque in speciali, nec se refert ad Deum, neque ad finem propter quem orationem emittit. Tertia est oratio, mixta ex utraque. Et si verba tunc impediant attentionem atque fervorem orantis, expedientius ei esset mentaliter solum orare, si tamen sit oratio in qua liceat verba dimittere. Si vero attentio verbis juvetur, utilius est mente et ore orare : et ita communiter expedit hominibus nondum spiritualibus neque perfectis.

Præterea si quæratur, quæ oratio sit satisfactoria : credo quod omnis, quoniam nulla oratio est in qua non laborent virtutes animales; et quantum delectatur spiritus, tantum caro tabescit frequenter, virtutes quoque animales minus intentæ sunt regimini corporis. Credo etiam, quod illa oratio inter ceteras magis satisfactoria est, in qua accenditur homo ad gemitum : quia hæc est in qua Deus maxime delectatur. Quumque illa sit gratiæ specialis, non im- B ponitur a sacerdote, sed præambulum ejus, puta vocalis oratio. — Hæc Bonaventura.

Verum Antisiodorensis dicit in Summa sua, libro quarto, quod oratio viri contemplativi est tota delectabilis, ideoque non satisfactoria. Sed prætacta positio verior esse videtur, sicut et supra ostensum est. quæst. 3.

DISTINCTIO XVI

A. *De tribus quæ in pœnitentia consideranda sunt.*

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 10. De Pœnit. dist. III, c. 8. IN perfectione autem pœnitentiæ tria observanda sunt, scilicet : compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Unde Joannes, os aureum : Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre : in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas. Hæc est fructifera pœnitentia, ut sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore et opere, ita tribus modis satisfaciamus. Aug. de Sermone in monte, lib. I, n. 35. Matth. IX, 25. Luc. VII, 12. Joann. XI, 39. Sunt enim tres peccati differentiæ, ut ait Augustinus, et in corde, et in facto, et in consuetudine vel verbo, tanquam tres mortes : una quasi in domo, scilicet quum in corde consentitur libidini; altera quasi prolata jam extra portam, quum in factum procedit libidini assensio ; tertia, quum malæ consuetudinis tanquam mole premitur animus, vel noxiæ defensionis clypeo armatur, quasi in sepulcro jam fœtens. Hæc sunt tria genera mortuorum, quæ Deus legitur suscitasse. Huic ergo triplici morti triplici remedio occurritur : contritione, confessione, satisfactione. Compunctio nobis Joel II, 13. commendatur ibi : Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Confessio ibi : Prov. XVIII, 17. Justus in principio sermonis accusator est sui (vere enim confitetur qui se accusat, Ps. LXI, 9. qui exsecrando malum sibi imputat); et ibi : Effundite coram illo corda vestra ; et Jacob. V, 16. iterum : Confitemini alterutrum peccata vestra. Satisfactio a Joanne præcipitur, ubi Matth. III, 8. ait : Facite dignos fructus pœnitentiæ, scilicet ut secundum qualitatem et quantita-

tem culpæ sit qualitas et quantitas pœnæ. Non enim par debet esse fructus boni operis ejus qui nihil vel minus peccavit, et ejus qui gravius cecidit. Ideo discretio pœnitenti valde necessaria est, ut illa gerat quæ tradit Augustinus, dicens : Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, et quali hoc fecerit tentatione, an in ipsius vitii multiplici exsecutione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status vel officii, vel secundum modum meretricis et in modum operis sui, et qualiter turpitudinem egerit : si in loco sacrato, si in tempore orationi constituto, ut sunt festivitates et tempora jejunii. Consideret quantum perseveraverit, et defleat quod perseveranter peccaverit ; et quanta victus fuerit impugnatione : sunt enim qui non solum non vincuntur, sed ultro se peccato offerunt ; nec exspectant tentationem, sed præveniunt voluptatem. Et pertractet secum quam multiplici actione vitii delectabiliter peccavit. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda, ut quum cognoverit quod peccatum est, cito inveniat Deum sibi propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat etiam cujus ætatis fuerit, cujus sapientiæ et ordinis. Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis, purgans lacrimis omnem qualitatem vitii. Defleat virtutem, qua interim caruit : dolendum est enim non solum quod peccavit, sed quia se virtute privavit. Defleat etiam, quoniam offendens in uno, factus est omnium reus. Ingratus enim exstitit qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior : ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Alio etiam modo offendens in uno, factus est omnium reus : quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio. Ponat se omnino in judicio et potestate sacerdotis, nihil sui reservans sibi, ut omnia, eo jubente, paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro evitanda corporis morte : et hoc, cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur Deum ; offerat Deo mentem et cordis contritionem ; deinde et quod potest, det de possessione ; et tunc si quid offerat, securus offerat. Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. Prius dicit *ad Abel* quam *ad munera ejus*. In judicio ergo cordis conferenda est eleemosyna tribuentis. Nec considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Qui ergo sua peccata redimere vult temporalium oblatione, prius offerat mentem. Caveat etiam, ne ductus verecundia, dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant quod alteri manifestandum conservant : quod est se laudare et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, ad quam per frusta putant pervenire. Caveat etiam, ne prius ad dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia ; et doleat quod nondum audeat sumere quem multum desiderat cibum salutarem. Cohibeat etiam se a ludis, a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Isti sunt digni fructus pœnitentiæ, animam captivam elaqueantes, et in libertate servantes. Et infra : Quærat anima dignos fructus, etsi non dignos pœnitentiæ. Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœ-

Aug. de Vera pœnit. n. 29.

Jacob. II, 10.

Aug. op. cit. n. 30.

Gen. IV, 4.

Aug. op. cit. n. 31.

Ibidem.

nitentia enim graviores postulat, ut dolore et gemitibus mortuus impetret vitam. — Ex his ostenditur, qui sint digni fructus pœnitentiæ quibus vera satisfactio expletur, et quod non omnes digni fructus sunt digni fructus pœnitentiæ. Quod de illa pœnitentia intelligitur quæ majorum est criminum. Non enim sufficiunt graviter delinquentibus, quæ sufficiunt minus vel parum peccantibus.

B. *Quæ sit falsa satisfactio.*

Et sicut sunt digni fructus pœnitentiæ ac vera satisfactio, ita et indigni fructus De Pœnit. dist. v, c. 6. et falsa satisfactio, id est falsa pœnitentia. Unde Gregorius : Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritates Sanctorum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus quod sine peccato exercere non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi negotium relinquat, vel officium deserat, et odium ex corde dimittat, et bona quæ injuste abstulit, restituat. Ne tamen desperet ; interim quidquid boni facere potest, hortamur ut faciat, ut Deus cor ejus illustret ad pœnitentiam. — Quum sit pœnitentia interior et exterior, de utraque per præmissa satis apparet, quæ sit vera, et quæ sit falsa.

C. *De tribus actionibus pœnitentiæ.*

Prædictis vero adjiciendum est, quod tribus modis agitur pœnitentia : ante Baptismum scilicet, de prioribus peccatis ; post Baptismum, de gravioribus quæ post committuntur ; est etiam pœnitentia venialium quotidiana, quæ etiam humilium est Aug. Sermo 351, n. 2. et perfectorum. Unde Augustinus : Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum eruditio vestra recognoscit. Una est quæ novum hominem parturit, donec per Baptismum omnium præteritorum ablutio fiat peccatorum : quia nullus suæ voluntatis arbiter, nisi pœniteat eum veteris vitæ, novam inchoare potest. A qua parvuli sunt immunes, quum baptizantur, quia nondum possunt uti libero arbitrio : quibus tamen Ibid. n. 7. ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides a quibus offeruntur. Altera est actio pœnitentiæ post Baptismum, quæ fit pro illis peccatis quæ legis decalogus Id. Epist. 265, n. 7. continet. Agunt ergo homines pœnitentiam ante Baptismum de peccatis prioribus, *Act.* II, 38. ita tamen, ut etiam baptizentur, sicut Petrus ait : Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini, etc. Agunt etiam pœnitentiam, si post Aug. op. cit. n. 8. Baptismum ita peccaverunt, ut excommunicari et reconciliari postea mereantur. Est etiam pœnitentia bonorum et humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora *Matth.* VI, 12. tundimus, dicentes : Dimitte nobis debita nostra, etc. Neque ea nobis dimitti volumus quæ dimissa nobis in Baptismo non dubitamus ; sed illa quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt : quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et opprimient sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim in-

terest ad naufragium, an uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam per negligentium culpam impleat navim, et submergatur. Ideo jejunium et eleemosynæ et orationes invigilent : in quibus quum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, etc., manifestamus nos habere quod nobis dimittatur; et in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere pœnitentiam non cessamus.

D. *De satisfactione venialium.*

Quæ autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens, Augustinus insinuat, ita inquiens in Enchiridio : De quotidianis et brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere : Pater noster, qui es in cœlis, etc. Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata; delet et illa a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius commutata, discedit : ut sicut veraciter dicitur, Dimitte nobis debita nostra; ita et veraciter dicatur, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, id est, sic fiat quod dicitur, quia et ipsa eleemosyna est, veniam petentibus omnino ignoscere. — Ex his aliisque præmissis jam facile est intelligere, quæ pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim dominica Oratio cum jejunio aliquo et eleemosynis; sic tamen, ut præcedat contritio aliquantula, et addatur confessio si adsit facultas : de qua confessione post tractabitur. Pro gravioribus vero peccatis hæc etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multo vehementius atque districtius : quia ut ait Augustinus, ad agendum pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, et a malis factis recedere, nisi et de his quæ facta sunt, satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

Aug. Enchirid. c. 71.
Matth. VI, 9.
Aug. Sermo 351, n. 12.

SUMMA
DISTINCTIONIS SEXTÆDECIMÆ

In præcedenti distinctione egit Magister de pœnitentia et facientibus eam, in generali, et qualiter valeat iterari; et de restitutione ac satisfactione, satisfactionisque partibus, quæ sunt, eleemosyna, jejunium, oratio. Hic tractat de partibus pœnitentiæ quæ sunt quasi integrales partes ipsius, id est, de contritione, confessione et satisfactione. Deinde ostendit quæ sit pœnitentia et satisfactio vera, et quæ falsa. De triplici quoque confessione, vel po- A tius triplicium vitiorum confessione subjungit, hoc est, de confessione peccatorum ante Baptismum, et de confessione peccatorum post Baptismum, quæ peccata duplicia sunt, utpote mortalia ac venialia; et qualiter ac quibus actibus pro utrisque sit satisfaciendum.

QUÆSTIO PRIMA

B Hic quæritur primo, **Utrum hæc tria, contritio, confessio, satisfactio, sint partes pœnitentiæ.**

Videtur quod non, quia aut sunt partes

subjectivæ, aut integrales. Non autem sunt partes subjectivæ, quoniam satisfactio non est pœnitentiæ species, quum pœnitentia non prædicetur de satisfactione : imo pœnitentia cessante, satisfactio remanet. Nec sunt partes pœnitentiæ integrales, quum pœnitentia sit quid spirituale et simplex, cui non competit ex pluribus integrari. — Item partes rei integrales sunt simul, sed unum trium istorum præcedit aliud tempore. Contritio namque prior est confessione, et horum utrumque satisfactionem præcedit. — Iterum pœnitentia est sacramentum, et sacramentum est sensibile signum invisibilis rei : quod nec contritioni convenit nec satisfactioni.

Circa hæc scribit Albertus : Contritio, confessio, satisfactio, sunt ipsius pœnitentiæ partes potestativæ. Pœnitentia namque est quoddam operans ad morbi actualis destructionem : qui morbus non solum est culpa, sed et reatus culpam sequens; estque difficultas ad bonum, ex consuetudine et dispositionibus peccati generata. Porro reatus consequens, triplex est. Unus conjunctus est culpæ, id est debitum pœnæ æternæ : quo soluto, manet adhuc debitum seu reatus ad purgatorii pœnam, non proportionatam viribus pœnitentis. Solutoque illo, nihilo minus manet reatus ad pœnam temporalem, viribus pœnitentis proportionatam, sed potest adhuc manere difficultas bene agendi. Itaque ad totum hunc morbum delendum, tria requiruntur, puta : contritio delens primum, et confessio delens secundum, satisfactio quoque delens tertium. Difficultas vero ad bonum tollitur consuetudine boni in omnibus istis. Sicque potestas pœnitentiæ perficitur tribus istis, et sine his non est perfecta. Sunt ergo hæ partes potestativæ. Et si quis subtiliter consideret, sunt partes talis totius quod medium est inter homogeneum et heterogeneum. Nec hoc ponere est absurdum, quia Philosophus quinto Primæ philosophiæ testatur : In totis in quibus diversitatem secundum aliquid facit trans- A positio, et non facit secundum aliud, recipiunt *totum* et *omne*, quemadmodum numerus. Nam secundum quod numerus est multitudo numerata per unum, dicitur omnis numerus; secundum vero quod numeratur binario aut ternario, in quibus ordo facit diversitatem, dicitur totus numerus : ideo medium est inter homogeneum et heterogeneum. Sic quoque hic dicendum videtur, quod partes istæ recipiunt prædicationem totius secundum quod dolor gratia informatus, agit in omnibus eis; B secundum relationem vero ad effectum, diversitatem non capiunt : quia nec tota pœnitentia est in contritione, nec tota in confessione, nec tota in satisfactione, sed in omnibus simul sumptis.

Ex quibus partim patet solutio quæstionis qua quæritur, an pœnitentia prædicetur de tribus his simul aut sigillatim. Videtur quippe dicendum, quod tria hæc sunt partes potestativæ pœnitentiæ, et omnes simul operantur in ea, et etiam successive. Simul quidem omnes, secundum C quod una est in actu, et duæ vel una in voto : sicut quum contritio est in actu, et confessio et satisfactio sunt in voto; et quum confessio est in actu, virtus contritionis est in ipsa, et satisfactio in voto; et quum satisfactio est in actu, vis confessionis est in ea secundum quod injuncta est pro peccatis, et vis contritionis quoad dolorem et peccati detestationem. Sicque una non separatur ab alia, nec ista repugnant. Nam et satisfactio ad minus adest in voto ac interiori lamento; erubescentia etiam D et lamentatio confessioni adjunctæ, reducuntur ad satisfactionem, et sunt quædam satisfactoriæ pœnæ. Hæc Albertus.

Quæ Thomas clarius depromens : Pœnitentia, inquit, offensam culpæ abolet præcedentis per modum recompensæ. Quæ differt a recompensatione vindicativæ justitiæ : primo, quia in vindicativa justitia reus se habet ut patiens, sustinendo pœnam quæ ei pro culpa sua infligitur; ideo ad illam recompensationem non præsupponitur in illo dolor de culpa sua, sed ex

pœna recompensante dolor infligitur sibi. In pœnitentia vero, ille qui peccavit habet se ad recompensationem etiam sicut agens, quoniam sponte ad pœnam illam accedit : ideo displicentia culpæ in ipso præexigitur. Secundo differt, quia in vindicativa justitia taxatur pœna recompensans, secundum arbitrium judicis, et non ejus in quem peccatum commissum est. In pœnitentia vero, oportet quod pœna recompensans taxetur secundum arbitrium ejus in quem culpa commissa est, quoniam recompensatio illa fit ad reconciliandum mentem offensi : quod fieri nequit, nisi pœna recompensans sufficiat voluntati illius. Hinc oportet in pœnitentia recompensationem secundum arbitrium confessoris, vicarii Dei, fieri. Unde utrique recompensationi commune est, quod non fit secundum arbitrium ejus qui peccavit, sed alterius hominis. Rectum vero arbitrium exigit cognitionem culpæ, quæ si ei qui debet pœnam taxare, per eum qui peccavit fiat, confessio appellatur ; si autem per alium, vocatur convictio. Quumque in pœnitentia, qui peccavit, ad recompensam sponte accedat, requiritur satisfactio. Sicque recompensatio gradibus tribus perficitur. Primus est displicentia culpæ, puta contritio ; secundus, notificatio culpæ, id est confessio ; tertius, recompensatio pro peccato secundum confessoris judicium, quod est satisfactio.

Denique tria hæc sunt partes pœnitentiæ non subjectivæ, ut aliqui opinantur, quum de tribus his simul sumptis pœnitentia singulariter prædicetur. Ideo alii dicunt, quod sint pœnitentiæ partes potestativæ : quod etiam stare nequit, quoniam totum potestativum adest cuilibet suæ parti completæ secundum rationem suæ essentiæ. Tota autem ratio pœnitentiæ non est in quolibet horum, nec unum eorum includit alia. Ideirco dicendum cum aliis, quod sunt partes pœnitentiæ integrales. Partes autem integrales sunt duplices, scilicet homogeneæ et heterogeneæ. Et interdum una est prior alia ordine naturæ, interdum ordine temporis, quemadmodum etiam in parti-

A bus essentialibus. — Hæc Thomas. Cujus responsio a dictis dissentit Alberti.

Insuper Thomas scribit, sicut præhabitum est : Ad suscipiendum gratiam in Baptismo, necessarium est in adultis ante Baptismum pœnitere, et omnem peccandi affectum detestari atque abjicere. Et hæc vocatur pœnitentia ante Baptismum, quæ est quasi removens prohibens gratiæ infusionem. Et pœnitentia ista non est proprie sacramentum, sed actus virtutis quæ pœnitentia nuncupatur, estque prior Baptismo tempore vel natura. *Cf.* p. 128 B' et s.

B Pœnitentia autem ut est sacramentum, consistit in dispensatione ministrorum Ecclesiæ. Sacramenta quoque non dispensantur nisi his qui sunt de Ecclesia : ergo ante Baptismum non competit alicui Pœnitentiæ sacramentum, quum per Baptismum fiat homo de ipsa Ecclesia. Hæc idem.

Quibus objici potest, quod homo ante realem Baptismi acceptionem potest esse in caritate et gratia, verumque membrum Christi, ac salubriter pœnitere, atque ab-

C solvi in casu necessitatis habendo propositum plenum Baptismi.

Præterea dicit : Pœnitentia dupliciter sumitur, videlicet large et proprie. Quumque proprie sumitur, dicit dolorem de peccato commisso in præterito : et sic nullo modo potest esse pœnitentia de originali peccato, quia non est commissum, sed contractum. Large vero pœnitentia sumitur pro omni displicentia mali præteriti : et ita debemus de peccato originali dolere, in quantum impeditivum est gloriæ, et per

D ipsum primo efficimur filii iræ. Non tamen debemus confiteri de ipso, quum non fuerit in nostra potestate illo carere ; nec satisfacere, quum ei non debeatur pœna sensus, sed damni. Pœnitentia autem pœnam sensus importat. Hæc idem.

Quibus item objicitur, quod etiam de peccatis omissionis est pœnitentia proprie dicta. Peccatum quoque originale quamvis non sit commissum per respectum ad posteros, tamen quoad primos parentes, est peccatum commissum.

Deinde sanctus Doctor subjungit : Veniale peccatum ex nostro actu incurrimus, et ei sensibilis pœna debetur. Idcirco ad ejus dimissionem pœnitentia operatur quantum ad tres partes suas, videlicet quoad contritionem, confessionem et satisfactionem; et non solum secundum quod pœnitentia est virtus, sed etiam in quantum est sacramentum. — Quæritur autem circa hoc, an ad pœnitentiam venialium teneamur. Dicendum, quod dum quis ad aliquid teneri asseritur, necessitas quædam ad illud notatur. Necessitas autem est duplex. Una absoluta, qua tenemur ad ea sine quibus salvari non possumus : et ita non tenemur ad pœnitentiam de veniali, quoniam eam omittendo non incurrimus mortem, nisi forsitan ex contemptu hanc omittamus. Alia est necessitas ex suppositione alicujus finis : sicut dicimus aliquid necessarium, sine quo non possumus consequi finem intentum. Sicque necesse est homini de venialibus pœnitere, si debeant ei in hac vita dimitti. Hoc tamen modo non dicitur quis proprie teneri ad aliquid, sed large, atque secundum quid. Hæc idem.

Quibus etiam objici posset, quod homo posset nunc tam intense de peccatis suis mortalibus pœnitere, tamque ferventer et pure ac frequenter ad Deum affici, quod omnia venialia sua sibi dimitterentur, quamvis de eis nil actualiter cogitaret. Quod et fieret, si pro Christo sustineret martyrium. Certum est quoque, quod nullo horum modorum teneamur de venialibus pœnitere distincte ac sigillatim : imo hoc videtur impossibile.

At vero hi tres modi pœnitentiæ, secundum Doctorem sanctum, distinguuntur secundum diversos modos quibus pœnitentia agitur : idcirco sunt tres partes subjectivæ pœnitentiæ quæ est virtus, non pœnitentiæ quæ est sacramentum : quoniam pœnitentia ante Baptismum non pertinet ad sacramentum. Accipiuntur ergo hi modi secundum statum pœnitentis diversum : quia aut est extra Ecclesiam etiam numero, et sic est prima pœnitentia, quæ est A ante Baptismum; aut est extra eam merito, sed non numero, et ita est pœnitentia de mortali; aut est intra Ecclesiam merito et numero, sicque est pœnitentia venialium. Hæc Thomas in Scripto.

Præterea Petrus : In aliis (ait) sacramentis est aliqua materia exterior, ut in Baptismo aqua; in hoc autem sacramento materia est actus hominis, scilicet exterior confessio. Homo autem ex partibus duabus consistit, quarum una, scilicet anima, movet corpus : idcirco in actibus humanis B est gradus incipiens ab imperfectioribus ad perfectiora. Quumque malum cadat a perfectione, et bonum perfectionem quamdam requirat; ideo, quamvis malum sit ex particulari defectu in actu uno, attamen bonum ei oppositum completur ex pluribus actibus. Hinc ad perfectum esse Pœnitentiæ sacramenti requiruntur pariter tria prædicta : et hoc, secundum quod sunt in re aut in proposito; et de unoquoque eorum prædicatur pœnitentia prout est virtus, non ut sacramentum. — Am- C plius, de venialibus non est de necessitate pœnitentia facienda, nisi per accidens. Primo, ratione dubii, ut quando putantur esse mortalia. Secundo, ratione statuti, ut dum is qui tenetur in anno semel confiteri, non nisi venialia habet; vel ratione periculi, ut quando venialis delectatio ad hoc perducta est, quod nisi homo se ab ea avertat, pertrahit ad mortale. Hæc Petrus. — Concordat Antisiodorensis, sicut supra partim inductum est. dist. XIV, q. 1.

Bonaventura quoque : Pœnitentia, in- D quit, dupliciter sumitur, videlicet pro pœnitentia virtute, et pro pœnitentia sacramento. Si loquamur de pœnitentia virtute, sic contritio, confessio et satisfactio non sunt partes pœnitentiæ integrales, sed potestativæ. Quemadmodum enim ab una essentia egrediuntur plures potentiæ, ita ab uno habitu plures actus. Virtus namque pœnitentiæ ordinat hominem, ut puniendo se, faciat emendam secundum omne forum. Ideo quilibet actuum horum recipit denominationem ab habitu illo, ut pœ-

nitentia seu quoddam pœnitere dicatur : sicque habere videtur rationem partis potestativæ, tamen revera non habet, quia confessio non est pœnitentia, nec ipsa satisfactio, sed sunt actus a pœnitentia egredientes; similiter contritio. Si autem loquamur de pœnitentia sacramento, sic sunt partes ejus integrales, quantum ad esse suum perfectum. Hinc rationabiliter ait Magister, quod in perfectione pœnitentiæ tria sunt. — Et si objiciatur, quod non sunt simul ; dicendum, quod sunt simul voto, quamvis non actu. Qui enim contritus est, proponit confiteri et satisfacere.

Denique satisfactio dupliciter sumitur. Primo, pro ipsa reconciliatione : sicque quum omnes pœnitentiæ partes sint ad reconciliationem ordinatæ, quælibet potest satisfactio seu satisfactoria appellari. Secundo, pro pœnæ debitæ persolutione : et ita est pars specialis pœnitentiæ, quæ est assumptio seu adimpletio pœnæ injunctæ. Nihilo minus satisfactio convenit aliis duabus pœnitentiæ partibus per accidens, puta contritioni ratione doloris conjuncti in parte sensitiva, et confessioni ratione pudoris annexi.

Circa hoc quæritur, an compunctio et contritio sint idem realiter. Respondendum, quod dolor vocatur contritio et item compunctio : contritio, quia conterit, vel quia dolore illo peccata in corde teruntur; compunctio autem, quia mentem salubriter pungit duplici respectu, videlicet ex carentia gloriæ, et ex consideratione divinæ offensæ. Et juxta hoc attenditur duplex dolor, tanquam irriguum superius irriguumque inferius : et ita compunctio communior est quam contritio.

Porro si investigetur, an de peccato originali pœnitere oporteat; dicendum, quod de originali peccato contingit loqui communiter, et specialiter. Communiter, ut est in omnibus : et ita ad ejus deletionem non requiritur aliquis actus ex parte ejus in quo est, ut patet in parvulis. Specialiter quoque, quantum ad adultos

A qui illud habere se nesciunt : et quantum ad hos, non oportet quod aliquis actus detestationis adveniat. Rursus est loqui de originali quantum ad adultos qui illud habere se sciunt : et quantum ad illos, est congruum ut displiceat ipsis peccatum hoc in generali, quoniam displicere eis debet omne quod a Deo separat mentem; non autem in speciali, quum non sit actu ipsorum commissum.

Quæritur quoque, an de venialibus pœnitere tenemur. Et respondendum, quod
B de veniali peccato contingit loqui dupliciter : primo, in se; secundo, prout est occasio periclitandi per immoderatum consensum seu per contemptum. Itaque de veniali considerato in se, non est necesse pœnitere, nec pœnitentia interiori, nec exteriori : quoniam veniale etiam post hanc vitam remittitur. Sed loquendo de ipso quantum ad periculum ad quod ducit impœnitentem, necesse est de aliquibus venialibus pœnitere, quando homo advertit periculum, quemadmodum Augustinus di-
C cit in littera. Tria quippe sunt venialium genera. Quædam sunt ex subreptione : de quibus non tenemur pœnitere, nisi de congruo. Quædam ex cogitatione cui si consenserit homo, incidit in mortale : et de tali veniali tenetur homo pœnitere non simpliciter, sed in casu sive pro loco et tempore, quando videlicet recogitat illud, ne cadat si ei consentiat. Quædam etiam sunt venialia quæ per multitudinem suam augent libidinem, sicut illa in quæ est consensus, sed deordinatio infra Deum;
D atque de talibus tenetur homo pœnitere, ne multiplicentur, ac per hoc periculo ac discrimini se committat. Talia enim comparat Augustinus arenæ bestiisque minutis, guttis multiplicatis, et scabiei. — Hæc Bonaventura.

In his continetur sententia Richardi. Qui etiam inquirit, quæ sit principalior pars pœnitentiæ, absolutio confessoris vel compunctio confitentis. Et respondendum, quod in sacramentis illa est principalior pars, quæ principalius cooperatur ad principa-

lem sacramenti effectum. Principalior autem effectus sacramentorum novæ legis est sanctificare, quam sanctificationem significare. Illa ergo pars sacramenti Pœnitentiæ est principalior, quæ ex vi sacramenti magis cooperatur ad remissionem culpæ ac pœnæ æternæ, quæ remittuntur per gratiam sanctificantem. Compunctio autem non solum cooperatur ad remissionem peccati ex vi sacramenti, sed etiam in quantum est actus virtutis, aut efficax dispositio ad virtutem. Compunctio ergo cum hac utraque vi sua est principalior pœnitentiæ pars. Si vero consideretur id ad quod compunctio cooperatur ex vi sacramenti tantum, sic potior est absolutio sacerdotis : quia quum sit Christi vicarius, per prius principaliusque adsistit verbis suis, in quibus consistit sanctificans virtus absolutionis, quam partibus sacramenti quæ sunt ex parte confitentis. Hæc Richardus.

Deinceps Scotus circa hæc aliqua introducit, eamdem cum præallegatis doctoribus sententiam obscurius exprimens, et pro parte ab ipsis dissentiens : Contritio (dicens), confessio et satisfactio, nullo modo sunt partes pœnitentiæ ut est sacramentum, quoniam pœnitentia quæ est sacramentum, non est nisi absolutio sacramentalis, facta sub certis verbis, quæ est quid extrinsecum : cujus contritio, quæ est quid spirituale in anima, nullo modo est pars; neque confessio, quæ non est de essentia absolutionis illius, imo tempore eam præcedit; satisfactio vero sequitur eam. Hæc Scotus.

De quo non immerito admiratio oritur, quod non erubuerit ea scribere, quasi nullus præcedentium jam præfatorum doctorum intellexerit quid sit Pœnitentiæ sacramentum, seu ipsa pœnitentia ut est sacramentum, et quæ sunt partes ipsius. Ideo ad reprobationem hujus dicti sufficiat, quod tot solennes præcipuique doctores scripserunt contrarium, et Magister in littera : quorum dicta consonant sanctis Doctoribus, Augustino, Hieronymo, Hila-

A rio, Chrysostomo, imo ex verbis ipsorum sunt sumpta. Quid vero realiter sit pœnitentia sacramentalis, an scilicet absolutio ipsa, an aliud, supra præhabitum est, et infra clarius exprimetur. Argumentum autem Scoti solutum est. Nempe hoc probat, quod tria ista non sint partes pœnitentiæ essentiales seu quidditativæ; non autem, quod non sint partes pœnitentiæ quasi integrales. dist. xiv, q. 1.

Hinc scribit Durandus : Tria hæc non sunt partes pœnitentiæ ut est virtus : imo

B sic contritio est actus ejus elicitus, quoniam actus pœnitentiæ sic acceptus, est actualis displicentia de peccato commisso, et hæc displicentia exstat contritio. Confessio vero et satisfactio sunt actus imperati a pœnitentia taliter sumpta. Hæc Durandus. — Qui consequenter probat, quod confessio et satisfactio non sunt partes Pœnitentiæ sacramenti, loquendo de partibus proprie sumptis, id est essentialibus, non autem quod non sint quasi partes integrales ad perfectam pœnitentiæ

C consistentiam requisitæ, loquendo etiam de satisfactione prout est in re vel in proposito.

Quæstiones variæ.

At vero Thomas circa hæe multas movet utiles quæstiones. Prima est, utrum veniale peccatum possit dimitti voluntate ad illud manente. Respondet : Peccatum quodlibet potest dimitti quantum ad duo, videlicet quantum ad culpam, et quantum ad pœnam. Nec remissio quantum ad pœnam, potest esse sine remissione quoad

D culpam : quia quamdiu manet culpa, manet debitum pœnæ. Culpa vero in deordinatione voluntatis consistit : idcirco non potest culpa dimitti, nisi reordinetur voluntas; quod fieri nequit, quamdiu in sua deordinatione persistit. Hinc veniale non potest dimitti, quamdiu voluntas manet ad illud. Verumtamen veniale peccatum aliquando dimittitur ei qui non habet displicentiam actualem de eo, ut de martyribus constat, qui mox evolant quamvis forsan de venialibus suis culpis non cogi-

tent, et per consequens nec actualem habeant displicentiam de eisdem. In talibus ergo quæ non occurrunt memoriæ, sufficit displicentia habitualis, quum et mortalia oblita taliter remittantur, ut infra dicetur.

Secundo quærit, an unum peccatum veniale sine alio possit dimitti. Respondet : Dum aliqua connexionem non habent ad invicem, unum sine alio potest auferri, non autem quando connexionem ad invicem sortiuntur. Peccata autem mortalia, quamvis connexionem non habeant ad invicem ex parte conversionis, habent tamen connexionem a parte aversionis, quoniam ab eodem summo bono avertunt : ideo unum sine alio remitti non valet, quia remissio culpæ, per oppositionem plus respicit aversionem quam conversionem. Nam culpa dimittitur per restitutionem et reductionem ad illud a quo separavit. Venialia vero connexionem non habent, nec quantum ad conversionem, nec quantum ad aversionem : imo in eis nulla est aversio ab ultimo fine, quamvis in actu eorum aliquis sit defectus circa ea quæ ad finem expediunt. — Si autem objiciatur, quoniam ei qui displicet Deo, non dimittitur culpa, quamdiu displicet illi ; sed veniale peccatum displicet Deo : ideo manente uno, non dimittitur aliud. Dicendum, quod peccatum mortale sic displicet Deo, quod etiam peccantem Deo efficit displicentem, in quantum pulchritudinem gratiæ, quam Deus amat, privat ac aufert. Veniale vero peccatum, quamvis Deo displiceat quia inordinatum est, peccantem tamen Deo displicentem non facit : quia per ipsum non tollitur caritas gratiæ, sed quodammodo obnubilatur, in quantum processus ejus ad exteriora impeditur. Propter quod ait Gregorius : Peccatum veniale obscurat, mortale obtenebrat. Hinc unum veniale non impedit dimissionem alterius, sicut unum mortale alterius remissionem. Hæc Thomas.

Quibus objici posset, quod nisi peccatum veniale faceret peccantem aliqualiter displicentem, Deus propter illud non in-

A fligeret illi pœnam, nec consolationem ei abstraheret, nec reprehenderet ipsum. Denique nisi Petrus aliqualiter Christo displicuisset, dicendo, Absit a te, Domine, non erit hoc tibi ; Christus non dixisset ad eum : Vade retro me, Satana, etc. Et tamen in verbis illis bonus et sincerus ille Petrus non peccavit mortaliter. *Matth.* XVI, 22, 23; *Marc.* VIII, 33.

Tertio quærit, an veniale possit dimitti sine mortali. Dicendum, quod remoto priori removetur posterius, nec posterius restituitur nisi restituto priori. Fervor autem
B caritatis, cui veniale opponitur, est ipsa caritate posterior. Hinc, quamdiu non restituitur caritas, nec fervor caritatis potest recuperari : in qua recuperatione consistit peccati venialis dimissio, quemadmodum in recuperatione caritatis dimissio peccati mortalis. Hinc veniale dimitti non potest ei cui non remittitur peccatum mortale. Potest quoque ad hoc ratio assignari ex parte remittentis : quia mortale peccatum separat a Deo, qui solus peccata dimittit, ideo habens peccatum mortale, non per-
C cipit effectum Dei in remissione venialis peccati. Similiter assignatur ratio ad hoc ex parte ejus quo fit remissio, utpote caritatis, quæ universa delicta operit, quam aufert peccatum mortale. — Hæc Thomas. *Prov.* x, 12. Et concordant doctores communiter, Henricus quoque in Quodlibetis. Qui consequenter fatentur peccata venialia æternaliter puniri in inferno, eo quod mortalibus sint annexa, sine quorum remissione ipsa non remittuntur.

Quarto sciscitatur, an veniale peccatum
D queat dimitti sine gratiæ novæ infusione. Ad quod facilis exstat responsio, quod sicut veniale habitum gratiæ non aufert, ita ad ejus remissionem non exigitur gratiæ novæ infusio ; sed sufficit quod gratia jam habita procedat in actum. — Si autem objiciatur, quod veniale aliquo modo maculat animam, quæ macula videtur sine gratiæ infusione tolli non posse ; dicendum, quod macula potest inesse dupliciter. Primo, per pulchritudinis privationem, et ita veniale non maculat, quoniam

gratiam, quæ est animæ decor, non tollit. Secundo, per hoc quod pulchritudo quæ inest, impeditur ne foris appareat, sicut per pulverem pulchritudo faciei fœdatur; talisque macula est in veniali peccato, quia per ipsum impeditur gratiæ decor, ne tam perfecte in actibus exterius ostendatur. Idcirco ad talis maculæ detersionem non oportet novam gratiam infundi, sed per actum gratiæ inexsistentis, impedimentum relucentiæ gratiæ tolli.

Quinto interrogat, utrum gratia sine contritione possit peccatum veniale dimittere. Et respondet : Veniale non dimittitur, quamdiu voluntas manet in illo. Voluntatem autem recedere ab eo quod voluit, est ei displicere quod placuit. Talisque displicentia dolor contritionis vocatur, quando per gratiam informatur : hinc veniale peccatum sine contritione non dimittitur. Verum contritio tripliciter accipi potest, videlicet : pro habitu, et actu, ac medio modo. Habitu autem exsistens contritio, non sufficit ad peccati venialis dimissionem : alias quicumque virtutem pœnitentiæ habens, cujus actus est ipsa contritio, consecutus esset remissionem venialis peccati; imo sic veniale cum gratia stare non posset. Nec tamen semper requiritur actualis contritio, quia sic peccatum oblitum dimitti non posset. Idcirco dicendum, quod requiritur contritio medio modo : quando videlicet etsi peccatum non displiceat actu explicite, displicet tamen implicite, quoniam ex virtute actus quem agit, sequeretur displicentia actualis explicita peccati venialis, si cogitatio ad illud ferretur. Hinc, dum homo per caritatis affectum fertur in Deum, quamvis actualiter de venialibus culpis suis non doleat, imo nec cogitet explicite, tamen eorum remissionem in toto vel in parte consequitur : quia in illo motu implicite continetur displicentia de peccato veniali uno, vel pluribus, vel omnibus. Et si ferventer fertur in Deum, displicet ei omne quod ab ipso retardat. Unde potest esse tam fervens motus seu affectio caritatis in Deum, quod universa venialia peccata consumit, etiam sine actuali cogitatione seu consideratione ipsorum.

Sexto inquirit, utrum ad venialium confessionem tenemur. Respondet, quod confessio ad hoc necessaria est, ut pœnitens satisfactionem accipiat secundum mensuram seu modum delicti. Peccato autem veniali non debetur pœna satisfactoria taxata : quia pœna illa esset proportionata pœnæ peccati mortalis, a quo veniale distat in infinitum. Hinc per solam contritionem interiorem peccatum veniale potest dimitti. Et quod aliqua satisfactio exterior pro eo injungitur, hoc magis est ad devotionem vel contritionem excitandam, quam ad satisfaciendum. Ideo ad confessionem venialium non tenemur, neque necessitate absoluta, quia sic de eis nec pœnitere, nec ea vitare tenemur; neque necessitate quæ est ex parte finis, videlicet remissionis eorum, quia et sine confessione actu vel proposito exsistente possunt remitti; sed perfectionis est ea confiteri. — Hæc Thomas.

Verumtamen, sicut præhabitum est, in aliquibus casibus tenemur de eis confiteri utraque necessitate : ut si quis non habeat nisi venialia peccata, quum teneatur semel confiteri in anno, tenetur ea confiteri : alioqui videretur transgressor præcepti Ecclesiæ. Et sicut tenemur de eis pœnitere necessitate ex parte finis, ita et ea confiteri tenemur ista necessitate, saltem in casu in quo et de eis pœnitere adstringimur. p. 428 C'.

Septimo, investigat de remediis generalibus per quæ venialia remittuntur. De quibus testatur : Veniale peccatum per caritatis fervorem dimittitur, qui fervor explicite vel implicite continet contritionem. Hinc per illa quæ ex se nata sunt excitare caritatis fervorem, venialia dimitti dicuntur. Hujusmodi autem sunt omnia quæ conferunt gratiam, sicut omnia sacramenta; ea quoque per quæ impedimenta fervoris caritatis ac gratiæ auferuntur, ut aqua benedicta, quæ virtutem

reprimit inimici, et benedictio episcopalis, et etiam exercitia humilitatis ex parte nostri, ut tunsio pectoris, Oratio dominicalis, item panis benedictus, confessio generalis, compassio, injuriarum remissio, Extremaque Unctio, et quæcumque unctio sacramentalis, ac alia quæcumque pœnitentia levis. — Hæc Thomas in Scripto. Qui alibi addit his ingressum ecclesiæ, per quem dicit (ut pie creditur) veniale dimitti, sicut per aquam benedictam. In his sententialiter continentur responsiones Alberti, Bonaventuræ, Petri, Richardi et plurium aliorum, de ista materia.

QUÆSTIO II

PRæterea quæritur, **An de peccatis præcedentibus Baptismum oporteat ante susceptionem Baptismatis pœnitere ac confiteri.**

Videtur quod sic, quia principium bonorum, confessio est malorum, et qui impœnitens et incontritus ad Baptismum accedit, fictus accedit.

In contrarium est, quod Baptismus est principium ac janua sacramentorum.

Ad hoc Bonaventura respondet : Quemadmodum quædam sunt in prædicamento per se, ut genera subalterna et species ; quædam per reductionem, ut principia et privationes : ita tenendum est de articulis fidei. Nam quædam sunt directe credibilia et credenda, ut articuli fidei ; quædam vero sunt antecedentia, et quædam consequentia, ut dictum est super tertium. Atque in omnibus his censetur hæreticus, qui sentit perverse seu contra determinationem Ecclesiæ. Sic quoque est de præceptis Decalogi, quod in eis sunt quædam prohibita principaliter et explicite, quædam tanquam annexa et implicite : sicut in hoc præcepto, Non mœchaberis, explicite prohibetur adulterii actus, implicite vero omnis actus interior et exterior illiciti coitus. Sicque

f. t. XXIII, .433 D'.

Exod. xx, 4.

A antecedenter Deus prohibet concupiscentiam coitus, adspectumque mulieris ad concupiscendum ; consequenter vero prohibetur omnis inordinata effusio seminis. Sic et præceptum pœnitendi sacramentaliter et confitendi, proprie et directe respicit baptizatos. Et loquendo de pœnitentia ut est virtus, necesse est adultum ante Baptismum pœnitere, non autem ut est sacramentum ; sed congruit ut ante Baptismum confiteatur. Confessio namque fit sacerdoti, ut homo peccata sua recognoB scat, atque de eis erubescat, ac de eorum remissione gratus sit Deo. Ideo de congruo debet Baptismum præcedere, sed non oportet nec debet sequi absolutio neque ligatio, quoniam totum solvitur in Baptismo. Ideo pœnitentia, quantum ad contritionem, præcedit necessario ; quantum ad confessionem, de congruo ; quantum ad absolutionem et satisfactionem, neutro modo. Et quia sacramentum istud completur in absolutione, quoniam ibi exhibetur remedium ; ideo pœnitentia ut est sacramenC tum Ecclesiæ, Baptismum sequitur, non præcedit. — Hæc Bonaventura. In quibus quod ait, pœnitentiam quantum ad contritionem oportere Baptismum præcedere in adultis, oportet sane intelligi. Sufficit enim attritionem habere : alias nullus adultus in Baptismo purgaretur a mortali peccato.

Hinc clarius scribit Richardus : Pœnitentia considerata ut sacramentum, non est necessaria de peccatis præcedentibus Baptismum. Considerata vero ut virtus, adhuc dupliciter sumitur, utpote, ut virD tus informis, et ut virtus formata. Et ut virtus formata, non est necessaria de culpis præcedentibus Baptismum : quia quum talis pœnitentia non possit simul esse cum peccato mortali, nunquam per actualem susceptionem Baptismi remitteretur peccatum mortale actuale : quia aut per pœnitentiam esset jam ante remissum, aut Baptismum suscipiens esset indispositus ad remissionem peccatorum mortalium. Sumpta vero ut virtus informis, hoc est, ut detestatio quædam peccati cum propo-

sito emendandi, quamvis non penitus sufficiens ad expulsionem peccati, ad minus necessaria est de omnibus peccatis mortalibus actualibus præcedentibus Baptismum, tanquam causa removens ipsum quod prohibet susceptionem gratiæ baptismalis. Hæc Richardus. — Idem Petrus.

Concordat quoque Argentinensis, et addit: Unus et idem morbus multiplici indiget medicina. Primo, medicina præparativa seu dispositiva. Secundo, medicina sanitatis inductiva. Tertio, medicina morbidæ qualitatis expulsiva, quæ qualitas est perfectæ sanitatis impeditiva. Sic in proposito attritio seu displicentia peccatorum præcedens gratiæ infusionem, est quasi medicina dispositiva; perfecta vero contritio, sanitatis est inductiva; confessio autem et satisfactio, expulsivæ sunt reliquiarum infirmitatis peccati: mitigant namque violentam inclinationem qua homo inclinabatur ad peccandum antequam pœniteret. Quamvis autem minister Ecclesiæ, sacerdos, dicatur sacramentum conferre, non tamen causat materiam sacramenti, sed ipsam præsupponit. Quemadmodum ergo in Baptismo minister præsupponit materiam, ad quam accedente verbo ministri fit sacramentum; sic in proposito sacerdos absolutionem sacramentalem cum injunctione satisfactionis unit confessioni contritæ, sicque integratur Pœnitentiæ sacramentum. Hæc Argentinensis.

De circumstantiis peccati.

Modo de circumstantiis restat agendum, de quibus S. Thomas hic præ ceteris multa conscribit utilia, primo quærens, utrum circumstantia sit proprietas actus moralis. Respondet: Actus nostri dicuntur morales in quantum a ratione ordinantur in finem voluntatis, quia ex hoc habent rationem boni aut mali. Omne autem quod ordinatur in finem, oportet fini esse proportionatum: ideo ratio quæ actum nostrum refert in finem, attendit proportionem actus ad ea quæ ad finem concurrere possunt. Et hæc commensuratio circumstantia nominatur. Quumque in omni proportione oporteat ad minus esse terminos duos, quum nihil sibi ipsi proportionetur; hinc circumstantia actus moralis dupliciter accipi consuevit: quoniam potest circumstantia dici, vel illud ad actum concurrens ad quem proportionatur, sicut locus aut tempus; vel ipsa conceptio quæ ex illis relinquitur, ut quando vel ubi. Sic ergo ultimo modo circumstantiam accipiendo, erit conditio aut proprietas actus; verum primo modo sumendo, quædam circumstantia est proprietas actus, ut modus agendi, et quædam extra, ut locus et tempus.

Insuper circumstantiæ assignantur hoc versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Qui versus distinguit circumstantias Tullii atque Boetii, prout a rhetore considerantur, qui ex eis accipit argumenta ad excusandum vel accusandum. Sumitur namque argumentum rhetoricum vel ex eo quod est attributum personæ, et ita est *quis;* vel ex eo quod est attributum negotio de quo agitur: et hoc vel continetur cum ipso negotio, et sic est *quid,* quantum ad substantiam facti exterius; *cur,* quantum ad facientis intentionem interius; aut in ipsa prosecutione negotii continetur, et ita sunt quatuor, utpote: *quomodo,* quantum ad actus qualitatem; *ubi* et *quando,* quantum ad actus mensuram; *quibus auxiliis,* quantum ad instrumenta. — Sed prout pertinent ad moralem, potest aliter accipi numerus earumdem. Proportio quippe actus ad finem accipi potest vel secundum id quod est in ipso actu, vel secundum id quod est extra. Si primo modo, aut quantum ad speciem actus, et sic est *quid;* aut quantum ad modum ipsius, et ita est *quomodo.* Si autem per comparationem ad extra, vel per comparationem ad causam, aut per comparationem ad mensuram. Si primo modo, vel ad causam finalem, et ita est *cur;* vel ad causam efficientem: vel instrumentalem, et sic est *quibus auxiliis;* vel principalem, et ita est *quis.* Si autem per comparationem

ad mensuram : aut ad locum, et sic est A *ubi ;* vel ad tempus, et ita est *quando.*

Porro finis est duplex, videlicet ultimus et propinquus. Ultimus autem non potest poni circumstantia, quoniam omnes circumstantiæ sumuntur in proportione ad ipsum. Propinquus quoque est duplex. Unus, qui est finis operis, secundum quod ait secundo Ethicorum Philosophus, quod quædam conjuncta sunt malo fini ; et iste finis dat speciem actui : ideo non est circumstantia, si tantum consideretur genus moris ; vel referendo ad substantiam ac- B tus, includitur in hac circumstantia *quid.* Alius est finis agentis, qui quandoque ex malo actu bonum intendit, et econverso ; et hic finis dicitur hic circumstantia *cur.* Et ab hoc actus non recipit speciem propriam, sed quasi communem, secundum quod actus imperati induunt speciem virtutis vel vitii imperantis, ultra speciem quam habent ex habitu eliciente.

Denique Philosophus tertio Ethicorum septem circumstantias ponit ; et differt a præfata assignatione sua assignatio in duo- C bus. Primo, quoniam ponit duas circumstantias, *quid,* et *circa quid,* quæ in prædicta assignatione Tullii includuntur in uno : eo quod objectum quod dicitur *circa quid,* dat rationem actui qui dicitur *quid.* Philosophus vero distinguit eas, quoniam præter universalem rationem objecti, quæ dat speciem actui, possunt in objecto considerari speciales conditiones, quæ diversificant actum in bonitate et malitia in actibus qui ex se malitiam non implicant, in quibus etiam malitiæ diversificant quan- D titatem. Secundo, quia Philosophus pro una circumstantia ponit *quando* et *ubi,* propter hoc quod utrumque sumitur a mensura extrinseca ; in prædicta vero assignatione distinguuntur, propter diversam rationem mensuræ.

Præterea, Augustinus in littera numerat et attendit circumstantias secundum quod a pœnitente considerandæ sunt, qui pro suis peccatis debet dolere : ideo nominat illas quæ præcipue ad dolorem peccati inducere debent. Quæ sunt duæ, puta privatio boni (quia virtutibus se privavit), et positio mali. Quod aggravatur per accidens, in quantum tollitur excusationis occasio, sicque debet dolere, si nulla aut modica tentatione præventus peccavit ; vel per se ex aliqua circumstantia deformitatem addente ad actum : et sic quantum ad personam agentis, docet considerare statum peccantis, et beneficia a Deo prius suscepta ; et quantum ad omnes, docet considerare quo tempore et quo loco peccavit ; docet item considerare circa quid, in hoc quod dicit, Secundum modum meretricis ; et quomodo, in hoc quod dicit, Et modum sui operis.

Quæritur ergo, quæ circumstantiæ magis gravent peccatum. Et respondendum, quod bonum rei est secundum ordinem ad finem, ut dicitur tertio Ethicorum. Cumque malum sit privatio boni, ipsum malum dupliciter contingere potest : primo, secundum relationem in finem ; secundo, penes aptitudinem relationis in finem. Hinc et peccatum contingit dupliciter : primo, ex hoc quod actus non est fini proportionatus, ut in malis ex se ; secundo, quia inordinate refertur in finem, sicut in his quæ mala fiunt intentione, quamvis ex se bona sint. Et quia propter quod unumquodque, et illud magis ; ideo quantitas malitiæ peccati magis consideratur secundum relationem inordinatam in finem, quam etiam secundum improportionem ad finem. Ad ordinem autem ad finem pertinet *cujus gratia :* ideo circumstantia hæc præ ceteris consideranda est in judicando de gravitate peccati. Ad hoc autem quod actus improportionatus sit fini, pertinet circumstantia hæc, *quid,* per quam importatur ratio mali in actu : ideo omnia quæ possunt peccato speciem dare, includuntur in circumstantia ista ; et hæc sunt in quibus consistit actus moralis quantum ad bonitatem et pravitatem. Unde hæc est secunda circumstantia in aggravando : propter quod tertio Ethicorum ait Philosophus, quod principalissima in actu, sunt in quibus consistit actus, et cujus gratia.

Aliæ vero circumstantiæ magis aut minus gravant, secundum quod his magis aut minus propinquæ sunt. Hinc tempus et locus minus gravant, quia extrinseca sunt. Sed inter ea, conditio personæ plus aggravat, quoniam agens directius correspondet fini; et post hoc, modus, qui correspondet actui; post hoc, instrumentum, quod pertinet ad modum agendi. Et hæc, ut in pluribus ita se habent; tamen nil prohibet in aliquo aliter se habere, quia sermones in moralibus, determinatum nil habent, ut dicitur Ethicorum secundo.

Rursus hic quæritur, an circumstantia trahere possit in aliam speciem culpæ. Dicendum, quod certum est hoc in aliquibus fieri : quod qualiter fieri queat, difficile est determinare. Aliqui enim dicunt, hoc fieri in quantum circumstantiæ illæ accipiuntur ut fines voluntatis, quia a fine actus moralis accipit speciem. Sed non videtur hoc sufficienter prolatum, quia interdum peccati species variatur sine hoc quod intentio feratur ad circumstantiam illam : sicut fur tam libenter acciperet vas aureum non sacratum ut sacratum; et tamen in aliam speciem peccatum mutatur, videlicet de simplici furto in sacrilegium. Præterea secundum hoc, circumstantia illa quæ dicitur *cujus gratia,* posset sola speciem peccati mutare : quod falsum est. Et ideo aliter dicendum, quod omnis circumstantia potest speciem peccati mutare, tamen non semper mutat. Quum enim negationes et privationes differant specie secundum differentiam habituum et positionum oppositarum, et malum sit privatio boni, oportet quod ubi diversum bonum ad virtutem necessarium privatur, ibi sit species diversa peccati. Sola autem una circumstantia peccati rectitudinem virtutis aufert. Unde si aliæ circumstantiæ nullam aliam obliquitatem peccato tribuant, nisi ex suppositione præcedentis, non mutabunt speciem peccati, sed forte gravabunt quantitatem peccati illius; interdum etiam non, quia ex suppositione præcedentis nullam inordinationem addunt; imo

A quandoque diminuunt, ut si aliqua circumstantia subtrahat rationem peccati. Sicut accipere rem alienam, habet rationem peccati ex circumstantia *quid,* quia alterius rem invadit. Quod autem hoc faciat quis manu dextera aut sinistra, non variat. Quod autem tollat multum aut parum, peccatum aggravat, non tamen speciem mutat. Sed rem alienam consecratam auferre, aliam deformitatem includit : quoniam irreverentia circa res divinas specialem habet rationem peccati : ideo talis
B circumstantia dicitur speciem peccati mutare. Si autem coactus accipiat, talis circumstantia minuit culpam : quoniam causa peccati, scilicet voluntarium, minuitur. — Ex his patet responsio ad hanc quæstionem, utrum circumstantia culpam gravet in infinitum. Dicendum enim quod non, nisi dum trahit in aliam speciem peccati, sicut dum circumstantia includit et addit aliquid caritati contrarium seu contra præceptum.

Sed quæri potest, an omnes circumstan-
C tiæ peccati sint confitendæ. Dicendum, quod omnes circumstantias confiteri, est impossibile. Quasdam autem confiteri, est necessitatis. Tamen in hoc est differentia opinionum. Nam aliqui dicunt, quod omnes circumstantiæ quæ aliquam notabilem quantitatem addunt peccato, sint necessario confitendæ, si occurrant memoriæ. Alii dicunt, quod non oportet confiteri nisi eas quæ trahunt ad aliud genus peccati. Et hoc probabilius est. Sed addendum, quæ ad aliam speciem peccati mortalis tra-
D hunt : quia ut dictum est quæstione præ- Cf. p. 428 A
habita, venialia non sunt de necessitate confessionis; attamen perfectionis est talia confiteri. Circumstantiæ autem particulares carnalium peccatorum trahentes ad novam speciem peccati mortalis, semper sunt confitendæ. — Et si objiciatur, quod motum libidinis provocant tam in confitente quam in confessore; dicendum, quod gratia quæ in sacramento Pœnitentiæ datur, restaurat, si qua inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proveniat. Unde

in Pastorali dicit Gregorius : Plerumque fit, A ut dum rectoris animus aliena tentamenta cognoscit, auditis tentationibus, etiam ipse pulsetur; sed hæc pastori nequaquam timenda sunt, quia tanto facilius a sua tentatione eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur. Si tamen confitens viderit sacerdotem lascivum et ad talia pronum, debet accipere licentiam confitendi alteri sacerdoti : quam si non dederit, debet ad superiorem recurrere. Si autem circumstantiæ non aggravant in infinitum, novam speciem mortalis peccati B addendo, quandoque laudabiliter reticentur, adhibita debita discretione, juxta considerationem turpitudinis circumstantiæ, et pronitatem inclinationis ad peccatum ex ejus consideratione * in ipso confitente vel sacerdote. Confitens quoque in confessione debet pro posse famam alterius custodire, et suam conscientiam expurgare : ideo si circumstantia quæ ducit in cognitionem personæ, sit de necessitate confessionis, secundum regulam datam, tunc debet confiteri occultando personam quan- C tum potest. Si autem circumstantia illa non sit necessario confitenda, debet eam dimittere, ne prodat peccatum alterius. — Hæc Thomas in Scripto.

* confessione

In his continentur quæ Bonaventura scribit de circumstantiis peccatorum, de quibus ponit hos versus :

Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Est * modus in culpa, status altus, lucta pusilla

* Et

Et addit : Non solum deflendæ sunt culpæ, D sed etiam pœnæ, id est sequelæ culparum inhabilitantes ad bonum. Et vocantur interdum reliquiæ vitiorum, utpote pronitates ad mala, et infirmitates resistendi tentamentis ac vitiis, quæ sunt pœnæ contractæ potius quam inflictæ. — In his continentur et scripta Petri.

Richardus quoque concordans : Actus (inquit) voluntatis per hoc formaliter est peccatum, quod caret debito ordine rationis; atque per hoc formaliter est in specie peccati, quod caret aliquo speciali ordine rationis. Quandocumque ergo per aliquam circumstantiam privatur actus aliquo rationis ordine speciali, constituitur ipse actus per circumstantiam illam in aliqua nova specie peccati. Dum vero per circumstantiam non privatur speciali rationis debito ordine, sed tamen per eam privatio debiti ordinis intenditur seu augetur, non mutatur per eam species peccati, sed aggravatur. (Cetera ut supra in Thoma.)

Quæritur quoque, utrum circumstantia possit veniale peccatum mutare in mortale. Dicendum, quod quæstio potest intelligi de eodem peccato in numero, vel in specie; et primo modo dupliciter, scilicet aut de eodem actu in esse naturæ, aut in esse moris. Et primo modo actus primo venialis fieri potest mortalis, ut inspicere mulierem primo ex complacentia pulchritudinis ejus sine libidinoso affectu, deinde inspectionem illam continuare ex vitiosa libidine. Secundo modo non est istud possibile, quoniam actus non est in specie moris, nisi ut est ex voluntate et ratione : ideo non manente eadem habitudine voluntatis ad actum, non habet actus idem esse morale in numero. Si vero intelligatur quæstio de eodem peccato in specie, assignant quidam eamdem distinctionem et similem responsionem. — Hæc Richardus.

Argentinensis demum hic scribit, quod tamen ex introductis elicitur : Circumstantiæ, dicens, sunt tripartitæ, quoniam quædam nec aggravant culpam, nec trahunt ad aliam speciem, sicut furari manu dextera aut sinistra; aliæ gravant, sed non variant speciem, ut multum furari; tertiæ gravant et speciem mutant, ut calicem consecratum furari, quod est sacrilegium, id est abusus rei sacræ. Triplex quippe est sacrilegii species : prima, per modum furti aut spolii tollere sacrum de sacro, ut calicem de ecclesia; secunda, tollere sacrum de non sacro, quemadmodum calicem de domo non consecrata; tertia, tollere violenter non sacrum de sacro, ut rem non

sacram de ecclesia. Itaque de primis circumstantiis non oportet confiteri; de secundis vero confiteri est valde decens et congruum, non tamen simpliciter necessarium, ut communiter dicunt doctores : imo, ut dicunt, sufficit quod peccator in confessione exprimat speciem peccati. Verumtamen quidam tenent contrarium, dicentes, quod oporteat confiteri circumstantias notabiliter aggravantes : ut si quis furatus esset centum aut mille marcas, non sufficeret dicere, Furatus sum rem seu pecuniam proximi mei. Hæc opinio videtur securior, et dictis Augustini in textu conformior; nec dubium quin istud melius salubriusque consistat. Tertias circumstantias confiteri oportet quantum occurrunt memoriæ, sicut et cetera peccata mortalia, quæ et pro posse sunt ad memoriam revocanda. Hæc Argentinensis.

Præterea Durandus : Nomen (ait) circumstantiæ tractum videtur ex his quæ inveniuntur in loco quantitatibusque corporeis, ad actus morales. Illa enim circumstant rem, quæ sunt ei extrinseca et tamen aliquo modo ipsam attingunt. Ita in actibus illa dicuntur circumstare, quæ non sunt de substantia actus, sed accidunt ei vel subjective, ut modus agendi; sive extrinsece, ut locus et tempus. Quidquid ergo non pertinet ad essentiam actus ut est in specie naturæ, et tamen aliquo modo attingit ipsum, vocatur circumstantia. Hæc Durandus.

Qui consequenter ponit triplex circumstantiæ genus, sicut modo expressum est, (p. 437 C'.) quamvis sub aliis verbis. Et addit : Quandocumque in uno actu sunt plures deformitates, quarum una non est determinativa alterius, ibi sunt plura peccata formaliter, quemadmodum in furtiva sublatione rei alienæ de loco sacro. — Et si objiciatur, quod species rei non potest per extrinseca variari, circumstantia autem rei extrinseca est; dicendum, quod circumstantiæ non sunt intrinsecæ actui quoad ejus essentiam, aut quoad esse naturæ, nec quoad illud esse mutant speciem ejus; sed quoad

A esse moris, hoc est, quantum ad bonitatem malitiamve moralem. — In his doctores communiter sunt concordes.

QUÆSTIO III

De impedimentis vero pœnitentiæ modo quærendum est, **Utrum hypocrisis, ludus, mercatio, militia et consimilia quædam, pœnitentiam**
B **veram impediant.**

Videtur quod non. Quum enim multa sint peccata hypocrisi graviora, non apparet cur hypocrisis magis quam alia dici debeat pœnitentiæ impedimentum. Circa ludum quoque est specialis virtus moralis, et ita non solum licite, sed et virtuose ac meritorie fieri potest. Mercatio etiam et militare exercitium pro convenienti dispositione rei publicæ sunt inducta. Et beatissimus Joannes Baptista militibus dixit, Contenti estote stipendiis vestris; nec re- (*Luc.* III, 14)
C probavit eorum officium neque statum, ut in Evangelio recitatur.

Circa hæc loquitur Thomas : Hypocrita proprie dicitur qui personam alterius repræsentat, quasi submissus sive suppositus loco alterius. Unde in theatris, qui aliorum personam gerebant, hypocritæ dicebantur. Sicque sumit Philosophus hypocritas tertio Ethicorum. Hinc illi qui non sunt vere virtuosi, et tamen virtuosos se simulant, recte hypocritæ appellantur. Quumque os-
D tentare de se ex proposito meliora quam sint, jactantiæ vitium exstet, sive fiat in verbis, sive in factis; constat quod hypocrisis semper sit vitium, quod Latine simulatio dicitur. Est quoque speciale peccatum. Privationes namque specificantur per habitus oppositos : ideo illud peccatum est generale, quod privat aliquam conditionem quæ in qualibet virtute requiritur : sicut inobedientia, prout est generale peccatum. Hypocrisis autem privat conformitatem signi ostendentis conditionem

personæ, ad rem significatam : quæ con- A formitas ad unam virtutem specialiter pertinet, puta ad veritatem, prout est pars justitiæ. Verumtamen non est semper mortale peccatum. Habet enim hypocrisis eamdem rationem peccati, quam mendacium : quod non est semper mortale peccatum, sed quando est perniciosum, vergens in proximi nocumentum. Sic et hypocrisis, quando est perniciosa, proveniens in nocumentum personæ alterius, quam per fictam et creditam sanctitatem privat seu privare intendit re quam habet, meritove B haberet; aut certe in nocumentum fidei atque Ecclesiæ, dum propter creditam sanctitatem hypocritæ, creditur ei contra fidem et Ecclesiæ expeditionem. Quumque opera pœnitentiæ, exteriora præcipue, nata sint sanctitatem ostendere; abutitur eis hypocrisis, excludens intentionem veræ ac rectæ pœnitentiæ. Sicque directius impedit pœnitentiæ effectum et fructum, quam alia vitia etiam graviora : ideo ponitur speciale impedimentum pœnitentiæ salutaris.

Similiter ludus. Ludus tamen est tri- C plex. Quidam etenim ludi ex se turpitudinem habent : ideo semper et ab omnibus, præsertim a pœnitentibus ac tempore luctus ac pœnitentiæ, sunt vitandi, quoniam pœnitentes per fletum sua peccata debent corrigere. Tales sunt ludi qui in theatris agebantur, ad luxuriam provocantes. Alii sunt ludi turpitudinem nullam includentes, quos Philosophus nominat liberales : circa quos versatur virtus moralis quæ eutrapelia vocatur. Sunt quoque ludi ex devotionis abundantia proceden- D tes : unde David disseruit, Ludam coram Domino, et ero humilis in oculis meis. (II *Reg.* vi, 22.) Tales ludi sunt laudandi ac æmulandi. Porro in ludis illis mediis potest esse excessus, si gravitas et custodia cordis nimium dissolvantur, magisque decent unum quam alium. Unde et pœnitentes districtius et discretius habere se debent in illis quam alii, quoniam pœnitentia fletum requirit. — Insuper spectaculorum quæ sunt turpium rerum, ad libidinem ac dissolutionem provocantium, studiosa inspectio, est peccatum, imo et peccatum interdum mortale, ex irrefrenata libidine et immoderata complacentia in eisdem : ideo omnibus, maxime pœnitentibus, sunt fugienda. Quædam tamen spectacula sunt de rebus utilibus atque ad vitam accommodis, quæ nihilo minus animum distrahunt. Hinc quamvis sine peccato eis quis uti possit, servata discretione secundum decentiam suæ personæ ac proprii status; pœnitentibus tamen vitanda sunt, quoniam cor debent habere recollectum ad Deum et compunctum, et hoc, nisi aliter requirat necessitas.

Denique officium militiæ, et negotiationis, et publicanorum, qui vectigalia publica exigunt, de propinquo habent annexa sibi peccata, quamvis sine peccato quandoque valeant exerceri. Quumque pœnitens specialiter debeat occasiones peccandi vitare, et compunctioni studere, commendabile est si ea ac consimilia vitet; non tamen est de necessitate pœnitentiæ, quia quamdiu homo vivit in sæculo isto, non potest universas peccandi vitare occasiones. Ideo sufficit in istis officiis ut peccata diligenter devitet, ita quod miles juxta sacratissimam Joannis Baptistæ doctrinam, nullum concutiat, et stipendiis suis sit (*Luc.* iii, 14.) contentus; neque ad ostentationem officium exerceat militare, sed ad utilitatem Ecclesiæ ac rei publicæ, et ad exercitium virium. Negotiator quoque non habeat conditionem in se, quæ ipsum ab officio illo prohibeat, ut religiosi et clerici; et diebus festivis mercationes non faciat, nec officium illud exerceatur tempore quo caristiam possit inducere. Fraudes quoque, doli, mendacia et consimilia mala vitentur. Publicani etiam non nisi legitima auctoritate principis, vectigalia, telonea seu tributa recipiant moderata, et causa utilitatis communis, ut pro terræ defensione. — Hæc Thomas. Qui et circa litteram ait : Qui habet copiam sacerdotis, nec necessitate urgetur ad communicandum, sicut urgentur sacerdotes parochiales, non debet accedere ad communionem ante confessionem.

In his continentur scripta Petri, Richardi, Durandi, Argentinensis et aliorum quorumdam, de ista materia. Et addit Argentinensis, quod si quis jejunet seu alia opera satisfactoria sibi pro peccatis suis injuncta exerceat, simulando se talia agere quasi opera supererogationis, non quasi ex debito satisfactionis, hypocrita est, et fructu ac mercede æterna privatur. Torneamenta quoque ludi sunt illiciti, et A ab Ecclesia prohibiti, propter abusiones, crudelitates, pompas, vanitates et multa consimilia quæ contingunt in eis. Hæc Argentinensis.

Postremo, circa distinctionem hanc Albertus et Bonaventura multas movent quæstiones perutiles, quæ tamen in sequenti distinctione moventur ab aliis, ubi et opportuniorem videntur habere locum : ideo differo eas.

DISTINCTIO XVII

A. *Tria proponuntur quærenda. Primum, an sine confessione dimittatur peccatum.*

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 11. HIC oritur quæstio multiplex. Primo enim quæritur, utrum absque satisfactione et oris confessione, per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur. Secundo, an aliquando* sufficiat confiteri soli Deo sine sacerdote. (* alicui) Tertio, an laico fideli facta valeat confessio. In his enim etiam docti diversa sentire inveniuntur, quia super his varia ac pene adversa tradidisse videntur doctores. Dicunt enim quidam, sine confessione oris et satisfactione operis neminem a peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. Alii vero dicunt, ante oris confessionem et satisfactionem, in cordis contritione peccatum dimitti a Deo, si tamen votum
Ps. XXXI, 5. confitendi habeat. Unde Propheta : Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Quod exponens Cassiodorus, ait :
Cassiod. in ps. XXXI, 7. Dixi, id est, deliberavi apud me, quod confitebor, et tu remisisti. Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimiserit : votum enim pro operatione ju-
Aug. in ps. 31 enarrat. 2, n. 15. dicatur. Item Augustinus : Nondum pronuntiat, promittit se pronuntiaturum, et Deus dimittit : quia hoc ipsum dicere, quoddam pronuntiare est in corde. Nondum
Ps. L, 19. est vox in ore, ut homo audiat confessionem, et Deus audit. Item : Sacrificium Deo
Ezech. XVIII, 21. spiritus contribulatus, cor contritum, etc. Alibi etiam legitur : Quacumque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur. Non dicitur, Ore
De Pœnit. dist. I, c. 34. confessus fuerit; sed, Conversus ingemuerit. Unde datur intelligi, quod etiam ore tacente, veniam interdum consequimur. Hinc etiam leprosi illi quibus Dominus
Luc. XVII, 14. præcepit ut ostenderent se sacerdotibus, in itinere antequam ad sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo insinuatur, quod antequam ora nostra sacerdotibus aperia-
Joann. XI, 44. mus, id est, peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur. Lazarus etiam non prius de monumento est eductus, et post a Domino suscitatus; sed intus suscitatus, prodiit foras vivus, ut ostenderetur suscitatio animæ præcedere confessionem. Nemo

enim potest confiteri, nisi suscitatus : quia a mortuo, velut qui non est, perit con- Eccli. xvii, 26.
fessio. Nullus ergo confitetur, nisi resuscitatus. Nemo autem suscitatur, nisi qui
a peccato solvitur : quia peccatum mors animæ est, quæ ut est vita corporis, ita
ejus vita Deus est. — His aliisque pluribus auctoritatibus probatur, ante confes-
sionem vel satisfactionem sola compunctione peccatum dimitti. Quod qui negant,
eas determinare laborant ; necnon in hujus sententiæ depressionem et ad suæ
opinionis assertionem auctorum testimonia inducunt. Ait enim Dominus per Isaiam :
Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris. Item Ambrosius : Non potest quisquam justi- Is. xliii, 26. Ambr. de
ficari a peccato, nisi peccatum ipsum antea fuerit confessus. Idem dicit : Confessio Paradis. n. 71.
a morte animam liberat, confessio paradisum aperit, confessio spem salutis tribuit : De Pœnit.
quia non meretur justificari qui in vita sua non vult peccatum confiteri. Illa con- dist. i, c. 39.
fessio nos liberat quæ fit cum pœnitentia. Pœnitentia vero est dolor cordis et ama-
ritudo animæ pro malis quæ quisque commisit. Item Joannes : Non potest quis- Ibid. c. 41.
quam gratiam Dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per pœnitentiæ
confessionem et per Baptismum. Item Augustinus : Agite pœnitentiam qualis agitur Aug. Sermo
in Ecclesia. Nemo dicat sibi, Occulte ago, quia apud Deum ago ; novit Deus, qui 392, n. 3.
mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est : Quæ solveritis super Matth.
terram, soluta erunt et in cœlis. Ergo sine causa claves datæ sunt ? Frustramus xviii, 18.
ergo verbum Christi. Job dicit : Si erubui in conspectu populi peccata mea confi- Job xxxi, 33.
teri. Item Ambrosius : Venialis est culpa quam sequitur confessio delictorum. Item Ambr. de
Augustinus super illum locum, Non absorbeat me profundum, neque urgeat super Paradis. n. 71.
me puteus os suum : Puteus est profunditas iniquitatis, in quam si cecideris, non Ps. lxviii, 16.
claudet super te os suum, si tu non claudis os tuum. Confitere ergo et dic : De Aug. in ps. 68, sermo i,
profundis clamavi ad te, Domine, etc. ; et evades. Claudit super illum qui in pro- n. 19. Ps. cxxix, 1.
fundo contemnit : a quo mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Item : Nullus Prov. xviii, 3.
debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem Aug. de Continent.
quam debeat, solverit pœnam : ita enim impertitur a Deo largitas misericordiæ, ut n. 15.
non relinquatur justitia disciplinæ. Item Hieronymus : Qui peccator est, plangat Hier. in Joel i, 13.
delicta propria vel populi, et ingrediatur ecclesiam, de qua propter peccata fuerat
egressus, et dormiat in sacco, ut præteritas delicias per quas Deum offenderat, vitæ
austeritate compenset. — His aliisque auctoritatibus nituntur asserere, sine confes-
sione vocis et aliqua solutione pœnæ, neminem a peccato mundari.

B. *Cui sententiæ potius consentiendum sit.*

Quid ergo super his sentiendum, quid tenendum ? Sane dici potest, quod sine confessione oris et solutione pœnæ exterioris, peccata delentur per contritionem et humilitatem cordis. Ex quo enim proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit : quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interius mundatur a macula et contagione peccati commissi, et debitum æternæ mortis relaxatur. Illa ergo quæ superius dicta sunt de confessione et pœnitentia, vel ad confessionem

cordis vel ad interiorem pœnam referenda sunt, sicut illud Augustini, quod nullus dicitur veniam consequi, nisi prius quantulamcumque peccati solverit pœnam; vel de exteriori pœna accipienda sunt et ad contemnentes vel negligentes referenda sunt, sicut illud : Nemo dicat, Occulte ago, etc. Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt vel erubescunt, et ideo non merentur justificari. Sicut enim præcepta est nobis interior pœnitentia, ita et oris confessio et exterior satisfactio, si adsit facultas. Unde nec vere pœnitens est qui confessionis votum non habet. Et sicut peccati remissio munus Dei est, ita pœnitentia et confessio per quam peccatum deletur, non potest esse nisi a Deo, ut Augustinus ait. Jam, inquit, donum Spiritus Sancti habet qui confitetur et pœnitet, quia non potest esse confessio peccati et compunctio in homine ex se ipso. Quum enim irascitur sibi quisque et displicet, sine dono Spiritus Sancti non est. Oportet ergo pœnitentem confiteri peccata si tempus habeat; et tamen antequam sit confessio in ore, si votum sit in corde, præstatur ei remissio.

Aug. in ps. 50, n. 16.

C. *Si sufficiat soli Deo confiteri peccata.*

Jam secundum quæstionis articulum inspiciamus, scilicet utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri sacerdoti. Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine judicio sacerdotali et confessione Ecclesiæ, quia David dixit : Dixi, Confitebor Domino, et tu remisisti, etc. Non ait, Sacerdoti, et tamen remissum sibi peccatum dicit. Item Ambrosius : Ideo flevit Petrus, quia culpa obrepsit ei. Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit; lacrimas ejus lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lacrimæ delictum, quod voce pudor est confiteri; et veniæ fletus consulit et verecundiæ. Hoc idem etiam Maximus dicit episcopus. Item Joannes Chrysostomus : Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria; et tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata tua in mente continue, nunquam malum adversus proximum tuum in corde tuo tenebis. Idem : Peccata tua dicito, ut deleas illa. Sed si confunderis alicui dicere illa, dicito ea quotidie in animo tuo. Non dico, ut confitearis ea conservo tuo, ut tibi exprobret; dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si non dixeris, ignorat ea. Quum faciebas ea, præsto erat; quum admitteres ea, cognoverat. Numquid vult a te ea cognoscere? Peccare non erubuisti, et confiteri erubescis? Dicito in hac vita, ut in alia requiem habeas; dicito ingemiscens et lacrimans. In codice enim scripta sunt peccata tua; spongia peccatorum tuorum lacrimæ tuæ sint. Item Prosper : Illi quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum et habituri sunt ultorem. Quod si ipsi sui judices fiant, et veluti suæ iniquitatis

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XIV, c. 1.

Ps. XXXI, 5.

Ambr. in Luc. lib. X, n. 88.

Maxim. Taurin. hom. 53. Chrysost. in Hebr. hom. 31, n. 3.

Ps. XXXVI, 5.

Chrysost. in ps. 50, hom. 2, n. 5, in append.

Pomerius, de Vita contempl. lib. II, c. 7, n. 2.

ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrimis ex vera cordis contritione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Et infra : Facilius sibi Deum placabunt illi qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis, ipsi in se voluntariæ excommunicationis ferunt sententiam, et ab altari cui ministrabant, non animo sed officio separati, vitam suam quasi mortuam plangunt, certi quod reconciliati sibi efficacis pœnitentiæ fructibus, a Deo non solum amissa, sed etiam supernæ civitatis gaudia recipiant. — His auctoritatibus innituntur qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sine sacerdote. Dicunt enim, quod si quis timens tegit culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, et ideo tacet * homini et revelat * Deo ; consequitur veniam.

Pomerius, de Vita contempl. lib. II, c. 7, n. 3.

* taceat * revelet

D. *Quod non sufficit soli Deo confiteri, si tamen homini possit.*

Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat, non solum illa auctoritate Jacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, etc., sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur. Ait enim Augustinus : Judicet se ipsum homo voluntarie, dum potest, et mores convertat in melius, ne quum jam non poterit, præter voluntatem a Domino judicetur; et quum in se pertulerit severissimæ medicinæ, sed tamen utilissimæ, sententiam, veniat ad antistites, per quos illi claves ministrantur Ecclesiæ. Tanquam bonus jam incipiens esse filius (Ecclesiæ), maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, in offerendo sacrificio contriti cordis devotus et supplex. Id tamen agat, quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam ad exemplum ceteris : ut si peccatum ejus non modo in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiam multorum vel totius plebis agere pœnitentiam non recuset, ne letali plagæ per pudorem addat tumorem. Quum tanta est plaga peccati et impetus morbi, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini differenda sint; auctoritate antistitis debet se quis removere ab altari ad agendam pœnitentiam, et eadem reconciliari. Item Leo Papa : Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non modo per Baptismum, sed etiam per pœnitentiam spes vitæ reparetur, sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere. Christus enim hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Item Augustinus : Quem pœnitet, omnino pœniteat, et dolorem lacrimis ostendat, repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem. Præcepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per scripta manifestanda. Dixit enim : Ora monstrate, et omnes, non unus pro

Jacob. v, 16.

Aug. Sermo 351. n. 9.

Id. Epist. 54, n. 4.

De Pœnit. dist. I, c. 49.

Aug. de Vera pœnit. n. 25.

Lev. XIV, 2; *Luc.* XVII, 14.

omnibus, non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus Deo a Moyse statutum; sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, ut nemo pœniteret in occulto. In hoc enim quod per se ipsum dicit sacerdoti et erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis. Fit enim veniale per confessionem quod criminale erat in operatione; et si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei negavit. Deus enim, qui misericors et justus est, sicut servat misericordiam in justitia, ita et justitiam in misericordia. Opus enim misericordiæ est, peccanti peccata dimittere; sed oportet ut justus misereatur juste. Considerat enim, si dignus est, non dico justitia, sed et misericordia. Justitia enim sola damnat; sed dignus est misericordia qui spirituali labore quærit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescentiam; et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus jam possunt proficere et plus confitentibus parcere. Item Leo Papa : Quamvis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium sunt hujuscemodi peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis sua facta reserare quibus possunt legum percelli constitutione. Sufficit enim confessio, quæ primum Deo offertur et tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. — Ex his aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum et deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas.

De Pœnit. dist. I, c. 89.

E. *De tertio articulo, scilicet an sufficiat confiteri laico.*

Nunc priusquam præmissis auctoritatibus, quæ his contradicere videntur, respondeamus, tertiam quæstionem intueamur. Quod enim secunda quæstio continebat, scilicet an sine confessione et judicio sacerdotis, soli Deo confiteri sufficeret, expeditum est et certificatum præmissis testimoniis, quod non sufficit confiteri Deo sine sacerdote; nec est vere humilis et pœnitens, si non desiderat et requirit sacerdotis judicium. Sed numquid æque valet alicui confiteri socio, vel proximo suo, saltem quum deest sacerdos ? Sane ad hoc potest dici, quod sacerdotis examen requirendum est studiose, quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi. Et ideo quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio. Sed curet quisque sacerdotem quærere

qui sciat ligare et solvere. Talem enim esse oportet qui aliorum crimina dijudicat. Unde Augustinus : Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere, ne quum negligens circa se exstiterit, negligatur ab eo qui eum misericorditer monet et petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus nec locus offert; et si ille cui confitebitur, potestatem non habeat solvendi, fit tamen dignus venia sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio. Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ostendere ora vel se sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent : unde patet Deum ad cor inspicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire. Sæpe quidem quærunt eos sani ac læti, sed dum quærunt, antequam perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei ubique est, qui et justis parcere novit, etsi non tam cito, sicut si solverentur a sacerdote. Qui ergo confitetur sacerdoti, omnino meliori quam potest confiteatur. Et si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis. Nam in resurrectione filiæ archisynagogi pauci interfuerunt qui viderent : nondum enim erat sepulta, nondum extra portam delata, nondum extra domum in notitiam portata. Intus resuscitavit, quam intus invenit, relictis solis Petro et Jacobo et Joanne et patre et matre puellæ, in quibus figuraliter continentur sacerdotes Ecclesiæ. Quos autem extra invenit, advertendum est quomodo suscitavit. Flebat enim turba post filium viduæ, flevit Martha et Maria supplicantes pro fratre, flebat et turba Mariam secuta. In quo docemur, publice peccantibus non proprium sed Ecclesiæ sufficere meritum. Laboret ergo pœnitens in Ecclesia esse, et ad Ecclesiæ unitatem tendere : nisi enim unitas Ecclesiæ succurrat, nisi quod deest peccatori, sua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum est enim, quod omnes orationes et eleemosynæ Ecclesiæ et opera justitiæ et misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem. Ideoque nemo digne pœnitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ. Ideoque nemo petat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiæ divisos. — Ex his satis aperitur et absolvitur præmissæ quæstionis articulus. Quærendus est enim sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate simul habeat judicium : qui si forte defuerit, confiteri debet socio. Beda vero inter confessionem venialium et mortalium distinguit, super illum locum, Confitemini alterutrum peccata vestra. Ait enim : Coæqualibus quotidiana et levia, graviora vero sacerdoti pandamus, et quanto jusserit tempore, purgare curemus, quia sine confessione emendationis, peccata nequeunt dimitti. Sed et graviora coæqualibus pandenda sunt, quum deest sacerdos et urget periculum. Venialia vero, etiam sacerdotum oblata copia, licet confiteri coæquali, et sufficit, ut quibusdam placet, si tamen ex contemptu non prætermittatur sacerdos. Tutius est tamen et perfectius, utriusque generis peccata sacerdotibus pandere, et consilium medicinæ ab eis quærere, quibus concessa est potestas ligandi et solvendi.

Aug. de Vera pœnit. n. 25.

Matth. xv, 14.

Luc. xvii, 14.

Aug. op. cit. n. 26.

Matth. ix, 23-25; *Marc.* v, 37-40; *Luc.* vii, 12, 13; *Joann.* xi, 31-33.

Aug. op. cit. n. 27.

Beda, in Jacob. v, 16. *Jacob.* v, 16.

F. *Hic aperit qualiter supradictæ auctoritates intelligendæ sunt.*

Cf. De Pœnit. dist. I, c. 87. Quum ergo ex his aliisque pluribus testimoniis perspicuum fiat et indubitabiliter constet, peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, et si ipse defuerit, etiam socio; illud Joannis Chrysostomi superius positum, non est ita intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri; sed quia sufficit, ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere et semel, nec oportet publicari coram multis quod occultum est. Quod notavit dicens : Non tibi dico, ut te prodas in publicum. Sicut enim publica noxa publico eget remedio ; ita occulta, secreta confessione et occulta satisfactione purgatur. Nec necesse est, ut quod sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur; sed lingua cordis, non carnis, apud Chrysost. in Hebr. hom. 31, n. 4. verum judicem id jugiter confiteri debemus. Unde idem Joannes ait : Nunc autem, si recorderis peccatorum tuorum et frequenter ea in conspectu Dei pronunties et pro eis depreceris, citius illa delebis; si vero obliviscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur et in conspectu omnium amicorum et inimicorum Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 10. sanctorumque angelorum proferentur. Ita etiam illud Ambrosii, Lacrimæ lavant delictum quod voce pudor est confiteri, ad publicam pœnitentiam referendum est. Ibi enim virtutem lacrimarum et confessionis ostendens, significare voluit, quod lacrimæ occultæ et confessio secreta, sicut quæ fit soli sacerdoti, lavant delictum quod pudet aliquem publice confiteri. Quod vero dicit, se lacrimas Petri legisse, non *Joann.* XX, 30. satisfactionem vel confessionem, per hoc non excludit illa. Multa enim facta sunt quæ scripta non sunt; et forte nondum facta erat institutio confessionis, quæ modo est. Similiter et illud Prosperi, Si sui judices fiant, mutabunt æterna supplicia; et illud, Facilius Deum placabunt sibi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis, in se sententiam excommunicationis ferunt : ad publicam confessionem et satisfactionem referri oportet. Non enim solis sacerdotibus jus ligandi atque solvendi datum est, si cuique suo arbitrio se pœna vel excommunicationis sententia ligare et absque sacerdotali judicio se ipsum Deo vel altari reconciliare licet : quod ecclesiasticæ institutioni et consuetudini penitus repugnat. Potius ergo, si publice peccasti, publice confitere te reum, et emenda; si vero occulte deliquisti, etiam De Consecr. dist. I, c. 87. sic non taceas; nec tamen dico, ut publices. Taciturnitas enim peccati ex superbia nascitur cordis. Ideo enim peccatum suum quis celat, ne reputetur foris qualem se jam divino conspectui exhibuit : quod ex fonte superbiæ nascitur. Species enim superbiæ est, se velle justum videri qui peccator est; atque hypocrita convincitur, *Gen.* III, 12, 13; IV, 9. qui ad instar primorum parentum vel tergiversatione verborum peccata sua levigare contendit, vel sicut Cain peccata sua reticendo supprimere quærit. Ubi ergo superbia regnat et hypocrisis, humilitas locum non habet. Sine humilitate vero alicui veniam sperare non licet. Ubi est ergo taciturnitas confessionis, non est speranda venia criminis. — Jam certissime liquet, quam sit detestabile peccati silentium, et econverso, quam sit necessaria confessio. Est enim confessio testimonium conscien-

tiæ Deum timentis. Qui enim timet judicium Dei, peccatum non erubescit confiteri : perfectus timor solvit omnem pudorem. Confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescentia est gravis pœna. Ideoque jubemur confiteri peccata, ut erubescentiam patiamur pro pœna : nam hoc ipsum pars est divini judicii. Si ergo quæritur, an * confessio sit necessaria, quum in contritione jam deletum sit peccatum; dicimus, quia quædam punitio peccati est, sicut satisfactio operis. Per confessionem etiam intelligit sacerdos, qualiter debeat judicare de crimine; per eam quoque peccator fit humilior et cautior. * ad quid

SUMMA

DISTINCTIONIS SEPTIMÆDECIMÆ

PRÆINDUCTA mox distinctione tractavit Magister de tribus pœnitentiæ partibus. Hic circa eas inducit aliquas quæstiones, quæ (ut innuit) suo tempore videbantur difficiles et obscuræ, quamvis propter evidentissimas doctorum responsiones modo sint claræ ac faciles. Prima est, an sine confessione sacramentali homini facta, dimitti possint peccata, et homo peccator salvari : arguitque pro parte utraque per auctoritates Sanctorum; deinde solvit, et quæ ab invicem discordare videbantur, concordat. Deinde quærit secundo, an soli Deo sufficiat mentaliter confiteri : quocirca procedit sicut et circa præcedentem quæstionem. Tertio sciscitatur, an confitendum sit laico in extremis, si desit sacerdos. Tandem in fine distinctionis breviter tangit utilitates confessionis sacramentalis.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Quid sit justificatio, et de his quæ requiruntur ad ipsam.**

Ad hoc S. Thomas respondet : Justificatio itaque, ut habetur in Glossa ad Romanos octavo, est remissio peccatorum et consummatio bonorum operum. Justificatio
D
A enim ex sua ratione importat motum ad justitiam. Justitia vero, secundum Philosophum quinto Ethicorum, tripliciter sumitur. Primo, ut est specialis virtus, æqualitatem constituens in commutationibus et distributionibus bonorum quæ necessaria sunt in vita. Secundo, ut est nomen generale ad omnes virtutes, secundum quod ordinat actus earum ad bonum commune secundum legis directionem. Tertio dicit rectitudinis statum in homine quantum ad partes ejus, prout una pars animæ supe-
B riori suo subjicitur, utpote Deo aut alii parti animæ digniori. Hanc justitiam Philosophus metaphoricam vocat, eo quod diversæ hominis partes sunt quasi diversæ personæ. Quæ rectitudo per unumquodque peccatum aufertur, atque per gratiam reparatur. Unde et hæc justitia dicitur generalis, in quantum universas includit virtutes : non per modum totius universalis, sicut præcedens justitia, sed per modum totius integralis; et motus ad istam justitiam justificatio nominatur. In quolibet
C autem motu est recessus a termino *a quo*, qui tangitur quum dicitur, Remissio peccatorum; et accessus ad terminum *ad quem*, qui tangitur quum addit, Et consummatio bonorum operum. — Si autem objiciatur, quod consummatio bonorum operum in pœnitente fit per satisfactionem; sed homo justificatur per solam contritionem ante satisfactionem : ergo justificatio non est consummatio bonorum operum. Dicendum, quod justificatio dupliciter capitur. Primo, prout correspondet ad justificari : sicque
D dicit motum ad prædictam justitiam. Se-

cundo, prout correspondet ad justificatum A esse : et sic est præfatæ justitiæ effectus formalis, quoniam ea est aliquid formaliter justificatum, sicut albedine dealbatum. Quemadmodum autem ab una essentia animæ fluunt diversæ potentiæ, ita rectitudo potentiarum a gratia, quæ est perfectio essentiæ animæ. Inter potentias quoque voluntas, quæ alias movet, eis quodammodo rectitudinem largitur. Hinc prædictæ justitiæ causa prima est gratia, et caritas consequenter, quæ voluntatem perficit per respectum ad finem, a quo est rectitu- B do prædicta. Ideo justificatio et peccatorum remissio est effectus justitiæ generalis tanquam proximæ causæ formalis; sed caritatis et gratiæ tanquam causarum proximæ causæ.

Verum circa hæc quæritur, an justificatio sit idem quod vocatio et renovatio mentis. Dicendum, quod vocatio duplex est. Una exterior, quæ fit per prædicatorem, quæ non est ipsa justificatio, sed disponit ad eam. Alia interior, quæ aliquando non pertingit ad finem suum ex C defectu vocati; hæcque vocatio non aliud est quam instinctus seu motus ad bonum, a Deo immissus. Nec ista vocatio est justificatio, sed motus ad eam. Interdum vero attingit ad finem, dum scilicet vocatus acquiescit; et hæc secundum rem est idem quod justificatio, sed ratione differt ab ea : quoniam dicitur vocatio secundum quod per infusionem atque auxilium gratiæ homo a peccato retrahitur; justificatio autem respicit terminum *ad quem,* utpote prædictæ rectitudinis statum. — Denique D prædicta justitiæ rectitudo metaphorice appellatur sanitas et novitas, seu sanatio ac renovatio cordis, qua vitiorum vetustas ac læsio animæ expelluntur; et ad attributum misericordiæ per approbationem reducitur, quia in ea magis relucet misericordia Dei quam aliud attributum.

Quæritur demum circa hæc, utrum ad justificationem exigatur, quod homo se præparet ad gratiæ infusionem, quod in se est faciendo; et an in homine sit aliquid per quod possit se ad gratiam præparare; et rursus, an hoc facto, necesse sit eum gratiam obtinere ac justificari.

Et respondendum, quod voluntas, quæ susceptiva est perfectionis justitiæ, non potest illi subjici ab agente extrinseco cui nil conferat seu cui non cooperetur aliquo modo : quia hoc esset agens per violentiam, quæ in voluntatem non cadit, quum cogi non queat. Hinc oportet quod ipsa suæ perfectioni cooperetur : quæ cooperatio dicitur præparatio ejus ad gratiam; et ita se præparat qui quod in se est, facit. Verumtamen non oportet quod talis præparatio tempore semper præcedat justificationem, sicut oportet in mutationibus naturalibus alterationem semper præcedere tempore generationem : quia quum actus voluntatis in sua sit potestate, potest a principio esse tantum intensus, quantum ad præparationem hanc sufficit. In parvulis autem non exigitur præparatio talis, quum nec usum habeant voluntatis, nec propria voluntate culpam incurrant. — Verum his objici potest, quod quidam convertuntur et justificantur, qui non solum non præparant se ad gratiam infundendam, imo potius laborant ad male agendum : sicut et Paulus, dum perrexit Damascum ad persequendum Christianos. Dicendum, quod justificatio de qua sermo, semper est cum cooperatione voluntatis, quæ præparatio nuncupatur. Sed cooperatio ista interdum incipit diu ante gratiæ infusionem; aliquando vero justificationem mox habet adjunctam. Sicque potest contingere, quod quis dum est in proposito ac intentione peccandi, subito convertatur voluntas ejus ad Deum, vel ex aliquo exteriori sumens occasionem, ut fuit in Paulo, aut ex aliquo interiori instinctu : sicque facit quod in se est, ut gratiam sortiatur a Deo. Denique homo ita se potest præparare ad gratiam, per rationem ac liberum arbitrium, per orationem et desiderium accedendi ad ipsum; impedimenta quoque gratiæ, id est peccata, detestando, exhortationibus ac bonis instinctibus acquiescendo.

Qui autem ita se præparat, non necessario gratiam recipit et acquirit necessitate absoluta : quoniam talis necessitas in his quæ divina voluntate fiunt cadere nequit, sicut nec necessitas coactionis, neque necessitas prohibitionis; sed necessitate suppositionis necesse est eum qui sufficienter se præparat recipere gratiam, utpote ex suppositione divini propositi, quo ex benevolentia suæ bonitatis voluit ac decrevit unicuique gratiam communicare secundum suam dispositionem et capacitatem : sicut in naturalibus formæ infunduntur secundum præparationem materiæ; quamvis non sit per omnia simile. — Hæc Thomas.

Qui circa hæc etiam alias movet quæstiones plurimas, videlicet utrum infusio gratiæ requiratur ad justificationem. Et constat ex dictis quod imo, quia nec mortale peccatum cum sua macula ac reatu deletur, nec æternam beatitudinem quis meretur, nec Deo majestatis immensæ reconciliatur per sola naturalia dona, sed habitus supernaturales infundi oportet. Et hoc dictum est sæpe super secundum ac tertium. [*Cf.* lib. II, dist. XXVIII; lib. III, dist. XXIII, q. 1.]

Iterum quærit, utrum ad justificationem requiratur motus liberi arbitrii in Deum. Et patet ex dictis, quod sicut requiritur præparatio ac cooperatio ex parte hominis, ita et motus liberi arbitrii ejus in Deum, ad cujus gratiam se coaptat. Iste quoque motus mentis se præparantis ad gratiam, est motus seu actio fidei, per quam intellectus primo fertur in Deum. Intellectus autem seu ratio movet ac dirigit voluntatem, et ita hæc præparatio fit per fidem informem. — Rursus, sicut in justificatione impii requiritur motus mentis in Deum per fidem informem, ad gratiam obtinendam, ita exigitur motus mentis in peccatum, id est contra peccatum, puta detestatio peccati, ad hoc quod peccatum expellatur. Itaque in justificatione impii hæc quatuor requiruntur : infusio gratiæ, remissio culpæ, motus liberi arbitrii in Deum, et motus liberi arbitrii in peccatum. Hæc idem.

Consonat Petrus, qui et sensum verborum Thomæ compendiose exprimens : Quamvis, inquit, de se possit Deus mentem sine ulla ejus præparatione justificare, requiritur tamen præparatio ex parte nostra : quoniam sicut requiritur præparatio materiæ in naturali mutatione, ad formæ receptionem, ita in voluntaria, non ex impotentia agentis, sed suscipientis.

Denique, ad gratiam potest se homo præparare. Materiam namque quæ præparatur, oportet aliquo modo proportionari ad agens atque formam : ita et voluntatem oportet proportionari ad Deum, quod fit per boni affectum, et ad gratiam per mali detestationem. Et hoc est facere quod in se est. Qui vero hoc agit, recipit necessario gratiam, non necessitate coactionis, quæ in Deum non cadit, sed necessitate immobilis et invariabilis propositi Dei : quæ necessitas non opponitur libertati voluntatis divinæ.

Amplius, ad justificationem requiritur infusio gratiæ. Nam sicut in naturalibus actus activorum non sunt nisi in patiente disposito, sic et in moralibus. In omni quippe mutatione fit ex parte agentis quædam alicujus expulsio, et alterius introductio. In patiente quoque requiritur dispositio duplex : una, ad unius formæ expulsionem; alia, ad alterius introductionem. Sicque in justificatione iniqui concurrunt quatuor : duo ex parte agentis, videlicet expulsio culpæ et infusio gratiæ; et duo ex parte suscipientis, quæ sunt motus liberi arbitrii in Deum, atque contritio de peccatis. In justificatione vero innocentis non requiritur expulsio contrarii mali nisi originalis peccati. In adultis vero non potest voluntas sufficienter disponi ad gratiæ receptionem, nisi velit et cupiat illam : idcirco requiritur consensus voluntatis seu motus liberi arbitrii. Unde secundum Augustinum : Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te. — Hæc Petrus.

Porro Richardus : Sicut de remissione (ait) peccati contingit loqui dupliciter :

primo, secundum legem communem; secundo, penes privilegium speciale : ita et de justificatione. Et sicut loquendo se- *Cf.* p. 386 A. cundo modo de remissione peccati, Deus posset peccatum remittere absque omni satisfactione ; sic posset secundo modo loquendo, impium justificare absque prævia conversione voluntatis ejus ad Deum. Sed loquendo de justificatione secundum legem communem, dico quod sicut corpus sine prævia præparatione non potest informari ab anima, ita nec anima adulti potest per gratiam informari, nisi conversione voluntatis ad Deum præcedente natura aut tempore, qua conversione anima disponatur ad susceptionem gratiæ qua formaliter justificatur. Hæc Richardus.

Bonaventura vero respondet : In omni opere Dei sunt misericordia et veritas, præsertim in hoc nobili opere, quod est justificatio. Quoniam ergo homo peccavit, et ante gratiæ infusionem nihil meruit apud Deum, ipse Deus justo judicio in justificatione non omnino tollit culpæ effectum, imo pœnam relinquit : ideo in priorem statum non statim restituit hominem. Et quia misericors est, etiam majus donum reddit, quia homo plus indiget: unde non solum restituit innocentiam, sed etiam dat gratiam. Hinc quamvis delere posset sine medio culpam, decrevit tamen delere eam per gratiam, quæ non solum faciat innocentem, verum etiam naturam debilitatam ad bonum habilitet et confortet. Gratia autem est accidens, nec ortum habet a suo subjecto, sed a Deo totaliter. Triplicem quoque habet comparationem, utpote : ad principium a quo processit, et ad peccatum contrarium quod expellit, et ad subjectum quod perficit. Et omnes hæ comparationes simul sunt tempore; gratia tamen naturaliter prius comparatur ad principium a quo, secundo ad peccatum, tertio ad subjectum. — Ad justificationem quoque requiritur motus liberi arbitrii. Justificatio etenim non est nisi volentis : idcirco non datur nisi volenti, dummodo sit in statu in quo consentire possit ac dis-

A sentire. Hinc ad susceptionem justificationis requiritur in adultis liberi arbitrii motus quo gratiæ Dei consentit. Quumque primus motus seu actus quo gratiæ consentit, sit motus fidei; ideo motus ille est fidei motus. Unde ad Romanos, Justificati *Rom.* v, 1. per fidem, Glossa : Id est, ex motu liberi arbitrii, qui est ex fide. Unde in Actibus legitur, Fide purificans corda : *Act.* xv, 9. quoniam motus fidei primo ad purificationem requiritur. Hæc Bonaventura. — Concordat Albertus, cujus responsa in præhabitis con-
B tinentur.

QUÆSTIO II

Hic etiam quæritur, **Quid prius sit, deletio seu remissio culpæ, aut infusio gratiæ.**

Videtur quod deletio culpæ, quoniam primo oportet a malo recedere, et mentem purgare atque ad gratiam præparare, quam
C ad bonum accedere et illuminationem recipere, juxta quod scriptum est : Declina *Ps.* xxxvi, 27. a malo, et fac bonum.

In oppositum est, quod infusio gratiæ est causa purgationis remissionisque culpæ. Causa autem est prior effectu.

Ad hoc in suo Sacramentali respondet Guillelmus : Duobus modis sumitur remissio peccatorum. Primo, pro non imputatione eorum ; secundo, pro abolitione macularum ipsorum. Remissio itaque sumpta
D pro non imputatione, præcedit. Prius enim dicitur uno modo secundum essendi consequentiam, quod sequitur aliud, non conversim. Gratiam autem sequitur non imputatio, non econtra. Si enim quis habeat gratiam, non imputantur ei peccata; non autem sequitur econverso, si non imputantur ei peccata, quod gratiam habeat : sicut non ideo quis regio honore dignus est, quia non est suspendendus; imo econtrario sequitur. Inter homines quoque frequenter unus alteri culpam suam non im-

putat, non tamen ex hoc vult habere ipsum A amicum. Sic et prius est non irasci, quam benevolum seu beneficum esse. Si vero sumatur remissio culpæ pro ejus abolitione, quæ per gratiam fieri perhibetur, infusio gratiæ causalitate prior esse convincitur, sicut lixivia ablutione est prior. Hæc Guillelmus.

De hoc Bonaventura plenius scribens, primo interrogat, utrum infusio gratiæ necessario præcedat expulsionem culpæ. Respondet : Quidam dixerunt, quod Deus se ipso culpam expellit, qui ait per Isaiam B
s. xliii, 25. prophetam : Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Ideo dicunt, quod Deus animam prius mundat, postmodum gratiam tribuit et infundit. Attamen simul tempore fit utrumque, sed infusio gratiæ posterior est natura. Sed quia communiter dicitur, et verum id credo, quod Deus culpam expellit per gratiam, sicut sol per radios tenebras, prout etiam in Actibus le-
Act. xv, 9. gitur, Fide purificans corda eorum; idcirco, quum causa sit prior effectu, infusio gratiæ prior est peccati expulsione, quem- C admodum etiam infusio radiorum, effugatione tenebrarum. Subjectum quippe prava qualitate aliqua informatum, aut vitio deformatum, non potest intelligi informatum aliqua bona qualitate aut perfectione, nisi prius intelligatur expulsio contrarii. Impossibile quoque est, quod aliquid intelligatur expulsum ab aliquo, nisi expellens prius intelligatur egredi a suo principio. Quumque infusio gratiæ non dicat subjecti perfectionem nisi per concomitantiam, sed potius ipsius gratiæ produ- D ctionem ab agente, patet quod prior sit illa quam expulsio, sicut causa causato.

Secundo quærit, utrum expulsio culpæ præcedat contritionem. Respondet : Quorumdam opinio fuit, quod remissio culpæ præcedat contritionem, secundum quod remissio culpæ dicitur quantum ad maculæ ablationem; sed quantum ad pœnam vel sequelam, sequitur. Nempe remissio culpæ dicitur et quantum ad culpæ ablationem, et quantum ad pœnæ ac sequelæ dimissionem. Verum ut dictum est, con- Cf. p. 375 B'.
tritio necessaria est in ipsius gratiæ infusione : propter quod præcedit peccati expulsionem ordine naturæ, quoniam anima per detestationem peccati se disponit ad gratiam, dispositione quanta potest. Gratia vero adveniens in animam, quoniam detestatio illa fuit dispositio media ad gratiam inducendam, naturaliter prius respicit illam detestationem, ac per eam culpam delendam. Sicque ex comparatione vel respectu gratiæ ad illam detestationem, exstat contritio; et ex respectu ad culpam, remissio. Idcirco contritio naturaliter prior est remissione peccati.

Tertio sciscitatur, utrum contritio præcedit impii justificationem. Respondet : Deus speciali privilegio potest justificare sine omni præparatione. Tamen secundum communem legem, non justificat nisi eos qui se præparant, quemadmodum ait per Zachariam : Convertimini ad me, et con- Zach. i, 3.
vertar ad vos. Quumque præparatio debeat esse secundum convenientiam ad justificationem, in qua est motus liberi arbitrii atque contritio, necesse est quod homo se præparet motu fidei ac doloris, ita quod gratia inveniat liberum arbitrium in utroque actuum horum, aut summe paratum ad utrumque, ita quod in eodem instanti paratum sit moveri in quo gratia advenit.

Porro si quæratur, an attritio fiat contritio, respondet, quod quæstio tripliciter potest intelligi. Primo, quod habitus quo quis atteritur, formetur, et illo deinde conteratur, sicut fides informis fit formata. Quod credo verum, utpote quod habitus pœnitentiæ informis, per gratiæ adventum formatur, sicut fides informis fit formata. Nec est simile de timore servili, in quo vivit voluntas peccandi. Secundo, quantum ad actum substratum. Quod item concedo, quod scilicet actus qui in principio sui est attritio, antequam interrumpatur fiat contritio, ut patet de motu quo quis vadit ad ecclesiam, si ei in via gratia infundatur. Tertio potest intelligi quantum ad conditionem superadditam, ut quod opus mor-

tuum, secundum partem qua mortuum est, fiat vivum. Et hoc impossibile est, quoniam illa pars motus transiit et fuit informis, nec unquam formatur. Quod namque præteriit ac destitit esse, non resumitur numero idem. — Hæc Bonaventura.

Insuper Thomas ad hæc respondens : Omnis (inquit) prioritas secundum ordinem naturæ aliquo modo reducitur ad ordinem causæ et causati, quia principium et causa sunt idem. In causis quoque contingit, quod idem sit causa et causatum secundum diversum genus causæ : quemadmodum ambulatio est causa efficiens sanitatis, et sanitas est causa finalis ambulationis. Consimiliter est de habitudine quæ est inter materiam et formam : quia materia est formam sustentans, et forma est materiam in esse constituens. Ex parte autem causæ materialis tenet se per quamdam reductionem omne illud per quod materia efficitur propria hujus formæ, sicut dispositiones et impedimentorum remotiones. Ideo in generatione naturali, quando generatio unius est corruptio alterius per hoc quod forma una expellitur et alia inducitur, remotio formæ prioris se tenet ex parte causæ materialis : hinc secundum ordinem causæ materialis, præcedit naturaliter introductionem formæ alterius; secundum ordinem vero causæ formalis, est econverso. Quumque forma et finis ac agens coincidant in idem numero vel specie, idcirco et in ordine causæ efficientis introductio formæ est prior : quoniam forma introducta, est similitudo formæ agentis per quam agit. Similiter habet se in ordine causæ finalis, quia natura principaliter intendit introductionem formæ, atque ad hanc ordinat expulsionem omnis rei cum qua stare non potest forma intenta. Quumque infusio gratiæ et remissio culpæ se habeant sicut introductio unius formæ et expulsio alterius, constat quod secundum ordinem causæ materialis remissio culpæ præcedat gratiæ infusionem; secundum ordinem vero causæ formalis et efficientis atque finalis, infusio

A gratiæ naturaliter prior est. Propter quod utrumque interdum dicitur causa alterius : quia infusio gratiæ est causa expulsionis remissionisque culpæ, per modum causæ formalis; et exstirpatio vitiorum dicitur operari virtutum ingressum, per modum causæ materialis ac dispositivæ.

Præterea dum quæritur, an motus liberi arbitrii præcedat gratiæ infusionem; dicendum, quod de ordine motuum horum liberi arbitrii ad gratiæ infusionem et ad culpæ remissionem, multiplex exstat opinio. B Nam aliqui dicunt, quod motus illi præcedunt, et quod motus liberi arbitrii in Deum, est motus fidei non formatæ; motus quoque liberi arbitrii in peccatum, est attritio : quia quod gratiam præcedit, non potest esse per gratiam informatum. Sed hoc esse non valet, quia in motu contritionis pœnitens justificatur, sicut in actu ablutionis baptismalis parvulus justificatur; tuncque homo justificatur, dum recipit gratiam : sicque simul cum gratiæ infusione et justificatione est motus contritionis. C Motus vero attritionis præcedit tanquam præparatorius. Nunc autem non loquimur de præparatoriis ad justificationem, sed de ingredientibus ejus essentiam. — Ideo quidam dicunt, quod gratiæ infusio præcedit motum liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ut eos valeat informare; culpæ vero remissio sequitur eos. Verum nec hoc esse potest, quoniam inter gratiæ infusionem et culpæ remissionem non cadit medium : quia hoc est ejus effectus primus ac principalis; et rursus, quoniam D sicut ad motum contritionis requiritur quod adsit gratia, ita quod absit culpa. — Hinc alii dicunt, quod gratiæ infusio et culpæ remissio præcedunt simpliciter motus prædictos. Quod tamen non videtur omnifarie verum, quoniam motus illi non requirerentur ad justificationem, nisi aliquam causalitatem respectu ipsius haberent.

Idcirco dicendum, quod gratiæ infusio et culpæ remissio aliquo modo præcedunt, et aliquo modo sequuntur motus præfatos.

Quod patet ex simili in generatione naturali, quæ alterationis est terminus. In eodem quippe instanti terminatur alteratio ad dispositionem quæ est necessitas, et generatio ad formam; et tamen secundum ordinem naturæ utrumque prius est altero aliquo modo, quoniam dispositio quæ est necessitas, præcedit formam secundum ordinem causæ materialis; forma vero est prior secundum ordinem causæ formalis. Sicque illa qualitas consummata, est etiam formalis effectus formæ substantialis, secundum quod forma substantialis est causa accidentalium. Ideo, quum motus isti qui sunt in justificatione impii, sint quasi dispositio ultima ad gratiæ susceptionem suo modo, præcedunt in via causæ materialis, et sequuntur in via causæ formalis : ideo possunt esse formati. — Postremo motus liberi arbitrii in Deum, directe correspondent gratiæ infusioni; motusque liberi arbitrii in peccatum, remissioni culpæ. Ideo eadem ratio est de ordine horum ad invicem, et de ordine remissionis culpæ ad infusionem gratiæ. — Hæc Thomas in Scripto. Concordat Petrus omnino, Richardus quoque easdem narrat opiniones, et in idem videtur incidere.

Albertus demum dictis concordans : Quatuor (ait) hæc simul sunt tempore, non natura; et prout habent se secundum prius et posterius natura, diversimode ordinantur, secundum quod natura diversimode sumitur. Ut enim secundo Physicorum habetur, materia dicitur natura, similiter forma, et item via naturæ, id est generatio. Atque secundum modum quo forma vocatur natura, quia forma est finis efficientis, id quod propinquius est efficienti in justificatione impii, prius est. Sicque infusio gratiæ primum est. Quumque ipsum esse gratiæ sequatur motio in Deum, ideo motus liberi arbitrii in Deum est secundum. Motus autem liberi arbitrii in peccatum est tertium, quoniam ad destructionem peccati operatur dissensus ac displicentia ejus, ne obex ponatur Spiritui Sancto. Quartum vero et ultimum remissio est peccati. Si vero incipiamus a natura quæ est materia seu subjectum, sic quum illud subjectum primo avertatur a peccato, et deinde convertatur ad Deum pro adjutorio, et tertio adjutorium gratiæ sortiatur, et sic quarto sequatur adjutorii hujus effectus, videlicet remissio culpæ; sic primum in hac via erit motus liberi arbitrii in peccatum, id est contra peccatum, videlicet ad illud detestandum et exstirpandum; secundum vero, motus liberi arbitrii in Deum; tertium, infusio gratiæ; quartum, remissio culpæ. Et istud potest quis experiri in se ipso. Si autem incipiamus a natura tertio modo sumpta, sic quum in motu seu mutatione illa primo sit terminus a quo est motus, et secundo ipsa via, ac tertio terminus ad quem; sic inter hæc primum natura est remissio culpæ; secundum, motus liberi arbitrii in peccatum; tertium, motus liberi arbitrii in Deum; quartum, infusio gratiæ. Hæc Albertus.

QUÆSTIO III

MOdo quærendum De proprietatibus justificationis impii, an sit miraculosa, imo et mirabilior totius mundi creatione; et an instantanea, ita quod in ea simul tempore, vel potius in eodem instanti sint infusio gratiæ atque remissio culpæ.

In hac quæstione, ut planum est, plura tanguntur.

Videtur quod justificatio illa non sit miraculosa. Miraculum namque est aliquid evidens, rarum et præter spem proveniens, ad fidei valens probationem, ut dictum est super secundum. Sed justificatio ista est dist. VII, q. 5. latens, et frequenter contingens ac sperata. — Nec videtur instantanea, quoniam multi successive, tarde ac remisse convertuntur.

In oppositum sunt quæ habentur in textu ex Augustino.

Ad hæc respondens Albertus : Mirabilis, inquit, est justificatio impii, ut dicunt magistri. Et ponunt mirabile quasi medium inter naturale large acceptum (pro omni illo quod fit cursu inferioris naturæ, et prout includit voluntaria a voluntate causata) et inter miraculum : ita quod deficit a ratione miraculi proprie sumpti, quia non accidit præter spem, nec raro; in aliis autem excedit cursum naturalium, quia secundum Augustinum, majus est de impio facere pium, quam creare cœlum et terram. Melius vero dicendum videtur, quod justificatio ista sit vere miraculosa ; et quamvis non sit præter spem gratiæ, est tamen præter spem naturæ. Insolitum quoque dupliciter dicitur, puta in causa et in effectu. Insolitum vero in definitione miraculi positum, intelligendum est de insolito in causa, quod scilicet non habet stantem et ordinatam causam ex qua proveniat. Quod patet ex eo, quia si centum defuncti resurgant, nihilo minus omnes illæ suscitationes miraculosæ dicuntur. Nec effectus vocatur miraculosus quia ad ipsum nullo modo concurrit aut cooperatur nostra facultas : sic namque partus Virginis miraculosus non esset; sed quia supernaturalis potestas principaliter et super naturam agit in ipso. Hæc Albertus.

Porro Thomas clarius loquens : De ratione (ait) miraculi secundum se sumpti sunt tria. Primum est, ut id quod fit miraculose, sit supra virtutem naturæ creatæ agentis. Secundum, ut in natura recipiente non sit ordo naturalis ad illius effectus susceptionem, sed solum potentia obedientialis ad Deum. Tertium, ut præter modum consuetum ille effectus inducatur. Exemplum primi est de gloria corporum in resurrectione, ad quam natura non attingit. Exemplum secundi, de illuminatione cæci nati, in quo non est naturalis potentia ad visum suscipiendum. Exemplum tertii, de conversione aquæ in vinum præter solitum cursum naturæ. Et hæc tria semper aliquo modo concurrunt ad actum miraculosum. Nam quamvis visiva potentia

A non excedit vires naturæ, absolute loquendo, quum per generationem eam inducat; excedit tamen vires naturæ pensata impotentia recipientis; et si adsit potentia absolute aliquando, quemadmodum in conversione aquæ in vinum, quod successive fit per naturam in vite; tamen quoad modum fiendi, est super naturam. Ideo in definitione miraculi ponitur arduum, quantum ad primum; et præter spem, quantum ad secundum; atque insolitum, propter tertium. Hinc effectus qui immediate est

B solum a Deo, attamen recipienti inest naturalis potentia ad recipiendum illum effectum non per alium modum quam per istum, non est miraculosus : ut patet de infusione animæ rationalis. Sic quoque est de justificatione impii, quoniam naturalis ordo inest animæ ad justitiæ rectitudinem consequendam, nec alio modo eam consequi potest quam a Deo immediate. Ideo justificatio impii non est miraculosa, sed potest aliquid miraculosum habere adjunctum, quod justificationi præparat viam.

C — Ideo præallegatum verbum Augustini intelligendum est quantum ad id quod fit: quia in creatione fit res secundum esse naturæ, quod est minus quam esse gratiæ, quod datur in justificatione. Sed quantum ad modum faciendi, difficilior est actus creationis, quia potentiam passivam non præsupponit. Verumtamen de creatione aliqui dicunt, quod non sit miraculosa, quia non est alius modus producendi res illas in esse.

Denique, simul et in eodem instanti sunt

D infusio gratiæ ac remissio culpæ. Expulsio etenim formæ dicit terminum motus illius qui ad corruptionem est ordinatus; et introductio formæ similiter dicit terminum motus illius qui generationem præcedit, quia tam generatio quam corruptio sunt termini motus. Omne autem quod movetur, quando est in termino motus, disponitur secundum illud ad quod motus ordinatur. Quumque motus corruptionis tendat ad non esse, generationis vero ad esse, quando forma introducitur, tunc est;

dum vero expellitur, non est. Et quoniam forma dicitur introduci quando primo est, et expelli quando primo non est; non potest materia esse sine forma hac aut illa. Hinc simul ibi sunt expulsio formæ unius et introductio alterius. Quum ergo similiter anima esse non valeat sine culpa vel gratia, simul in ea sunt gratiæ infusio atque expulsio culpæ.

Ex his patet, quod justificatio sit instantanea. Triplex quippe est modus formarum. Nam quædam recipiunt magis et minus secundum elongationem a suo contrario et secundum accessum ad propriam causam, sicut albedo. Ideo talis forma successive in subjecto recipitur, recepta quoque suscipit magis et minus. Aliæ formæ non recipiunt magis et minus, ut formæ substantiales, quarum inductio seu ratio est in indivisibili. Ceteræ formæ habent se medio modo : quoniam non recipiunt magis et minus secundum elongationem a contrario, quia contrario suo commiscibiles non sunt; suscipiunt tamen magis et minus secundum accessum ad suam causam, ut lux. Hinc tales formæ non suscipiuntur successive in subjecto, sicut nec formæ substantiales ; receptæ tamen possunt intendi ac remitti, sicut formæ habentes contrarium. Et talis forma est gratia : nullam enim commixtionem patitur cum suo opposito, quum illud sit magis privatio quam aliquid positivum, ut tenebra : ideo in instanti infunditur in quo et oppositum ejus expellitur. Nec justificatio dicitur motus, nisi motu communiter sumpto. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus, dicendo : Justificatio dupliciter accipi potest, sicut generatio. Primo, pro motu ad justitiam cum termino ejus; et ita aliquando fit successive, ut quando præcedit præparatio successiva. Secundo, pro solo termino, id est infusione justitiæ, seu pro illa mutatione sine motu; et ita fit in instanti, quum sit a virtute infinita, cujus est agere in instanti, et est in subjecto simplici, puta in mente, et tam forma quæ expellitur, ut macula culpæ, A quam forma quæ inducitur, scilicet gratia, simplex est. Itaque, in mutationibus quæ componuntur ex mutatione prævia et termino *ad quem*, non potest aliquid fieri simul et esse; sed in mutationibus simplicibus quæ consistunt in termino motus, potest. — Et si objiciatur, quod culpa et gratia non possunt in eodem instanti esse in anima; ergo aliud est instans in quo ultimo fuit ibi culpa, et aliud in quo primo inest gratia : respondendum, in his quæ tendunt ad non esse, non est dare B ultimum tempus in quo ultimo habent esse, sed primum instans in quo non sunt. Unde non est tempus in quo ultimo sit culpa, sed primum instans in quo primo non est, et in eodem primo est gratia. Hæc Petrus. In ceteris sicut Thomas.

Cf. p. 283 C et s., 284 B'.

In quibus videtur obscurum quod Thomas et ipse ac alii quidam affirmant, justificationem impii non esse proprie miraculosam. Nempe eadem ratione nec glorificatio electorum in patria esset miraculosa, quum et intellectuales creaturæ beatitudinem naC turaliter appetant : et sicut tam gratia quam gloria est aliquid supernaturale, ita utriusque infusio sive collatio. Rursus, quamvis animæ insit naturalis ordo tam ad rectitudinem quam ad gloriam obtinendam, non tamen ad supernaturalem rectitudinem et gloriam, neque ad supernaturalem felicitatem et gratiam, respectu quarum est in potentia obedientiali, non naturali.

Solutio etiam qua solvunt auctoritatem B. Augustini, dicendo quod ideo majus est D justificare impium quam creare cœlum et terram, quoniam esse gratiæ dignius est quam esse naturæ, non videtur idonea : quoniam eadem ratione sequeretur, quod omnis operatio qua Deus largitur cuicumque esse supernaturale, esset majus seu major effectus quam creatio mundi. Sicque non tantum justificatio impii, sed etiam parvuli in Baptismo, esset majus quam creatio universi. Quod quamvis aliquo modo possit concedi, non tamen videtur simpliciter concedendum. Nec Au-

gustinus hoc dicit, neque communiter A
dicitur; sed de justificatione impii specialiter dicit hoc Augustinus, specialique ratione : quoniam in ipsam voluntatem directe immediateque agere, et ipsam ad libitum immutare, atque de malo culpæ in bonum gratiæ ac virtutis transferre, videtur quid majus quam ipsa creatio. Unde et Origenes ac Hieronymus protestantur, quod ejectio illa qua Christus potestative
Matth. xxi, 12. ejecit vendentes et ementes de templo,
Joann. xi. fuit majus miraculum quam resuscitatio
Lazari, et satiatio quinque millium homi- B
Matth. xiv, 19, 20. num ex quinque panibus et piscibus duobus : quoniam admirabilis operatio illa in animas, atque tot hominum ingenia ac voluntates compescere ac subito immutare, majus fuit quam in corporibus supernaturalem revivificationem ac multiplicationem peragere. Nec his obviat, quod supernaturalis hæc justificatio impii nequit aliter fieri nisi a Deo : quia nec illuminatio cæci nati fieri valet nisi Omnipotentis virtute; nihilo minus ipsa est miraculosa. C

Istud quoque probatur. Primo, major est suscitatio a morte spirituali quam corporali; sed resuscitatio a morte corporali miraculosa censetur : ergo plus illa. Secundo, resurrectio corporum erit miraculosa : ergo potius resurrectio seu justificatio animarum per gratiam, ac glorificatio earumdem per beatificam divinæ essentiæ visionem. Tertio, in justificatione impii major est resistentia quam in mundi creatione : quia liberum arbitrium vitiis assuefactum inclinatur ad malum, et gratiæ D
ac bonis instinctibus frequenter renititur. Propter quod orat Ecclesia : Nostras ad te etiam rebelles compelle propitius voluntates. — Verum ad hæc quidam respondent, dicentes ad primum, quod non est simile : quia in corpore mortui non est jam ordo naturalis ad vitam corporalem, sicut in peccatore ad vitam spiritualem. Et ad secundum, quod in corporibus suscitandis in fine nulla præparatio activa præcedet, sicut in anima peccatoris. Sed his rursus objicitur, quod in anima separata manet naturalis inclinatio et unibilitas quædam ad corpus. Corpus quoque cooperando et communicando animæ in bonis aut malis, meruit animæ conglorificari aut condemnari, ac per consequens reuniri. Sicque secundum ordinem justitiæ ac providentiæ Dei, manet in corpore ordo quidam ad reunionem cum anima.

Porro Richardus concedit, quod justificatio impii sit supernaturalis, non tamen miraculosa. Verum de usu nominis non est immoderantius contendendum, cognita rei veritate. Et tamen præparatio qua voluntas se præparat, est sæpe effectus admirabilis providentiæ ac omnipotentiæ, et ipsam justificationem reddit mirabiliorem. Fatetur quoque, quod justificatio impii sit instantanea, et addit quod omnis motus seu actus animæ rationalis in quantum rationalis, est in instanti et totus simul, quum sit spiritualis et simplex. — Postremo [consentit] etiam Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto.

QUÆSTIO IV

Consequenter quæritur **De contritione, quid sit, et quomodo differat ab attritione et compunctione; et utrum de omni peccato necesse sit conteri; et de proprietatibus veræ contritionis, an scilicet sit maximus dolor; et de assiduitate, frequentia ac continuitate ipsius; an etiam conscius sibi de mortali peccato, teneatur mox conteri.**

De his scribit Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Contritio, inquit, est dolor de peccatis. Circa quod quæritur, quare hic dolor non sit unum de septem donis Spiritus Sancti, quum tamen de peccatis dolere sit donum Dei et meritorium valde; præsertim quum et Spiritus Sanctus dicatur columba, seu per columbam

designetur : quoniam facit nos gemere pro A peccatis, postulatque pro nobis gemitibus *Rom.* VIII, 26. inenarrabilibus. Respondemus, quia (ut ait Ambrosius) Spiritus Sanctus fluvius est, et septem dona ejus sunt septem rivi puri ac splendidi, terram nostri cordis irrigantes, purgantes ac fecundantes, atque a septem peccatis mortalibus emundantes, ita quod contra unumquodque mortalium vitiorum specialiter est deputatum unum septem donorum. Dolor autem de peccatis, qui vocatur contritio, non est specialiter contra aliquod eorumdem, sed generaliter con- B tra omnia illa, imo adversus universa peccata mortalia : idcirco non ponitur unum speciale donum inter septem illa. Hoc pœnitentiali dolore scinditur cor pœnitentis, et vestis rumpitur iniquitatis, ita quod cordis aufertur duritia, et palliatio culpæ qua operitur peccator, destruitur. Peccator namque est omnino carnalis ; Sancti vero in patria omnino sunt spirituales ; devoti autem ac pœnitentes in via, partim carnales et partim spirituales consistunt, et potest in eis magis ac magis conteri ac C mortificari carnalitas, juxta illud Apostoli, *Coloss.* III, 5. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Hujus carnalitatis, id est carnalis affectionis, exstirpatio, est emanatio sanguinis qui exire debet ab anima, Augustino dicente, quod timor est carnifex animæ, qui ejus excessus debet torquere atque ulcisci, donec sanguis ejus egrediatur ab ea, id est carnalitas ista, et omnis sensualis affectio. Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto.

At vero Albertus inquirit, qualiter di- D stinguantur contritio, attritio, et compunctio ; et utrum attritio fieri queat contritio. Respondet : Quemadmodum communiter dicitur, attritio est dolor de peccatis, non procedens ex caritate et gratia ; contritio vero dolor de peccatis, ex caritate et gratia profluens. Compunctio autem videtur esse in plus quam contritio, quia est dolor tam pro peccatis, quam ex tædio incolatus hujus exsilii, seu desiderio æternæ felicitatis ; et hæc est una differentia earum. Alia est, quia compunctio proprie dicit dolorem pœnitentiæ secundum quod pungit pœnitentem ; contritio vero dicit eumdem secundum quod peccatum annihilat iteratum per singulas differentias culpæ, sicut in re exteriori fit contritio corporalis seu fractio, quando fit ictus super singulas ejus partes divisas. Meo quoque judicio unus et idem dolor in substantia potest esse attritio et contritio, sicut idem in re est fides informis et fides formata : nam dolor qui non inchoatur ex caritate, potest ex caritate continuari. Puto tamen, quod naturalia non fiunt gratuita ; sed dolorem qui est attritio, non reor esse de naturalibus, sed donum Spiritus Sancti informe, sicut est timor servilis, qui etiam a quibusdam dicitur fieri initialis. — Prima demum differentia inter contritionem et compunctionem nunc tradita, habetur ex duabus Glossis super illud in Psalmo : Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubi- *Ps.* IV, 5. libus vestris compungimini. Quarum una dicit : In cordibus vestris compungimini dolore pœnitentiæ, quatenus se ipsam puniens anima compungatur, ne in judicio Dei damnata torqueatur. Alia autem Glossa sic habet : Compungimini, id est, quasi quibusdam stimulis excitate vos, non solum pro peccatorum dolore, sed et ad videndum lucem Christi ; non solum pro irriguo inferiori, sed et pro irriguo superiori, quatenus invisibilium amore inardescatis. Verumtamen unum horum pro alio frequenter accipitur.

Definitur quoque contritio ita communiter : Contritio est dolor voluntarius pro peccatis, semper puniens in se quod dolet se commisisse. Isidorus vero definit sic : Contritio est compunctio de peccatis ex timore judicii. Alii vero sic : Contritio est dolor cum lacrimis, ex recordatione veniens peccatorum. Quæ omnes descriptiones sunt bonæ. Nam quamvis tres sint partes pœnitentiæ, attamen esse pœnitentiæ salvatur potissime in prima parte, quæ est contritio, quoniam hanc actualiter esse oportet in omni pœnitentia ; aliæ vero duæ

partes interdum sunt tantum in voluntate A vel voto. Dicitur autem contritio, Voluntarius dolor, voluntate deliberativa : quia et ipse dolor sponte assumitur pro peccato, ut puniatur ; et voluntati placet, in quantum est curativus et expulsivus peccati. Verum contra hoc quidam objiciunt, quia secundum hoc dolor contritionis non esset voluntarius per se, sed per accidens : quod inconveniens reputant. Ego autem reputo inconveniens, quod aliquis dolor per se appetibilis asseratur, quum omnis dolor sit malum pœnæ, et nulla pœna in quantum B hujusmodi, sit optanda. Dicitur item contritio, Semper puniens, non actu, sed habitu, vel actu seu omni tempore opportuno. Et quod additur de lacrimis, accipiendum est de lacrimis voluntatis, quamvis aliquando fluant etiam lacrimæ corporales, quæ tamen necessario non requiruntur, sed sunt signum et effectus contritionis. — Denique contritio consideratur dupliciter. Primo, quoad essentialia sua, quæ sunt voluntarius dolor atque punitio sui, propriumque objectum, quod est peccatum. Et C juxta hæc datur definitio prima. Secundo consideratur penes accidentalia, quæ variantur : aut enim sunt in actu, aut in comparatione ad aliquid, puta ad causam excitantem ad conterendum, aut in comparatione ad effectum, vel in comparatione ad virtutes juvantes in actu, quoniam una virtus adjuvat aliam. Et juxta hæc aliæ descriptiones contritionis diversificantur. — Hæc Albertus.

Qui insuper circa hæc multas efficit quæstiones, videlicet in qua parte seu po- D tentia animæ sit contritio, et utrum eodem modo fuerit in veteri Testamento sicut in novo : de quibus quum faciles sint, transeo. Certum est namque, quod contritio ista pœnitentialis et sacramentalis sit in superiori vi appetitiva, et fuit in veteri lege sicut et nunc, quantum ad suam essentiam et interiorem dolorem. Confessio autem et satisfactio non fuerunt tunc sicut nunc sunt : quia non fuit tunc sacramentalis confessio ut est modo, sicut dicetur.

Præterea, Thomas respondendo ad istud, utrum contritio sit dolor : Initium *Eccli.* x, 15. (inquit) omnis peccati exstat superbia, per quam homo sensui suo inhærens, a mandatis recedit divinis. Hinc oportet ut illud quod destruit peccatum, faciat hominem a sensu suo discedere. Qui autem in suo sensu perseverat, durus ac rigidus appellatur. Unde et frangi dicitur, quando a sensu suo avellitur. Sed inter fractionem et comminutionem seu contritionem in rebus materialibus, ex quibus hæc nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest, ut quarto Meteororum habetur, quod frangi dicuntur quæ in magnas partes dividuntur, comminui autem seu conteri quæ in partes minimas rediguntur. Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quod homo totaliter affectum peccati dimittat, per quem quamdam continuitatem et soliditatem in suo habebat sensu : hinc actus quo peccatum dimittitur, contritio nuncupatur.

In qua contritione plura possunt considerari, puta : substantia actus, modus agendi, principium et effectus. Sicque de contritione diversæ definitiones sunt traditæ. Nam quantum ad substantiam actus, datur definitio illa : Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi. Quumque contritio sit actus virtutis, et pars Pœnitentiæ sacramenti ; ideo in definitione hac manifestatur in quantum est actus virtutis, per hoc quod ponitur genus ipsius, quod est, Dolor ; et objectum, quum subditur, Pro peccatis ; electio quoque quæ requiritur ad actum virtutis dum additur, Assumptus ; atque in quantum est pars sacramenti, dum subjungitur, Cum proposito confitendi et satisfaciendi. Alia quoque definitio invenitur, quæ definit contritionem secundum quod est actus virtutis tantum ; sed additur ad prædictam definitionem differentia contrahens ipsum ad specialem virtutem, utpote pœnitentiam. Dicit enim, quod pœnitentia est dolor voluntarius pro peccato, semper puniens quod dolet se commisisse. Alia est Isidori, de qua dictum *Cf.* p. 457 D'.

est. Tertia sumitur ex verbis Augustini, A qui tangit effectum contritionis, videlicet: Contritio est dolor remittens peccatum. Quarta ex verbis Gregorii ista est : Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum, inter spem et timorem. Et hæc tangit rationem nominis in hoc quod dicit, Contritio est humilitas spiritus; et effectus ejus, quum subditur, Annihilans peccatum; atque originem ejus, addendo, Inter spem et timorem. Idcirco non solum ponit causam principalem, quæ est timor, sed et secundariam, quæ est spes, sine qua timor B desperationem inducere posset.

Si autem objiciatur, quod dolor non est nisi de præsenti malo, peccatum autem tempore contritionis præteritum est; dicendum, quod adhuc aliquo modo præsens est, quantum ad suos effectus et ad reatum ac maculam, atque ad temporis ac innocentiæ amissionem. Excitat quoque peccatum dolorem, secundum quod in memoria et consideratione præsentialiter manet. Potest etiam dici, quod sicut memoria prout est in parte intellectiva, est non so- C lum præteritorum, sed item præsentium, ita dolor, qui est in appetitu intellectivæ partis, potest esse et præteritorum et præsentium. — Præterea, quamvis tota pœna peccato debita, possit per contritionem dimitti, tamen adhuc necessaria est confessio et satisfactio : tum quoniam homo non est certus de sua contritione, quod fuit sufficiens ad totam pœnam delendam, imo nec de hoc quod fuit vera contritio, sicut nec de hoc quod sit in caritate ; tum quia confessio et satisfactio sunt in præcepto : D idcirco transgressor fieret qui eas omitteret, quum est facultas ad eas.

Ex his constat, quod contritio prout nunc sumitur, est actus virtutis, videlicet actualis dolor de culpa in superiori vi appetitiva. Quemadmodum enim inflatio propriæ voluntatis ad male agendum, designat malum ex genere; sic annihilatio et comminutio voluntatis illius importat bonum ex genere, quod est detestari propriam voluntatem, qua peccatum commissum est. Sicque contritio hoc designans, dicit rectitudinem voluntatis et actum virtutis. Verumtamen in contritione duplex est dolor de peccato : unus in parte sensitiva, et est appetitus sensitivi passio, non essentialiter ipsa contritio prout est actus voluntatis atque virtutis. Quemadmodum enim virtus pœnitentiæ exteriorem pœnam corpori pœnitentis infligit, in recompensam culpæ in Deum commissæ per corpus; sic et vi concupiscibili infert pœnam sensitivi doloris, quia et ipsa ad peccatum cooperabatur. Attamen dolor iste potest pertinere ad contritionem ut est pars sacramenti : quoniam sacramenta non solum in interioribus actibus, sed etiam in exterioribus et sensibilibus rebus consistunt. Alius dolor est in voluntate, qui nil aliud est quam displicentia de peccatis, secundum quod voluntatis affectus exprimitur per nomina passionum. Nec oportet dolorem superioris appetitus esse aliunde inflictum, quum appetitus ille activus sit in se ipsum. — Porro attritio dicit accessum ad perfectam contritionem. Unde in corporalibus dicuntur attrita quæ aliqualiter, non totaliter, sunt comminuta. Hinc attritio in spiritualibus significat quamdam displicentiam de peccatis, non plenariam et perfectam. — Contritio demum secundum se considerata, semper fuit eodem modo in lege naturali et scripta ac evangelica : nam sicut peccatum futurum oportet semper eodem modo vitare, ita et de commisso dolere. Sed prout importat ordinem ad alias pœnitentiæ partes, non exstitit semper eodem modo, quoniam illæ partes non semper eodem modo fuerunt.

Insuper de hoc, an attritio fieri possit contritio, est duplex opinio. Una quod imo, quemadmodum fides informis fit formata. Quod non videtur, quoniam quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis formatus efficitur, quoniam actus ille informis transit nec manet caritate adveniente. Contritio autem et attritio dicunt actum, non habi-

tum : habitus quippe virtutum infusarum qui voluntatem respiciunt, nequeunt esse informes, quum caritatem consequantur. Hinc antequam gratia infundatur, non est habitus a quo actus contritionis postea eliciatur. Sicque attritio nullo modo fieri potest contritio; et hoc secunda tenet opinio. A

Quod si objiciatur, quod materia recipit perfectionem, privatione remota; sed dolor se habet ad gratiam sicut materia ad formam, quoniam gratia informat dolorem : ergo dolor qui prius fuit informis, culpa inexsistente, quæ est privatio gratiæ, remota culpa accipiet perfectionem informationis a gratia. B — Præterea, id quod totum esse speciei suæ habet in instanti, manet idem in diversis instantibus temporis, sicut esse hominis est idem in primo instanti generationis, et in omnibus sequentibus; sed motus liberi arbitrii est hujusmodi, sicut jam patuit (*Cf. p. 452 A'.*) : ergo potest manere idem numero in diversis instantibus, sicque est idem numero cum gratia et sine gratia, et ita idem motus seu actus liberi arbitrii qui prius fuit informis, fit deinde formatus, et sic attritio fit contritio. C

Dicendum ad primum, quod remota privatione a materia quæ manet, adveniente perfectione formatur materia illa; sed dolor ille qui fuit informis, caritate adveniente non manet : ideo informari non potest. Vel dicendum, quod materia non habet essentialiter originem a forma qua informatur, sicut actus ab habitu quo formatur; ideo non est inconveniens materiam informari aliqua forma de novo, qua prius non informabatur : quod impossibile est de actu, quemadmodum impossibile est quod aliquid idem numero oriatur a principio a quo prius non oriebatur, quia res semel tantum in esse procedit. D — Ad secundum, quod quamvis actus intellectus ac voluntatis habeant totum esse suæ speciei in instanti, sicut res permanens; tamen per accidens tempore mensurantur, secundum quod causæ suæ variabiles sunt. Sic enim esse hominem tempore mensuratur, et quamdiu causæ esse hominis manent eædem, et ipsum esse manet; causis vero mutatis, mutatur illud esse, priori destructo. Sic et mutata dispositione voluntatis, quæ talem actum causabat, mutatur et transit ille actus. — Hæc Thomas.

Quibus objici potest, quod juxta præhabita, idem actus quantum ad esse naturæ, potest primo informis esse, deinde formatus, sicut ex Bonaventura, Richardo et aliis est probatum (*Cf. lib. III, dist. XXIII, q. 3.*); et talis actus idem numero manet, non tamen est idem actus quantum ad esse moris. Et hoc satis reor ostensum. — Denique, quod sanctus Doctor affirmat, habitus virtutum infusarum voluntatem respicientium non posse informes consistere, non videtur, quum et ipsemet in prima secundæ, quæstione sexagesima quinta, fateatur spem posse informem esse (*Cf. t. XXIII, p. 450 D.*), sicut et fidem : quam utique spem constat esse in voluntate, etiam secundum eum.

Insuper S. Thomas circa hæc plures movet quæstiones, videlicet : an homo debeat conteri de pœnis; an etiam de peccato originali; et utrum de omni actuali peccato, et de peccato etiam alieno, et de peccato futuro. Verum hæ quæstiones omnes aut pro maxima parte motæ sunt supra de pœnitentia (*dist. XVI, q. 1.*), cujus actus exsistit contritio, estque eadem solutio istarum quæstionum cum illis. De peccatis autem futuris potius esse debet cautio seu diligentia præcavendi quam contritio. De peccatis vero aliorum possumus et debemus dolere, non conteri, nec quilibet dolor est contritio, sed ille et talis ut dictum est jam (*p. 457 D'.*). De venialibus demum culpis debet esse contritio, sicut et pœnitentia, ut distinctione dictum est præcedente (*p. 428 A.*).

Insuper, dum quæritur, an de singulis peccatis mortalibus etiam oblitis oporteat conteri; eadem est quæstio cum ea qua quæritur, an de omnibus illis necesse sit confiteri : ad quod paulo post ponetur responsio, et nunc paululum potest tangi.

Itaque Thomas : Oblivio (inquit) de aliquo potest esse dupliciter. Primo, sic quod totaliter a memoria exciderit : et tunc non

potest aliquis inquirere illud. Secundo, sic A quod a memoria exciderit partim, sicut dum recolo me aliquid audivisse in generali, et nescio quid in speciali : tuncque requiro in memoria mea ad recognoscendum. Sic et peccatum dupliciter potest esse oblitum. Primo, sic quod in generali manet in memoria, non in speciali : et tunc homo debet recogitare ad inveniendum peccatum, quia de quolibet mortali peccato debet ac tenetur homo specialiter conteri, quantum potest. Si autem invenire non potest, sufficit de eo conteri secun- B dum quod in notitia tenetur; et debet tunc homo non solum dolere de peccato, sed et de ejus oblivione quæ ex negligentia contigit. Si vero peccatum ex memoria excidit penitus, tunc ex impotentia memorandi excusatur a debito, et sufficit generalis contritio, utpote de omni in quo Deum offendit. Verumtamen quando impotentia illa tollitur, ita quod peccatum ad memoriam revoeatur, tenetur specialiter de illo conteri : quemadmodum pauper qui non potest solvere quod debet, excusatur quando C non potest, et tamen tenetur quum primo potuerit.

Amplius, contritio potest considerari dupliciter, videlicet : quoad sui principium, et quoad terminum suum. Principium dico contritionis, ipsam cognitionem qua quis cogitat de peccato et dolet, etsi non dolore contritionis, saltem attritionis. Terminus autem contritionis est, quando dolor ille jam gratia informatur. Quantum ergo ad principium contritionis, oportet quod sit de singulis peccatis quæ quis in memoria D habet; sed quantum ad terminum, sufficit quod sit una generalis contritio de omnibus. Tunc etenim motus ille agit in virtute omnium præcedentium dispositionum. Quamvis autem omnia peccata mortalia conveniant in aversione a Deo, attamen differunt in modo et causa aversionis, atque in quantitate elongationis ab eo : et hoc est secundum diversitatem conversionis. — Hæc Thomas.

Consonat Petrus : In omni (dicens) peccato mortali est actualis aversio voluntatis a Deo ad peccatum; idcirco quum contraria curentur contrariis, oportet ut in omni remissione peccati mortalis, sit actualis aversio voluntatis a peecato ad Deum, quæ aversio vocatur contritio. Duritia quippe voluntatis manentis in peccato, non tollitur nisi per voluntatis fraetionem omnimodam, quæ nuncupatur contritio. — Porro dum homo omnino oblitus est culpæ suæ, sufficit contritio generalis; sed quando in parte recolit, debet conari ad recordandum atque dolendum in speciali : quod si non potest, sufficit generalis contritio. Hæc Petrus.

Qui insuper quærit, utrum de peccatis omnibus simul requiratur contritio, quum asserat Augustinus in libro de Pœnitentia: Pœnitentem oportet simul dolere de omni crimine. Respondet : Duplex est contritio, utpote specialis et generalis. Speeialis contritio, prout nunc sumitur, est dispositio remota ad gratiam : quia quamdiu homo de uno peccato sine alio conteritur, nondum justificationem meretur. Seeunda contritio est dispositio immediata ad gratiam; et hæc requiritur de omnibus simul in eodem instanti, sed non altera.

Et si quæratur, an requiratur coutritio et confessio distincta ac specialis de singulis peccatis; dicendum, quod Deus non requirit ab homine impossibile aliquid, sed possibile. Aut ergo potest haberi cognitio specialis vel ante communionem vel post, aut non potest. Si potest haberi, tunc etiam specialis confessio ac specialis contritio requiritur. Aut non potest, et tunc dico, quod sufficit generalis. Nempe in momento potest homo converti, sed in momento non potest homo de peccatis singulis conteri. Postmodum vero si habeat tempus, de eis conteri debet in speciali. — Hæc idem.

Consonat his Richardus, qui respondendo ad istud, an attritio fieri possit contritio, ait : Contritio dupliciter sumitur. Primo, pro actu elicito a virtute pœnitentiæ caritate formata : et ita attritio non potest fieri

Cf. p. 459 D'. contritio, sicut ostensum est. Secundo, pro A actu formato elicito, non mediante aliquo habitu, sed a pœnitentia informi, quæ postea caritate formatur, actu illo adhuc durante : et ita attritio fieri potest contritio. Nam quamvis sit simplex et instantaneus actus, tamen potest durare tamdiu quousque pœnitentia informis a qua elicitur, caritate formetur : per cujus formationem actus ille qui fuit attritio, fit contritio, quamvis elicitus fuit a pœnitentia exsistente informi. Hæc Richardus.

Qui etiam sciscitatur, an attritio ejus B qui facit quod in se est, necessario fiat quæst. 1. contritio. Ad quod respondet sicut superius, ubi quæsitum est, an facientem quod in se est, necesse sit recipere gratiam. — *Cf.* p. 451 C'. In præinductis continentur scripta Bonaventuræ de his.

At vero Albertus circa hæc sciscitatur, utrum contritio possit intendi seu augmentari. Videtur quod non, quia contritio dicit omnimodam rei destructionem et comminutionem ejus in minimas partes : non autem datur minus minimo. Et re- C spondet : Absolute dicendum, quod contritio potest intendi tam ex parte formæ quam materiæ. Nam gratia, quæ est causa contritionis, est major in uno quam alio; in eodem quoque gratia augetur et crescit : similiter virtus pœnitentiæ, cujus elicitus actus consistit contritio. Denique in contritione sunt tria, videlicet : dolor, gratia, et objectum doloris. Et quantum ad duo prima intenditur; sed quoad tertium est in minimo generis sui : quoniam omnes differentias mortalis peccati in morta- D rio cordis inventas conterit. Unde, quemadmodum contingit in mortario corporali, quod id quod conteritur, in pulverem redigitur; attamen fieri potest contritio illa pistillo majori vel minori, ictibus quoque fortioribus et debilioribus : ita spiritualiter in contritione semper conteritur culpa, quamvis inæqualibus gratia ac dolore. Idcirco non sequitur, si pulvis contritionis debilioris non est major quam pulvis ictuum graviorum, quod propter hoc activa contritio seu ictus pistilli non sit fortior in una contritione quam alia. Quamvis namque in effectu deletionis peccati non sit accipere minus, est tamen accipere magis et minus ex parte actionis conterentis, quæ est activa contritio, et ex parte passionis.

Secundo quærit, penes quid attendatur contritionis intensio seu augmentum. Respondet : Dicendum, quod causa intensionis contritionis est duplex, puta efficiens et præparans seu disponens. Causa ejus efficiens non videtur esse nisi Deus. Causa vero præparans in subjecto, est ex parte hominis ipsa mens ejus. Et concedo, quod gratia prævenit actualem dolorem qui est in contritione, sicut habitus actum quem informat. Itaque causam efficientem et sufficientem non habet contritio in subjecto, sed præparantem ac disponentem; et hoc sufficit intensioni, quando non deest efficiens : quemadmodum patet dum præsente combustivo æquali, major calor exardescit in arido ligno quam viridi.

Tertio sciscitatur, an contritio quantumlibet parva sufficit pro dimittendis peccatis quantumcumque multis et magnis. Respondet : Ad hoc non est difficile respondere. Dicendum est enim, quod in contritione minimus dolor dupliciter dicitur. Primo, ex parte passionis secundum sensum, sive actionis : quoniam pœnitens agit suum dolorem, et est causa ejus. Secundo, ex parte rationis. Si dicatur minimus secundum experientiam sensus, ille sufficit, dummodo sit vere dolor contritionis : quoniam ille dolor cum sua quantitate variatur potius secundum diversitatem complexionis pœnitentium, quam secundum quantitatem detestationis peccati. Si autem dolor dicatur minimus secundum rationem, dummodo salvetur in eo ratio doloris veræ contritionis; dico quod sufficit, quia (ut tactum est) in dolore contritionis tria attenduntur ac includuntur, videlicet : gratia informans, ipsa contritio seu dolor activus ac passivus, atque objectum doloris seu causa passionis. Contritio au-

tem per gratiam quantumcumque parvam habet vim quodammodo infinitam ad delendum peccata : ideo sufficit ad delendum peccata quantum ad totam culpam ac pœnam æternam, quamvis pœnitens maneat debitor pœnæ temporalis propter parvitatem doloris ut actionis ac passionis: quoniam dolor ille contritionis tantus posset esse, quod totam pœnam peccato debitam amoveret. Ideo melior est major quam minor dolor; attamen minimus sufficit. Sed quantumcumque sit parvus, oportet ut sit secundum mensuram et quantitatem suæ rationis seu speciei, ita ut plus doleat de peccato quo amissus est Deus, quam de amissione alicujus rei creatæ. Propter quod loquitur Jeremias : Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. — Hæc Albertus, qui de his plura quærit et scribit, sicut patebit.

Jer. VI, 26.

Porro Bonaventura : De contritione, ait, quantum ad quantitatem, primo quæritur, utrum necesse sit dolorem contritionis maximum esse; secundo, utrum possibile sit excessum cadere in illo dolore. De quantitate quippe contritionis ex parte gratiæ constat, quia contritio tantum est Deo accepta, quantum et gratia. Dicendum ad primum istorum, quod dum quæritur de quantitate doloris, dolor potest dici displicentia rationis, vel passio inde resultans in sensualitate. Accipiendo autem dolorem pro passione hujusmodi, non est necesse plus dolere de culpa quam de quocumque alio damno, quum non sit in cujuslibet hominis potestate. Talis etenim dolor non semper sequitur caritatem vel dilectionem, sed frequenter affectionem, atque affectio experimentalem cognitionem. Quumque non omnes habeant dilectionis divinæ experientiam, idcirco non ita sensibiliter dolent de peccatis : imo quod magis sensibiliter doleat quis de peccato quam de damno aliquo temporali, hoc perfectioni est congruum, non saluti necessarium.

Verum prout dolor iste vocatur displicentia rationis, sic dico, quod displicentia hæc mensuratur secundum quantitatem caritatis. Quantitas vero caritatis dupliciter accipi potest : primo, in se; secundo, in comparatione ad alios amores. Et primo modo sumpta, sic dico, quod est parva et major et maxima. In comparatione autem ad alios, dico, quod vindicat sibi in corde dominium, nec unquam est ibi nisi sit domina : ideo ad hoc quod aliquis habeat caritatem, necesse est quod super omnia diligat Deum, ita quod pro nullo damno vel commodo Deum velit offendere. Et ita intelligendum est de displicentia contritionis. Hinc peccatum oportet rationi in tantum displicere, quod nullo pacto, nullo commodo aut incommodo velit consentire vel consensisse in ipsum : voluntas namque quæ aliquo modo consentit peccato, justa non est. Unde sicut eum qui habet caritatem, non oportet simpliciter velle mori pro Christo, sed in casu in quo vel oporteret amittere caritatem aut vitam; sic quoque non teneor modo pro satisfactione peccati seu reconciliationis omnem pœnam sustinere, quia Deus non exigit hoc. Ideo sicut possum salvari non sustinendo martyrium, sic possum Deo reconciliari sine multis doloribus amissionis temporalium rerum.

Si vero quæratur de comparatione et præelectione, respondent aliqui et faciunt vim in hoc, quoniam potest intelligi respectu præteriti et futuri. Sed ego non video vim in hoc, quoniam justus et vere pœnitens ita detestatur peccatum præteritum quia factum, sicut futurum ne fiat; et ita peccatum est velle peccasse, sicut velle peccare. Hinc de peccati præteriti dolore ac detestatione dicendum, quod in casu quo oportet eligere et consentire aut in peccatum vel in complacentiam ejus, aut in pœnam, unusquisque tenetur magis eligere pœnam quam velle peccare aut peccasse. Præter casum vero necessitatis, dico, quod præeligere omnem pœnam est virtutis perfectæ; dubitare vero est infirmitatis, quoniam timor naturalis valde facit dubitare, et dubitatio ista simul stare potest cum caritate; præeligere vero cul-

pam alicui pœnæ, iniquum est, si ex deli- A beratione hoc fiat, quoniam omnis voluntas injusta est quæ vult peccatum absolute aut conditionaliter. Hinc periculosum et stultum est, ab aliquo infirmo seu pusillo interrogare hoc, aut etiam a se ipso, quoniam hoc est hominem tentationi exponere. Unde nec confessor debet hoc ab aliquo quærere confitente. Si vero confitens seu confessus ex se ultro se offerat, dicens se malle mori quam peccare, et malle mortuum fuisse quam peccasse, congaudendum est ei, quia hoc signum est bonæ B voluntatis.

Ad secundam demum quæstionem respondeo, quod in dolore contritionis non potest esse excessus quantum ad displicentiam et detestationem ac odium culpæ in ratione rationalique voluntate. Quantum vero ad passionem et abominationem redundantem in parte sensitiva, etiam raro aut nunquam exstat excessus ; attamen posset esse tantus dolor, quod humana infirmitas sine grandi detrimento ferre non posset : idcirco esset tunc temperandus. C Sed esto quod quis non temperaret, quia fortassis non adverteret, aut a fervore raperetur ; non puto quod peccaret, quia nec rei illicitæ operam daret. Si autem adverteret, temperandum consisteret. Hoc tamen consilium paucis necessarium est. Si autem non temperaret ex affectu gaudii vel consolationis, credo quod transcenderet metas virtutis. — Hæc Bonaventura.

Qui de augmento contritionis subjungit: Contritio est motus virtutis quantitatem D habens virtualem, quemadmodum pœnitentiæ virtus a qua elicitur. Itaque, sicut caritas fertur intendi quantum ad fervorem, et augeri quantum ad essentialem vigorem (quorum primum est a cooperatione liberi arbitrii, secundum ex influentia Dei) ; sic motus contritionis ferventior esse potest ex liberi arbitrii cooperatione : propter quod ex æquali gratia et virtute interdum elicitur motus contritionis ferventior, aliquando minus fervens. Proprie autem loquendo, non dicitur contritio major nisi virtute pœnitentiæ aucta.

Insuper respondens ad istud, utrum oporteat majorem habere contritionem de uno peccato quam alio : Dupliciter (inquit) contingit loqui de contritione. Primo, ut deletiva est culpæ. Secundo, ut deletiva est pœnæ. Et primo modo operatur in justificatione in instanti, nec sic actualiter potest habere ordinem et respectum ad peccata in speciali aut sigillatim : imo simul et in instanti est contra omnia simul quæ dimittuntur. Sed habitualiter respectum habet ad illa, habitualiterque disponit ad dolendum plus de uno quam alio ; quumque habilitet ad detestandum malum culpæ in quantum tale, ideo magis ad detestandum malum deterius. Loquendo autem de contritione in quantum deletiva est pœnæ, sic habet majorem et minorem intensionem, estque major de uno peccato quam alio. — Hæc idem.

Concordat Thomas : In contritione, dicens, est duplex dolor. Unus in voluntate, qui essentialiter est ipsa contritio, nec aliud est quam displicentia peccati præteriti. Qui dolor ceteros excedit dolores : quoniam quantum aliquid placet, tantum ejus contrarium displicet. Finis autem super omnia placet, quum propter ipsum alia desiderentur : ideo peccatum quod ab ultimo fine avertit, super omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore : vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum, vel ex electione, secundum quod homo pœnitens in se ipso habens dolorem, excitatur ut doleat de peccatis. Et his modis non oportet quod sit maximus dolor, quoniam vires inferiores vehementius moventur a propriis objectis, quam ex redundantia virium superiorum. Ideo quanto operatio virium superiorum est propinquior objectis virium inferiorum, tanto plus sequuntur earum motum. Ideo major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille qui in ipsa redundat ex ratione.

Similiter major est qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione spiritualia considerante. Hinc dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato, non est aliis doloribus ejus major. Similiter nec dolor in sensitiva parte ex electione assumptus : tum quoniam appetitus inferior non obedit superiori ad nutum illius, ut tanta passio vel afflictio sequatur in appetitu inferiori sicut superior ordinat; tum etiam quoniam passiones assumuntur in actibus virtutum secundum quamdam mensuram, quam dolor qui est sine virtute non servat aliquando, sed excedit.

Si autem objiciatur, quod pœna inferni plus displicet contrito quam culpa, ergo displicentia de peccato maxima non est; dicendum, quod quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ rei illius. Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, in quantum est ei indigna; et ex eo qui peccat, in quantum est ei nociva. Quumque homo plus debeat diligere Deum quam se ipsum, ideo plus debet odire culpam in quantum est offensa Dei, quam in quantum est sibi nociva. Est autem sibi nociva principaliter in quantum separat ipsum a Deo; atque ex hac parte ipsa separatio a Deo, quæ est quædam pœna, magis debet displicere quam ipsa culpa in quantum inducit hoc nocumentum (quia quod propter alterum oditur, minus oditur quam illud), sed tamen minus quam culpa in quantum est Dei offensa. Inter omnes autem pœnas attenditur ordo malitiæ secundum quantitatem nocumenti : ideo, quum hoc sit maximum nocumentum quo maximum bonum privatur, erit separatio a Deo maxima inter omnes pœnas. Est quoque alia mali quantitas accidentalis, quam oportet in displicentia attendere secundum rationem præsentis atque præteriti. Quod enim præteritum est, jam non est : ideo minus habet de ratione mali et boni. Inde est quod A plus refugit homo sustinere aliquid mali in præsenti seu in futuro, quam horreat de malo præterito. Unde nec aliqua passio animæ correspondet directe malo præterito, sicut dolor correspondet malo præsenti, et timor futuro. Hinc de duobus malis præteritis illud magis abhorret animus, cujus major effectus remanet in præsenti, vel in futuro timetur, etiamsi in præterito fuerit minus. Quumque præcedentis culpæ effectus quandoque non ita percipitur sicut effectus præteritæ pœnæ, B tum quia culpa perfectius sanatur quam quædam pœna, tum quia defectus corporalis magis est manifestus quam spiritualis; ideo homo etiam in se bene dispositus interdum magis percipit in se horrorem præcedentis pœnæ quam præcedentis culpæ, quamvis magis paratus esset pati eamdem pœnam quam eamdem committere culpam. Est rursus considerandum in comparatione pœnæ et culpæ, quod quædam pœnæ inseparabiliter habent conjunctam Dei offensam, sicut separatio a Deo; quæ- C dam etiam pœnæ addunt perpetuitatem, ut pœna inferni. Pœna ergo illa quæ Dei offensam habet annexam, ita judicanda est sicut culpa; illa vero quæ perpetuitatem addit, est simpliciter magis fugienda quam culpa. Verumtamen si ratio offensæ separetur ab eis, et consideretur tantum ratio pœnæ, minus de malitia habent quam culpa in quantum est Dei offensa : hinc minus debent displicere. Et quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non est tamen de istis tentandus : D quia affectus suos non de facili potest metiri, imo interdum quod minus displicet, videtur plus displicere, quia propinquius est sensibili nocumento, quod nobis est notius.

Porro dum quæritur, an iste dolor possit esse nimis magnus; dicendum, quod contritio ex parte doloris qui est in rationali parte, hoc est ex parte displicentiæ, non potest nimia esse; sed bene quantum ad dolorem sensibilem, etc., ut supra. — p. 464 B.
Hæc Thomas. Qui ad tertium, puta, an de

majori peccato debeat esse major dolor, respondet ut ex Bonaventura ostensum est. In his Albertus, Petrus, Richardus, Argentinensis ceterique communiter consonant.

Deinde quærendum, an contritio debeat esse continua, vel saltem assidua ac diuturna, et toto tempore vitæ præsentis durans. Videtur quod sic, quoniam sancti Patres testantur, quod omne tempus vitæ præsentis est pœnitentiæ deputatum. Et in Psalmo secundum aliam translationem
Ps. L, 5. habetur : Peccatum meum coram me est semper. Nec certitudinem habemus quod nobis dimissa sint. Multi quoque Sanctorum docuerunt, quod homo debeat sua peccata quasi in fasciculo quodam colligere ac oculis suæ mentis indesinenter proponere, ut ex illorum intuitu jugiter sibi vilescat.

Ad hæc Thomas respondet : In contritione duplex est dolor, unus in rationali
Cf. p. 464 C'. parte, alius in parte sensitiva, sicut nunc patuit. Et quantum ad utrumque, contritionis tempus est totus status vitæ præsentis. Nempe, quamdiu est homo in statu viæ positus, detestatur incommoda atque obstacula quibus a perventione ad terminum viæ impeditur aut retardatur. Quumque per peccatum præteritum cursus viæ nostræ ad Deum retardetur, quoniam tempus quod fuit deputatum ad currendum, recuperari non potest; oportet quod toto hoc tempore, contritionis maneat status quantum ad detestationem peccati. Similiter quantum ad dolorem sensibilem : nam quum homo peccando æternam meruerit pœnam, et contra Deum æternum peccavit, debet pœna æterna in temporalem mutata, saltem in æterno hominis, hoc est in toto statu vitæ manere præsentis. Propter quod dicit Hugo de S. Victore, quod Deus solvens hominem a peccatis, id est a culpa et pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati.

Denique in actibus virtutum non invenitur superfluum et diminutum, ut Ethico-
A rum secundo probatur; contritio autem est actus virtutis : non ergo potest in ea esse superfluum, nec quantum ad intensionem, nec quantum ad durationem, nisi secundum quod actus unius virtutis impedit alium magis necessarium pro tempore illo. Hinc quanto magis homo continue in actu hujus displicentiæ persistere poterit, tanto melius est, dummodo actibus aliarum virtutum vacet tempore suo sicut oportet. Passiones vero habere possunt diminutum atque superfluum, tam quantum ad intensionem,
B quam quantum ad durationem. Ideo, sicut passio doloris quam voluntas assumit in parte sensitiva, debet esse moderate intensa; ita et moderate debet durare, ne si nimium duret, homo in desperationem et pusillanimitatem et consimilia mala labatur.

Quæritur quoque, an animæ post hanc vitam de suis conterantur peccatis. Et respondendum, quod in contritione consideranda sunt tria. Primum est genus contritionis, quod est dolor. Secundum est
C contritionis forma, quæ est actus virtutis gratia informatus. Tertium est contritionis efficacia, quum sit sacramentalis et meritorius actus, et quodammodo satisfactorius. Animæ ergo beatæ contritionem habere non valent, quoniam carent dolore. Animæ quoque damnatæ contritionem non habent, quoniam etsi in eis sit dolor, gratia tamen carent. Animæ vero in purgatorio exsistentes habent contritionem gratia informatam, non tamen meritorie, quoniam non sunt ibi in statu merendi. In hac
D autem vita concurrunt tria hæc. — Hæc Thomas in Scripto.

Circa præhabita scribit Durandus : Pro vitando malo culpæ nullus debet eligere pœnam inferni, vel omnino non esse. Nec licitum est hoc, quoniam malum pœnæ nunquam potest eligi recte propter malum culpæ vitandum, nisi quia sine eo culpa non valet vitari, aut quia per tale malum pœnæ promovetur bonum virtutis et impeditur malum oppositum : quorum nullum est hic. Nullum etenim malum

pœnæ est necessarium ad malum culpæ A vitandum, nisi quod est materia virtutis oppositæ, sicut fortitudo est circa terribilia et tristia mortis. Sed pœna inferni non est materia alicujus virtutis. De puro quoque non esse id constat, quoniam destruit virtutem et subjectum virtutis. Nec etiam est licitum, quoniam malum pœnæ nunquam licite eligitur propter malum culpæ vitandum, nisi quia est promotivum virtutis oppositæ. Sed pœna inferni seu omnino non esse, nullam promovet virtutem. Hæc Durandus. B

Quibus objicitur, quia ex eis sequeretur, quod potius deberet quis velle in vitiis perpetue permanere, quam omnino non esse: quod nequaquam putandum est. Præterea, homo debet Deum in infinitum magis diligere quam se ipsum: ergo potius debet velle non esse, quam sine conversione, in contumelia, irreverentia et contemptu supergloriosissimi Creatoris vivere et durare. Rursus, melius (id est minus malum) esset omnino non esse, vel pœnis infernalibus cruciari, quam mortalibus vi- C tiis sordidari: quia quo major est sanctitas, dignitas et honorabilitas Dei, eo detestabilior, odibilior ac turpior est culpa mortalis. Hinc omne peccatum mortale est fugibilitatis immensæ, et malum culpæ incomparabiliter detestabilius ac fugibilius est quam malum pœnæ quod solum pœnale est. Unde et nunc loquor de pœna inferni solum ut est tormentum, non prout perpetuam a Deo aversionem, obstinationem in malo, et odium omnis boni vere honesti includit. Denique in Vitaspatrum D narratur, quod beatissimo patri nostro Antonio residenti in eremo angelus sanctus denuntiavit: Antoni, nondum pervenisti ad mensuram, id est perfectionem, coriarii illius in Alexandria. Quo audito, Antonius illum accessit, et dixit: Quæ est conversatio tua? Qui post longam sui ipsius humiliationem tandem respondit: Omni mane antequam operari incipio, rogo Deum, ut tota hæc civitas propter justitias suas salvetur, et ego solus propter peccata mea condemner; et hoc ipsum oro ex corde de sero, antequam pergo dormitum. Amplius, in Sapientiæ libro scriptum est: Cor iniqui cinis est, et terra supervacua *Sap.* XV, 10. spes illius, et luto vilior vita ipsius. Imo indignus est pane quo vescitur, terra quam calcat, aere quem inspirat, et totius obsequio creaturæ: imo morte temporali atque æterna est dignus; et ita zelo justitiæ potest eas appetere magis quam velle peccare. Hinc persuasiones illæ Durandi nullius vigoris sunt. Nam et malum pœnæ interdum necessarium est ex suppositione. Et breviter, absolute loquendo, multo melius justiusque consistit, et Deo plus placitum, iniquum pœnas pati gehennæ, quam impune peccare.

Postremo Antisiodorensis hic loquitur: Semper dolendum est de peccato, id est, bonum est semper dolere; non tamen continue, sed frequenter et horis statutis, eo modo quo ait Apostolus: Sine intermis- I *Thess.* V, 17. sione orate. Sicque intelligendum est quod loquitur Augustinus: Pœnitens doleat semper, id est omni tempore opportuno. Et ita Christianus se molere debet inter duas spirituales molas, hoc est, salubriter se annihilare, parvi pendere, et pro nihilo reputare. Quod si fecerit, intra rete diaboli non poterit detineri, quemadmodum minutissimæ bestiolæ pervolant, ubi capiuntur majores. Hæ autem molæ sunt spes et timor, ita quod spes veniæ tendit ac trahit sursum, ne desperes; timor autem judicii ac tormenti descendit ac trahit inferius, ne intumescas neque præsumas. Hæc Antisiodorensis.

Jam quæritur de effectibus contritionis, an remittat peccata, et gratiam causet, ac totam pœnam possit diluere. Videtur quod non, quia solus Deus dimittit peccata; nec vera habetur contritio sine gratia prævia, quum contritio sit dolor non informis, sed caritate formatus; et quantumlibet pœnitens gemat ac ploret, imponitur ei satisfactio aliqua in signum quod permanet debitor pœnæ.

Ad hæc Antisiodorensis in Summa, libro A quarto, respondet : Primus contritionis effectus est, liberare a vestigiis reliquiisque peccati, puta, obscuritate visus interioris, pronitate ad prava, infirmitate ad bona, *Joann.* XI, 44. et consimilibus, quæ significantur per institas quibus ligatus exstitit Lazarus, quando a Christo fuit resuscitatus. A quibus contritio liberat per modum causæ efficientis instrumentalis, ac meritoriæ; Deus autem est causa efficiens principalis. Secundus effectus contritionis est, satisfacere pro peccatis, in quantum ipsa in se B quædam pœna et dolor est. Tertius est pax et tranquillitas mentis, quia quo pœnitens magis se conterit, punit, exercet, eo majorem a Deo consolationem, spem confidentiamque sortitur. Quartus est absolutio a debitis pœnis, quia quo cordialior ac frequentior est contritio, eo plus tollit de pœnis infligendis pro vitiis : et ita sentit etiam per experientiam quamdam se pœnitens absolutum, et habet arrham præmii sui spiritualem jucunditatem, *Ps.* LXXXIV, 11. et osculantur se in eo justitia et pax. C Per luctum enim pervenitur ad cordis munditiam, et per munditiam ad pacem internam, atque per illam ad pacem æternitatis. *Matth.* IV, 17. Unde dixit Salvator : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hæc Antisiodorensis.

Hinc asserit Thomas : Contritio dupliciter consideratur. Primo, ut est pars pœnitentiæ. Secundo, in quantum est actus virtutis quæ pœnitentia nuncupatur. Et utroque modo operatur remissionem peccati, sed differenter : quia in quantum est pars sa- D cramenti, primo operatur ad remissionem *Cf.* p. 58 A. peccatorum instrumentaliter, sicut et alia sacramenta; in quantum vero est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati, eo quod dispositio est quasi necessitas ad justificationem. Dispositio autem ad materialem reducitur causam, si accipiatur prout disponit materiam ad recipiendum. Secus est de dispositione agentis ad agendum, quoniam illa reducitur ad genus causæ efficientis. Causa itaque dispositiva remissionis peccatorum potest esse ex pœnitente. — Quomodo autem remissio et contritio præcedunt gratiæ infusionem, et quomodo econverso, præhabitum est. quæst. 2.

Insuper, intensio contritionis attendi potest dupliciter. Primo, ex parte caritatis, quæ displicentiam parit peccati : sicque caritas tantum potest intendi in actu suo, quod contritio ex ea procedens, merebitur non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna. Alio modo, ex parte doloris sensibilis quem voluntas in contritione excitat ac producit : qui dolor quum sit pœna et quædam afflictio, potest in tantum intendi ac toties iterari, quod ad deletionem totius culpæ ac pœnæ sufficiat. Imponitur tamen satisfactio aliqua, quia incertum est confitenti ac confessori, an tanta fuerit illa contritio. — Hæc Thomas.

Qui consequenter respondet ad istud, utrum parva contritio sufficiat ad magnarum remissionem culparum : Contritio, inquiens, duplicem habet dolorem. Unum rationis, qui potest esse tam modicus, quod non sufficit ad rationem veræ contritionis : quemadmodum amor potest esse tam remissus, quod ad rationem non sufficit caritatis. Alium in parte sensitiva; et hujus doloris parvitas, contritionis non impedit rationem, quoniam ad contritionem essentialiter se non habet, sed quasi ex accidenti ei conjungitur, nec in nostra est potestate. Itaque dolor de culpa quantumcumque sit parvus, dummodo ad rationem sufficiat contritionis, delet omnem culpam : quia et caritatem includit, quæ cum mortali non potest stare peccato. Nihilo minus de majoribus peccatis oportet plus conteri, quia ex necessitate hoc sequitur, quod homo plus doleat de peccato graviori quam leviori, secundum quod magis repugnat divino amori, qui istum causat dolorem. Attamen si unus alius tantum haberet dolorem pro majori, quantum ipse pro minori, sufficeret ad remissionem illius culpæ. Hæc Thomas. — Concordant

Albertus, Petrus, Richardus, aliique communiter.

Bonaventura quoque, qui addit : Nunquam peccator potest se in tantum punire, quin majori pœna sit dignus secundum rigorem justitiæ. Quumque homo debeat sibi ipsi esse rigidus et aliis pius, nunquam se in tantum affligit per contritionem ut sit superfluum, dummodo valeat sustinere : imo totum est ei ad gloriæ cumulum. Contritio demum ratione displicentiæ peccati semper est necessaria, etsi non actu, saltem in habitu. Ratione vero gemitus et planctus sensibilisque doloris non semper necessaria est, maxime viris perfectis, qui audierunt voce interna cum
Luc. VII, 48. sacratissima Maria Magdalene : Dimissa sunt tibi peccata tua. Imo deinceps meditationem suam debent convertere ad contemplationem Deitatis atque dulcedinis patriæ Beatorum. Sed ante hunc statum, sanum consilium est peccata propria ante oculos assidue revocare cum gemitu et dolore. Displicentia vero peccati non semper dicit pœnam, imo frequenter magnam annexam lætitiam, dum homo considerat in se liberationem et gratiam tantam. Nam et dolor contritionis consolationem habet conjunctam ex spe remissionis ac præsentis purgationis. Hæc Bonaventura.

QUÆSTIO V

Ulterius quæritur, **An confessio sit de jure divino vel positivo, et necessaria ad salutem.**

Videtur quod sit de jure naturali, quia in omni lege, hoc est in lege naturali et scripta ac evangelica, fuit. Nam et Salomon
Prov. XXVIII, 13. protestatur : Qui absconderit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. — Primi quoque parentes vituperantur de hoc quod sua peccata non confitebantur, sed excusabant se. — Item videtur quod non sit necessaria, nam multi Sancti

A in eremis nunquam aut raro confitebantur.

In contrarium est, quod confessio est sacramentum evangelicæ legis, institutum a Christo, ad quod universi fideles opportuno tempore obligantur.

Ad hæc Thomas respondet : Passio Christi, sine cujus virtute ac merito nec actuale nec originale peccatum dimittitur, in nobis operatur per sacramentorum susceptionem, quæ ex ipsa efficaciam sortiuntur : ideo ad remissionem culpæ originalis *Cf.* p. 87 B'.
B et actualis requiritur aliquod sacramentum Ecclesiæ, actu susceptum, si adsit facultas tempore suo, vel voto, quando articulus necessitatis, non contemptus, sacramentum excludit. Hinc sacramenta quæ ordinantur contra peccata cum quibus salus esse non potest, sunt de necessitate salutis. Hinc sicut Baptismus, quo deletur originale peccatum, est necessarius ad salutem, ita et Pœnitentiæ sacramentum. Quemadmodum autem per hoc quod quis Baptismum petit, ministris Ecclesiæ sub-
C dit se, ad quos pertinet dispensatio sacramenti; ita per hoc quod confitetur, subjicit se ministro Ecclesiæ, ut per sacramentum Pœnitentiæ dispensandum ab illo, remissionem consequatur. Qui remedium contra iniquitatis morbum non adhibet, nisi ipsum agnoscat : quod fit per peccatoris confessionem. Confessio ergo requiritur ad salutem.

Porro dum quæritur, an confessio de jure sit naturali; dicendum, quod juxta præhabita, ipsa sacramenta sunt quædam fidei *Cf.* p. 48 B', 49 A, 86 D'.
D protestationes : idcirco oportet ea fidei esse proportionata. Fides autem est supra naturalis notitiam rationis : hinc et sacramenta, naturalis rationis dictamen excedunt. Quumque jus naturale sit quod non opinio genuit, sed vis quædam innata inseruit, ut Tullius ait : hinc sacramenta non sunt de jure naturali, sed divino, quod altius est, et quandoque etiam naturale vocatur, secundum quod cuilibet rei illud est naturale quod ei a suo Creatore imponitur. Proprie tamen naturalia dicuntur

quæ ex principiis naturæ nascuntur; supra A naturam vero, quæ Deus sibi reservat sine naturæ ministerio ac ordine peragenda, in operibus miraculorum aut revelationibus mysteriorum, seu institutionibus sacramentorum. Sicque confessio est de jure divino, non naturali. — Auctoritas ergo Salomonis et consimilia verba Scripturæ, loquuntur non de confessione sacramentali, sed de ea quæ fit coram Deo, quam et primi parentes reliquerunt se excusando.

Præterea ad confessionem modo tenentur fideles dupliciter. Primo, jure divino, B ex hoc quod est medicina : et ita non omnes ad confessionem tenentur, sed illi dumtaxat qui post Baptismum mortaliter peccaverunt. Secundo, ex præcepto Ecclesiæ jurisque positivi : et ita ad confessionem faciendam ad minus semel in anno omnes tenentur ex institutione facta in generali concilio sub Innocentio III, tum ut quilibet peccatorem se esse recognosceret, quoniam omnes peccaverunt et egent gratia Dei; tum ut cum reverentia majori communicent; tum ut subjecti suis pa- C storibus innotescant, ne inter oves lateat lupus.

Rom. III, 23.

Si autem quis sciscitetur, an cum aliquo valeat dispensari, ne confiteatur; dicendum, quod ministri in Ecclesia divinitus fundata ac ordinata instituuntur : ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum. Quumque Ecclesia fundetur in fide et sacramentis, ad ministros non pertinet novos fidei articulos edere, aut editos removere, nec nova instituere sacramenta, nec removere jam in- D stituta. Imo hoc est potestas excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum, institutor et caput. Hinc sicut Papa non potest cum aliquo taliter dispensare, quod sine Baptismo salvetur; ita nec sic, quod sine confessione salutem adipiscatur, secundum quod obligat ex vi sacramenti. Sed potest circa confessionem dispensare, secundum quod obligat ex præcepto Ecclesiæ, ut liceat alicui diutius confessionem differre quam ordinavit Ecclesia. — Hæc Thomas in Scripto. Qualiter autem a Christo institutum sit hoc sacramentum, etc., dictum est supra, secunda distinctione, quæstione de sacramentorum origine. quæst. 2.

Ulterius quærit, an homo conscius sibi de mortali peccato, teneatur mox confiteri. Et videtur quod imo, quia periculosum est medicinam differre vulnere jam inflicto; et specialiter, quia nescimus diem neque horam. Peccatum quoque quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud, secundum Gregorium. Propter quod Hugo fatetur : Si non est necessitas quæ prætendatur, dilatio non excusatur. — In oppositum est, quia si sic, omnes quasi modo continuo peccarent mortaliter confessionem differendo, et videretur Ecclesia quasi reprehensibilis, non informando filios suos de necessitate hac protinus confitendi.

Matth. XXV, 13.

Et respondet : Quum propositum confitendi annexum sit contritioni, tunc tenetur quis ad istud propositum, quando tenetur ad contritionem, videlicet quando peccata occurrunt memoriæ, præsertim in aliquo grandi periculo, atque in articulo in quo sine peccati remissione oporteret eum peccatum incurrere, sicut dum celebraturus esset aut communicaturus. Idcirco jussit Ecclesia semel in anno confiteri, quoniam jussit semel in anno communicare. Alio modo obligatur homo ad confessionem per se : sicque eadem ratio est de confessione et Baptismo, quia utrumque est sacramentum necessitatis. Ad Baptismum autem percipiendum non tenetur quis statim dum habet Baptismi propositum, ita quod peccet mortaliter nisi protinus baptizetur; nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si differat Baptismum, peccet mortaliter. Potest tamen contingere, quod in dilatione Baptismi sit mortale peccatum, aut non. Et hoc pensandum est ex causa dilationis : quia (ut ait Philosophus septimo Physicorum) voluntas non differt exsequi volitum nisi ex aliqua causa. Unde si causa dilationis Baptismi peccatum mor-

tale habet annexum, ut si ex contemptu differatur, vel ut interim aliquis libidini vacet, dilatio erit mortale peccatum, alias non. Et idem videtur de confessione dicendum, quæ non est majoris necessitatis quam Baptismus. Et quoniam ea quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere; ideo si periculum mortis immineat, tenetur homo per se ad confitendum. Hinc probabilis videtur illa opinio, quod non tenetur homo statim confiteri, quamvis sit periculosum differre.

Alii dicunt, quod tenetur contritus mox confiteri, debita opportunitate oblata, secundum rectam rationem. Nec obstat, quod Decretalis præfigit tempus, ut semel fiat in anno : quia hoc statuit non dilationem indulgens, sed negligentiam prohibens : idcirco per illam Decretalem non excusatur culpa dilationis in conscientiæ foro, sed excusatur a pœna quantum ad forum Ecclesiæ, ut debita sepultura non privetur si morte præveniatur. — Sed hoc nimis durum videtur, quia præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum : non ex hoc quod tunc commode possunt impleri, quia sic peccaret dives mortaliter, si petitus non daret eleemosynam quandocumque pauper deposceret, quod falsum est; sed ex hoc quod tempus urgentem necessitatem adducit. Ideo non oportet quod si statim opportunitate oblata non confiteatur, etiamsi opportunitas major non exspectetur, quis peccet mortaliter, sed quando ex articulo temporis, necessitas confessionis inducitur. Nec hoc est ex indulgentia Ecclesiæ, quod non teneatur sic statim, sed ex natura præcepti affirmativi : unde nec ante præceptum Ecclesiæ tenebatur quis statim confiteri. Aliqui vero dicunt, quod sæculares non tenentur ante quadragesimale tempus confiteri, quod est eis pœnitentiæ tempus; religiosi vero tenentur ad statim, quoniam totum tempus est eis pœnitentiæ tempus. Sed hoc nihil est, quoniam religiosi non tenentur ad alia quam

A alii homines, nisi ad quæ se ex voto obligarunt. — Hæc Thomas.

Circa hæc Petrus breviter ait : Confessio duplex est. Una mentalis, quæ fit Deo; et hæc est de jure naturali. Alia vocalis, quæ fit homini; hæc non est de jure naturali. Et ista est duplex : una generalis et indistincta, ad quam tenebantur in veteri lege in quibusdam, ut in sacrificiis certis; alia distincta ac specialis, ad quam non tenebantur tunc, sed nunc tenentur fideles. — Denique, regulariter non tenetur homo nisi B semel confiteri in anno, quoniam semel in anno, puta in Pascha, communicare tenetur. In quatuor tamen casibus tenetur et ante. Unus est ratione sacramenti sumendi aut administrandi. Secundus, ratione periculi, ut in articulo mortis. Tertius, ratione conscientiæ, ut si conscientia sibi dictet quod statim teneatur. Quartus, ratione dubii, ut si putet sibi infra annum non adfuturam copiam sacerdotis a quo possit absolvi. Hæc Petrus.

Idem Richardus, ex cujus scriptis verba C Petri evidentius clarent. Nam ait : Confessio mentalis Deo facienda, de naturali est jure; non autem vocalis, quæ fit sacerdoti : quoniam nihil est de jure naturali, nisi prima illa principia agibilium, quorum veritas ultro se offert naturali cognitioni practici intellectus, et ea quæ inde sequuntur per modum conclusionum mediate vel immediate. Ex illis autem principiis conclusionaliter sequitur, ut homo confessionem laudis exhibeat Deo corde ac ore; confessionem quoque propriæ culpæ mentalem, D per vitiorum suorum recognitionem ac detestationem. Sed propriarum culparum confessionem facere homini, sicut Christus instituit, ex illis principiis minime sequitur. Hæc Richardus.

Bonaventura vero de his paululum aliter sentiens : Dupliciter, inquit, est aliquid de naturalis dictamine rationis. Primo, in generali; secundo, in speciali. In speciali quidem, ut honorare parentes. In generali vero, naturalis ratio dictat ea quæ Evangelium superaddit, ut sunt opera supererо-

gationis, et aliqua sacramenta. Recognitio autem offensæ Dei est de dictamine naturalis rationis per fidem adjutæ. Quomodo (I Joann. IV, 20.) enim scit homo se offendere Deum, quem non videt, nisi in aliquo radio fidei hoc cognoscat? Quum autem per fidem hoc noverit, dictat ratio ut per mentalem culpæ recognitionem, a Deo veniam humiliter deprecetur. Vocalis autem confessio duplex est : una, quæ fit Deo; alia, quæ fit homini. Vocaliter Deo confiteri, dictat ratio naturalis non simpliciter, sed in casu, quando videlicet Deus hoc exigit, sicut exegit ab (Gen. III, 9.) Adam et Cain. (Ibid. IV, 9.) Vocaliter vero confiteri homini, non dictat natura nisi in generali, videlicet quod reconciliari Deo oportet omnibus modis quibus ipse instituit ac præcepit. Sicque natura, id est ratio naturalis, dictavit quod si Deus constitueret arbitrum inter se et peccatorem, illi esset confitendum in veritate. Hæc Bonaventura.

Quocirca sciendum, quod veritas horum dependet ex hoc, an naturali ratione valeat demonstrari, quod Deus gloriosus ac adorandus habeat distinctam atque omnimodam providentiam actuum humanorum, ita quod judex sit et remunerator eorum : (dist. XXXIX, q. 2.) de qua quæstione dictum est super primum. Apostolus autem ad Hebræos videtur (Hebr. XI, 6.) hoc fidei deputare : Accedentem (inquiens) ad Deum oportet credere quia est, et quia exquirentium se remunerator sit. Et constat, quod quantum ad simplices, hoc sit fidei tantum.

Insuper quærit Bonaventura, an confessio fuit instituta in lege scripta. Respondet : Duo sunt principaliter in confessione, propter quæ valde conveniens fuit confessionem institui. Primum est detectio et manifestatio propriæ culpæ, et iste est finis confessionis in se; secundum est reconciliatio peccatoris cum Deo, qui est principalior finis. Primo ergo fit confessio propter detectionem. Peccator quippe dum (Joann. III, 20.) male agit, odit lucem : ideo in reversione (Ephes. V, 11, 13.) ad justitiam, oportet redargui infructuosa opera tenebrarum. Quæ autem arguuntur, a lumine manifestantur. Quod fit per con-

A

fessionem sacramentalem : idcirco in ea lege institui debuit in qua est evidens manifestatio veritatis, quando videlicet Verbum et Sapientia Dei Patris factum est (Joann. I, 14.) caro, ut intelligibile fieret sensibile. Conformiter, quia in hac lege genus humanum per Verbum incarnatum Deo Patri est reconciliatum, decuit in eadem sacramentum confessionis institui, cujus legis principalis finis est reconciliatio jam præfata. Fit autem reconciliatio ista mediante humano arbitrio : idcirco confessio ista fit

B

homini, ut homo sit judex et arbiter inter Deum et homines. Arbiter etenim debet esse talis, quod manum possit ponere in utrumque. Nec talis potuit esse quousque Deus factus est homo; tuncque homo deificatus datus est nobis mediator et arbiter Christus, qui potuit mittere manum suam in Deum Patrem et homines, exsistens Deus et homo. Qui reliquit in Ecclesia successores vicarios, quos constituit arbitros et rectores populi sui, quibus auctoritatem reconciliandi concessit. Quumque auctori-

C

tas ista fuerit primum in Christo, nec in alio esse quivit antequam venit ille præcipuus mediator, per cujus incarnationem deificati sunt homines (quod solum factum est in evangelica lege); idcirco tunc solum institutum est confessionis sacramentum. Hæc Bonaventura.

Qui consequenter inquirit de sacramenti hujus institutione et obligatione. Et de institutione dictum est supra ex verbis ipsi- (dist. II, q. 3,) us. De obligatione vero scribit sicut nunc (p. 90 A et s.) introductum est.

D

Porro de tempore obligationis, an scilicet statim post peccati commissionem seu admissionem oporteat confiteri, disseruit : De confessione contingit loqui dupliciter : primo, quantum ad mentis propositum; secundo, quantum ad verbalem expressionem. Quoad primum, communiter dicitur, quod reus tenetur proponere confiteri, quando conteritur : quoniam sine proposito confitendi et emendandi non dimittitur culpa, sicut nec sine contritione. Ad hoc autem tenetur, quando recogitat culpam

suam, vel quando tempus se offert recogitandi, sicut in hora mortis et gravi periculo et communione, etc. Verum quando teneatur propositum hoc exsequi, diversimode opinantur diversi. Aliqui namque dicunt, quod quum actus confitendi non sit necessarius ad salutem, quia per contritionem et propositum confitendi homo justificatur, ita quod confessio solum est necessaria ex præcepto divino, nec Ecclesia exigit ante Pascha, nisi in specialibus causis prætactis, quod ideo non sit necessarium ante tempus hoc confiteri. Alii dicunt, quod sicut homo tenetur ad propositum confitendi, quando se offert opportunitas interior; ita tenetur ad opus seu actum confessionis, quando se offert opportunitas exterior. Nempe ut dicunt, propositum non est efficax, si non exit in opus, quando se offert opportunitas : et tunc opportunitas offert se, dum habet discreti copiam sacerdotis, ac sui peccati memoriam. Quæ harum opinionum sit verior, non est certum, estque difficile judicare.

Verum pro clariori veritatis cognitione, distingui potest de duplici obligatione prætacta. Quidam enim ad confessionem tenentur non ex propria culpa, sed solum ex institutione Ecclesiæ, sicut qui non habent peccatum mortale : et hi differre possunt confessionem usque ad Pascha. Alii confiteri tenentur non solum ex institutione Ecclesiæ, sed etiam propria transgressione : et de illis generaliter asserere quod valeant usque Pascha differre, periculosum mihi videtur. Similiter nimis durum videtur, quod teneantur confiteri semper quando se offert opportunitas. Ideo rationabiliter videtur tenendum hoc medium, quod opportunitas loci et temporis ac sacerdotis tripliciter potest se ante Pascha offerre. Primo sic, quod timetur ne unquam se offerat, ut dum quis graviter infirmatur : et tunc tenetur confiteri peccator. Secundo sic, quod major opportunitas exspectatur, vel quantum ad tempus, vel quantum ad sacerdotem : et tunc potest sine peccato differri. Tertio sic, quod nunquam ratio-

A nabiliter exspectatur opportunitas major, nec quantum ad tempus, nec quantum ad sacerdotem : sicque sine præjudicio videtur quod mox confiteri tenetur. Hinc aliter est censendum de religioso et laico. Religioso namque totum tempus vitæ est tempus pœnitentiæ : idcirco, ut credo, tenetur post mortale mox confiteri. Laicus vero præstolari potest usque ad Quadragesimam, quod est laicis pœnitentiæ tempus : idcirco est eis plus opportunum ad confitendum et satisfaciendum. De clericis au-
B tem judicare non audeo. Verumtamen pro omnibus sanum puto consilium, ut quam citius poterunt, confiteantur, quum sibi conscii fuerint de mortali non confesso : non enim videtur vere contritus qui tanto tempore vulnus peccati portat, illud occultans. — Si vero objicias, quod status non obligat nisi per votum ; respondeo, quod status non obligat ita, sed mandatum omnibus datum. Ad nunc autem vel tunc obligat opportunitas, quæ diversis diversimode offert se. — Hæc Bonaventura.

C In præhabitis continentur sententialiter scripta Alberti de his. Qui tamen aliter respondet ad istud, utrum confessio sit de jure naturali aut positivo : Jus (dicens) naturale dupliciter capitur. Primo dicitur jus naturale, quod natura seu ratio humana dictat esse agendum. Secundo, id quod constitutum est a natura naturante : et ita est de jure naturali quidquid continetur in nova ac veteri lege. Sic quoque de jure naturali est ipsa confessio.

De hoc demum scribit Argentinensis :
D Confessio tripliciter fieri potest. Primo mentaliter, et ita a principio fiebat Deo. Secundo cærimonialiter, et ita in lege Moysis confitebantur sua peccata, ipso facto cærimoniali, per sacrificia certa quæ pro certis excessibus Domino offerebant. Sic et sacerdos positis manibus suis super ca- *Lev.* XVI. 21.
put hirci offerendi, confitebatur omnes iniquitates filiorum Israel, ut patet in Levitico. Tertio vocaliter, sicut in evangelica lege. Christus namque discipulis suis auctoritatem solvendi atque ligandi donavit.

Sicque ex institutione divina fit hominibus confessio sacramentalis, quamvis Joannes glossator videatur sentire contrarium, de Pœnitentia, distinctione quinta : ubi pluribus opinionibus recitatis, de institutione confessionis ponit suam, dicendo confessionem institutam quadam generali ordinatione Ecclesiæ magis quam auctoritate novi aut veteris Testamenti. Quod probat, quia confessio non est necessaria apud Græcos. Sed ut constat ex dictis, opinio illa est falsa. Græci quoque confiteri tenentur, quamvis ex prava consuetudine confessio apud eos in desuetudinem forsitan venit, sicut et apud alios quosdam Romanæ Ecclesiæ non obedientes. Hæc Argentinensis.

Postremo Durandus in his scriptis Thomæ omnino concordat. Scotus quoque communi doctrinæ consentit, et tenet quod non oporteat post lapsum in mortale statim confiteri, nisi in casibus supra dictis, inter quos numerat casum quo quis ad publicum bellum est processurus, aut transfretaturus ubi naufragii exstat periculum, seu aliud quodcumque acturus sive passurus in quo mortis consistit discrimen. Valde quoque reprehendit ac reprobat opinionem illam Joannis juristæ, et dicit hoc omnino esse incertum aut potius falsum quod ait, Græcos non confiteri. Nec aliquis doctor super hunc quartum hoc refert ; neque doctores qui contra errores Græcorum scripserunt, hunc eis adscribunt errorem. Quod verisimiliter facerent, si sic esset : quoniam esset valde detestabilis error. Et dato quod quidam Græcorum ita sensissent, non tamen omnes communiter.

Cf. p. 470 C', 471 B'.

Præterea, de eo quod modo quæsitum est, an pœnitens teneatur statim confiteri, scribit Henricus quarto Quodlibeto : Pœnitens si statim ab hora pœnitentiæ habeat sacerdotem paratum cui possit confiteri : aut exspectat tempus confitendi magis congruum sibi ac opportunum, secundum diversas circumstantias quæ ad confitendum requiruntur, aut non. Si non, dico quod statim confiteri tenetur : alias non esset vere pœnitens, sed sacramentum Pœnitentiæ ac gratiam ejus contemnens. Sicque, quum majus bonum sit statim confiteri quam diutius exspectare, et æqua facilitate possit statim confiteri, sicut diutius exspectare, contemneret majus bonum, et quia bonum necessarium ad salutem, hoc esset mortale peccatum. Si sic, aut ergo instat tempus in quo se exponit periculo quod posset ab eo excludere actum pœnitendi, ut si ingressurus est mare tempestuosum seu bellum crudele ; aut non instat tempus tale. Si primo modo, tenetur mox confiteri. Si secundo modo, potest tempus opportunius præstolari, sed non transgredi tempus ab Ecclesia institutum. — Hæc Henricus. Cujus positio videtur quasi media inter duas præhabitas.

q. 34.

Præterea Guillelmus Parisiensis in suo sacramentali tractatu : De pœnitentia nunc (inquit) aggredimur errorem destruere Hebræorum ac aliorum quorumdam, dicentium confessionem non esse sacerdotibus faciendam. Non enim decet peccatorem judicem esse in propria causa quam habet adversus Deum. Si ergo peccator judicium et justitiam per pœnitentiam Deo voluerit exhibere, jure ac merito in eadem causa alius quam ipsemet judex erit. Alius ergo quam ipse qui deliquit, audiet ejus delicta ; alius causam cognoscet, et pronuntiabit sententiam. Non autem audiet alius omnia ac perfecte, nisi ipsomet qui deliquit confitente et enarrante : quoniam ipse solus et maxime, omnia illa quæ confitenda sunt, novit. Amplius, confessione Deo facta, penitus ignoratur quid Deus inde judicet sive pronuntiet, utrum condemnet vel absolvat ; et quamdiu hoc ignorat pœnitens, nec pro absoluto nec pro condemnato habere se debet, et pavidus dubiusque pendebit pendente sententia. Adhuc autem, hæc est forma judicii, ut judex prius sedeat in medio, actor et reus stent ante judicem, alter alteri ex adverso ; deinde advocati et testes, quatenus advocati de jure causam instruant ; testes, ut

de facto informent. Cautumque est in jure isto sæculari atque politico, ut nemo in re sua jus sibi dicat : imo eo ipso quod istud præsumpserit, ipsa re careat. Quoniam ergo pœnitens, in eo judicio quo cum Deo judicandus est, reus est atque a Deo impetitur, merito in eodem judicio judex esse non potest. Sub alio ergo et per alium judicandus est. Quumque ipse Deus ibidem sit actor, nostris legibus ac consuetudinibus congruentissimum est, imo eisdem firmatum ac observatum, ut tertius in medio sedeat qui jus reddat, potissime illa de causa, quoniam nostris legibus ac consuetudinibus tanquam viis notissimis atque certissimis, maxime reducendi ac reducibiles sumus ad lucem veritatis et ad viam salutis. Denique, quia peccatum non solum iniquitas est, sed etiam vulnus ac morbus, et dilapidatio ac dissipatio, et sicut furtum ac rapina quæ in Deum committitur; recte ex his demonstratur, confessionem coram alio quam Deo esse agendam. Confessor namque est tanquam medicus et consultor, ac velut recuperator et instaurator. Rursus, quum unusquisque defectus et vitia proximi sui tenetur eis insinuare qui volunt et valent prodesse et non obesse, quanto magis debet sibi ipsi beneficium istud impendere?

De his scribit hic doctor devotionaliter, et item subtiliter, ostendens quam rationabile ac salubre, quam fructuosum ac provocativum misericordiæ ac gratiæ Dei sit, confiteri non solum mentaliter Deo, sed et vocaliter sacerdoti, et accusare se ipsum, contra se ipsum testari, advocati officium exhibere pro Deo contra scelera sua : sicque se totum exponere judicio confessoris, ad recipiendum increpationes, satisfactiones, punitiones : imo et eas in se exsequi, et eas infligere sibimetipsi, ac ita tortoris officium peragere in se ipsum. Pœnitentes quippe juri se offerunt in curia et consistorio Dei, non solum ad sustinendum justificationes et afflictiones juxta tenorem jurium, legum et canonum curiæ summi Regis, sed etiam ad faciendum et exsequendum ea in se, ad restituendum ablata, ad recompensandum injuriam, ad humiliandum se penitus pro extollentiis suis, ad implorandum veniam pro suis excessibus ; et breviter, ad abrenuntiandum diabolo et omnibus ejus operibus, atque ad recuperandum amicitiam Dei, et ad permanendum de cetero in Deitatis obsequio cum omni fidelitate, perseverantia, caritate, cum resistentia contra omnia tentamenta inimicorum Domini Dei sui, a cujus adhæsione nunquam proponunt recedere. Hæc Guillelmus.

Insuper doctor iste fortiter tenet, quod conscius sibi de peccato mortali, tenetur celerius quo poterit confiteri, dicendo : Nec ad modicum nec ad momentum licet alicui confessionem differre, propter multa pericula. Primo, ne propter negligentiam faciendi confessionem dum potest, infligatur ei justo Dei judicio non posse quum velit. Sic enim consuevit justissimus Deus negligentias nostras punire. Secundo, propter periculum oblivionis peccatorum. Quæ enim ex sua recentia memoriter retinentur, vetustate frequenter oblivioni traduntur. Tertio, propter periculum moræ, quæ non mediocriter gravat peccatum. Quarto, propter periculum corruendi in aliud peccatum. Peccatum enim quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. Quinto, quia peccatum est debitum quoddam atque injuria Deo irrogata, et certum est, quod non nisi de consensu offensi et injuriati liceat emendationem ac persolutionem differre. Certum est quoque, quod quam cito irrogatur injuria, tam cito satisfactio debetur pro ea; nec debitori ac transgressori commissum est, ut ad placitum suum satisfaciat ac persolvat. Denique, vestimenta et calceamenta tua mox ut inquinata fuerint aut dissoluta, nonne confestim abstergis, purgas et reficis? Nec usque ad putrefactionem in luto illa dimittis. Cur ergo animam tuam sic negligis, et confessionis lavacro abluere differs? — Hæc idem. Qui istud consequenter per similitudines varias persuadet : ut

quod peccatum est spirituale incendium, vastitas et venenum, putredo, fœtor, vulneratio. Ideo, sicut celerrime a nobis et a rebus nostris abjicimus corporalia incendia, vastitates, venena, putredines, fœtores et vulnera; ita, imo et multo sollicitius ac festinantius debemus ista ab animabus nostris expellere confessionis remedio, et veræ prudentiæ obviare videtur ista differre.

Verum disputatio ista fortis et efficax videretur, si peccator a peccatis purgari non posset nisi in ipsa actuali et reali confessione. Quod juxta præhabita non est ita, quæst. 4. quoniam protinus ut veram habet contritionem cum proposito confitendi, remissionem consequitur, gratiamque sortitur. Nihilo minus, multipliciter expedit celeriter confiteri, quum in ipsa sacramentali confessione sint multa quæ cooperantur ad gratiam et gratiæ incrementum, et ad conservationem in bono ac præservationem a malo, videlicet : vis clavium, oratio confessoris, absolutio sacramentalis, humiliatio confitentis, et humilis accusatio sui ipsius, ac erubescentia quam de suis habet peccatis, satisfactio quoque quam ex obedientia et æquitate exsequitur, et alia quædam, sicut dicetur.

QUÆSTIO VI

Amplius quæritur, **Quid sit confessio, et cujus virtutis sit actus.**

Verum his non est immorandum, quum pateant ex inductis. Nam ut asserit Augustinus, confessio est per quam latens morbus spe veniæ aperitur.

Quocirca Thomas conscribit : In confessione plura considerantur. Primum, substantia actus seu genus ejus, quod est manifestatio quædam. Secundum, quid manifestetur, puta peccatum. Tertium, cui, videlicet sacerdoti. Quartum, cur, id est spe veniæ. Quintum, effectus seu fructus confessionis, qui est curatio seu remissio culpæ. Hæc omnia in præfata descriptione tanguntur. Primum, quum dicitur, Aperitur; secundum ibi, Morbus; tertium subintelligitur; quartum ibi, Spe veniæ : per quod et quintum datur intelligi. Et hæc duo quæ in prætacta descriptione non exprimuntur formaliter, in aliorum descriptionibus continentur expresse.

Insuper, ad hoc quod aliquid dicatur et sit actus virtutis, sufficit quod in sua ratione aliquam conditionem implicet quæ pertinet ad virtutem. Et quamvis confessio non includat omnia quæ ad virtutem requiruntur, tamen ex nomine suo importat manifestationem alicujus quod quis in conscientia sua tenet. Sic namque simul in unum conveniunt cor et os : quia dum aliquis profert ore quod non tenet aut sentit corde, non confessio, sed fictio appellatur. Hæc vero conditio, scilicet ore proferre quod geritur in corde, pertinet ad virtutem : idcirco confessio dicit aliquod bonum ex genere, quod tamen fieri potest male; ideo non est actus virtutis, nisi et aliis debitis circumstantiis vestiatur. Atque ut dictum est sæpe, sic est actus virtutis dist. xiv, q. 1. pœnitentiæ. In actibus namque considerandum est, quod quando supra objectum virtutis additur ratio aliqua specialis ac difficilis boni, exigitur specialis virtus : quemadmodum magnus sumptus ad magnificentiam spectat, quamvis mediocris sumptus ad liberalitatem. Sic in proposito, quamvis confessio seu manifestatio veritatis, ad virtutem moralem quæ veritas nuncupatur, sit pertinens; tamen propriarum culparum reseratio secundum modum præfatum spe veniæ, ad virtutem quæ pœnitentia nominatur, est spectans : sicut et manifestatio seu confessio beneficiorum Dei, ad latriam; et confessio credendorum, ad fidem. Verumtamen confessio ista culparum potest imperative ad plures pertinere virtutes, secundum quod actus confessionis ordinari potest ac trahi ad multarum finem virtutum. — Hæc Thomas, in quibus concordia est aliorum.

QUÆSTIO VII

Sed quærendum est nunc, **Cui sit confitendum** : an scilicet necesse sit confiteri proprio pastori; an etiam liceat in aliquo casu laico confiteri; et utrum confessi Fratribus Ordinum mendicantium, obligentur nihilo minus eodem anno vel etiam eadem peccata suo proprio confiteri pastori.

Circa hæc loquitur Thomas : Gratia quæ in sacramentis confertur, a capite descendit in membra : ideo solus ille est sacramentorum gratiam continentium minister, qui ministerium habet super corpus Christi verum : quod solius est sacerdotis, qui Eucharistiam consecrat. Quumque in sacramento Pœnitentiæ gratia conferatur, solus sacerdos est sacramenti hujus minister. Ideo solis sacerdotibus facienda est sacramentalis confessio. — Porro, sicut Baptismus est sacramentum necessitatis, ita et Pœnitentia. Baptismus autem quum sit sacramentum necessitatis, duplicem habet ministrum : unum, cui ex officio convenit baptizare, utpote sacerdotem; alium, cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur. Ita et minister sacramenti Pœnitentiæ, ratione officii est sacerdos; in necessitate vero laicus vicem supplet sacerdotis, ita ut ei confessio fieri possit. Sicque ratione necessitatis laicus fit judex confitentis, qui sponte et affectuose se subjicit illi. — Amplius, per veniale peccatum homo nec a Deo nec a sacramentis Ecclesiæ separatur : idcirco non indiget novæ gratiæ collatione ad ejus dimissionem, nec indiget reconciliatione cum Ecclesia. Propterea non oportet quod aliquis sacerdoti venialia confiteatur. Quumque confessio laico facta, sacramentale quoddam sit, quamvis non sit sacramentum perfectum, et ex caritate procedat; atque ex talibus natum sit veniale remitti, sicut per pectoris tunsionem, et aquam benedictam : A hinc præter necessitatem potest quis non sacerdoti venialia confiteri.

Præterea advertendum, quod alia sacramenta non consistunt in hoc quod accedens ad sacramentum aliquid agat, sed solum ut recipiat, ut patet in Baptismo, etc. Sed actus recipientis requiritur ad percipiendum utilitatem, id est fructum seu gratiam sacramenti, in eo qui suæ voluntatis constitutus est arbiter, tanquam removens prohibens, utpote fictionem. In Pœnitentia vero actus accedentis ad sacra- B mentum, est de substantia sacramenti : quia contritio, confessio et satisfactio sunt Pœnitentiæ partes, quæ sunt actus ipsius pœnitentis. Actus autem nostri quum in nobis principium habeant, nequeunt nobis ab alio dispensari nisi per imperium. Unde oportet quod ille qui hujus sacramenti constituitur dispensator, valeat imperare aliquid agi. Imperium vero non competit nisi jurisdictionem habenti. Hinc de necessitate hujus est sacramenti, ut minister non solum habeat ordinem, sicut C in aliis sacramentis, sed etiam jurisdictionem. Ideo, sicut is qui non est sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem. Hinc sicut sacerdoti, ita et proprio sacerdoti confiteri oportet. Quum enim sacerdos non absolvat nisi ligando seu obligando ad aliquid peragendum, ille solus potest absolvere qui potest per imperium ad aliquid agendum confitentem ligare. Quod ex apostolico indulto potest etiam monachis et religiosis concedi. Sicque proprius sacerdos D vocatur, quicumque legitimam jurisdictionem super alium habet.

Præterea sacerdos potest dupliciter impediri ne confessionem alterius audiat : primo, propter defectum jurisdictionis; secundo, propter impedimentum exsecutionis ordinis, sicut excommunicati et degradati. Quicumque autem habet jurisdictionem, potest ea quæ sunt jurisdictionis committere. Ideo si quis impediatur audire confessionem alterius per defectum jurisdictionis, potest sibi committi per alium

quemcumque habentem in illos jurisdictionem immediatam, quod confessionem audiat et absolvat, sive per ipsum sacerdotem, sive per episcopum, sive per Papam. Si vero confessionem audire non potest propter impedimentum exsecutionis ordinis, potest sibi audientia confessionum committi per illum qui illud impedimentum tollere potest. — Et si objiciatur, quod per hoc, præjudicium inferioribus fit prælatis; dicendum, quod præjudicium nulli fit nisi ei subtrahatur quod in ejus favorem est ei indultum. Potestas autem jurisdictionis nulli homini est concessa in suum favorem, sed ad Dei honorem ac subditorum salutem. Hinc si superioribus prælatis expediens videatur ad divini honoris promotionem ac subditorum profectum, quod aliis quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo inferioribus præjudicatur prælatis, nisi forsitan illis qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. — Si vero rursus objiciatur, quod Salomon ait, Agnosce vultum pecoris tui : quod videtur impediri per hoc quod subditus confitetur alteri quam proprio suo pastori; dicendum, quod rector vultum pecoris sui cognoscere potest dupliciter. Primo, per sollicitam conversationis ejus exterioris considerationem. Et in hac cognitione non oportet quod subdito credat, sed certitudinem facti pro posse scrutetur. Secundo, per confessionis manifestationem. Nec potest majorem certitudinem quantum ad hanc cognitionem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ illius. Unde in foro conscientiæ creditur homini pro se et contra se, non autem in foro exterioris judicii. Ideo ad hanc cognitionem sufficit, quod subdito credat dicenti se esse confessum alteri absolvere valenti. Et sic patet quod talis cognitio pecoris non impeditur per privilegium datum de confessione audienda.

Prov. XXVII, 23.

Verum his adhuc dupliciter objici potest. Primo, quia confessor est proprius judex, sacerdos et pastor. Ejusdem autem non debent esse plures judices pastores-

A que proprii. — Secundo, quia præceptum Ecclesiæ est, ut omnes utriusque sexus ad minus semel in anno proprio confiteantur pastori; et quæritur, utrum confessus privilegiato, teneatur adhuc confiteri suo pastori, potissime si requirat.

Et respondendum ad primum, quod inconveniens esset, si duo aut plures æqualiter super eamdem plebem aut personam constituerentur; sed quod plures ordine quodam, quorum unus exstat superior alio, super eamdem plebem constituantur, B inconveniens non est. Sicque super eamdem plebem sunt pastor parochialis et præsul ac Papa : quorum quilibet potest ea quæ sunt jurisdictionis ad ipsum spectantia, committere alteri. Quod si superior committat qui principalior est, dupliciter potest committere. Primo sic, quod alterum constituat vice sui, quemadmodum Papa et episcopus ponunt pœnitentiarios suos; et tunc talis est principalior inferiori prælato, sicut pœnitentiarius Papæ, episcopo; pœnitentiarius quoque episcopi, parochiali C pastore. Ideo confitens magis tenetur illi pœnitentiario obedire. Secundo sic, quod alterum constituit coadjutorem illius pastoris. Cumque adjutor ordinetur ad eum cui datur adjutor, ideo ille coadjutor est minus principalis; et pœnitens non tantum tenetur obedire ei quantum proprio sacerdoti. — Ad secundum, quod nemo tenetur confiteri peccata quæ non habet : idcirco, si quis pœnitentiario episcopi vel alteri commissionem ab episcopo habenti confessus est, dimissa sunt ei peccata sua D quoad Deum atque Ecclesiam, nec tenetur ea confiteri proprio sacerdoti, quantumcumque petat. Sed propter statutum Ecclesiæ de confessione facienda proprio sacerdoti semel in anno, se debet habere ut ille qui habet venialia solum : quoniam talis solum sua venialia confiteri debet, ut aliqui dicunt, vel etiam profiteri a mortalibus se immunem; et sacerdos in foro conscientiæ credere ei tenetur. Tamen si iterum confiteri teneretur, non frustra fuisset ante confessus : quia quo pluribus

sacerdotibus aliquis confitetur, tanto plus ei de pœna remittitur, tum propter erubescentiam confessionis, quæ in pœnam satisfactoriam computatur, tum ex vi clavium. Unde posset quis toties iterare confessionem, quod ab omni pœna liberaretur. Nec iterando facit injuriam sacramento, nisi illi in quo sanctificatio adhibetur per characteris impressionem vel per materiæ consecrationem : quorum neutrum est in Pœnitentia. Ideo bonum est quod ille qui auctoritate episcopi audit confessionem, inducat confitentem quod confiteatur proprio sacerdoti. Quod si confitens noluerit, nihilo minus confessor eum absolvere debet. — Hæc Thomas.

Concordat Petrus per omnia, et subjungit, quod et Thomas alibi scribit : Ad effectum duo requiruntur : potentia activa agentis, et materia debita ac disposita in suscipiente. Hinc ad ligandum et solvendum requiritur potestas clavium in confessore, et subditus qui habetur ex jurisdictione. Idcirco non sufficit confiteri cuilibet sacerdoti, sed oportet proprio confiteri. Proprius vero sacerdos est duplex : unus ex jurisdictione ordinaria, ut parochialis sacerdos, et episcopus ejus, ac Papa; alius ex jurisdictione delegata, ut is cui committit auctoritatem audiendi confessionem aliquis prædictorum trium, aut etiam legatus domini Papæ. — Verum his objici posset primo, quoniam Augustinus ait : Cupiens confiteri, sacerdotem quærat scientem ligare et solvere. Ergo consistit in confitentis electione ac libertate, cui voluerit confiteri. Rursus, ut sanctus fatetur Bernardus, quod institutum est pro caritate et salute, contra eas militare non debet. Proprio autem sacerdoti confiteri frequenter esset periculosum, ut si sacerdos sit lascivus et femina fragilis. Et dicendum, quod verbum B. Augustini intelligendum est petita et obtenta licentia; vel si proprius sacerdos omnino ignarus est, aut dare non vult, nec copia superioris habetur, sufficit petita, quamvis non obtenta. In casu quoque proposito et consimilibus, petenda est licentia a proprio sacerdote vel ejus superiore, confitendi alteri. Quam si dare renuerit, sufficit solum petita; vel si non habeat alterum cui confiteatur, intelligitur in hoc casu non habere copiam sacerdotis. Porro prælatis a jure concessum est eligere confessorem, quia frequenter habent sacramenta tractare, quæ non nisi a mundis ac dignis tractanda sunt. Hæc Petrus.

Richardus demum circa hæc addit : Proprius sacerdos quadrupliciter accipi potest. Primo, qui habet jurisdictionem super alium ordinariam in foro pœnitentiæ, tamen modo inferiori, ut pastor parochialis. Secundo, qui habet eam modo principali, ut episcopus, qui est proprius sacerdos omnium exsistentium in suo episcopatu, nisi aliqui sint exempti; vel modo principalissimo, sicque Papa est proprius sacerdos omnium Christianorum. Tertio modo, habens jurisdictionem delegatam ab aliquo horum vel a legato Papæ. Quarto modo, habens jurisdictionem ex communi concessione vel permissione juris, et sic proprii sacerdotes sunt illi quos episcopi et abbates exempti eligunt in confessores : talibus enim permittitur. Sic quoque est proprius sacerdos presbyter quicumque illius quem audit, constituti in articulo necessitatis. Sic etiam proprius sacerdos vagabundorum est quicumque presbyter parochialis, in cujus parochia voluerint confiteri : quoniam tales nullibi habent domicilium proprium. Idem dico de illis qui relicto domicilio proprio, navigant aut iter faciunt, quærentes quo se conferant. Idem dicendum de peregrinantibus ad sancta loca. Itaque necesse est confiteri proprio sacerdoti aliquo horum modorum : oportet enim quod habeat jurisdictionem in eum quem audit et absolvere debet. — His verbis addit Richardus : Quamvis potestatem clavium omnes discipuli receperunt immediate a Christo, tamen potestatem jurisdictionis receperunt inferiores mediantibus Apostolis, aliique Apostoli mediante Petro, et utraque potestas in confessione exigitur.

Consequenter Richardus respondens ad A istud, utrum hi qui confitentur alicui habenti potestatem episcopi, teneantur anno eodem confiteri suo presbytero parochiali : Episcopus, inquit, ordinariam habet jurisdictionem super subditos parochialium sacerdotum. Quod autem alicui convenit ex ordinaria jurisdictione, ipse potest committere alteri habenti ordinem convenientem ad illud officium exsequendum (*extra* de Consecratione ecclesiæ, Aqua). Ergo vere absolvuntur qui confitentur habenti auctoritatem episcopi, nec eadem B peccata numero suis parochialibus sacerdotibus confiteri tenentur. Sed utrum eodem anno teneantur presbyteris illa peccata quæ post absolutionem incurrunt, confiteri, opiniones sunt. Et aliqui dicunt quod non, quoniam per presbyterum parochialem non solum intelligitur curatus inferior, sed etiam episcopus. Quod probari videtur per id quod dicitur *extra* de Parochiis et alienis parochianis, capitulo
Decret.p.II. *Nullus episcopus,* et 9, quæstione 2, capitulo *Nullus alterius,* et capitulo *Nullus* C *primas.* Alii dicunt, per presbyterum parochialem non intelligi nisi inferiorem curatum, quoniam verba accipienda sunt secundum quod sonant in usu communi. Præterea Papa in privilegio concesso Minoribus et Prædicatoribus super confessionibus audiendis, declarando videtur dicere quod in illo statuto, Omnis utriusque sexus (de Pœnitentiis et remissionibus), intelligitur presbyter parochialis qui in communi usu ita vocatur, in hoc quod dicit, quod confessi Fratribus, teneantur D semel in anno suis presbyteris parochialibus confiteri, prout statuit concilium generale. Quum enim dicendo, Presbyteris, excludat non presbyteros; et addendo, Suis, excludat non habentes jurisdictionem super eos : videtur quod hoc quod dicit, Parochialibus, excludat episcopos, alias verbum illud, parochialibus, poneretur ibi frustra. Ubicumque autem Papa aliquid dicit per modum declarationis juris, si bullatum est, ad omnes se extendit, etiamsi non sit insertum inter alias decretales. Quum ergo episcopus non sit super illud statutum, confessi sibi aut alteri ejus auctoritate, tenentur eodem anno suo curato inferiori confiteri. Non sic autem dicendum est de confitentibus Papæ vel habentibus ejus auctoritatem absolute, quoniam Papa est super generale concilium. — Hæc Richardus. Qui tamen primam harum opinionum plus approbat. Verumtamen quod ait, Papam esse supra generale concilium, recitative induco, et dimitto hoc sicut est : nempe in Constantiensi concilio constat determinatum esse oppositum.

Circa hæc scribit Albertus : Nemo potest absolvere nisi proprius sacerdos, nec potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti. Porro quod Christus ait, Accipite Spiri- *Joann.* XX, 22, 23.
tum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc., non distinguens nec ordinans inter eos, hoc dixit, præsupponens ordinem in discipulis quem ante jam fecerat. Nam Petrum omnibus præposuit, dicens : Tibi *Matth.* XVI, 19.
dabo claves regni cœlorum; et alibi ubi effatus est : Tu aliquando conversus, con- *Luc.* XXII, 32.
firma fratres tuos.

Insuper sciscitatur Albertus, an eisdem possint esse plures proprii sacerdotes. Respondet : Non, sed unus solus est proprius; possunt tamen alii illi uni proprio cooperari. Episcopus quippe non potest potestate juris constituere plures proprios, quia sic una Ecclesia haberet multos qui æquum jus haberent in illa, et unus esset æque adstrictus duobus, ex quo posset oriri perplexitas. Episcopus vero potest adjutores dare proprio sacerdoti; et hoc tripliciter, ut mihi videtur. Primo, in casibus gravibus in quibus ut magis abhorreantur, reservat sibi potestatem absolvendi, et illam potest committere uni vel pluribus qui absolvant; et illis tenentur ipsi confitentes magis obedire quam proprio sacerdoti. Secundo, potest episcopus aliquos dare qui prædicent, et generaliter moneant populum, confitentesque audiant, non tamen excipiant ab obedientia proprii sacerdotis : ideo in pœnitentia jam ab illis consti-

tuta, debent innotescere proprio sacerdoti, et per approbationem illius pœnitentiam agere. Tertio, quando plebs multa est, nec unus potest omnes audire, vel etiam sacerdos proprius ad audiendos suos parochianos impotens est ac debilis : tunc ab episcopo aut superiori possunt constitui aliqui qui audiant et absolvant, qui non tenentur recurrere tunc ad sacerdotem qui est proprius. Nec tamen illi sic constituti, sunt prælati, sed potius coadjutores propriorum prælatorum. Atque ideo, si proprii prælati rationabiliter aliquid suis præcipiant parochianis, illi contradicere non possunt. Sicut enim homo unum tantum habet dæmonem proprium ad exercitium sibi datum, alii vero dæmones coadjutores sunt illius; et sicut cuivis hominum unus tantum proprius angelus bonus est assignatus in custodem, reliqui vero sancti angeli adveniunt aut tanquam coadjutores, aut tanquam prælati illius angeli qui est custos proprius : ita in Ecclesia militante, quæ triumphantem imitatur, unus est solus hominum sacerdos proprius sive prælatus, nec possunt esse plures proprii tanquam prælati; sed qui ita in adjutorium constituuntur, tantum sunt coadjutores illius qui est proprius, sive prælatus.

Et si contra similitudinem introductam
IV *Reg.* VI, 16, 17. objiciatur, quod in circuitu Elisei apparuit mons plenus equorum et curruum igneorum ad illius custodiam; et ad custodiam
II *Mach.* X, 29, 30. Machabæi quinque apparuerunt viri : unde videtur plures esse proprios custodes hominis angelos bonos. Dicendum, quod angeli qui circa Eliseum apparuerunt, erant coadjutores angeli boni custodis; qui vero circa Machabæum apparuerunt, prælati erant. Machabæus enim, quia singularis homo erat, proprium habuit angelum custodem; quia vero erat et princeps Hebræorum, ideo illum angelum quoque secum habuit qui erat princeps illius gentis, sicque duo illi angeli tenebant eum circumseptum. Alii vero tres de superioribus choris erant. Nam quia Potestatum. erat

A arcere potentiam inimicorum, Virtutum vero resistere hostibus per miracula, puta excæcando illos, Archangelorum quoque revelare hostium machinationes; ideo hi tres circa eum fuerunt. Secundum Dionysium namque nulli duo angeli in cœlo sunt ejusdem altitudinis : ideo unus angelus non potest habere duos æque principales supra se, quomodo hominum non possunt duo esse proprii sacerdotes æque prælati. Quidam tamen doctores, non auctoritate aliqua fulti, dicunt quod multi
B sunt æquales in suprema et media ac infima hierarchia, imo et in uno choro seu ordine.

Insuper, si quis de licentia proprii sacerdotis confiteatur alteri, non tenetur eodem anno sacerdoti proprio confiteri, nisi periculum infirmitatis aut aliud novum occurrat. Si autem confiteatur alicui coadjutori proprii sacerdotis, ordinato ipsi sacerdoti a superiori, puta episcopo, non de licentia proprii sacerdotis, dico quod adhuc tenetur proprio sacerdoti; nec ille
C adjutor debet imponere pœnitentiam, nisi indicando confesso quod quam citius poterit, se proprio exhibeat sacerdoti, nisi in casibus quinque exceptis, in quibus subditus debet licentiam petere a proprio sacerdote confitendi alteri. Primus est, ut dicunt jurisperiti, si sacerdos sit deficiens scientia, aut malitia depravatus. Secundus, si peccet in parochia alterius : quia tunc ratione delicti, efficitur de foro illius. Tertius, si in parochia alterius commoretur. Quartus, si vagetur per longum iter. Quin-
D tus, in articulo necessitatis : et in hoc ultimo casu unicuique sive habenti alas ligatas sive solutas, sive clerico, sive laico, confitendum est, dummodo sit fidelis. Proprius autem sacerdos non potest dare licentiam eundi ad alium, quam ad eum qui habet potestatem audiendi confessionem a superiori episcopo, vel legato, vel Papa. Et causa hujus est, quia quamvis sacerdos possit subditum relaxare ut alii confiteatur, non tamen potest jurisdictionem transferre in eum qui alas habet li-

gatas, sed superior tantum hoc potest. Ideo, quamvis subditus in tali casu possit alteri confiteri, non tamen quilibet alius potest eum audire. Quum demum licentia dicitur esse obtenta, credendum est quod rationabiliter sit obtenta; et dum rationabiliter petitur, etiam si negetur, potest ac debet (judicio meo) quæri alter confessor qui habeat jurisdictionem, quoniam aliter esset fatuitas : quia non obstante ordinatione quavis Ecclesiæ, possum cavere periclitantem me, seu periclitationem in corpore, et fatuum esset dicere quod aliquo casu tenerer sequi volentem me præcipitare in mente. Utile quoque et salubre videtur, religiosis et honestis personis conferre privilegium audiendi confessiones, et illæ personæ possunt eos audire quos verbo et exemplo moverint ad pœnitentiam, si ipsis cupiunt confiteri.

Postremo, dum quæritur, an sic confessi, tenentur proprio sacerdoti eodem anno eadem denuo confiteri; dicendum : firmissime est credendum, quod propter nimiam negligentiam sacerdotum, Pontifex summus dedit quibusdam religiosis seu aliis privilegium istud, quia perpauci inveniuntur veri pastores, et plurimi sunt conducti vicarii pretio vili; et quod abominabilius est, in multis terris conducti sunt ad annum vel medium annum, in quibus impleri videtur quod per Ezechielem conqueritur Dominus (*Ezech.* XIII, 19.) : Pro fragmento panis et pugillo hordei corrumpebant populum meum. Ideo necessarii satis sunt viri boni, qui vita et scientia præditi, instruant ac audiant populum et absolvant : qui tamen propter pastoralis officii dignitatem ac reverentiam sacerdotum, et quia non eis coram subditis detrahendum est, debent ipsis deferre honorem. Ideo videtur quod privilegiatus absolvens, debet confessis injungere quatenus ad minus in generali ostendant se suo sacerdoti, si pastor est aut perpetuus vicarius : quod non oportet, si sit conductus ad tempus vicarius. — Et si objiciatur, quod talis jam absolutus est; dico, quod quamvis sit absolutus, nihilo minus innotescere debet gubernatori suæ Ecclesiæ, qui proprius est sacerdos. Propter quod debet se illi ostendere per confessionem in genere peccatorum in quibus fuit; et etiam propter conscientiam proprii sacerdotis, ut secura sit : quoniam debet illi ministrare sacramenta, atque pro eo reddere rationem. Itaque, quamvis ille sit coram Deo absolutus, tamen adhuc multa exiguntur ab eo; nec aliquis in tantum est absolutus, quin per contemptum possit incidere in peccatum mortale. Idcirco, ut assecuret suum gubernatorem, tenetur se ei in genere ostendere, si gubernator ille voluerit : imo si confiteatur pœnitentiario superioris, adhuc expedit ut pœnitentiarius ille istud confesso injungat, ut servetur ordo Ecclesiæ et officium sacerdotum ad populum, sicque in aliquo remittat confessum ad proprium sacerdotem. Quod nisi pœnitentiarius ageret, eum graviter peccare putarem. Tamen ad hoc magis tenentur qui ex privilegio audiunt confessiones : quia non sunt vocati nisi in sublevamen negligentiæ propriorum sacerdotum. Propterea magis debent cavere ne dissipent officium sacerdotis curati ad populum, reverentiamque populi ad sacerdotem. — Et si quæras, si oportet sic iterum confiteri proprio sacerdoti, quid utilitatis consequitur pœnitens confitendo confessori privilegiato; dicendum, quod tres utilitates consequitur inde. Prima est absolutio perfecta, quæ duplicata facit debitæ pœnæ diminutionem et gratiæ incrementum ac confortationem. Secunda est abundantia sani consilii, ex quo pœnitens efficitur securior de sufficientia pœnitentiæ sibi injunctæ. Tertia est multiplicitas orationum ac testium coram Deo : quia quo pluribus confitetur, tanto plures habet apud Deum intercessores ac testes. — Hæc Albertus. Cujus scripta multum rationabilia videntur esse.

Præterea, circa hæc disseruit Bonaventura, primo respondendo ad istud, an liceat confiteri laico : De confessione, inquit, contingit loqui dupliciter. Primo, ut actus vir-

tutis directe repugnans hypocrisi, quo actu homo se ipsum accusat, ne alius appareat quam est; aut etiam mala sua aperit ad investigandam culparum suarum curationem. Sicque confessio fieri potest cuilibet qui potest adjuvare instruendo, consulendo, orando; coram quo accusans se erubescere potest et humiliari, et alter exemplo humiliationis hujus humiliari, non peccatorum notitia depravari. Nam ut super Cantica ait Bernardus, vir perfectus tantus est veritatis amator, quod quantum in se est, vellet peccata sua omnibus esse nota, dummodo essent eis non occasio mali, sed boni. Secundo, confessio est opus sacramenti Pœnitentiæ, et ita sacerdotibus solum est facienda. Quod vero S. Jacobus apostolus ait, Confitemini alterutrum peccata vestra; quidam exponunt de venialibus tantum, alii de confessione peccatorum in generali, alii de mutua recognitione propriæ culpæ in quotidiana correptione aut proclamatione, in quibus homo non debet se inconsiderate impatienterve excusare.

Jacob. v, 16.

Deinde quærit hic Doctor, an licet homini contra voluntatem sui superioris confiteri alteri discretiori. Respondet: Confessio sacramentalis non nisi jurisdictionem habenti est facienda. Proprius vero sacerdos tripliciter dicitur, utpote: proprie, communiter, et communissime. Communissime dicitur proprius sacerdos, quicumque potest confitentem absolvere, sive per auctoritatem propriam, sive per commissionem vel demandationem audiat confessionem, ut hi qui privilegium habent audiendi confessiones, dum prædicant. Communiter vero, qui ex propria auctoritate aut officio, tanquam prælatus ordinarius potest absolvere, sicut episcopus. Proprie autem, qui administrat sacramenta, et cui commissa est specialis cura, ut sacerdos parochialis. Et cuilibet horum licitum est confiteri. Confessus quoque superiori, ut episcopo, non tenetur iterum confiteri sacerdoti parochiali; sed sufficit quod innotescat ei, nisi remittatur ad eum. — Sed

A de sacerdote qui audit confessiones ex commissione vel demandatione, nec habet curam, distinguendum est. Aut enim commissa et data est ei licentia a sacerdote curato, et tunc sacerdos commisit alii jus suum: sicque qui confitetur ex licentia sacerdotis, non tenetur iterum ipso anno confiteri ipsi sacerdoti, quamvis sacerdos hoc exigat, nisi confitens recidivet: quia sacerdos ille jus suum ac potestatem pro tempore illo alteri dedit. Aut est auctoritas commissa a superiori ordinario, et tunc B aut plena, aut in casu. Si plena, judicandum est sicut de ordinario ipso, videlicet quod confessi eis, non tenentur confiteri iterum proprio sacerdoti, ut patet de pœnitentiariis domini Papæ et episcoporum. Aut in casu, ut his qui prædicant, datum est privilegium audiendi confessiones; et hoc, ut credo, non in præjudicium sacerdotum bonorum, sed potius in favorem fidelium, et propter ignorantiam atque malitiam plurium sacerdotum. Hinc dico, quod propter privilegium illud sacerdotes C parochiales suo jure non privantur: imo procurandum est, quod eis a suis parochianis debita reverentia impendatur. Nec contra hoc facit privilegium: imo credendum est, quod omnes parochiani quandocumque et quotiescumque talibus confiteantur, tenentur tamen propriis sacerdotibus confiteri, si boni idoneique consistant, et exigant, nec aliter sint contenti; et hoc dico, saltem semel in anno, de peccatis quæ habent tunc. Si vero sic confessus habet legitimam causam ob quam D refugit proprio sacerdoti confiteri, non tenetur ei iterum confiteri: quoniam in favorem habentium talem causam datum est privilegium illud. Si autem non habet talem excusationem, nec velit proprio sacerdoti confiteri, vix crederem eum vere pœnitentem. In omnibus autem sanum consilium est, ut privilegiati remittant sibi confessos ad proprios sacerdotes, ut si contenti non sint, iterum audiant illos. — Verum ut aliqui jurisperiti probabiliter dicunt, non tenentur confessa de quibus

absoluti sunt, iterum confiteri. Imo, interdum quædam enormia ex verecundia contingit eos omittere confiteri proprio sacerdoti : ideo non sunt ad hoc nimis arctandi. Denique ista probantur et patent auctoritate canonis Innocentii Papæ, in generali concilio præcipientis : Omnis utriusque sexus fidelis ex quo ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno confiteatur proprio sacerdoti. Et rursus in eadem Decretali : Si quis ex causa voluerit confiteri alii, prius licentiam petat et obtineat a proprio sacerdote. Item de Pœnitentia, distinctione sexta, Urbanus II : Placuit ut nulli deinceps sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti suscipere ad pœnitentiam sine ejus consensu cui se prius commisit.

Quæritur quoque, an oporteat confiteri in secreto vel magis in publico. Respondetur, quod confessio regulariter fieri debet in secreto, nisi sit crimen ita enorme, quod totam commoverit urbem, pro quo et publica seu solennis pœnitentia imponatur, ut si sit hæreticus manifestus. Sed quantum est de confessione secundum legem communem, debet unico fieri sacerdoti in privato. Nam et occultatio huic competit sacramento duplici ratione. Primo, quia in confessione peccata manifestantur quatenus deleantur et occultentur quasi non fuerint. Secundo, quoniam manifestantur confessori loco Dei, ad testimonium conscientiæ, quæ Deo est nota, quam et homo non vult passim hominibus propalare. Rursus, nisi peccata confessa occultarentur, plurimi a confessione retraherentur. — Hæc Bonaventura.

At vero Durandus : Differentia, inquit, est inter audientes confessionem ex commissione episcopi, et ex privilegio Papæ : quia in privilegio includitur commissio. Certum est autem, quod episcopus potest audire confessionem omnium suæ diœcesis sine propriorum licentia curatorum. Hanc quoque potestatem potest committere aliis, sicut præhabitum est et probatum. Cf. p. 480 A.

Nec solum potest eam committere sacerdotibus sæcularibus, sed etiam religiosis et monachis; quamvis quidam hoc negent, propter varia jura quæ habentur, causa 16, quæstione 1, in quibus audientia confessionum videtur monachis expresse prohiberi. Sed sicut ex aliis patet causis, hoc intelligitur, nisi de licentia episcoporum, quoniam cum eorum licentia possunt hoc. Ex quibus concluditur, quod sicut episcopus potest per alium excommunicare subditos sacerdotum parochialium, ipsis invitis; sic per se et per alium potest audire confessiones eorum, invitis curatis. Et hoc expresse declaratum est per Alexandrum Papam, qui et oppositum pertinaciter asserentes, tanquam contumaces ac rebelles Romanæ Ecclesiæ reprobavit. Idem confirmatum est per Papam Clementem. — Hæc Durandus. Decret. p. II.

Præterea Scotus hic scribit : Dicunt aliqui, quod si quis habet peccata mortalia, tenetur illa præcise confiteri, et non venialia. Si autem habeat venialia tantum, tenetur ad confessionem illorum in casu illo, propter præceptum Ecclesiæ de semel confitendo. Sed non intelligo istud : quia quum dicitur in Decretali, quod quilibet tenetur semel in anno omnia sua confiteri peccata, aut fit ibi distributio de peccatis venialibus, aut non. Si sic, ergo habens mortalia, tenetur virtute illius præcepti ad venialium confessionem. Si non, ergo non habens mortalia, sed tantum venialia, non tenetur ad confessionem ipsorum. Hæc Scotus.

Cujus verba contraria sunt communi doctrinæ. Hinc dico, quod in Decretali illa hoc quod dicitur, omnia peccata sua, dupliciter accipi potest. Primo, absolute et prout communiter invenitur : et ita est ibi distributio de peccatis mortalibus, quibus, proh dolor ! communiter sunt homines inquinati. Secundo, in certo casu et prout aliquando reperitur. Sicque est ibi distributio pro venialibus, secundum quod bono modo occurrere possunt memoriæ, vel quantum ad genera singulorum : et ita

Decretalis locum habet in habentibus venialia tantum. Verba autem accipi possunt tam in sensu quem faciunt, quam in sensu quo fiunt. Imo apparet quod quamvis Decretalis illa non esset, adhuc tamen habentes venialia tenerentur eadem confiteri tempore opportuno. Primo, ne viderentur singulares atque a generali ritu ac observantia Ecclesiæ sequestrati : unde Albertus in libro suo de Laudibus sacratissimæ ac beatissimæ Virginis, ait quod et ipsa mundissima Virgo confiteri solebat, quamvis de hoc non sit magna certitudo, et de modo quo hoc fieri potuisset, est difficultas. Secundo, quia et innocentibus est incertum an in mortali exsistant, nisi de hoc desuper instruantur.

Deinde Scotus subjungit : Ex prima institutione Ecclesiæ non videntur fuisse distincti proprii sacerdotes. Quando enim Apostoli ibant hinc inde prædicando, nunc fuit iste sacerdos hujus gentis, nunc illius ; et nunc iste, nunc ille. Postmodum vero sunt distinctæ diœceses atque parochiæ. Pro tunc tamen possunt dici proprii sacerdotes quicumque habentes jurisdictionem ordinariam vel commissam, etc. — Contra hæc verba objici posset, quod etiam primitiva Ecclesia ordinatissima fuit, ipseque gloriosus princeps Apostolorum Petrus, ceterorum quoque Apostolorum prælatus, ipsis determinavit in multis quid agerent, quo tenderent, quid ordinarent ; et cum ipsis ordinationes fecit et canones ac præcepta, sicut de hoc in tractatibus de Ecclesiastica potestate et Auctoritate generalium conciliorum multa induxi.

Amplius Scotus testatur nullum esse præceptum de confessione laico facienda. Et forsitan, inquit, utilius esset non accusare se illi, præsertim si homo apud se in consideratione peccatorum suorum tantam posset verecundiam de suis habere peccatis, sicut manifestando hæc laico.

Denique de his multa scribit in Quodlibetis suis Henricus, præcipue septimo Quodlibeto : ubi plurimas movet quæstiones hæc concernentes, ad quas diffuse ac

A præclare respondere videtur. Et quærit in primis, quis potior sit in jure, id est, quis q. 21.
majus jus habeat ad prædicandum et ad confessiones audiendas, curatus seu ejus vicarius, vel Frater privilegium habens exercendi actus hujusmodi. — Ad quod respondet, quod regulariter loquendo, curatus, cui ex proprio officio pastorali incumbit ; et quoniam privilegia in favorem populi sunt concessa, non in Fratrum favorem, ipsique Fratres sunt pastoribus in adjutorium ac supplementum dati ac or-
B dinati, ita quod potius cedere debent curatis, quam econverso. Ad quod allegat, quod sanctus et gloriosus vir B. Franciscus fatetur in Regula sua, et Fratribus suis jussit : Fratres, inquiens, non prædicent in episcopatu alicujus, quum ab eo ipsis fuerit contradictum seu interdictum. Consimile quoque verbum in suo asserit testamento : Si haberem, dicens, tantam sapientiam ut Salomon, et invenirem pauperes sacerdotes in suis parochiis, nollem prædicare ultra seu contra voluntatem ipso-
C rum. Et ita pastores sunt in agro dominico quasi messores, Fratres vero quasi spicarum collectores. Et istud regulariter est intelligendum, quando pastores aut eorum vicarii sunt idonei, utpote vita atque scientia digni, diligentes, exemplares et operosi. Si vero sint imperiti, scandalosi, desides aut certe malevoli, fatetur hic doctor, quod pinguius jus habeat Frater privilegiatus, et ei cedere debet curatus, ipsumque advocare. Similiter, si curatus idoneus sit, non debet eum Frater in ac-
D tibus sui officii impedire. De his diffuse prosequitur doctor iste. Et si objiciatur, quia jus speciale derogat generali ; respondet, quod regula illa in aliquibus casibus tenet, et in aliquibus non, sicut declarat.

Verum ista responsio non videtur contentioni finem imponere, sed fomentum præbere. Quis enim judicabit in tali occursu, an idoneus sit prælatus, præsertim quum præsidens reputetur de jure communi idoneus, quamdiu ab Ecclesia toleratur ? Et quamvis sit valde idoneus et

sermocinator egregius, non tamen tam perfecte poterit creditum sibi gregem instruere, atque de singulis ad salutem necessariis aut expedientibus docere, ut debeat æstimare prorsus sufficere, capacitatemque parochianorum suorum esse repletam, nec ex aliorum sermocinatione amplius posse proficere, inflammari, muniri : ideo debet viros religiosos regulariter conversantes, vita, fama, scientia et exemplo insignes, libentissime admittere, advocare, invitare, imo et trahere ad evangelizandum sibi commissis; eos vero qui vitiosa conversatione ac fama odibili destruunt ea quæ clamant, libentius quantum fas est, refutare. Nec ullum est dubium disputationeve dignum, quin venerabiles Patres ac Fratres privilegiati, legitime conversantes, litterati et fervidi, ineffabiliter prosint atque fructificent ovibus Christi : idcirco qui tales admittit invite, persequitur aut molestat, lupus est, non pastor, et Pilatus potius quam prælatus. Talis plane infelix et cæcus est, se ipsum quærens, suum honorem, sua et commoda, non Christi honorificentiam, cultum, ac animarum salutem.

Quodl. VII, q. 23. Consequenter quærit Henricus, utrum erroneum sit dicere, quod vere pœnitens et confessus, riteque absolutus ab eo qui potest, teneatur eadem numero peccata iterum confiteri. Respondet : Sciendum, quod Raimundus in Summa sua sic quærit, Numquid peccata semel confessa tenemur iterum confiteri ? Ad quod respondendo subjungit : Dicas quod non regulariter. Quocirca notandum, quod dicendo, Regulariter, innuit in aliquo casu oportere eadem denuo confiteri : regula namque, ut dicunt grammatici, est generale documentum plura in una similitudine continens, in aliquibus tamen deficiens. Unde Raimundus subjungit : Solent excipi quatuor casus, in quibus tenemur iterum confiteri, qui notantur in Glossa super verbo hoc, denuo : imo et præter illos est alius. — Itaque considerandum est hic aliquid ex parte sacramenti Pœnitentiæ, et

A aliquid ex parte confessoris, et aliquid ex parte confitentis. Quantum ad primum, simpliciter respondendum, quod non oportet confessa iterum confiteri : quia hoc esset ex debilitate et insufficientia sacramenti, quod nefas est dicere.

Ex parte confessoris sunt duo pensanda : primum est ejus potestas; secundum est ejus industria ad discernendum peccatorum gravitatem ac qualitatem. Sicque in Glossa prætacta ponitur primus casus in quo confessa oportet reconfiteri non
B eidem sed alteri, utpote, propter nimiam imperitiam ejus. Unde habetur in Glossa : Si sacerdos meus est imperitus, teneor confessionem ei factam alteri discretiori propalare. Propter quod Augustinus in libro de Pœnitentia loquitur : Qui confiteri vult peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare et solvere. Et Urbanus Papa, distinctione 6, capitulo Placuit : Nulli sacerdotum liceat quemlibet alteri commissum ad pœnitentiam suscipere sine ejus consensu cui se commisit,
C nisi propter ignorantiam illius cui pœnitens est confessus. Si vero confessor potestatem absolvendi non habet, oportet alteri habenti potestatem confiteri. In extrema vero necessitate, quilibet sacerdos potest absolvere; nec tunc pœnitentia est injungenda, sed insinuanda. Quod si æger convalescat, debet accedere ordinariam potestatem habentem, et præsentare se ei ac dicere se esse confessum et absolutum, pœnitentiam quoque sibi insinuatam implere paratum. Alii dicunt, quod debet su-
D periorem adire, et ei rursus singula confiteri, ac satisfactionem ab ipso recipere : quod verius credo.

Ex parte etiam confitentis debemus duo perpendere. Primum est, an sit vere pœnitens, an non; et si sit pœnitens, an sit subditus ei cui confitetur, an non. Si non sit vere pœnitens de quocumque mortali, tunc fictus confitetur, nec vere absolvitur, et tenetur eadem iterum confiteri; similiter si non sit subditus confessori. Si autem sit confessori subditus, tunc aut est aliud

circa ipsum confitentem impediens ne absolvatur, ut si aliquid sponte celet : et sic nequaquam absolvitur, quia nec vere confessus est. Si vero circa confitentem non est aliquod impedimentum quin absolvatur per primam confessionem, aut id propter quod iterato confitendum est, contingit ex defectu satisfactionis, vel ex aliqua obligatione circa confitentem, quod potest esse tripliciter. Primo sic, quod obligatio facta est circa confitentem a superiori prælato, qui jussit ut confitens alicui, determinate confiteatur præter eum cui confessus est; aut ex parte confitentis circa se ipsum, ut si promisit alteri confiteri ; vel si confessor pro pœnitentia ei injungat ut adhuc alteri confiteatur. Sed quæstio ista specialiter proposita est propter hoc, an confitens confessus et absolutus, teneatur quandoque iterum confiteri propter obligationem sibi factam a superiori de confitendo alicui determinate, ut si episcopus meus dicat mihi : Henrice, propter devotionem quam populus diœcesis meæ erga te habet, et propter fructum quem consequi potest tibi confitendo, damus tibi plenam auctoritatem audiendi confessionem ipsius ; sic tamen, ut quicumque tibi confessi fuerint, teneantur eadem peccata saltem semel in anno propriis suis sacerdotibus iterum confiteri, atque ut tu ad hoc agendum eos diligenter horteris. In quo casu dico, quod confitens, a me rite absolutus, tenetur iterum eadem peccata suo presbytero confiteri : imo nec absolvitur a me, nisi habendo propositum illud implendi. Quod nisi impleverit facultate oblata, inobedientiæ peccatum incurrit : a quo absolvi non poterit, nisi proposito iterandæ confessionis resumpto. — Hæc idem.

q. 24. Qui tertio sciscitatur, an confessi Fratribus Ordinis Prædicatorum et Minorum, teneantur eadem peccata denuo confiteri proprio sacerdoti ad minus semel in anno. Quocirca scribit prolixe, et respondet affirmative, quod scilicet teneantur ad hoc ; ac protestatur, quod si sibi datum esset privilegium quod datum est Fratribus il-

A lis, non auderet eo uti nisi efficaciter exhortando confitentes sibi, ut eadem peccata confiterentur suis curatis, et non solum ea quæ sibi confiterentur, sed et omnia quæ toto anno committerent ; et quod intentio summi Pontificis non fuit evacuare Decretalem illam generalis concilii, Omnis utriusque sexus, etc., nec derogare auctoritati aut juri propriorum seu parochialium sacerdotum. Recitat quoque qualiter coram universitate Parisiensi convenerunt domini archiepiscopi atque episcopi, protestantes

B se ita sentire, et a doctoribus requirentes quid sentirent ; responderuntque doctores, tam theologi quam juristæ, se ita sentire, quousque Pontifex summus suam circa hoc declararet intentionem. Denique, quum ipsis curatis divino competat jure, et ex debito officii pastoralis incumbat, prædicare populo suo de pertinentibus ad salutem, et qualiter debeant resistere vitiis, prævalere tentationibus, ad virtutes se dare, a pristinis pravitatibus abstinere : nonne valde expediens est, ut ipsorum interiora

C cognoscant vitia et defectus ac pristina mala ? Ad quod maxime confert, ut saltem semel in anno personaliter audiant confessiones ipsorum : quas audiendo, etiam diligenter ac debite ipsos informent, ac sciant qualiter ad sacram communionem sint dispositi.

QUÆSTIO VIII

D QUæritur quoque, **An teneamur ex caritate confiteri; et utrum is qui non confitetur ex contritione, impleat præceptum Ecclesiæ de confitendo semel in anno.**

Videtur quod ex caritate confiteri tenemur. Confessio namque (ut dictum est sæpe) est actus virtutis, et (ut ait auctoritas) omnia in confessione lavantur ; et quum sit sacramentum, contentiva et effectiva est gratiæ. — Præterea Ecclesiæ obediendo in confitendo et in aliis actibus bonis, me- *Cf. quæst. 6.* S. Bernardus.

remur vitam æternam, sicut ait Salvator : A Si vis intrare ad vitam, serva mandata; (*Matth.* XIX, 17.) et rursus, Qui vos audit, me audit. (*Luc.* X, 16.) Quod esse non valet, nisi ex caritate efficiatur.

Ad hoc Antisiodorensis respondet : Ex caritate conteri et satisfacere obligamur; et omne quod satisfactorium est ex pœnitentia, tenemur ex caritate peragere. Nam et conteri satisfactorium est satisfactione interiori. Unde et ex caritate confiteri tenemur, ad hoc quod sit confessio satisfactoria : sicque sub conditione tenemur B ex caritate confiteri, et non simpliciter. Ideo si quis confiteatur, quamvis non ex caritate, absolutus est ab obligatione confitendi et absolvendi exterius quoad forum Ecclesiæ; et adveniente caritate seu vera contritione, incipit confessio illa valere, et vis clavium suum habere effectum : ideo non tenetur hic denuo confiteri. Sed quoad Deum, confessio nulla est sine contritione; nec absolutus est quis per confessionem ex contritione non factam. Et est simile, dum sacerdos injun- C git confitenti ut jejunet feria sexta in pane et aqua : iste tenetur taliter jejunare, tantum sub conditione, videlicet si hoc jejunium erit ei satisfactorium. Unde si non jejunet ex caritate, non omittit, nec tamen satisfacit, sed absolutus est quantum ad sacerdotis præceptum. Nec valet argumentatio ista, Tenetur conteri ex caritate, ergo et confiteri : quia tam conteri quam satisfacere est pure morale; confiteri vero exterius coram homine, non est pure morale, ut dictum est. (*Cf.* p. 355 A' et s.) Hæc Antisio- D dorensis.

At vero Thomas : Confessio, inquit, est actus virtutis et pars sacramenti. Atque ut actus virtutis, est actio meritoria proprie : et sic non valet sine caritate, quæ est promerendi principium. Sed prout est pars sacramenti, ordinat confitentem ad sacerdotem habentem claves Ecclesiæ, qui per confessionem cognoscit conscientiam confitentis. Sicque confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus : potest enim peccata sua innotescere sacerdoti, seque subjicere clavibus Ecclesiæ. Et quamvis tunc non percipiat fructum absolutionis, tamen recedente fictione recipere incipit. Idcirco qui ficte accepit, non tenetur confessionem iterare, sed fictionem suam debet sacerdoti postmodum confiteri. Contritio autem et satisfactio fiunt Deo : idcirco de ratione earum est, quod sint Deo acceptæ; quod esse non valet sine caritate.

Quæritur quoque, an oporteat confessionem integram esse. Dicendum, quod sicut in medicatione corporali oportet medicum non solum cognoscere unum morbum contra quem dare debet medicinam, sed universaliter totam habitudinem ægri, quoniam unus morbus ad conjunctionem alterius aggravatur; et medicina quæ uni morbo competeret, alteri præberet fomentum : ita est in spirituali medicamine vitiorum. Nam unum gravatur ex alio; et quod contra unum peccatum esset aptum remedium, alteri consisteret incentivum, quum unus et idem frequenter contrariis vitiis sit infectus. Idcirco de necessitate confessionis est, quod homo omnia sua confiteatur peccata quæ in memoria habet : aliter non est confessio, sed confessionis simulatio.

Verum circa hoc quæritur : interdum enim contingit quod facta confessione, alicujus peccati memoria occurrit, cujus in confessione immemor fuit; an tenetur illud eidem sacerdoti confiteri, aut etiam alia jam confessa reconfiteri. Et respondendum, quod aliqui dicunt eum qui sic recordatur peccati obliti, oportere non solum illud confiteri, sed et alia jam confessa, præsertim si nequeat eumdem sacerdotem habere ad confitendum, quatenus totius culpæ quantitas uni innotescat sacerdoti. Sed hoc necessarium non videtur. Peccatum namque habet gravitatem ex se ipso, et ex conjunctione alterius culpæ. Peccatorum vero de quibus confessus est, quantitatem manifestavit quam habent ex se ipsis. Et ad hoc quod utramque quantita-

tem hujus peccati sacerdos agnoscat, sufficit quod confitens hoc peccatum dicat in generali, quod dum alia multa peccata confitebatur, hujus peccati fuit oblitus. A

Verum tunc iterum quæritur, quid sit agendum, quando sacerdos confitentem non potest de omnibus sed de quibusdam peccatis absolvere. Et dicendum, quod quamvis sacerdos non valcat illum de omnibus absolvere, confitens tamen tenetur ei omnia confiteri, quatenus confessor quantitatem totius culpæ cognoscat, atque de his a quibus absolvere nequit, ad superiorem remittat. B

Amplius quæritur, an quis possit confiteri per alium seu per scriptum. Videtur quod sic, quia et ita potest sacerdoti omnia sua insinuare peccata. Imo interdum oportet per interpretem confiteri. Et rursus, propter absentiam sacerdotis videtur istud quandoque necesse. Respondendum, quod confessio est actus virtutis et pars *Cf.* q. 5 et 6. sacramenti, ut dictum est sæpe. Et quamvis ad eam ut est actus virtutis, sufficeret qualitercumque fieret, quamvis major difficultas esset in uno modo quam alio; attamen ut est pars sacramenti, habet actum determinatum, sicut et alia sacramenta habent determinatam materiam. Et sicut in Baptismo, ad designandum interiorem ablutionem, assumitur illud elementum cujus est maximus usus in abluendo; ita in actu sacramentali, ad manifestandum, ordinate assumitur ille actus quo maxime consuevimus manifestare, utpote proprium verbum. Alii enim modi sunt inducti in supplementum ipsius. Porro in eo qui usum linguæ non habet, puta in muto, vel qui est alterius linguæ, sufficit quod per nutum aut interpretem confiteatur : quoniam non exigitur ab homine plus quam possit. In absentia quoque proprii sacerdotis potest etiam laico fieri confessio : ideo non oportet quod fiat per scriptum, quia plus pertinet ad necessitatem confessionis actus ille, quam is cui fit confessio. — Hæc Thomas. C D

Qui adhuc circa hæc movet aliquas quæstiones de effectibus confessionis, quæ difficultatem non habent, atque ex præinductis solvi faciliter queunt. Nam quærit, an confessio liberet a morte peccati; an liberet aliquo modo a pœna; utrum aperiat paradisum; an tribuat spem salutis. Ad quæ omnia patet ex dictis solutio. Sacramenta enim evangelicæ legis continent et conferunt gratiam, suntque medicinalia vasa, medicinarum spiritualium contentiva. Et sicut Baptismus directe ordinatur contra originale, sic Pœnitentia seu confessio contra actuale. Ab ingressu autem paradisi cœlestis nil impedit nisi peccatum : idcirco hoc sacramentum eo ipso quo aufert peccatum, aperit januam regni per modum meritoriæ causæ. Sic quoque parit ac influit spem salutis, a qua nil impedit nisi iniquitas. Parit quoque confidentiam ac testimonium conscientiæ bonæ. *Cf.* dist. xiv, q. 6. *Cf.* dist. i, q. 4. *Cf.* p. 375 C'.

Postremo hic quæritur de conditionibus seu proprietatibus confessionis, quæ tanguntur his versibus :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Itaque harum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius. Ea demum quæ sunt de necessitate confessionis, aut competunt ei in quantum est actus virtutis, aut secundum quod est pars sacramenti. Si primo modo, aut ratione virtutis in genere, aut ratione specialis virtutis cujus est actus. Ex ratione autem actus virtutis in genere sunt quatuor conditiones, ut secundo Ethicorum habetur. Prima est, ut quis sit sciens : et quantum ad hoc, confessio dicitur esse *discreta*, secundum quod prudentia requiritur in actu omnis virtutis; et discretio ista consistit in hoc, ut majora peccata cum majori pondere confiteatur. Secunda conditio virtutis est, ut sit eligens, quoniam actus virtutum voluntarii esse debent : et quantum ad hoc, dici-

tur esse *libens.* Tertia conditio est, ut propter finem debitum operetur : ideo dicitur *pura,* ut scilicet intentio recta sit. Quarta, ut immobiliter operetur : et quantum ad hoc dicitur, quod debet esse *fortis,* ut scilicet propter verecundiam non dimittat. Est autem confessio, actus virtutis pœnitentiæ, quæ primo initium sumit ex horrore turpitudinis peccati : et quantum ad hoc, confessio debet esse *verecunda.* Secundo progreditur ad dolorem de peccato commisso : et quantum ad hoc, debet esse *lacrimabilis,* saltem lacrimis mentis. Tertio in abjectione sui terminatur : ideo additur, *humilis,* ut se miserum et infirmum confiteatur. Ex propria vero ratione hujus actus qui est confessio, habet quod sit manifestativa : quæ manifestatio impediri per quatuor potest. Primo, per falsitatem : ideo dicitur *fidelis,* id est vera. Secundo, per obscuritatem : hinc subditur, *nuda,* ut non involvat veritatem obscuritate verborum. Tertio, per verborum multiplicationem : idcirco debet esse *simplex,* quatenus non recitet in confessione nisi quod ad quantitatem pertinet culpæ. Quarto, ut non subtrahat aliquid de his quæ manifestant peccatum : ideo ait, *integra.* Verum prout confessio est pars sacramenti, sic concernit judicium sacerdotis, qui minister est sacramenti : unde oportet quod sit *accusans* se ipsum ex parte confitentis ; et *obedire parata* ipsi confessori ; et *secreta,* quantum ad conditionem fori, in quo de secretis conscientiæ agitur. Sed de bene esse confessionis est, quod sit *frequens,* et *accelerata,* ut scilicet statim quis confiteatur. — Hæc Thomas.

In quibus quod ait, potius esse laico confitendum quam sacerdoti per scriptum, non videtur, quum scriptum sit verborum connexio in materia exarata evidenter significans, nec laicus claves habeat ad absolvendum. — Insuper quod dictum est, eum qui ficte confessus est, non oportere denuo confiteri quæ confessus est, nisi de ipsa fictione, non videtur sic esse. Si enim ficte confessus est, conscius sibi fuit suæ

A fictionis : ergo de ea quoque debuit confiteri ; et si hoc scienter dimisit, confessio fuit nulla, quia non integra. Item confiteri tenemur eo modo quo Christus legislator intendebat nos obligare ad confitendum, videlicet ut cum diligentia et dolore saltem attritionis confiteamur, non ficte.

Petrus quoque fatetur, quod in articulo quo quis non potest alteri per verba proprii oris confiteri, sufficit alius actus, seu per æquivalens confiteri.

Richardus etiam consonat præinductis,
B et quærit, an mulier teneatur aut debeat suo proprio seu parochiali presbytero confiteri peccatum venereum quod cum illo commisit. Respondet quod non, si probabiliter putet quod sacerdos adhuc lascivus sit, et eam de illicito opere sollicitabit, vel libidine accendetur, vel quod ipsamet tale quid ex sua fragilitate passura sit. Imo tunc debet licentiam confitendi alteri petere : quam si ille dare renuerit, ipsa nihilo minus suæ debet providere saluti.

Insuper Bonaventura circa litteram scri-
C bit : Quando confitetur quis laico, facit hoc non ut sacramentum consequatur, sed ut promptam esse suam voluntatem ostendat. Quidam tamen dixerunt, quod in tali confessione aliquo modo absolvitur, dicentes, quod quinque modis habetur absolvendi potestas. Primo, summa auctoritate : et ita est Dei. Secundo, per excellentiam : et ita est Christi. Tertio, potestate seu auctoritate commissa : et ita est sacerdotum. Quarto, merito vitæ : et sic convenit justis et sanctis viris. Quinto, virtute ec-
D clesiasticæ unitatis : et ita est cujuslibet viri fidelis. — Advertendum etiam, quod sive scientia sit clavis, sive non ; tamen tanta scientia necessaria est confessori, quod sciat discernere in peccatis communibus, quod mortale et quod veniale ; atque quod sciat ad quæ se sua extendat potestas. — Item, propter malitiam fictionis est confessio iteranda, ut si quis cum proposito peccandi accessit, atque confessus est, etc. Hæc Bonaventura.

Præterea Argentinensis communiori ad-

hæret opinioni de tempore confitendi. Fortiter quoque tuetur, quod confessi religiosis privilegiatis, non tenentur peccata confessa iterum confiteri proprio sacerdoti, allegans ad hoc nova jura ac declarationes et determinationes summorum A Pontificum qui fuerunt in brevi, videlicet Clementis Papæ III, Bonifacii et Joannis XXII, quem refert quemdam doctorem hujus oppositum asserentem citasse, increpasse, et ad revocandum quod dixerat, compulisse.

DISTINCTIO XVIII

A. *De remissione sacerdotis.*

HIC quæri solet, si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo pœnitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei a sacerdote. Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet temporalis pœnæ, sed non a quo eum absolvat; et ideo quæro. Ante pœnitudinem quippe cordis, anima rei maculam habet et fœtorem peccati, atque æternæ ultionis vinculo ligata exsistit. Si vero ante confessionem, per cordis contritionem Deus per se ipsum sine ministerio sacerdotis et debitum omnino relaxat et animam interius purgat a contagione et fœtore peccati; quid ergo mundat, quid dimittit sacerdos? Ubi sunt claves illæ quas Dominus tradidit Petro et successoribus ejus, dicens : Tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo; quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo? Ut autem præmissa quæstio plenius explicari valeat, quasi altius ducto rete, de his clavibus et usu earum disseramus.

Hugo. Summa Sent. tract. VI, c. 11.
Matth. XVI, 19.
Luc. V, 4.

B. *De clavibus.*

Claves istæ non sunt corporales, sed spirituales, scilicet discernendi scientia et potentia judicandi, id est ligandi et solvendi, qua dignos recipere, et indignos debet excludere a regno ecclesiasticus judex : qui sicut habet jus ligandi, ita et solvendi. Unde Ambrosius : Dominus par jus et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Et infra : Certum est quod Ecclesiæ utrumque licet, hæresis utrumque non habet. Jus enim hoc solis permissum est sacerdotibus : recte ergo Ecclesia hoc sibi vindicat, quæ veros sacerdotes habet; hæresis vindicare non potest, quæ veros sacerdotes non habet.

Hugo. op. cit. c. 14.
Ambr. de Pœnit. lib. I, n. 7.
Ibidem.

C. *De usu clavium.*

Usus vero harum clavium multiplex est, discernere scilicet ligandos et solvendos, ac deinde ligare vel solvere. Qui enim indignos ligat vel solvit, propria potestate se privat, id est, dignum privatione se facit.

Gregor. in Evang. hom. 26, n. 5.

D. *Si sacerdos possit dimittere vel retinere peccata.*

Cf. Hugo, de Sacram. lib. II, p. XIV, c. 8. Sed quæritur, utrum a peccato solvere valeat sacerdos, id est a culpa, ut culpæ maculam abstergat, vel debitum æternæ mortis solvere valeat. Quidam arbitrati sunt, quum peccator dupliciter ligatus teneatur, ut prædictum est, scilicet mentis contagione ac cæcitate, et debito futuræ pœnæ; alterum curari per Deum, alterum solvi per sacerdotem. Patitur enim per peccatum quasdam tenebras interiores et *Matth.* XXII, 13. maculas, a quibus nisi liberetur, projicietur in tenebras exteriores; quum autem *Ephes.* V, 14. liberatur ab his, suscitatur a morte peccati. Unde Apostolus : Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus. Solus enim Christus, non sacerdos, animam resuscitat, ac pulsis tenebris interioribus et maculis, eam illuminat et mundat, qui animæ faciem lavat. Debitum vero æternæ pœnæ solvere concessit sacerdotibus. Quod in resurre- *Joann.* XI, 43, 44. ctione Lazari signatum asserunt, quem Christus prius per se interius vivificavit, deinde foras exire jussit, eumque adhuc ligatum solvere Apostolis præcepit : quia ut aiunt, ipse interius animam a caligine maculaque peccati emundat, sacerdotibus vero dedit vinculum æternæ mortis solvere. — Alii vero dicunt, solum Deum, non sacerdotem, debitum æternæ mortis dimittere, sicut et animam interius per se vivificat; nec tamen diffitentur, sacerdotibus traditam potestatem peccata dimittendi *Ibid.* XX, 23. et retinendi, quibus dictum est : Quorum remiseritis peccata, etc. Sicut enim Christus retinuit sibi potestatem Baptismi, ita et Pœnitentiæ; et ideo, sicut interius gratia sua animam illuminat, ita et simul debitum æternæ mortis relaxat. Ipse enim per se ipsum peccata pœnitentium tegit; et tunc tegit, quando ad pœnam non reservat : tunc ergo tegit, quando debitum pœnæ solvit. Quod autem ipse tegat, *Ps.* XXXI, 1. Aug. in ps. 31 enarrat. 2, n. 9. aperte dicit Augustinus, exponens illum locum Psalmi : Beati quorum tecta sunt peccata, id est cooperta et abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, id est punire, sed ignoscere. Ita ergo dicit a Deo tecta, ut Deus non videat, id est, æternaliter puniat : videre enim Dei peccata, est ad pœnam imputare; avertere autem faciem a peccatis, hoc est ea ad pœnam Ap. Strabum in ps. XXXI, 2. non reservare. Item Hieronymus : Quibus Deus dimittit peccata, tegit, ne in judicio Ibid. 3. revelentur. Item Cassiodorus : Qui gravia habent peccata, aliis Deus imputat, aliis per misericordiam non imputat.

Ex his aperte ostenditur, quod Deus ipse pœnitentem solvit a debito pœnæ, et tunc solvit, quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionem. Cui sententiæ ratio suffragatur, et auctoritates attestantur. Nemo enim vere compungitur de peccato, habens cor contritum et humiliatum, nisi in caritate. Qui autem caritatem habet, dignus est vita æterna. Nemo autem simul vita et morte dignus est : non est ergo tunc ligatus debito æternæ mortis. Filius enim iræ esse desiit, ex quo diligere et pœnitere cœpit. Ex tunc ergo solutus est ab ira, quæ non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit. Non ergo postmodum per sacerdotem cui confitetur, ab ira æterna liberatur, a qua jam liberatus est per

Dominum, ex quo dixit, Confitebor. Solus ergo Deus hominem interius mundat a peccati macula, et a debito æternæ pœnæ solvit, qui per Prophetam ait : Ego solus deleo iniquitates et peccata populi. Item Ambrosius : Verbum Dei dimittit peccata; sacerdos est judex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Idem : Ille solus peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est. Item Augustinus : Nemo tollit peccata nisi solus Deus, qui est Agnus tollens peccata mundi. Tollit autem et dimittendo quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, et perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt. — His aliisque pluribus testimoniis docetur, Deum solum per se peccata dimittere; et sicut dimittit quibusdam, ita et aliorum quorumdam peccata retinet.

Is. XLIII, 25. De Pœnit. dist. I, c. 51. Ambr. in Luc. lib. VI, n. 109. De Consecr. dist. IV, c. 141.

E. *Quod sacerdotes etiam dimittunt et tenent peccata suo modo.*

Nec ideo tamen negamus, sacerdotibus concessam potestatem dimittendi et retinendi peccâta, quum hoc Veritas in Evangelio aperte doceat. Hinc Augustinus ait : Ecclesiæ caritas, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus, eorum qui participes sui sunt peccata dimittit; eorum qui non sunt, tenet. Idem : Sacerdotes possunt confitentibus parcere : quibus enim remittunt, remittit Deus. Lazarum enim de monumento suscitatum obtulit discipulis solvendum, per hoc ostendens potestatem solvendi concessam sacerdotibus. Dixit enim : Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in cœlo, etc., hoc est, Ego Deus et omnes cœlestis curiæ* ordines, et omnes Sancti in gloria mea, laudant vobiscum et confirmant quos ligatis et solvitis. Non dixit, Quos putatis ligare et solvere; sed, In quos exercetis opus justitiæ et misericordiæ. Aliter autem, vel alia opera vestra in peccatores, non cognosco. Idem : Quum veraciter ad Deum converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur quibus ipse veraci conversione conjungitur. Spiritus Sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus Sanctis sibi caritate cohærentibus, sive se noverint corporaliter, sive non. Similiter, quum alicujus tenentur peccata, ab eis tenentur a quibus ille cordis pravitate disjungitur, sive notis corporaliter, sive ignotis. Omnes enim mali spiritualiter a bonis sejuncti sunt. — Ecce hic dicit peccata dimitti vel teneri a sanctis viris, et tamen Spiritum Sanctum ea dimittere dicit. Et quod majori consideratione dignum est, idem etiam dicit, quod Deus per se vel per Sanctos suos tantum dimittit peccata. Ait enim sic : Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam non nisi per se ipsum vel per Sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per se ipsum facit, vel per ipsius columbæ membra, quibus ait : Si cui dimiseritis, dimittentur. — Ecce quam varia a doctoribus traduntur super his; et in hac tanta varietate quid tenendum? Hoc sane dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata et retinet, et tamen Ecclesiæ contulit potestatem ligandi et solvendi; sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, quia et animam mundat ab interiori macula, et a debito æternæ mortis solvit.

Aug. in Joann. tract. 121, n. 4. Aug. de Vera pœnit. n. 25. *Joann.* XI, 44. *Matth.* XVIII, 18. * militiæ Aug. de Bapt. contra Donat. lib. VI, n. 6. Ibid. n. 7. Ibid. lib. V, n. 29.

F. *Quomodo sacerdotes ligant vel solvunt a peccatis.*

Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi [*Luc.* v, 13, 14.] et ligandi, id est ostendendi homines esse ligatos vel solutos. Unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum judicio osten- [*Joann.* xi, 44.] deretur mundatus ; ita etiam Lazarum jam vivificatum, obtulit discipulis solvendum: quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur nisi per judicium sacerdotis. In solvendis ergo culpis vel retinendis ita operatur sacerdos evangelicus et judicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat. Unde Hieronymus super Matthæum, ubi Dominus ait Petro, [*Matth.* xvi, 19.] Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum [Hier. in Matth. xvi, 19.] et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis : Hunc, inquit, locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt de supercilio Pharisæorum, ut damnare innoxios vel solvere se putent noxios, quum apud Deum non sententia [*Lev.* xiv, 2.] sacerdotum, sed reorum vita quæratur. In Levitico se ostendere sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt. Ita et hic aperte ostenditur, quod non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium, quæ per subreptionem et ignorantiam interdum judicat ; Deus autem semper judicat secundum veritatem. Et in remittendis vel in retinendis culpis id juris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim habebant sub lege legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel [*Num.* vi, 27.] retenta judicant et ostendunt. Ponunt enim sacerdotes nomen Domini super filios Israel, sed ipse benedicit, ut dicitur in Numeris. Hunc modum ligandi et solvendi Hieronymus supra notavit.

G. *Alius modus ligandi et solvendi.*

Ligant quoque sacerdotes, dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt ; solvunt, quum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramento- [*Cf.* dist. xvii D.] rum communionem admittunt, quem modum superius Leo Papa notavit. Secundum hunc modum dicuntur etiam sacerdotes dimittere peccata vel retinere. Unde supe- [*Cf.* p. 493 E.] rius Augustinus dixit : Quibus remittunt, remittit Deus, etc. Opus enim justitiæ exercent in peccatores, quum eos justa pœna ligant; opus misericordiæ, dum de ea aliquid relaxant, vel sacramentorum communioni conciliant ; alia opera in peccatores exercere nequeunt. Et notandum est, quia quos satisfactione pœnitentiæ ligant, eo ipso a peccatis solutos ostendunt : quia non imponitur alicui satisfactio pœnitentialis, nisi quem sacerdos vere pœnitentem arbitratur. Alii vero non imponunt, et eo ipso peccatum retineri a Deo judicant. Quod autem hoc ad claves perti- [Gratian. in Decret. de Pœnit. dist. i, c. 87, n. 10.] neat, Augustinus ostendit dicens : Frustrat claves Ecclesiæ qui sine arbitrio sacerdotis pœnitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentia impetratur. — Est

et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem geritur : dum aliquis secundum canonicam disciplinam tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti, et satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiæ a loco orationis et sacramentorum communione et fidelium consortio præscinditur, ut erubescat, et pudore sceleris conversus pœniteat, ut sic spiritus ejus salvus sit. Quod si pœnitentiam profitens resipuerit, negatæ communioni admittitur, et Ecclesiæ reconciliatur. Hæc autem Ecclesiæ anathematizatio hanc pœnam illis qui digne percelluntur infligit : quia gratia Dei et protectio illis amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, ut sit eis liberum ruere in interitum peccati, in quos etiam major diabolo sæviendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiæ et benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquam suffragari putantur.

H. *Quomodo secundum hos modos intelligendum sit illud : Quodcumque solveris super terram, erit, etc.*

Secundum hos ligandi et solvendi modos, quomodo verum est quod dicitur, Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis; et quodcumque liga- *Matth.* XVI, 19.
veris super terram, erit ligatum et in cœlis ? Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos qui non sunt soluti vel ligati apud Deum, et pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt, et indignos sacramentis admittunt, et dignos admitti arcent. Sed intelligendum est hoc in illis quorum merita solvi vel ligari postulant. Tunc enim sententia sacerdotis judicio Dei et totius cœlestis curiæ approbatur et confirmatur, quum ita ex discretione procedit, ut reorum merita non contradicant. Quoscumque ergo solvunt vel ligant adhibentes clavem discretionis reorum meritis, solvuntur vel ligantur in cœlis, id est apud Deum : quia divino judicio sacerdotis sententia sic progressa approbatur et confirmatur. Quos ergo secundum merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit; et illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur, nisi contemnat. Unde Origenes : Exit quis a veritate, a fide, a caritate, per hoc exit de Origen. in Levit. hom. 14, n. 3.
castris Ecclesiæ, etiam si episcopi voce non abjiciatur : sicut econtra aliquis non recto judicio foras mittitur; sed si non egit ut mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est; et qui foris est, intus videtur retineri. — Ecce qualis et quantus est usus apostolicarum clavium. Jam ostensum est ex parte, qualiter sacerdotes dimittunt peccata vel retinent; et tamen retinuit sibi Deus quamdam singularem potestatem dimittendi vel retinendi, quia ipse solus per se debitum æternæ mortis solvit et animam interius purgat.

I. *Quæ sint interiores tenebræ et interior macula.*

Hic quæritur, quæ sit illa macula, et quæ sint illæ tenebræ interiores, a quibus Deus interius animam purgat, quum veram pœnitentiam immittit. De tenebris et

interiori caligine satis facile est et intelligere et respondere. Quum enim quis mortaliter delinquit : et gratia virtutis privatur, si qua præcessit, et naturalium bonorum elisionem patitur. Unde et intellectus obtunditur, et totus homo interior obtenebratur : et ita quasi caligine quadam mens obvolvitur, quæ caligo peccati pœna est. Hanc vero Deus pellit, quum pœnitentiam immittit, per quam perdita bona restituit,
Ps. CXLVII, 16. et vitiata reparat. Unde Propheta : Nebulam sicut cinerem spargit. Sed quæ est macula peccati, a qua Deus animam lavat? Ecce enim quis voluit facere homicidium, et patravit : quo patrato, desinit tam velle quam facere ; nondum tamen vere et humiliter pœnitet, nec confiteri proponit. Quæ ergo remansit in anima illius macula? Mala voluntas quidem fuit macula illius animæ, sed illa transivit. Macula etiam est, si pœnitere contemnit; sed hoc est peccatum aliud a præcedenti. Quæ ergo macula remansit, a qua ipse in Pœnitentia purgatur? Polluta quidem est anima quousque pœniteat, sicut erat dum in ea prava erat voluntas. Sicut enim qui tangit
Lev. XI, 27. morticinum vel aliud immundum, ita pollutus est post tactum quousque lavatur, sicut fuit dum tangeret; ita post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati : quia ita est longe a Deo per dissimilitudinem, qui est vita et munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo dissimilitudo quæ inest animæ ex peccato et est a Deo elongatio, animæ macula intelligitur, a qua purgatur in pœnitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam et illuminat : quod sacerdotes nequeunt, qui tamen medici sunt animarum. Unde Propheta :
Ps. LXXXVII, 11. Numquid medici suscitabunt et confitebuntur tibi? Quod exponens Augustinus,
Aug. Enarrat. in ps. 87, n. 10. ait : Boni doctores recte medici dicuntur, qui viventes curare ministerio possunt, sed non mortuos suscitare : sola enim Dei gratia mortui reviviscunt.

SUMMA

DISTINCTIONIS OCTAVÆDECIMÆ

JAM ante tractavit Magister de Pœnitentia ac partibus ejus ; nunc tractat de potestate per quam ministri Pœnitentiæ seu sacerdotes, quorum est pœnitentes absolvere in foro confessionis, absolvunt eosdem aut ligant. Et circa hoc primo inquirit, qualiter sacerdos confitentem absolvit, qui jam per veram contritionem ac confitendi propositum a Deo est absolutus ab omni peccato mortali, et per consequens a debito pœnæ æternæ. Quid ergo mundat, quid dimittit sacerdos, præsertim quum Deo sit proprium peccata dimittere, a tenebris vitiorum per illuminationem internam, sapientiæ infusione mundare, a macula culpæ per gratiæ nitorem ac virtutum A splendorem purgare, et a damnatione eruere æternali? Deinde quærit, quæ sit ista ministrorum Ecclesiæ potestas, qua tam magna ac divina agere perhibentur, et quis usus seu actus et effectus clavium, atque quo sensu, quo modo sacerdotes solvunt et ligant, dimittunt retinentque peccata. Insuper tractat de usu clavium qui excommunicatio appellatur. Tandem circa finem distinctionis istius redit ad perscrutandum quid sit macula culpæ interior, et quæ sint tenebræ interiores. Harum quæ- B stionum solutiones modo patebunt.

QUÆSTIO PRIMA

HIC quæritur, **Utrum in Ecclesia sint claves spirituales ad aperiendum pœnitentibus regnum cœ-**

lorum, et an sint duæ ab invicem realiter differentes.

Videtur quod non sint hujusmodi claves, quia per Christi passionem jam aperta est janua regni cœlestis. Non ergo requiritur clavis qua pœnitentibus aperiatur. — Secundo, pœnitens per veram contritionem meretur ingressum regni cœlestis et heres est ejus, caritatem habendo : ergo jus habet intrandi et possidendi patriam Beatorum, nec indiget apertione conservi, præsertim quum multi simplices clavem non habentes, magis digni et apti sint ingredi regnum illud, quam hi qui claves habere dicuntur. — Videtur quoque una clavis ad unius januæ reserationem sufficere, et ita non erunt duæ claves.

In oppositum est quod Christus apud Matthæum loquitur beatissimo Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum : in quibus verbis pluraliter exprimit claves. *Matth.* XVI, 19.

Circa hæc scribit Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali : Amplissime atque magnifice de clavibus Ecclesiæ et potestate ac sacerdotali ministerio sentiendum esse non dubitamus. Claves namque Ecclesiæ datæ sunt, officiaque et potestas sacerdotibus collata, ad dispensandum divitias misericordiæ Dei, ut sint in Ecclesia qui aperiant pulsantibus, et introducant intrare volentes, et tanquam officiales pietatis divinæ, confugientes ad eam tota gratulatione et applausu recipiant, reos absolvant, peccata dimittant, spoliatosque omnibus bonis gratiæ a latronibus infernalibus ad pristinam opulentiam reducere enitantur, vulneratos ac morbidos medicina cœlesti ac divina sacramentorum virtute curantes. Etenim pie credimus ac sentimus, eis qui cum fide hujus sacramenti ac vehementi desiderio redeundi ad pacem et gratiam Dei, quamvis timore propriæ infirmitatis et oppressione pravæ consuetudinis, propositum abstinendi a prioribus vitiis ac fiduciam evadendi ea non habeant firmum, interdum ex divinæ pietatis abundantia et respectu, præstari

A virtute clavium ac sacramenti istius tale propositum ac talem fiduciam. Conantibus quippe ad Deum reverti, credendum est indubitanter Patrem misericordiarum porrigere dexteram sui auxilii. Quemadmodum ille qui lunaticum filium attulit ad Christum, credere nitebatur, sed fidem ad quam conabatur nondum habuit ; ideo dixit : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Unde merito sui conatus, sibi ipsi perfectioris fidei donum et filio suo obtinuit sanitatem. *Marc.* IX, 23.

B Verum quæri potest de pœnitente, quando conteritur atque absolvitur, an habeat illa peccata de quibus conteritur et absolvitur, an non habeat. Si non habet, ergo jam sanctus et innocens est, nec habet quod ei remittatur; si vero adhuc habet, ergo simul stant contritio et peccatum. Ad quod dicimus, quod remissio peccatorum dupliciter intelligi potest : primo, non imputatio neque exactio eorum ad pœnam et ultionem ; secundo, ipsa ablutio macularum et sordium, quæ interdum culpæ C vocantur. Sicque peccata dimittuntur dupliciter, utpote, quantum ad pœnam, et quantum ad culpam. Et verum est quod neutra remissionum illarum simul esse potest cum culpa seu cum pœna cujus est remissio, hoc est, nec remissio culpæ cum culpa, neque remissio pœnæ cum debito pœnæ, propter contrarietatem earum ad invicem ; sed dimitti dicuntur, quia ultra non imputantur nec exiguntur ad pœnam, quæ ante imputabantur. Et absolvi ab hujusmodi debitis, est nunc primo ea D non habere : imo gratiam purificantem ac reconciliantem a Deo suscipere, per quod pœnitens fit Creatoris sui amicus, cujus per culpam exstitit inimicus. Et ad hoc sacerdos instrumentaliter ac multipliciter cooperatur, ut dictum est, et clarius jam dicetur. — Hæc Guillelmus. *Cf.* p. 429 in fine, 476 B.

At vero Thomas : In corporalibus, inquit, dicitur clavis instrumentum quo ostium aperitur. Ostium autem regni cœlestis nobis clauditur per peccatum, et quantum ad maculam, et quantum ad pœnæ rea-

tum. Idcirco potestas qua tale obstaculum regni removetur, dicitur clavis. Quæ potestas est in Deo Trinitate per auctoritatem : unde a quibusdam dicitur clavem auctoritatis habere. Sed in Christo homine fuit ista potestas ad removendum prædictum obstaculum, per meritum passionis, quæ etiam dicitur januam aperire : propter quod dicitur a quibusdam habere clavem excellentiæ. Quumque ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus fabricatur Ecclesia : hinc in sacramentis Ecclesiæ manet efficacia passionis Christi. In ministris quoque Ecclesiæ, qui dispensatores sunt sacramentorum, manet potestas aliqua ad removendum præfatum obstaculum, non virtute propria, sed divina, passionisque Christi. Et hæc potestas metaphorice nuncupatur clavis Ecclesiæ, quæ et clavis ministerii nominatur. Quamvis ergo janua regni cœlestis sit aperta, tamen clauditur peccanti per propriam ejus culpam.

Si vero objicias : Cuicumque clauditur cœlum, aperitur infernus, et econverso; ergo qua ratione Ecclesia habet claves regni cœlorum, dicenda est habere claves inferorum, quod tamen non dicitur. Dicendum, quod clavis inferni, qua aperitur et clauditur, est potestas conferendi gratiam : per quam homini aperitur infernus, ut educatur de peccato (quod est porta inferni), et clauditur, ne homo ultra in peccatum labatur. Gratiam autem conferre solius est Dei : ideo clavem inferni sibi soli retinuit. Clavis vero regni, est potestas dimittendi pœnæ reatum, per quem prohibetur a regno : ideo magis potuit homini dari clavis regni quam clavis inferni. Nec enim sunt idem. De inferno quippe educitur homo per remissionem culpæ, qui in instanti non introducitur in regnum propter reatum pœnæ temporalis. Vel dicendum, ut alii dicunt, quod idem est clavis cœli et clavis inferni, quoniam ex hoc ipso quod alicui aperitur unum, clauditur alterum; sed denominatur a digniori.

Præterea clavis ista spiritualis sic defi-
A nitur : Clavis est ligandi atque solvendi potestas, qua ecclesiasticus judex indignos excludere debet a regno, et dignos recipere : ut ex littera habetur, et ex glossa Hieronymi, Matthæi sextodecimo. Ut enim secundo de Anima docet Philosophus, potentiæ definiuntur per actus. Quumque clavis sit quædam potestas, oportet quod per actum seu usum suum definiatur, et quod in actu exprimatur objectum, a quo speciem recipit actus, ac modus agendi, ex quo apparet potentia ordinata. Actus
B autem potestatis spiritualis non est ut cœlum aperiat absolute, quum sit modo apertum, sed ut huic vel illi aperiat : quod ordinate fieri nequit, nisi idoneitate ejus cui aperitur, pensata. Hinc in prætacta definitione ponitur genus clavis, quum dicitur, Potestas; atque subjectum potestatis, quum subditur, Ecclesiasticus judex; actus quoque, quum additur, Excludere et recipere, secundum quod duo sunt actus clavis materialis; objectum etiam, quum dicitur, A regno; et modus agendi, quum
C dicitur, Dignos et indignos.

Si autem quæratur, an clavis ista sit idem quod sacerdotalis character; dicendum, quod ad duo, quorum unum est causa alterius, ordinatur una potestas, sicut in igne ad calefaciendum et dissolvendum. Quumque omnis gratia atque remissio in corpore mystico descendat a capite suo Christo : hinc eadem potestas per essentiam esse videtur, qua sacerdos conficere potest et qua solvere potest et ligare, si jurisdictio adsit; nec differt nisi ratione,
D secundum quod ad diversos comparatur effectus : quemadmodum ignis secundum aliam rationem dicitur calefactivus et liquefactivus. Quumque nil aliud sit character ordinis sacerdotalis, quam potestas exercendi id ad quod ordo sacerdotii principaliter ordinatur, oportet sustinere quod sit idem quod spiritualis potestas : idcirco character, et potestas conficiendi seu sacerdotii ordo, et potestas clavium, est idem realiter, ratione differens. — Si demum quæratur, quando clavis confertur; dicen-

dum, quod omnis potestas spiritualis confertur cum aliqua consecratione : ideo clavis datur simul cum ordine. Exsecutio vero clavis debitam requirit materiam, quæ est plebs jurisdictioni ordinatæ subjecta : hinc sacerdos antequam habeat jurisdictionem, habet claves, non clavium usum. — Dicitur quoque sacerdos quosdam a regno excludere, non impedimentum intrandi ponendo, sed impedimentum positum et inventum non removendo, quod nec tollere valet nisi Deus primo illud abstulerit : ideo Deus invocatur ut absolvat, sicque sacerdotis absolutio habeat locum.

Porro dum quæritur, an sit una tantummodo clavis; dicendum, quod in omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo sunt necessaria ei qui actum illum debet efficere, utpote, judicium de idoneitate recipientis, atque expletio actus. Hinc in actu justitiæ, quo redditur alicui id quo dignus consistit, oportet esse judicium, quo discernatur an dignus sit, ac ipsa redditio. Et ad utrumque istorum auctoritas seu potestas quædam exigitur. Non enim dare possumus nisi quod in nostra potestate habemus ; nec proprie appellatur judicium, nisi vim habeat coactivam, quia judicium determinatur ad unum : quæ determinatio in speculativis fit virtute primorum principiorum, quibus intellectus nequit resistere ; in practicis vero, per vim imperativam in judicante exsistentem. Quumque clavis requirat idoneitatem in recipiente, quoniam ecclesiasticus judex per clavem recipit dignos et excludit indignos : hinc eget discretionis judicio, ipsoque actu ac auctoritate ad utrumque. Sicque duæ claves ponuntur, una pertinens ad judicandum, alia ad absolvendum : quæ non distinguuntur in auctoritatis essentia, quia utrumque ex officio competit ei ; sed ex comparatione ad actus distinctos, quorum unus alium præsupponit.

Si ergo objiciatur, quod ad unam seram sufficit clavis una ; sera vero ad cujus remotionem requiritur clavis, est culpa : ergo ad unam culpam tollendam non requiruntur duæ claves. Patet responsio : jam etenim dictum est, quod sit una clavis in essentia, duplex seu duæ quantum ad efficaciam et operationem.

Sed fortius objici posset. Claves namque in collatione ordinis conferuntur, scientia autem non semper ibi infunditur. Et dicendum, quod de scientia est duplex opinio. Una, quod scientia quæ est habitus infusus seu acquisitus, sit clavis, non principalis, sed in ordine ad aliam clavem : idcirco in illo qui aliam clavem non habet, non est nec dicitur clavis, sicut in homine litterato non sacerdote. Interdum quoque sacerdotes quidam carent hac clave, qui nec infusam neque acquisitam habent scientiam, sed naturali industria diriguntur, quam vocant claviolam : sicque clavis scientiæ quamvis cum ordine non tradatur, traditur tamen cum ordine quod sit clavis ; et hæc videtur fuisse Magistri opinio. Sed hoc non videtur verbis Evangelii concordare, quæ claves S. Petro dandas promittunt. Unde non solum una, sed duæ in ordinis impressione dari videntur. *Matth.* XVI, 19.
Hinc alia opinio est, quod scientia quæ est habitus, non est clavis, sed auctoritas exercendi actum scientiæ : quæ auctoritas quandoque est cum scientia, aliquando sine ea, ut in sæcularibus patet judiciis. Nam quidam sunt judices auctoritatem judicandi habentes, non tamen scientiam juris ; et econverso quidam sunt jurisperiti non auctoritate judiciaria præditi. Quumque actus judicii ad quem quis ex auctoritate tenetur, sine scientia bene fieri nequit : idcirco auctoritas judicandi quæ clavis est, non valet sine scientia absque peccato assumi ; sed scientia sine auctoritate, potest sine peccato haberi. Potestas etiam clavium, quamvis sit realiter idem cum potestate sacerdotali, potius tamen dicitur duæ quam una : quoniam illa est tantum ad unum actum alterius generis, qui est consecratio dominici corporis. — Hæc Thomas. Cujus argumentum quod fa-

cit contra Magistrum, videtur potius contra ipsum, quum secundum ipsum non sit realiter nisi una clavis, duæ vero secundum Magistrum. Nihilo minus opinio ista quam sequitur Thomas, verior æstimatur.

Consonat Petrus, et addit : Clausura cœli est triplex. Quædam universalis non perpetua, ut illa quæ facta est generi humano per peccatum primorum parentum, quæ duravit usque ad Christum. Secunda universalis et perpetua, quæ fiet per finalem sententiam in die judicii, de qua dicitur : *Matth.* XXV, 10. Clausa est janua. Tertia particularis et temporalis, qua quis intermedio tempore sibi ipsi claudit regnum cœlorum, peccando atque reatum incurrendo. Quoad primam clausuram, soli Christo datæ sunt claves, qui pro originali satisfecit; quoad secundam, nulli; quoad tertiam, prælatis Ecclesiæ. Hæ claves realiter sunt quædam potestas. Quemadmodum enim principium naturalium actionum est quædam naturalis potentia, principium vero actuum voluntariorum, rationalis potentia; ita principium actuum facultatem naturæ excedentium est aliqua supernaturalis potentia, et talis exstat vis clavium. Quæ supernaturalis potestas a Deo infusa est et data, non innata nec acquisita : quæ nuncupatur character ordinis, secundum quod est principium distinguendi habentem a non habente; et potestas conficiendi, in quantum ordinatur ad consecrationem corporis Christi; et potestas clavium, in quantum ordinatur ad dispensandum hæc sacramenta. Quamvis etiam actus isti sint differentes, non tamen sunt a diversis potentiis, quoniam ordinantur ad invicem : sicut eadem est in sole potentia lucendi, illuminandi, liquefaciendi et indurandi. — Denique in sole potentia liquefaciendi et indurandi una est in radice, et duæ in effectibus : sic una tantum clavis est in radice, sed in effectibus duæ. Siquidem potestas judicandi ex duobus integratur sive perficitur : ex potestate discernendi in causæ examinatione, et definitione in ejus determinatione per sententiam condemnatoriam aut absolutoriam. Hæc Petrus.

His concordans Richardus addit : Claves principaliter datæ sunt ad aperiendum, secundario ad claudendum : per quas confessor aperire et claudere potest tripliciter. Primo, judicando : dum examinata conscientia confitentis, judicat ei cœlum esse apertum seu clausum. Secundo, relaxando aliquid de pœna peccato debita : et sic claudit, obligando pœnitentem ad aliquam satisfactoriam pœnam. Tertio, excommunicando et ab excommunicatione absolvendo : quod tamen plus pertinet ad forum contentiosum quam pœnitentiale. Hos tres modos tangit Magister in littera. Hæc Richardus. — Concordat omnino Albertus. *Cf.* p. 494 et 495.

Similiter Bonaventura, qui ait : Obstaculum ingrediendi regnum cœlorum, est debitum alicujus peccati. Quod debitum triplex est. Primum, peccati mortalis commissi, et hoc est debitum æterni supplicii. Hoc obstaculum amovet solus Deus, quoniam removetur per culpæ deletionem. Secundum obstaculum est debitum peccati contracti, videlicet originalis; et hoc est debitum solutionis pretii, quod solus Christus removere potuit et removit : ideo clavis excellentiæ ei adscribitur. Tertium obstaculum est debitum peccati dimissi : nam postquam homini est culpa dimissa, adhuc obligatus est ad pœnam temporalem. Et hoc removeri potest per eum qui peccato potest pœnam taxare : quæ potestas est sacerdotibus communicata.

Si autem quæratur, an scientia sit clavis; dicendum, quod distinctio clavium diversimode sumitur a diversis. Quidam accipiunt eam penes id a quo suut et ad quod finaliter reducunt, dicentes, quod sicut in angelis est hierarchia cœlestis descendens ab hierarchia supercœlesti et ad illam ascendens ac rediens, ita est in militante Ecclesia. In angelis autem hierarchia, ut divinus Dionysius protestatur, est *De Cœlest. hier.* c. III. ordo, scientia et actio, id est potestas ordinata actione atque scientia, ita quod potestas correspondet Patri, ut patet in Thronis, in quibus Deus majestatis quiescit ac

residet; scientia Filio, ut patet in Cherubim, qui pleni scientia appellantur; actio Spiritui Sancto, cui ardor a quo operatio manat, ut patet in Seraphim. Per hunc modum intelligendum est in hierarchia ecclesiastica, quæ maxime consistit penes Ordinis sacramentum, in quo confertur potestas ordinata scientia et actione; et hanc dicunt clavium potestatem, quæ complectitur actum discernendi atque solvendi. Et ita secundum eos, in sacerdote sunt tres potestates : una principalis et prima, quæ est ordo seu potestas conficiendi; secunda est potestas discernendi; tertia absolvendi. Sicque apparet perfectissima pulchritudo in ordine ecclesiastico, secundum repræsentationem illius superioris perfectissimæ Trinitatis. — Si præterea quæratur ab his, cur potestas conficiendi non est clavis; respondent, quia non est ad alterum, sicut aliæ duæ : quia non refertur ad homines. Et hæc positio satis est probabilis.

Alii sumunt rationem distinguendi penes id in quo sunt et contra quod sunt. Dicunt enim, quod hæ duæ claves respiciunt intellectum et affectum, removendo duplex malum nobis inflictum, puta : errorem per scientiam, et difficultatem ad bonum per absolvendi potentiam. Verum ista positio minus probabilis est : tum quoniam non inquirit distinctionem clavium via recta; tum quia etsi scientia sit in intellectu, auctoritas tamen discernendi per scientiam in eadem potentia est, ut videtur, in qua auctoritas absolvendi, puta in voluntate.

Tertius modus distinguendi claves sumitur penes id ad quod immediate ordinantur. In foro autem pœnitentiali sunt duo, sicut in foro judiciali, in quo sunt duo actus, videlicet discernere causam, deinde proferre sententiam : quorum utrumque est necesse committi, ad hoc quod plene committatur alicui judicandi potestas. Et est duplex auctoritas, concurrens in unam plenam : quod patet, quia ab invicem aliquando dividuntur. Interdum enim

A dominus Papa committit alicui auctoritatem perscrutandi et discutiendi aliquam causam, quatenus discussam usque sententiæ prolationem, ad suum remittat judicium. Et tales habent auctoritatem discernendi seu discutiendi, non sententiandi. Juxta hunc modum de auctoritate sacerdotibus commissa est sentiendum, videlicet, quod quum collata sit eis sufficiens arbitrandi auctoritas inter Deum et reum, utramque habeant auctoritatem. Quumque utraque ista auctoritas sit ordinata ad cœli
B apertionem, utraque clavis est, suntque duæ claves; attamen quia ex eis constat una plena auctoritas, in uno ordine (puta in sacerdotio) dantur, et unum respiciunt. Sicque patet quod plures sunt claves. Unde sicut juxta antiquos doctores, ad eamdem seram aperiendam interdum duplex clavis requiritur : una, quæ aperit viam, et dicitur anteclavis; alia, quæ directe aperit, et dicitur clavis principalis : ita in spiritualibus scientia est sicut anteclavis, quia judicium dirigit; potestas vero absolven-
C di, clavis est principalis. Et ita claves hæ distinguuntur penes actus ad quos immediate sunt, utpote penes discernere de culpa, et absolvere a pœna. — Hæc Bonaventura. Cujus opinio esse videtur, quod duæ istæ claves realiter ab invicem differant. Argentinensis vero et Durandus primæ positioni consentiunt, quæ communior veriorque videtur.

Antisiodorensis quoque in Summa sua, libro quarto : In Evangelio, ait, Christus loquitur Petro : Quodcumque ligaveris su- *Matth.* XVI,
D per terram, etc.; et rursus discipulis : Ac- 19.
cipite Spiritum Sanctum; quorum remise- *Joann.* XX, 22, 23.
ritis peccata, remittuntur eis, etc. Constat itaque, quod utroque loco usus est Christus futuro subjunctivi modi, quod significat consumptionem seu consummationem rei significatæ per verbum. Ideo sensus est : Quodcumque solveris, id est, cujuscumque solutionem consummaveris super terram, erit solutum et in cœlis. Consummatio autem dicitur respectu inchoationis. Deus inchoat solutionem dimittendo cul-

pam et pœnam æternam; sacerdos vero consummat, dimittendo aliquid de pœna ex vi clavium per impositionem manuum. Et hoc patet in resuscitatione Lazari. Dominus enim dixit, Lazare, veni foras; et statim prodiit. Postea dixit, Solvite eum, etc. (Joann. XI, 43, 44.) Ergo ubi Dominus non inchoat, sacerdos non consummat. Ideo si sacerdos injungat pœnitentiam minorem condigna, pœnitens, illa completa, non evolabit: imo residuum in purgatorio solvet, nisi aliunde per caritatis fervorem et contritionis acerbitatem supererogationisque opera suppleatur. Non enim sacerdos penitus consummat absolutionem, sed in parte; et quantum ad illam partem, pœnitens solutus est in cœlo. Quumque in ficte accedente nihil inchoaverit Dominus, nihil in eo consummat sacerdos.

Præterea si quæratur, an clavis erret, id est habens clavem; dico, quod quoad aliquid errat, et quoad aliquid non. Nam errat secundum veritatem, non errat secundum judicii æquitatem. Nempe secundum exteriora ipsum judicare oportet: quemadmodum judex qui punit innocentem secundum allegata et probata, juste judicat secundum judicii æquitatem, non tamen judicat juste secundum veritatem. — Alii exponunt sic: Quodcumque ligaveris super terram, supple, juste, quantum ad utrumque, utpote, quantum ad illum qui ligat, et quantum ad illum qui ligatur. Sed expositio æquipollet præhabitæ. — Hæc Antisiodorensis in Summa. Qui in his sentire videtur, quod vis clavium non se extendat nisi ad temporalis pœnæ diminutionem: quod et Bonaventura sensisse in verbis videtur præhabitis. (p. 500 C'.) Et Scotus movet quæstionem hic specialem, alii quoque doctores: unde de hoc infra dicetur.

QUÆSTIO II

NUnc quæritur, **Quid sit macula in anima, an scilicet sit ipsa culpa, et si non, an dimisso peccato remaneat; et utrum peccatum possit remitti quantum ad maculam, non tamen quantum ad pœnam.**

Apparet autem quod culpa sit realiter macula ipsa, quia nihil deformius, nihil turpius est peccato, præsertim quum S. Dionysius in libro de Divinis nominibus (cap. IV.) contestetur, quod omne ens est pulchrum, et quod universa participant pulchro, sicut et bono. Peccatum vero quum formaliter non sit aliquid positivum, formaliter expers est totius decoris, et ita non est nisi macula atque deformitas. Ex quo ultra probatur, quod macula non sit quid positivum in anima; et item, quod peccato remisso, non maneat in anima macula aliqua.

Circa hæc scribit Bonaventura in quæstionibus litteræ: Quamvis peccatum sit unum in se, tamen secundum diversam considerationem tria sortitur vocabula, et hoc per comparationem ad nostrum judicium: quia judicium nostrum consideratur primo per modum speculationis; secundo, prout se extendit ad affectum; tertio, prout extendit se ad effectum. Conformiter judicium Dei omnipotentis sub triplici ratione consideratur respectu peccati. Primo, per modum speculationis: et ita peccatum est macula ejus judicio, propter turpitudinem quam in eo considerat. Secundo consideratur judicium Dei sub ratione affectivi: sicque peccatum est ei fœtor, quoniam affectus bene dispositus abominatur ac refugit illud. Tertio, prout procedit in effectum ultionis: et ita peccatum appellatur debitum mortis æternæ. Rursus, peccatum consideratur per respectum ad eum in quo est, quem quia fœdat et maculat, recte macula nominatur; et rursum in respectu ad eum in cujus affectu non est, et sic dicitur fœtor; et ad Deum, sicque vinculum mortis æternæ vocatur. Unde patet quomodo ipsum peccatum est macula atque per gratiæ infusionem deletur. Interdum carentia gratiæ dicitur macula, quam constat tolli per gra-

tiam. Potest etiam aliter accipi, ut patebit. Hæc Bonaventura.

Porro Thomas plenius scribens : Ex hoc, inquit, aliquid fertur maculatum, quoniam debitæ pulchritudinis patitur detrimentum. Hinc macula secundum quod hujusmodi, non nominat aliquid positivum ; sed per comparationem ad illud quod pulchritudinis detrimentum inducit, aliquando ponere aliquid perhibetur, sicut aliquid impressum vultui hominis quod ejus decorem tegit aut aufert. Pulchritudo autem animæ consistit in similitudine et assimilatione sua ad Deum, cui conformatur per claritatem gratiæ ab eo exortæ. Quemadmodum vero perceptio claritatis corporalis causatæ a sole, prohibetur a nobis per interpositum obstaculum aliquod; sic claritas gratiæ prohibetur ab anima per peccatum,

Is. LIX, 2. quod dividit inter Deum et eam. Sicque macula ex se non dicit nisi gratiæ privationem, sed tanquam causam sui dicit ipsum obstaculum quod impedit gratiæ receptionem. Quumque gratia sit in essentia animæ, illuminans intellectum dirigensque affectum : hinc privatio gratiæ, puta peccatum, parit in intellectu errorem ac cæcitatem, et in voluntate obliquitatem atque perversitatem. Ex quibus manifestum est, quod macula ista non aufertur ab anima, nisi peccatum, quod est gratiæ impedimentum, removeatur, et lumen gratiæ infundatur. Sicque macula ista aufertur, non ut non fuerit in anima, quia præteritum non potest non fuisse, sed sic, ut non habeat effectum avertendi Deum a nobis, et ut non amplius imputetur : quod fit dum propter præteritam culpam Deus a nobis non retrahit suæ pietatis adspectum, nec gratiæ suæ influxum aut miserationis suæ effectum. Verumtamen pulchritudo animæ non recuperatur omnimode, seu quantum ad quodcumque accidentale. Non enim recuperatur quantum ad innocentiæ dignitatem, sed quantum ad decorem gratiæ quæ restituitur : imo interdum major efficitur quam exstitit ante.

Insuper in peccato sunt duo, videlicet : A aversio a summo et incommutabili bono, atque conversio ad commutabile bonum. Et juxta hoc sunt duo effectus peccati. Unus est indignatio Dei adversus nos, correspondens nostræ aversioni ab ipso; alius est pœna ordinans inordinatam illam conversionem. Quumque primum in peccato ex parte nostri sit illa conversio; et quod prius est in generatione, est ultimum in destructione : idcirco ex parte Dei est primum reconciliatio sui ad nos, secundum vero liberatio a debito pœnæ. Pœna quo- B que est duplex. Una exterminans reos seu hostes : quæ pœna ex ipsa reconciliatione aufertur. Alia autem est pœna corrigens civem, seu filium, aut amicum : cujus pœnæ debitum potest manere reconciliatione jam facta. Hinc simul dum peccatum remittitur quoad maculam, et quoad pœnam æternam, quæ est exterminans, omnino dimittitur; non autem semper quoad pœnam temporalem, quæ est corrigens. — Hæc Thomas.

Consonat Petrus : Macula (inquiens) pec- C cati in anima, non est nisi dissimilitudo ejus ad Deum, ad cujus similitudinem facta est. Gratia vero est similitudo Dei. Quemadmodum ergo dissimilitudo non nisi per similitudinem tollitur, sic macula peccati non nisi per gratiam Dei. Porro pulchritudo innocentiæ continet duo : unum essentiale, utpote similitudinem Dei ; alterum accidentale, puta continuationem similitudinis. Primum per pœnitentiam redditur, non secundum.

Si quæras, quid sit macula ista ; dicen- D dum, quod sicut anima per conversionem a bonis mutabilibus ad æterna, exuitur mutabilium similitudine, atque induitur similitudine Dei : sic per aversionem ab æternis ad temporalia, exuitur similitudine æternorum, et hæc est macula privationis; et induitur quadam temporalium similitudine, secundum quod amans transformatur in amatum, et hæc est macula positionis. Verumtamen hæc similitudo non est mala in se, sed in tali subjecto, secundum quod retrahit a similitudine nobiliori divi-

na : propter quod rationem maculæ pro- A prie habet a privatione, quamvis in se sit res quædam. Sicut enim speculum amittit similitudinem rei cujus facies ab eo avertitur, et recipit similitudinem rei cujus facies ad ipsum convertitur, ita et anima.

Præterea si quæratur, quomodo post absolutionem sacerdotis remanet debitum pœnæ temporalis; dicendum, quod aliqui posuerunt quod sacerdos absolvendo remittit pœnam æternam. Quibus objicitur, quia quum culpa in contritione remissa fuerit, ergo pro aliquo tempore, contritus, B fuit sine culpa dignus æterna pœna. Alii dixerunt, quod commutat pœnam purgatorii in pœnam temporis hujus. Sed contra, non habet potestatem super purgatorii pœnam, quia non habet potestatem ligandi et solvendi nisi super terram. Alii dicunt communiter, quod remittit partem pœnæ satisfactoriæ debitæ culpis confessi, secundum proportionem. Contra, pœnitens meruit sibi remitti, sicut suffragia Ecclesiæ prosunt defunctis si fiant pro eis, secundum quod ea sibi meruerunt prodesse. C Hæc autem remissio fit virtute clavium, de thesauro Ecclesiæ, qui clavibus subest. Qui thesaurus integratur ex tribus. Primo, ex meritis fidei et caritatis totius Ecclesiæ : unde asserit Augustinus, quod pœnitens nequit curari nisi sustentet eum unitas Ecclesiæ. Secundo, ex merito supererogationis perfectorum virorum in Ecclesia, scilicet martyrum et innocentium. Tertio, ex superabundanti merito passionis Christi et totius conversationis suæ in sæculo isto, quod annexum est virtuti sacramen- D torum, quorum ministerium habent prælati. — Hæc Petrus.

Concordat Richardus, dicendo : Sacerdos potestate clavium potest pœnitenti remittere aliquam partem pœnæ temporalis debitæ culpis ipsius, non tantum illius quam ei injunxit aut injungere posset, sed illius quoque quæ in purgatorio est explenda; atque de pœnis istius potest plus aut minus remittere, secundum quod pœnitens ad hujusmodi remissionem magis dispositus est. Macula autem peccati mortalis est dispositio qua peccator dispositus est et dignus pœnis mortis æternæ. — Sed quæri potest, utrum si revelatum esset confessori, totam pœnam peccatis debitam esse pœnitenti remissam, adhuc deberet ei aliquam satisfactionem injungere. Et dicendum quod imo, quia (ut dictum est) satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas excidere, et eorum suggestionibus aditum non præbere : ideo in cautelam contra futura peccata esset talis pœnitentia injungenda. Nempe pœnitentia ista non est solum satisfactio pro peccatis præteritis, sed etiam remedium et cautela contra peccata futura. Hæc Richardus.

Cf. p. 378 in medio, et 382 B'.

In his doctores communiter satis concordant. Et super his copiose scribit Guillelmus Parisiensis, qualiter peccatum recte vocetur macula, deformitas, tenebra mentem creatam deformans, fœdans, commaculans, ita quod lumen naturale in ea obfuscatur, lumen gratiæ exstinguitur et aufertur, ac lumine gloriæ, nisi pœniteat vere, in æternum privatur.

QUÆSTIO III

PRæterea quæritur, **An potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ ac pœnæ etiam sempiternæ; et utrum sacerdos potestate clavium uti possit ad placitum.**

Videtur quod potestas ista nequaquam extendat se ad culpæ remissionem, quoniam Deo proprium perhibetur peccata dimittere. — In textu quoque habetur, quod Deus sibi soli hoc reservavit, sicut et gratiam dare, infundere et creare. — Nunc quoque inductum est, quod sacerdos non dimittit culpam nec pœnam æternam, sed dumtaxat aliquid pœnæ temporalis.

Cf. dist xvii, q. 1, 2.

In oppositum est, quod Christus dixit discipulis : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. — Confessores quoque in forma absolutionis pronuntiant : Et

Joann. xx, 23.

ego auctoritate ipsius, etc., absolvo te a vinculis excommunicationis, etc., et omnibus peccatis tuis, etc.

Circa hæc scribit Albertus : Quæstio ista est utilis; ad quam dico, quod essentialis actus clavis est super pœnam illam quæ purgatoria dicitur. Sunt enim in genere pœnæ tres modi pœnarum : una est pœna æterna; secunda est pœna temporalis seu transitoria, viribus pœnitentis improportionata, utpote purgatorii pœna; tertia est pœna transitoria, viribus pœnitentis proportionata, videlicet pœna vitæ præsentis. Tria quoque sunt in Pœnitentia contra pœnam peccati cooperantia : primum est dolor gratia informatus, qui operatur et valet contra pœnam æternam ; secundum est confessio, faciens pœnam transitoriam viribus pœnitentis proportionatam ; tertium est satisfactio, quæ delet pœnam proportionatam viribus pœnitentis. Quum ergo potestas clavium sit media inter primum illud et tertium, videtur quod operetur contra pœnam transitoriam viribus pœnitentis improportionatam, utpote contra purgatorii pœnam. Rursus, dimissa pœna æterna, adhuc non recessit homo nec evasit a divino judicio, sed restat sibi purgatorii pœna, si per claves et satisfactionem non adjuvetur : ergo purgatoria pœna secundum justitiæ ordinem media est inter æternam et satisfactoriam hujus vitæ. Unde videtur quod pœna æterna immediate commutetur in illam, et illa, virtute clavium, in hujus vitæ transitoriam ac satisfactoriam pœnam : et ita vis clavium est super purgatorii pœnam. Non tamen negandum videtur, quod ille qui habet in clavibus jurisdictionem majorem, sicut episcopus, legatus et maxime Papa, possit dimittere aliquid de pœna expiativa plus aut minus, secundum discretum judicium causæ, puta necessitatis vel utilitatis, ut infra patebit, ubi de indulgentiis erit tractatus. — Si autem objiciatur, quod pœna purgatorii non est de foro militantis Ecclesiæ ; dicendum,

A quod pœna illa jam dicta, non dicitur purgatoria ratione loci aut fori purgativi, sic enim non esset nisi post vitam hanc. Sed dicitur purgativa per similitudinem : primo, quoniam est secundum judicium Dei; secundo, quia ob suam acerbitatem improportionata est viribus hominis, si modo imponeretur, sicut et purgatorii pœna. — Hæc Albertus. Qui per pœnam hanc purgatoriam intelligere videtur pœnam quæ secundum rigorem justitiæ infligenda esset pro peccatis suis pœnitenti etiam in
B hac vita, nisi meritum passionis Christi interveniret.

De his Thomas diffusius scribens : Sacramenta (inquit) novæ legis ex sanctificatione invisibilem gratiam continent, et hæc sanctificatio quandoque ad sacramentum de necessitate requiritur tam in materia quam ministro, ut patet in Confirmatione : tuncque vis sacramentalis est in utroque conjunctim. Quandoque vero ex necessitate sacramenti non requiritur nisi sanctificatio materiæ, ut in Baptismo, quia
C non habet ministrum determinatum quantum ad sui necessitatem : et tunc tota vis sacramenti consistit in materia. Quandoque vero de necessitate sacramenti requiritur consecratio vel sanctificatio ministri sine sanctificatione materiæ : sicque tota vis sacramenti consistit in ministro, ut in Pœnitentia. Hinc eodem modo se habet potestas clavium quæ est in sacerdote, ad effectum sacramenti Pœnitentiæ, sicut se habet virtus quæ est in aqua Baptismi, ad Baptismi effectum.

D Baptismus autem et Pœnitentiæ sacramentum conveniunt quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam ordinatur directe : quod non est verum de aliis sacramentis. Sed differunt in hoc, quoniam sacramentum Pœnitentiæ, eo quod habeat actus suscipientis quasi materiales, non potest dari nisi adultis, in quibus requiritur præparatio ad suscipiendum effectum sacramentorum ; Baptismus vero aliquando datur nondum adultis, imo et usu rationis carentibus. Hinc per Bapti-

smum datur gratia atque remissio peccatorum pueris sine eorum præparatione aliqua prævia; non autem adultis, in quibus exigitur præparatio. Quæ interdum præcedit tanta ante susceptionem Baptismi, quod infunditur gratia ante Baptismum, non tamen ante votum Baptismi. Interdum autem talis præparatio tempore non præcedit, sed est simul cum Baptismi susceptione : et tunc per Baptismi susceptionem gratia remissionis culpæ confertur. Sed per Pœnitentiæ sacramentum nunquam datur gratia, nisi præparatio adsit vel prius fuerit : unde virtus clavium operatur ad culpæ remissionem, vel in voto exsistens, vel in actu se exercens, sicut et aqua Baptismi.

Verum, sicut Baptismus non agit ut principale agens, sed ut instrumentum, non quidem pertingens ad causandum gratiæ susceptionem, sed instrumentaliter disponens ad gratiam, per quam fit culpæ remissio; ita est de clavium potestate. Unde Deus solus per se culpam remittit; et in ejus virtute instrumentaliter agit Baptismus tanquam instrumentum inanimatum, sacerdos vero ut instrumentum animatum, quod dicitur servus, secundum Philosophum Ethicorum octavo. Ideo sacerdos agit ut minister. Sicque patet, quod potestas clavium ordinatur aliquo modo ad culpæ remissionem, non ut agens, sed sicut disponens. Unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam accipiendam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, nisi obicem poneret. Si enim clavis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, sed tantum ad pœnæ dimissionem, ut aliqui dicunt, non exigeretur votum potiendi effectu clavium : quemadmodum non exigitur votum accipiendi alia sacramenta quæ non ordinantur contra culpam, sed pœnam.

Cf. p. 127 D, 143 D.

Itaque, sicut ait Magister, sacerdotibus commissa est potestas dimittendi peccata, non ut propria virtute dimittant, quia hoc Deo est proprium, sed ut operationem Dei

A remittentis ostendant tanquam ministri. Sed hoc tribus modis contingit. Primo, ut ostendant eam non ut præsentem, sed ut promittant futuram, sine hoc quod aliquid operentur ad eam : sicque sacramenta veteris legis operationem Dei monstrabant; sacerdos quoque veteris legis ostendebat tantum, et nil operabatur ad gratiam. Secundo, ut præsentem significent, et nil operentur ad eam : et ita secundum quosdam, sacramenta novæ legis significant gratiæ collationem, et potestas clavium B tantum designat gratiæ collationem, quæ datur in confessione et absolutione, prout de ista opinione dictum est supra, in prima distinctione. Tertio, ut significent divinam operationem in remissione culpæ præsentem, atque ad ipsam dispositive ac instrumentaliter operentur : et ita secundum aliam opinionem, quæ communius sustinetur, sacramenta novæ legis emundationem ostendunt divinitus factam. Sicque sacerdos novi Testamenti ostendit absolutos a culpa, quoniam proportiona- C biliter loqui oportet de ministris et sacramentis, et de potestate eorum. Nec obstat, si culpa sit jam per contritionem dimissa, sicut nec quod Baptismus disponat quantum in se est, in eo qui sanctificatus jam est. *Cf.* p. 65 A. *Cf.* p. 57 B.

Porro dum quæritur, an potestas clavium seu sacerdos per eam, possit remittere peccatum quantum ad pœnam ; dicendum, quod idem judicium est de effectu quem potestas clavium actualiter exercita complet in eo in quo contritio tempore D præcessit, et de effectu Baptismi qui habenti gratiam datur, in quo gratia per Baptismum augetur, et tota pœna dimittitur. Similiter, illi qui ante confessionem seu absolutionem obtinuit gratiam per veram contritionem, et per consequens culpæ atque æternæ pœnæ remissionem, gratia augetur vi clavium in confessione, et pœna temporalis dimittitur : non tamen tota, ut in Baptismo, qui est spiritualis regeneratio; Pœnitentia autem est spiritualis curatio, propter quod totam pœnam non *Cf.* p. 126 D'.

aufert. Nec solum aufert de pœna quam A confitens habet in confitendo, ut aliqui dicunt : sic enim confessio et absolutio sacramentalis non essent nisi in onus, quod non competit sacramentis novæ legis; sed etiam de illa pœna quæ in purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut in purgatorio minus puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet.

Si autem objiciatur, quia si per quamlibet confessionem aliquid pœnæ remittitur, posset quis toties eadem peccata B confiteri, quod nihil pœnæ infligendum esset pro eis. Et respondendum, quod secundum quosdam, confessio non potest habere effectum magis quam semel super idem peccatum, ita quod in prima absolutione tantum dimittitur vi clavium, quantum dimitti potest; attamen valet iterata confessio, tum propter instructionem, tum propter majorem certitudinem, tum propter intercessionem confessoris, tum propter verecundiæ meritum. Sed hoc non videtur verum, quoniam et si hæc esset C ratio iterum confitendi, non tamen esset ratio iterum absolvendi (præsertim in eo qui certus est de præcedenti absolutione : ita enim poterit dubitare de secunda absolutione, sicut de prima); sicut videmus quod sacramentum Extremæ Unctionis non iteratur super eumdem morbum, eo quod totum quod per sacramentum fieri potuit, semel est factum. Et præterea, in secunda confessione non requireretur quod is cui fit confessio, claves haberet, si vis clavium in ea nil operaretur. — Hinc alii dicunt, D quod etiam in secunda confessione et absolutione aliquid vi clavium de pœna remittitur, quoniam in secunda absolutione augmentum gratiæ datur; et quo gratia major confertur, tanto minus de impuritate peccati permanet præcedentis : ideo minor pœna purgans debetur. Propter quod in absolutione, confitenti plus aut minus de pœna dimittitur vi clavium, secundum quod magis vel minus se disponit ad gratiam; et potest esse tanta dispositio, puta contritio seu crubescentia de peccato, et conatus ac fervor ad Deum, quod tota pœna (ut dictum est) auferatur. Unde *Cf.* p. 459 C, 463 A. inconveniens non est, si per frequentem confessionem tota pœna tollatur, ita ut peccatum omnino maneat impunitum quoad pœnam inflictam, pro quo passio Christi satisfecit.

Quæritur quoque, an sacerdos possit ligare et solvere juxta arbitrium proprium. Et respondendum, quod sacerdos operatur in usu clavium ut instrumentum et minister. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principali agente : ideo divinus Dionysius in fine Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. VII. testatur, quod sacerdotibus utendum est *Cf.* t. XV, p. 582 A'. virtutibus hierarchicis prout Deitas moverit eos. Idcirco in Evangelio recitatur, quod Christus collationi clavium præmisit : Accipite Spiritum Sanctum. Unde si *Joann.* XX, 22. quis præter hunc motum divinum uti sua potestate præsumpserit, non consequeretur effectum, ut S. Dionysius loquitur, et ultra hoc a divino ordine averteretur, ac culpam incurreret. Quumque pœnæ satisfactoriæ infligendæ sint ut medicinæ, ideo sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus sunt eædem, sed variandæ sunt secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed artem ac regulas medicinæ; ita pœnæ satisfactoriæ determinatæ in canone non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum sacerdotis arbitrium divino instinctu regulatum. Quemadmodum etiam medicus interdum ex prudentia non dat medicinam tam fortem quæ sufficiat ad morbi curationem, ne propter debilitatem suam æger majus incurrat periculum; ita sacerdos divino motus instinctu, non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur injungit, ne pusillus districtione et juris rigore territus ac dejectus recedat a pœnitentia totaliter. — Hæc Thomas.

In quibus primo obscurum videtur quod ait : Quandoque ex necessitate sacramenti *Cf.* p. 505 B'. non requiritur nisi sanctificatio materiæ,

sicut in Baptismo. Nempe juxta præhabita A in tractatu de Baptismo, verus Baptismus dist.iii,q.3. dari potest in qualibet vera aqua, quamvis non sanctificata, etiam sine peccato in necessitatis articulo. Sanctificatio autem aquæ non ad necessitatem sed solennitatem pertinet sacramenti illius. — Secundo, quod ait in solutione tertii argumenti quæstionis qua quærit, utrum sacerdos per potestatem clavium valeat remittere peccatum quantum ad pœnam : Pro quolibet, inquit, peccato oportet aliquam pœnam satisfactoriam remanere, per quam præstetur medicina contra peccatum. Et quamvis virtute absolutionis dimittatur aliqua pœna peccati, vel aliqua pars pœnæ debitæ pro aliquo magno peccato, non oportet quod tanta quantitas pœnæ dimittatur respectu cujuslibet peccati : quia secundum hoc, aliquod peccatum remaneret sine pœna. Sed virtute clavium de pœnis singulorum peccatorum proportionabiliter aliquid dimittitur. Huic, inquam, dicto videtur non consonare, quod (sicut jam patuit) ait confessionem posse toties iterari, quod tota pœna dimittatur. — Tertio, quod ait, juxta hoc, peccatum posse manere omnino impunitum. Cui verbo obviare videtur commune dictum hoc Augustini, Nullum malum impunitum. Sed hoc accipi potest de pœna foris inflicta. Etenim in hoc casu peccatum non manet impunitum, præsertim quum et ipse dolor pœnitentiæ de peccato sit pœna præcipua et maximus dolor, sicut expositum est. Erubescentia quoque de turpitudine et insipientia culpæ est pœna non minima; sic et satisfactio quæ a confessore injungitur pœnitenti, punitio quædam est.

p. 479 A, 507 A'.

p. 383 B', 463 B, A', 464 C'.

Consonat Petrus responsioni Thomæ, quantum ad principalia.

Richardus quoque, qui contestatur : Quamvis sacerdos absolvendo remittere nequeat peccati maculam effective, attamen ministerialiter ac instrumentaliter remittit contrito maculam peccati dispositive, in quantum ministerio suo adsistit divina virtus, quæ peccatum dimittit. Quumque macula ista sit dispositio qua anima pati potest pœnas inferni, idcirco sacerdos virtute clavium ad æternæ pœnæ remissionem disponit : quam pœnam Deus effective principaliterque remittit, sicut et maculam culpæ. Hæc Richardus.

Qui etiam circa inducta interrogat, an pœnitens et confessus tenetur obedire suo confessori, quamcumque pœnitentiam injunxerit sibi, implendo. Respondet : Si pœnitentia satisfactoria sit manifeste excedens, aut vires confessi transcendens, B non tenetur implere; sed debet confessori suo suggerere dispositionem suam et petere ut relaxet. Quod si confessor noluerit, confessus ille ad superiorem recurrat.

Rursus inquirit, an sacerdos parochialis tenetur audire confessionem sui parochiani quotiescumque voluerit confiteri. Respondet, quod de congruo debet illos audire, nisi aperte immoderanter hoc petant. Non autem de necessitate tenetur, nisi quando illi confiteri tenentur, ut dictum est. *Cf.* p. 471 B'.

C Item quærit, an confessor peccet mortaliter, absolvendo a vitiis a quibus non potest. Respondet quod imo : præsertim quando scienter hoc facit; et etiam si faciat ex ignorantia affectata, aut ignorantia juris, quod scire tenetur; deinde si ex ignorantia crassa, sed minus : ignorantia vero invincibilis excusat. Graviter autem excedunt, qui quum ignari sint, ad tale se officium ingerunt; et item qui non cum debita diligentia informationem inquirunt in pertinentibus ad suum officium : imo D diligentius inquirerent informationem atque consilium, si equum aut vaccam emere vellent. — Hæc Richardus.

At vero Bonaventura sequitur opinionem supra in responsione Thomæ narratam et improbatam. Itaque Bonaventura : p. 506 D. Sacerdos, ait, per potestatem clavis mediator est Dei ac hominum, ita quod peccator per ipsum ascendit ad Deum : sicque sacerdos est os peccatoris, loquens pro ipso ad Deum. Per sacerdotem quoque Deus descendit ad homines : sicque sacerdos est

Jer. xv, 19. angelus Dei, imo et os ejus, separans pre- A
tiosum a vili. Et in quantum ascendit ad
Deum, habet se per modum inferioris et
supplicantis; in quantum vero descendit,
habet se per modum superioris ac judi-
cantis. Secundum primum modum potest
hominibus gratiam impetrare; secundum
alium modum potest alienatos Ecclesiæ
reconciliare. In horum significationem, in
forma absolutionis præmittitur depreca-
tio per modum deprecativum, et subjun-
gitur absolutio per modum indicativum;
et deprecatio gratiam impetrat, absolutio B
vero eam supponit. Nunquam enim sacer-
dos absolveret aliquem de quo non præsu-
meret quod esset absolutus a Deo. Itaque
potestas clavium se potest extendere ad
dimissionem culpæ per modum deprecan-
tis ac impetrantis, non per modum imper-
tientis. — Hæc Bonaventura.

Cujus responsio procedit juxta alia ejus
Cf. p. 54 B. dicta, quibus affirmat quod sacramenta
evangelicæ legis non continent gratiam
neque causant, nisi per modum cujusdam
pacti Dei cum Ecclesia militante et per C
adsistentiam quamdam: quia perhibuit at-
que asseruit se gratiam collaturum his
quibus adhibentur ecclesiastica sacramen-
p. 57 B. ta. Quæ opinio, sicut ostensum est, non
videtur sufficienter salvare dignitatem ac
eminentiam evangelicæ legis. Denique, mo-
do nunc tacto etiam sacerdotes veteris Te-
stamenti impetrabant gratiam plebi, oran-
do, immolando et procurando. Imo et nunc
in evangelica lege per modum deprecantis
et impetrantis, homines virtuosi ac fervi-
di, præsertim perfecti et sancti, sunt pec- D
catoribus causæ dispositivæ ad gratiam
impetrandam ac pœnam diminuendam, ut
Cf. p. 493 E. etiam in littera Magister ex Augustino al-
legat. Et ita sacerdos ex vi clavium non
plus posset quam tales non sacerdotes.
Tenendum ergo, quod evangelicæ legis sa-
cramenta continent gratiam, atque effi-
ciunt quod designant.

Consequenter Bonaventura respondendo
ad istud, utrum potestas clavium se exten-
dat ad pœnæ diminutionem, affirmat:

Præter opinionem quam Magister refert in *Cf.* p. 492.
littera, quod scilicet sacerdos per claves
absolvat a pœna æterna, sunt adhuc tres
opiniones. Una, quod sacerdos absolvit non
a pœna, sed a vinculo confessionis, ligan-
do ad pœnam satisfactionis. Quæ opinio
trahi videtur ex verbis Hugonis in libro
de Potestate ligandi, ubi septem vincula
distinguuntur: primum est vinculum ob-
durationis; secundum, servitutis; tertium,
captivitatis; quartum, æternæ damnationis
sive punitionis; quintum, perpetuæ dete-
stationis peccati; sextum, confessionis;
septimum, pœnalis expiationis. Sacerdos
autem solvit peccatorem, ut non teneatur
iterum eadem confiteri, et ligat eum ad
vinculum satisfactionis. Sed opinio ista
non valet, quia sacerdos absolvendo non
dicit, Absolvo te a confessione, sed, A pec-
catis. Ab illis ergo absolvit, vel quantum
ad pœnam, vel quantum ad culpam. —
Hinc secunda opinio est, quod sacerdos
absolvit etiam quantum ad pœnam purga-
toriam, non de ea aliquid relaxando, sed
solum commutando; et hoc, sub conditio-
ne, si impleat satisfactionem injunctam:
quæ si fuerit sufficiens et condigna, absol-
vit a tota; et si non, absolvit a tanta. Ideo
si peccator moriatur ante satisfactionis
completionem condignæ, oportet eum in
purgatorio residuum solvere. Sed nec ista
valet opinio, quia peccator iste post abso-
lutionem divinam non magis tenetur ad
purgatoriam pœnam quam ad aliam. Et hoc
patet, quia in tantum conteri posset, quod
Deus totam pœnam dimitteret ei. — Est
ergo tertia positio magis consona fidei pie-
tati, quod scilicet sacerdos aliquam par-
tem pœnæ dimittit vi clavium, absolven-
do. Quum enim universæ viæ Domini sint *Ps.* xxiv, 10.
misericordia et veritas, idcirco in justifi-
catione, quæ opus est misericordiæ, ita re-
mittit culpam, ut non totaliter prætereat
justitiæ regulam: ideo confessum tenet
adhuc obligatum ad pœnam, quæ secun-
dum rigorem justitiæ improportionata est
viribus nostris, ac nostræ cognitioni igno-
ta; et pro illa oportet aliquo modo satis-

fieri Deo. Providit ergo pius et justus Deus A nobis aliam viam, et constituit arbitrum sacerdotem, cui dedit potestatem arbitrandi atque taxandi pœnam, ac manifestandi eamdem, et dimittendi nobis aliquid debitæ pœnæ vi clavium et merito passionis dominicæ. Quanta autem sit pars illa, non est nostrum determinare, sed Dei. Sicque Pœnitentiæ sacramentum erit fructuosum magis quam onerosum. — Hæc Bonaventura. Cujus responsio magis consonare videtur præinductæ responsioni Alberti. *p.505 A et s.*

Insuper Scotus sequitur in his opinio- B nem ex Bonaventura narratam, videlicet quod sint duæ claves distinctæ, et quod (*p. 501 C'.*) claves non extendant se ad remissionem (*p. 509 A'.*) culpæ nec pœnæ æternæ, sed ad remissionem pœnæ temporalis tantummodo. Namque ait : Scientia actualis aut habitualis non est clavis, quia auctoritas cognoscendi, quamvis requirat scientiam vel discretionem concomitantem ad rectum usum suum, sicut auctoritas judicandi justitiam aliquam; attamen sicut potestas judicandi non est justitia, imo potest consistere sine C ea, ita auctoritas seu potestas cognoscendi in aliqua causa, potest esse sine discretione cognoscendi. — Aliqui quoque dicunt, quod claves istæ sint idem cum charactere (*Cf. p.498 C'.*) sacramentali. Quibus objicitur, quod potestas clavium potest esse sine alia potestate, id est sine charactere seu potestate sacerdotali : imo et una prior est alia tempore. Et in Apostolis ita fuit, quia una eis data est in Cœna, utpote potestas conficiendi; alia autem post Christi resurrectionem, dum dixit : Accipite Spiritum San- D (*Joann. xx, 22, 23.*) ctum, quorum remiseritis peccata, etc. In consecratione etiam sacerdotum, prius datur eis una quam alia : quia potestas sacerdotalis eis confertur in porrectione calicis, dicente episcopo : Accipite potestatem conficiendi seu celebrandi. Deinde accipiunt potestatem ligandi et solvendi, ponente episcopo manum super capita eorumdem, dum ait : Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis, etc. — Hæc Scotus. Quorum oppositum constat ex præinductis, nec communiter doctores sic tenent. Sed potestas in se una est in essentia ac radice, duplex vero, imo et multiplex in effectu. (*Cf. p.499 D, 500 D.*) Ad quod insinuandum, verba illa evangelica distincte sic proferuntur. Et verum est, quod potestas clavium superaddit quamdam relationem potestati sacerdotali : quia non potest sacerdos absolvere, nisi aliquam habeat jurisdictionem super eum quem absolvit, ut dictum est sæpe.

Probat quoque Scotus opinionem suam per hoc, quod character non potest esse nisi relatio : cujus contrarium supra ostensum est, quia realiter qualitas est. (*p. 179 C'.*) — Scribit item, quod confessor debet circumstantias merito inquirendas inquirere, non supervacuas, quæ aures prurientes delectant; et perscrutari, an confitens habeat contritionem vel saltem attritionem ; nec aliter potest rectum proferre judicium, nec satisfactionem justam rite imponere. Quod est contra eos qui confessionem audiunt quasi quamdam narrationem aut fabulam quamdam.

Argentinensis demum in omnibus his sequitur positionem communem de realitate et unitate seu numero clavium.

QUÆSTIO IV

De excommunicatione nunc quæritur, An Ecclesia possit ac debeat quemquam excommunicare.

Videtur quod non, quia Ecclesia est pia suorum mater fidelium : ergo non debet filios suos abjicere, sed indesinenter ad errantium reductionem laborare. — Rursus, Apostolus : Noli (inquit) vinci a malo, sed vince in bono malum. (*Rom. xii, 21.*) Ergo Ecclesia non debet alicujus frangi improbitate, sed sua pia ac longanimi patientia obduratos, rebelles et contumaces ad vitam revocare virtutum. — Præterea, quanto quis vitiosior duriorque consistit, tanto plus indiget communicatione spiritualium bono-

rum ipsorum fidelium : ergo non est extra A illorum communionem ponendus. Quod tamen per excommunicationis sententiam agitur : excommunicatio quippe sic definitur : Excommunicatio est separatio ab unione Ecclesiæ quoad fructum et suffragia communia.

In oppositum est practica et doctrina Ecclesiæ.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa, libro quarto : Excommunicatio est a communione Ecclesiæ separatio, quæ B fit propter contumaciam aut aliam manifestam offensam. Consistit autem hæc separatio in mensa, in sacramentis, in salutatione, in orationibusque Ecclesiæ. Hæc etenim excommunicato subtrahuntur. Nec exhibetur ei societas in contractibus, nec in verbis, nisi sint verba de ejus correptione et admonitione. Porro excommunicatio alia est major, alia minor. Majori excommunicatione excommunicati, sunt qui in excommunicationis sententia nominatim exprimuntur; et de hac non absolvit C nisi ille qui excommunicavit aut superior eo. Minori excommunicatione excommunicati, sunt qui participant cum excommunicatis majori excommunicatione, exceptis quibusdam personis quæ in Decreto excipiuntur; et de hac potest absolvere etiam simplex sacerdos in confessione. Item excommunicationum alia est justa, alia injusta : justa, quæ fit animo corripiendi, emendandi, salvandi, ac propter debitam culpam, ordine juris observato; injusta, dum quis non meruit excommunicari, dum D juris ordo non observatur. Habuit autem excommunicatio ortum ab Apostolo, qui
I Cor. v, 5. Corinthium fornicatorem tradidit Satanæ, ut spiritus ejus salvus fieret. — Sed objici potest, quoniam contra caritatem est spiritualia bona auferre. Videtur quoque injustum, pro temporalibus quempiam excommunicare, quia sic pœna excedit culpam : spiritualia namque incomparabiliter meliora sunt temporalibus rebus. Dicendum, quod Ecclesia indigno spiritualia aufert, non subtrahendo quod ille habet, sed non impendendo quo caret. Nec punit ultra condignum, quoniam ille meruit damnationem æternam. Ecclesia quoque pœnam quam infert, ordinat ad excommunicati salutem : quatenus ex sua punitione redeundo ad cor, salubriter erubescat, pœniteat et emendet. Hæc Antisiodorensis.

In quibus quod ait, excommunicationem ab apostolo Paulo cœpisse, intelligendum est sane. Nempe a Christo fundamentum et auctoritatem sortitur, qui ait : Si Eccle- *Matth.* siam non audierit, sit tibi sicut ethnicus xviii, 17. et publicanus. In veteri quoque Testamento excommunicatio fuit, ut expositores dicunt super illud Evangelii S. Joannis : Jam *Joann.* ix, enim Judæi mandatum dederant, ut si quis 22. confiteretur eum Christum, extra synagogam fieret. Sed et beatissimus princeps Apostolorum Petrus Ananiam et conjugem *Act.* v, 5, ejus tradidit Satanæ in interitum carnis. 10. Ecclesia etiam in privato orat pro excommunicatis, et diligit eos; omnisque pœna quam infert, medicinalis est.

Præterea Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali, probans Ecclesiam hanc potestatem excommunicandi habere, effatur: Quemadmodum sæcularium regum potestas est corporaliter excommunicare, hoc est communionem auferre temporalium et corporalium rerum ; ita et spiritualium regum, utpote prælatorum majorum, est spiritualiter excommunicare, id est communionem sacrorum et sacramentorum ac sacramentalium auferre seu denegare. Rursus, sicut de civitate corporali ejiciendi sunt qui leges ejus ac statuta violant et contemnunt, nec in numero civium sunt habendi quamdiu hoc agunt; ita de spirituali civitate, puta Ecclesia, rite ejiciuntur qui Christi instituta atque Ecclesiæ canones et decreta contumaciter aspernantur : quod per ecclesiasticum judicium et spirituales judices est agendum. Amplius, quum manifestum sit duas esse respublicas, oportet duo esse genera administrantium atque regentium eas. Et proportionabiliter habent se istæ respublicæ et

rectores ac procuratores earum, leges quoque, statuta ac præcepta et judicia earumdem. Hinc quidquid licet magistratui sæculari statuere pro utilitate et conservatione reipublicæ sibi subjectæ, hoc spiritualis potestas potest pro republica ei credita ordinare ac agere. Porro primum et maximum bonum reipublicæ spiritualis est glorificatio Omnipotentis, supergloriosissimi Dei; secundum, salus animarum; tertium, emendatio delictorum; quartum, declinatio seu recessus ab ipsis; quintum, conservatio spiritualium salutariumque bonorum; sextum, ampliatio ac propagatio talium. Quidquid ad hæc sex peragenda, conservanda augendave pertinet, licitum est magistratui spirituali statuere circa subjectos. Quumque ad Dei pertineat gloriam ac honorem, ut ejus contumelia tollatur de medio, et contumeliosi in eum ejiciantur de medio sanctorum, certum est prælatis hoc ipsum licere, præsertim quum hostes civibus admixti potissime sint nocivi, consimiliter vitiosi virtuosis, in tantum ut scriptum sit : Cum perverso perverteris. (*Ps.* XVII, 27.) — Hæc Guillelmus. Qui istam disputationem diffuse prosequitur, per varias rationes ac similitudines comprobans, quam utile ac necessarium fuit et sit ecclesiasticæ politiæ, habere auctoritatem ejiciendi rebelles et induratos, et separandi eos de congregatione obedientium, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. (I *Cor.* V, 6.)

Deinde ostendit qualiter exercenda sit ista potestas : Quatuor, inquiens, debent concurrere in intentione excommunicantis. Primum est honoratio Dei, ut pro vitanda contumelia Dei et procuranda honorificentia ejus, excommunicatio infligatur. Secundum est honor sanctorum, id est rerum sacrarum, ut sacramentorum, ne sancta canibus dentur et profanentur. (*Matth.* VII, 6.) Tertium est spiritualis sanitas ipsius Ecclesiæ, ad cujus pertinet sanitatem internam, ut morbida ac putrida membra præcidantur. Quartum est correctio et salvatio ejus qui excommunicatur, aliorum quoque cautela : quatenus ille per præsentem confusionem et castigationem revertatur ad intellectum, ac ejus exemplo alii terreantur. — Hæc idem, qui de his multa pulchra conscribit.

Præterea de his S. Thomas plenissime scribit : Ille (inquiens) qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, puta ad cœtum fidelium, et ad participationem sacramentorum; et hoc secundum præsupponit primum, quia in participatione sacramentorum soli fideles communicant. Hinc aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter. Primo, per hoc quod separatur tantum a sacramentorum participatione : et hæc est excommunicatio minor. Secundo, per hoc quod excluditur ab ista communicatione sacramentorum et a fidelium cœtu : quod est excommunicatio major, de qua prætacta definitio data est. Tertium vero impossibile est, ut scilicet separetur seu excludatur a cœtu fidelium, et non a participatione sacramentorum : quia fideles in sacramentis communicant. Insuper, communicatio fidelium duplex est. Una in spiritualibus, ut sunt mutuæ orationes et conventus ad sacra percipienda. Alia in corporalibus, ut in actibus legitimis, qui actus et quæ communio his versibus continentur :

> Si pro delictis anathema quis efficiatur,
> Os, orare, vale, communio, mensa negetur.

Os, id est, osculum ei negetur; orare, ne cum illo oremus; vale, ne salutetur; communio, ne in sacramentis quis cum eo communicet; mensa, ne cum ipso quis comedat. Quæ omnia tanguntur in hac alia excommunicationis definitione : Excommunicatio est a qualibet licita communione atque legitimo actu separatio. Oratur autem pro excommunicatis, non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt, ut detur pœnitentiæ spes.

Si autem objicias, quod excommunicatio non est culpa, sed est pœna : ergo per eam nemo amittit suffragia Ecclesiæ. Di-

cendum, quod suffragia unius prosunt alteri secundum quod ei continuantur. Potest autem actio unius alteri continuari dupliciter. Primo, virtute caritatis, quæ omnes fideles connectit ut sint unum in Deo, juxta illud : Particeps ego sum omnium timentium te. (Ps. cxviii, 63.) Hanc continuationem excommunicatio non intercipit : quoniam juste excommunicari nemo potest nisi pro culpa mortali, per quam a caritate divisus est, etiamsi non excommunicetur; injusta autem excommunicatio caritatem alicui auferre non potest. Secundo, per intentionem facientis suffragia, quæ intentio fertur in eum pro quo suffragia fiunt. Hanc continuationem excommunicatio intercipit : quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab universitate fidelium, pro quibus suffragia facit. Hinc suffragia Ecclesiæ excommunicato non prosunt quæ pro tota Ecclesia fiunt; nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eo inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamvis persona privata possit pro illo orare.

Denique si quæratur, cur et qualiter conveniat Ecclesiæ aliquem credentium excommunicare; dicendum, quod judicium Ecclesiæ conformari debet judicio Dei. Deus autem peccatores multipliciter punit, ut eos ad bonum trahat : primo, flagellis castigando; secundo, hominem sibi ipsi relinquendo, quatenus propriam infirmitatem experiatur, et ita ad Dominum revertatur : in quorum utroque Ecclesia imitatur Deum excommunicationis sententiam infligendo. In quantum enim hominem a communione fidelium separat quatenus salubriter erubescat, imitatur Dei judicium quo per flagella castigat. In quantum vero separat illum a suffragiis ac aliis spiritualibus bonis, imitatur judicium Dei quo hominem sibi ipsi relinquit, quatenus per humilitatem se ipsum cognoscens, ad Deum compunctus recurrat. — Si autem objiciatur, quod excommunicatio est maledictio quædam, non autem licet maledicere homini; dicendum, quod maledictio

A duplex est. Una quæ sistit in malo alteri imprecato, ut si dicas : Pereas in æternum. Et ita non licet. Alia quæ infert malum illud ad bonum ejus cui maledictio illa infertur. Sicque excommunicatio est maledictio quædam, et ita est licita.

Denique ex hoc quod quis suffragiis privatur Ecclesiæ, triplex incurrit incommodum, ex opposito ad triplex commodum quod ex suffragiis Ecclesiæ consequitur homo. Valent namque ad augmentum gratiæ eis qui gratiam habent, atque ad obti- B nendum eam eis qui eam non habent. Et quantum ad hoc dicit Magister, quod gratia per excommunicationem subtrahitur. Secundo valent ad virtutis custodiam. Et quantum ad hoc asserit, quod per excommunicationem protectio Dei aufertur : non quod excommunicatus a providentia Dei totaliter excluditur, sed ab illa defensione qua Omnipotens filios Ecclesiæ specialiori modo tuetur. Tertio valent ad defensionem ab hoste. Et quantum ad hoc addit, quod major potestas sæviendi in excom- C municatum diabolo datur, tam spiritualiter quam corporaliter. Idcirco in primitiva Ecclesia, quando per signa homines erant inducendi ad fidem, sicut donum Spiritus Sancti per sensibile signum manifestabatur, sic virtus excommunicationis corporali vexatione excommunicati a dæmone. Nec tamen Ecclesia de excommunicati salute desperat, imo excommunicationem ordinat ad ipsius excommunicati salvationem.

Quæritur quoque, an pro temporali dam- D no excommunicandus sit homo. Videtur quod non, quia sic pœna excederet culpam, nec licet malum pro malo rependere. — Respondendum, quod per excommunicationis sententiam excluditur homo a regno quodammodo, a quo nemo est excludendus nisi pro mortali peccato. Quumque unus alium in temporalibus damnificando, frequenter peccet mortaliter, potest pro tali malefacto excommunicari. Verum, quum excommunicatio gravissima sit pœnarum, et pœnæ medicinales debeant es-

se, ut secundo dicitur Ethicorum; sapientisque medici sit, a levioribus ac minus periculosis incipere medicinis : hinc excommunicatio non debet pro quocumque mortali peccato infligi, nisi homo contumax inveniatur non comparendo, vel ante sententiam sine licentia recedendo, aut sententiæ non parendo. Tunc quippe si monitus obedire contempserit, contumax reputatur ac excommunicatur a judice, qui non habet quid amplius faciat contra talem. Itaque non pro solo corporali damno, sed pro peccato gravissimo reus excommunicatur; nec redditur ei malum pro malo, sed justa retributio qua emendetur.

Insuper interrogatur, an excommunicatio injuste lata sortiatur effectum. Videtur Cf. p. 513 A'. quod non, quia (ut patuit) per excommunicationem privatur homo spiritualibus bonis. — Et respondendum, quod excommunicatio vocatur injusta dupliciter. Primo, ex parte excommunicantis, dum ex ira aut odio aut simili vitiosa radice excommunicat : qui quamvis ita excommunicando peccet, tamen excommunicatio ejus sortitur effectum, quoniam iste patitur juste, licet ille agat injuste. Secundo, ex parte excommunicationis, vel quoniam causa excommunicationis exstat indebita, vel quia sententia fertur prætermisso ordine juris : et tunc si sit talis error qui sententiam reddat nullam, non habet effectum, quia non est excommunicatio; si autem sententiam non annullet, habet effectum, et debet excommunicatus humiliter obedire, eritque ei ad meritum, et vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad judicem superiorem recurrere. Porro si contemnit, eo ipso peccat mortaliter. Contingit vero interdum, quod sit debita causa ex parte excommunicantis, quæ non est debita ex parte excommunicati : quemadmodum dum quis pro crimine falso in judicio probato excommunicatur; et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. Hinc ait Gregorius, quod pastoris sententia

A sive sit justa, sive injusta, timenda est gregi. — Ad objectum ergo dicendum, quod quamvis homo gratiam Dei injuste amittere nequeat, potest tamen injuste amittere ea quæ ex parte nostra disponunt ad gratiam : ut si subtrahatur alicui verbum salubris doctrinæ quæ ei debetur : sicque excommunicatio subtrahit gratiam.

Amplius, quamvis aliqui dicant sacerdotes etiam parochiales posse excommunicare, probabilior tamen opinio est, solos episcopos et superiores prælatos hoc posB se : quia per excommunicationem homo a communione fidelium separatur, quod pertinet ad forum exterius, non ad pœnitentiæ forum, in quo causa agitur inter hominem et Deum. Ideo soli hi possunt excommunicare qui habent jurisdictionem in foro exteriori, ut sunt episcopi et majores prælati, non parochiales presbyteri, nisi ex commissione eis facta, vel in casibus certis, ut in furto, rapina et consimilibus, in quibus eis a jure committitur. Hinc quoque non sacerdotes, dummodo jurisdiC ctionem habeant, possunt excommunicare. Quamvis enim non habeant clavem ordinis, habent tamen clavem jurisdictionis.

Quæritur etiam, utrum excommunicatus aut suspensus valeat excommunicare. Et respondendum quod non, quoniam excommunicatus omnis jurisdictionem amittit, quum a communione fidelium separetur. Eadem ratio est de suspenso a jurisdictione. Si enim suspensus est tantum ab ordine, non potest ea quæ ordinis sunt, sed quæ sunt jurisdictionis. Similiter, si susD pensus est tantum a jurisdictione, non potest ea quæ sunt jurisdictionis, sed ea quæ ordinis. Si suspensus fuerit ab utroque, nullum illorum potest.

Ex quibus patet, quod homo non queat excommunicare se ipsum, nec superiorem, neque æqualem : quia in nullum horum habet jurisdictionem, sed tantum in inferiorem, cujus et judex consistere potest. Par autem in parem non habet imperium, nec idem potest esse judex et reus. — Verum objici potest, quod in foro pœnitentiæ

episcopus a subdito suo absolvitur. Respondetur, quod absolutio atque ligatio in foro pœnitentiæ est tantummodo quoad Deum, apud quem unus redditur inferior alio per peccatum; excommunicatio vero est in foro exteriori, in quo homo superioritatem per peccatum non perdit : ideo non est simile. Verumtamen homo se ipsum non potest absolvere in foro confessionis; imo nec superiorem neque æqualem, de mortali, nisi ex commissione. De venialibus vero potest, quoniam venialia ex quibuslibet sacramentis gratiam conferentibus remittuntur : sicque venialium remissio consequitur ordinis potestatem.

Insuper quæri potest, utrum aliqua universitas seu tota communitas valeat excommunicari. Et respondendum quod non, *Cf.* p. 513 A. quia (ut dictum est) excommunicatio non est infligenda nisi pro peccato mortali, quod consistit in actu. Actiones vero sunt singularium personarum, ut frequenter, non communitatis. Et quamvis interdum plures in eadem actione communicent, ut patet de trahentibus navem, non tamen est verisimile quod aliqua universitas seu communitas ita tota consentiat in peccato, ut nulli in ea sint dissentientes. Idcirco Ecclesia provide statuit, ut non excommu- *Matth.* XIII, 29. nicetur communitas, ne collectis zizaniis, simul eradicetur et triticum : præsertim quia Ecclesia debet pro posse Dei sui imitari judicium, de quo scriptum est in Ge- *Gen.* XVIII, 25. nesi : Non est hoc tuum ut condemnes justum cum impio. — Si autem objicias, quod interdum tota civitas seu communitas interdicitur; respondendum, quod suspensio talis non est tanta pœna ut excommunicatio, quia suspensi suffragiis Ecclesiæ non fraudantur. Unde etiam aliquis sine culpa sua suspenditur, seu interdicto supponitur pro peccato alterius, ut totum regnum pro regis excessu.

Hoc item sciendum, quod semel excommunicatus, potest denuo excommunicari per ejusdem excommunicationis iterationem, ad majorem sui confusionem, ut vel sic a peccato suo resiliat, vel propter alias A causas : et tunc tot sunt principales excommunicationes, quot sunt causæ pro quibus excommunicatur. — Hæc Thomas in Scripto.

Qui et alia quædam circa hæc sciscitatur, quæ breviter tangi possunt. Nam quærit, utrum liceat excommunicato communicare in pure corporalibus; et an communicans excommunicato, sit excommunicatus; an etiam participare cum excommunicato in casibus non concessis, sit semper peccatum mortale. Ad primum B horum trium respondet : Duplex est excommunicatio, ut dictum est jam. Una mi- *Cf.* p. 512 B'. nor, separans a participatione sacramentorum; et major, quæ ultra hoc separat a communione fidelium. Excommunicato excommunicatione minori licet communicare, non tamen sacramenta conferri. Excommunicato autem excommunicatione majori non licet communicare. Verumtamen, quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, non ad damnationem infligit, excipiuntur quædam in quibus licitum est C excommunicatis communicare, puta in pertinentibus ad salutem, et loqui eis de talibus, ac alia quædam bona verba inserere, quatenus verba salubria ex familiaritate facilius recipiantur; et etiam quædam personæ ad quas specialiter pertinet provisio excommunicati, videlicet uxor, servus, filius, rusticus et serviens. Quod intelligendum est solum de filiis non emancipatis; et de aliis, si ante excommunicationem subdiderunt se ei, non autem si post. Alii dicunt, quod superiores possunt D licite communicare inferioribus, ut dictum est de uxoribus, servis et filiis, etc.; alii dicunt contrarium. Sed ad minus communicare eis debent in his in quibus eis sunt obligati : quoniam sicut inferiores tenentur ad obsequium superiorum, sic superiores ad providentiam inferiorum. Sunt quoque quidam casus excepti : ut dum excommunicatio ignoratur; et dum aliqui sunt peregrini viatores in terra excommunicatorum, qui licite possunt ab eis emere, seu etiam eleemosynam capere; et si quis

excommunicatum videat positum in necessitate : tunc enim ex caritatis præcepto illi providere tenetur.

Ad secundum respondet, quod homo potest excommunicari dupliciter. Primo, quod ipse sit excommunicatus cum omnibus participantibus secum : sicque quicumque participat ei, excommunicatus est excommunicatione majori. Secundo, sic quod excommunicatus est simpliciter : et tunc aut participat quis ei in crimine, præbendo ei consilium, auxilium et favorem, et sic majorem excommunicationem incurrit ; aut participat ei in aliis, ut in osculo, verbo aut mensa, sicque in excommunicationem ruit minorem. Excommunicato demum excommunicatione minori licet communicare, et ita excommunicatio in tertiam non transit personam.

Deinde respondens ad tertium, ait : Quidam dicunt quod imo. Sed quoniam valde durum videtur, quod aliquis peccet mortaliter loquendo unum verbum cum excommunicato aut eum salutando, et hoc multis laqueum damnationis injiceret; ideo alii dicunt, quod non peccat mortaliter, nisi quando communicat in crimine aut in divinis, vel in contemptum Ecclesiæ. Et ita intelligendæ sunt decretales et auctoritates quædam, dicentes quod participare illis mortale sit. Porro præceptum Ecclesiæ spiritualia directe concernit, atque ex consequenti actus legitimos : idcirco communicans illis in divinis, agit contra præceptum Ecclesiæ, et peccat mortaliter; qui autem participat eis in aliis, agit præter præceptum Ecclesiæ, et venialiter peccat.

Postremo quærit, utrum quilibet sacerdos subditum suum ab excommunicatione queat absolvere; et utrum aliquis possit absolvi invitus; et utrum quis posset absolvi ab una excommunicatione, et non ab alia aut aliis in quibus consistit. Ad quorum primum respondens : A minori, inquit, excommunicatione quilibet sacerdos potest absolvere qui absolvere potest a participationis peccato. Si vero sit excommunicatio major : aut est lata a judice, et

A ita qui tulit ac ejus superior potest ab ea absolvere; aut est lata a jure, et tunc episcopus aut etiam sacerdos potest absolvere, exceptis sex casibus, quos dominus Papa sibi reservavit. Primus est, quando aliquis injicit manum in religiosum aut clericum. Secundus est de illo qui incendit ecclesiam et est denuntiatus. Tertius, de eo qui in divinis scienter communicat excommunicatis. Quartus, de eo qui frangit ecclesiam et est denuntiatus. Quintus, de eo qui falsat litteras apostolicæ Sedis.

B Sextus, de illo qui excommunicatis in crimine participat. Non enim debet absolvi nisi ab eo qui excommunicavit, etiam si non sit subditus ejus : nisi propter difficultatem accedendi ad illum absolveretur ab episcopo aut a proprio sacerdote, præstita juratoria cautione quod pareret mandato illius qui tulit sententiam. — Denique, a primo casu octo excipiuntur. Primum est in articulo mortis, in quo a quolibet sacerdote potest quis a quacumque excommunicatione absolvi. Secundo, si sit ostiarius

C alicujus potentis, et non ex odio neque proposito percussit. Tertio, si percutiens sit mulier. Quarto, si servus, et dominus ejus de sua absentia læderetur, qui dominus non fuerit in culpa. Quinto, si regularis percutiat regularem, nisi sit enormis excessus. Sexto, si sit pauper. Septimo, si impubes aut senex aut valetudinarius. Octavo, si capitales habeat inimicitias. — Præterea septem sunt casus in quibus percutiens clericum non incurrit excommunicationem. Primus, si causa disciplinæ

D percussit. Secundus, si jocosa levitate. Tertius, si invenerit eum turpiter agentem cum sua uxore aut matre vel sorore aut filia. Quartus, si statim vim vi repellat. Quintus, si ignoret quod clericus sit. Sextus, si inveniat eum in apostasia post tertiam admonitionem. Septimus, si transfert se clericus ad actum clericaturæ prorsus contrarium, ut si fiat miles aut bigamus. — Quumque excommunicatus non sit particeps sacramentorum, non potest eum sacerdos suus absolvere a suis peccatis, nisi

prius ab excommunicatione sit absolutus.

Ad secundum dicendum, quod quum excommunicatio sit quædam pœna, potest homo ab illa invitus absolvi. Malum enim pœnæ non est semper ex propria voluntate, ut malum culpæ, a qua nemo potest absolvi invitus.

Ad tertium respondendum, quod excommunicationes non habent connexionem in aliquo sicut peccata mortalia : ideo una sine alia potest auferri. Verum unus quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus a judice uno : et tunc quando ab una absolvitur, ab omnibus absolvi accipitur, nisi oppositum exprimatur, aut in casu quo quis absolutionem impetrat tantum de uno casu excommunicationis, quum pro pluribus excommunicatus sit. Interdum vero excommunicatus est a diversis judicibus: tuncque absolutus ab excommunicatione una, non propter hoc est absolutus ab alia, nisi omnes alii ad petitionem ejus absolutionem ejus confirment, vel nisi omnes ceteri judices demandent uni absolutionem ipsius. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus in omnibus, et adjungit : Quemadmodum in medicina corporali duplex est modus sanandi, quo utitur sapiens medicus : unus per medicamina dulcia, alius per amara sive mordacia ; ita in medicina spirituali modus suavis est per exhortationem et sacramentorum administrationem, modus mordax, per increpationem et sacramentorum subtractionem. Quorum utroque debet uti Ecclesia spiritualisque medicus juxta infirmorum conditionem atque morborum varietatem. Ideo convenit ei excommunicare nonnullos, quos per pietatem non valet corrigere. Communio autem Ecclesiæ duplex est: una interior per caritatem, alia exterior per ecclesiasticam unitatem. Prima auferri Cf. p. 513 A. non potest justo, sed secunda, ut dictum est. — Porro sententia excommunicationis injusta vocatur tripliciter : primo, ex parte excommunicantis, quando pravo zelo excommunicat ; secundo, ex parte excommunicati, dum sine justa causa excommunicatur ; tertio, ex parte excommunicationis, quando ordo juris non observatur. In omnibus modis his sententia excommunicationis tenenda est ac timenda, exceptis casibus tribus. Primus est, quando excommunicans excommunicandi potestatem non habet. Secundus, quando post appellationem ab excommunicato legitime interpositam excommunicatur. Tertius, quando manifestus error in sententia exprimitur : ut si dicatur, Excommunico te, quoniam credis in Christum. Hæc Petrus.

Consonat his Richardus, qui multa his addit, de quibus pertranseo quoniam rara sunt et juristas magis concernunt. Aliqua tamen tangam. Itaque quærit, an sententia excommunicationis lata contra communitatem, teneat. Respondet : De hoc sunt duæ opiniones, quarum verior dicit, quod non tenet, alias non caveretur periculum animarum, quod institutio vitare intendit. — Iterum quærit, an mortuus queat excommunicari. Respondet quod imo, non quod excommunicatio cedat illis in pœnam aut medicinam, sed in criminis detestationem, atque ad vivorum terrorem, ut a talibus sceleribus compescantur : et ita est excommunicatio illa aliis medicina. Sicque excommunicantur hæretici et schismatici, et qui hæreticum constituerunt heredem, hi quoque qui sponte occiderunt se ipsos. — Amplius sciscitatur, an uxor possit excommunicari pro peccato sui mariti, et filii aut filiæ pro suorum excessu parentum, vel rex pro vitiis populi sui. Respondet : Nullus excommunicandus est nisi pro peccato suo mortali. Ideo, nisi uxor communicaverit in crimine viri, aut soboles in parentum facinore, non sunt pro illorum peccatis excommunicandi. Et quando sic excommunicantur, tunc non pro illorum criminibus, sed pro propriis excommunicationi subduntur. Ita et rex si in regimine et correctione populi sui sit negligens multum, nec monitus se emendet, potest excommunicari pro propriis ignaviis, incorrigibilitatibus, inobedientiis.

— Item subditi non tenentur obedire episcopo A, nec monachi abbati, excommunicatis excommunicatione majori. Hæc Richardus.

Præterea Bonaventura : Excommunicatio, inquit, est duplex. Una a jure : ut qui incendit ecclesiam aut percutit sacerdotem, ipso jure est excommunicatus, etiam excommunicatione latæ sententiæ. Alia a judice. Prima est præservativa, secunda curativa. Prima excommunicatio quamvis fieri videatur ad conservandam ecclesiasticam libertatem, quemadmodum secunda B fieri videtur propter excommunicati emendam; prima tamen principalius fertur propter culpam vitandam : grandis etenim culpa est et valde vitanda, dum quis in Ecclesiam peccat. Secunda quoque principalius fit ad frangendam contumaciam. Ideo secundum formam juris, nulli nisi contumaci est infligenda : propter quod etiam monitio debet eam præcedere, ut contumax de contumacia convincatur.

Est demum controversia inter legistas, quis possit excommunicare. Quidam dixerunt C quod soli episcopi; alii, quod non solum episcopi et eminentiores, sed archidiaconi quoque et abbates aliique prælati; ceteri, quod etiam parochiales presbyteri. Quamvis autem in hac quæstione, canonum sit dicere *quia,* theologiæ tamen tanquam eminentioris scientiæ est dicere *propter quid.* Nempe, quod in Ecclesia aliquis habeat potestatem, hoc est a Christo, qui potestatem dedit Apostolis, præcipue S. Petro, cui utramque contulit potestatem, puta auctoritatem ligandi et solvendi, tam D in foro pœnitentiali quam in foro judiciali. Prima harum pœnitentiam et conscientiam respicit, secunda prælationem. Prima, quoniam aperit cœlum, recte dicitur clavis; secunda, quoniam per censuram judicii coercet subjectos, dicitur gladius. Prima potestas, quum collata sit Petro ut sacerdoti, descendit in omnes sacerdotes, quamvis non habeant exsecutionem. Secunda, quia donata est beatissimo Petro ut prælato, descendit in ecclesiasticas personas universas prælationem seu jurisdictionem habentes. Hinc qui jurisdictionem ordinariam habent in judicando aliquos, potestatem habent coercendi per ecclesiasticam censuram, ut eorum judicium inviolabiliter observetur. Quumque jurisdictionem habeant vel a jure vel ex consuetudine, non solum qui habent claves, sed et alii quidam, ut arcbidiaconi et quædam capitula; ideo possunt excommunicare. Rursum, quoniam aliqui habent claves, qui jurisdictionem non habent in foro judiciali, ut simplices sacerdotes; ideo excommunicare non valent, nisi ex commissione, vel in determinatis casibus, ut in furto, rapina.

Si autem quæratur, quando S. Petro data sit utraque hæc potestas; dici potest quod simul, quoniam data est ei potestas clavis in plenitudine sua. Potest etiam probabiliter dici quod non simul : ita quod potestas clavium sit ei apud Matthæum promissa, *Matth.* XVI, 19.
et apud Joannem data. *Joann.* XX, 23. Potestas autem excommunicandi insinuatur ei fuisse data, ubi postquam dictum est, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, *Matth.* XVIII, 17, 18.
etc., additum est : Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis, etc. — Hæc Bonaventura.

In præhabitis sententialiter continentur dicta Alberti, qui addit : Quæritur qualiter excommunicatio sit ferenda. Et videtur quod cum diligentia maxima. Maximum namque periculum est in ea; et ubi majus periculum, ibi major diligentia et cautela sunt adhibendæ. Sed contra hoc videtur esse abusus iste Ecclesiæ nunc in multis. — Ad quod dico, quod ad justam excommunicationis formam tria concurrunt, ut scilicet sit ex animo, et ex ordine, atque ex causa. Ex animo, ut fiat studio corripiendi, non se vindicandi, diligenti admonitione præmissa; et ex ordine juris, ut scilicet post admonitionem et quasi desperationem alterius viæ, judex causam excommunicationis, utpote contumaciam, scribat, et sedendo quasi quietus pronuntiet, et infra quadraginta dies paratus sit

dare, quando postulaverit, excommunicato A ipsi. Causa autem excommunicandi est quam vere promeruit, aut secundum allegata : quæ ei datur in scriptis, si infra quadraginta postulaverit dies. — Peccant quoque mortaliter qui juxta prætactum abusum excommunicare præsumunt, et audent excommunicationem tam faciliter jaculari : imo et ultra hoc in nova constitutione additur pœna, ut per quadraginta dies ab ecclesiæ ingressu abstineat qui ita excommunicat, et excommunicatus a superiore sine difficultate absolvatur. Et insuper B ipse excommunicans ad omnes expensas quas fecit excommunicatus in causa suæ absolutionis, atque ad interesse condemnetur. — Feminis autem, scilicet abbatissis, et priorissis, etc., nulla clavium præfatarum conceditur. — Hæc Albertus. Quæ utinam servarentur!

Concordat Durandus, aliique communiter, secundum quos nec claves ordinis nec potestas jurisdictionis sortitur effectum nisi in subdito, non in eis qui alterius sunt diœcesis aut alieni, nisi a C superiore hoc concedatur. Unde ut Scotus testatur, excommunicatio non se extendit extra diœcesim. Et ut probat Durandus, si loquamur absolute de sacramento Pœnitentiæ, circumscribendo omnem ordinationem Ecclesiæ, quilibet sacerdos posset quemlibet peccatorem de quolibet peccato absolvere. Cujus signum est, quod in articulo mortis hoc fit. Et quod sufficeret tunc voluntaria subjectio, probat per hoc, quod Papa ab inferiore absolvitur, cui se subjicit sponte.

Argentinensis etiam protestatur, quod vis clavium quantum ad forum pœnitentiæ et confessionis, non potest essentialiter tolli, quum sit idem quod sacerdotalis character, vel inseparabiliter ei unita, sed potest a superiore ligari et impediri ab usu. Potestas vero jurisdictionis potest omnino auferri. — Et si objiciatur de Papa, qui superiorem non habet in terra, ergo potestas jurisdictionis non potest ei auferri; respondet, quod ratione delicti, si efficeretur hæreticus, collegium cardinalium esset superius eo, et posset eum officio beneficioque privare. — Hæc Argentinensis. Ex quo concluditur, quod generale concilium potius posset hoc. Verum de his in sequentibus erit tractatus.

DISTINCTIO XIX

A. *Quando hæ claves dantur et quibus.*

POSTQUAM ostensum est, quæ sint claves apostolicæ, et quis earum usus; superest investigare, quando istæ claves dentur et quibus. Dantur hæ claves per ministerium episcopi alicui in promotione sacerdotii : quum enim recipit ordinem sacerdotalem, simul et has claves recipit. Sed non videtur, quod omnes vel soli sacerdotes has claves habeant : quia plerique ante sacram ordinationem scientiam discernendi habent, plures post consecrationem ea carent. Sane dici potest, quod alteram clavium istarum, id est scientiam discernendi, non habent omnes sacerdotes : unde dolendum est atque lugendum. Multi enim, licet indiscreti, atque scientiæ qua eminere debent exsortes, sacerdotii gradum recipere præsumunt, vita et scientia eo indigni : qui nec ante sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi qui ligandi sint vel solvendi. Ideoque illam clavem in consecratione non

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 14.

recipiunt, quia semper scientia carent. Qui vero ante sacerdotium scientia discernendi præditi sunt, licet habeant discretionem, non tamen in eis est clavis, quia non valent ea claudere vel aperire : ideoque quum promovetur in sacerdotem, clavem discretionis recte dicitur accipere, quia et ante habita discretio augetur, et fit in eo clavis ut ea jam valeat uti ad claudendum vel aperiendum.

B. *Si alteram clavem omnes habeant, scilicet potentiam ligandi et solvendi.*

Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 14.

Quumque jam constet, non omnes sacerdotes illas duas claves habere, quia scientia discernendi plerique carent; de altera, id est potentia ligandi et solvendi, quæritur, utrum omnes sacerdotes eam habeant. Quidam enim hanc potestatem putant illis solis esse concessam, qui doctrinam simul ac vitam Apostolorum servant : illas enim claves promisit Dominus Petro et imitatoribus ejus tantum, ut aiunt. Qui etiam auctoritatibus utuntur in munimentum suæ opinionis. Hoc enim dicunt Augustinum sensisse, ubi superius ait : (dist. xviii E.) Remissionem peccatorum vel per se ipsum facit Deus, vel per columbæ membra. Dicit etiam idem (ibidem.) peccata dimitti vel teneri a Sanctis. Idem super Exodum, ubi de lamina aurea legitur, Erat autem lamina aurea semper in fronte sacerdotis (*Exod.* xxviii, 38. Aug. Quæst. in Heptateuch. lib. ii, q. 120.) : Hæc, inquit, significat fiduciam bonæ vitæ, quam qui vere perfecteque, non significatione, sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata. Item Gregorius (Gregor. Dialog. lib. ii, c. 23.) : Illi soli habent in hac carne positi potestatem ligandi et solvendi, sicut sancti Apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent. Item ex dictis Origenis (Origen. in Matth. tom. xii, n. 14.) : Hæc potestas soli Petro concessa est et imitatoribus Petri : nam quicumque vestigia Petri imitantur, habent recte ligandi et solvendi potestatem. His aliisque testimoniis innituntur qui asserunt, potestatem ligandi ac solvendi illis solis concessam sacerdotibus qui vita et doctrina pollent sicut Apostoli.

C. *Aliorum sententia verior.*

Aliis autem videtur, quod et mihi placere fateor, cunctis sacerdotibus hanc clavem dari, scilicet ligandi et solvendi; sed non eam recte ac digne habent, nisi qui vitam et doctrinam apostolicam servant. Nec præmissæ auctoritates malos sacerdotes hanc potestatem negant habere, sed illos solos digne ac recte hac potestate uti significant, qui præditi sunt vita et doctrina apostolica : quia soli ipsorum Apostolorum imitatores digne recteque possunt ligare et solvere; et per Dominum tantum vel per Sanctos, in quibus habitat Spiritus Sanctus, digne et recte fit remissio vel retentio peccatorum. Fit tamen et per illos qui sancti non sunt, sed non digne vel recte. Dat enim Deus benedictionem digne poscenti etiam per indignum ministrum. Quod vero hanc potestatem habeant omnes sacerdotes, Hieronymus testatur super illum locum Evangelii, ubi Dominus dixit Petro (*Matth.* xvi, 19.), Tibi dabo claves regni cœlo-

rum : Habent enim (inquit) eamdem judiciariam potestatem alii Apostoli, habet et omnis Ecclesia in episcopis et presbyteris; sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei et societate Ecclesiæ se separaverit, nec a peccatis solvi nec cœlum potest ingredi. Glossa ord. in Matth. XVI, 19.

Item quod sacerdos, etiam si malus sit, gratiam tamen transfundit pro suæ dignitatis officio, Augustinus ostendit, dicens : Dictum est a Domino in Numeris ad Moysen et Aaron sacerdotes, Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos; ut gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotum obesse vel prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas sacerdotalis officii et ordinis, hinc advertamus. Dictum est de nequissimo Caipha inter cetera : Hoc autem a semetipso non dixit; sed quum esset pontifex anni illius, prophetavit. Per quod ostenditur, Spiritum gratiarum non personam sequi digni vel indigni, sed ordinem traditionis : ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus ut officium ministerii exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis. Hinc evidenter ostenditur, ordinem non privari potestate tribuendi gratiam ob ministri indignitatem. — Huic tamen Augustini sententiæ videtur obviare quod ait Hesychius : Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt, et propter * eum qui in ipsis est, plenitudinem benedictionis tribuunt; nec solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicumque Christum in se ipso habet, et ejus figuram gerit per conversationem bonam, sicut Moyses, idoneus est ut benedictionem præstet. Ecce hic habes, quod non solum sacerdos, sed omnis in quo Christus habitat, benedictionem præstat. Sed alia est benedictio quæ solis sacerdotibus congruit, alia quæ ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi sacerdotes in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicuntur, non quia soli ipsi transfundant gratiam, sed quia illi soli licite et digne id agunt. Nec subditos mala vita sacerdotis lædit, si bona faciunt quæ ille dicit. Unde Gregorius : Multi, dum plus vitam sacerdotum quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur, minus considerantes quod non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.

Decret. p. II, caus. I, q. I, c. 96. *Num.* VI, 27. *Joann.* XI, 51. Hesych. in Levit. IX, 23. * *alias* per Decret. p. II, caus. I, q. I, c. 84.

D. *De hoc quod scriptum est in Malachia, Maledicam benedictionibus vestris.*

Præmissæ vero sententiæ, qua dicitur etiam per mali sacerdotis ministerium transfundi gratiam benedictionis, videtur obviare quod Dominus per Malachiam prophetam malis sacerdotibus comminatur : Maledicam benedictionibus vestris ; et alibi : Væ his qui vivificant animas quæ non vivunt, et mortificant animas quæ non moriuntur. Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, et si animæ quas vivificant sacerdotes, non vivunt; quomodo per eos gratia benedictionis transfunditur ? Sed illud capitulum, Maledicam, etc., quidam referunt ad hæreticos, qui

Malach II, 2. *Ezech.* XIII, 19.

ab Ecclesia præcisi sunt, et ad excommunicatos, quorum benedictiones fiunt maledictiones his qui eorum sequuntur errores. Illud vero alterum, scilicet, Vivificant, etc., super omnes illos sacerdotes exponunt qui absque clave scientiæ et forma bonæ vitæ præsumunt ligare vel solvere. Sed nullus officio sacerdotis uti debet, nisi *Rom.* II, 1. immunis sit ab illis quæ in aliis judicat : alioqui se ipsum condemnat.

E. *Qualis debet esse judex ecclesiasticus.*

Qualem autem oporteat esse qui aliorum judex constituitur, Augustinus descri- Aug. de Vera pœnit. n. 36. bit, ita dicens : Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit dijudicandus quæ in alio judicare est promptus. Judi- *Rom.* II, 1. cans enim alium, qui est judicandus, condemnat se ipsum. Cognoscat ergo se, et purget in se quod alios videt sibi offerre; caveat ut a se projecerit quidquid in alio *Joann.* VIII, 7. damnosum reperit. Animadvertat quod qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Ideo enim liberavit peccatricem, quia non erat qui juste projiceret lapidem. Quomodo lapidaret qui se lapidandum cognosceret ? Nullus enim erat sine peccato. In quo intelligitur omnes fuisse reos. Nam venialia omnia semper remittebantur per cærimonias. Si quod ergo in eis peccatum erat, criminale erat. In hoc ergo patentissimum est crimen sacerdotum, et ultra modum detestabile, qui non prius se judicant quam alios ligent. Caveat spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debeat judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare discernat. Diligens ergo investigator sapienter interroget a peccatore, quod forsitan ignorat vel verecundia velit occultare. Cognito vero crimine, varietates ejus non *Cf.* dist. XVI A. dubitet investigare, et locum et tempus et cetera quæ supra diximus. Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare; habeat dulcedinem in affectione, discretionem in varietate. Doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne juste perdat judiciariam potestatem. Etsi enim pœnitentia possit ei acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Etsi Petrus post lapsum restitutus fuerit, et sæpe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas; non tamen est necesse ut omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Invenitur auctoritas quæ concedit et quasi imperat; invenitur auctoritas alia quæ non concedit, sed vetat. Quæ scripturæ non repugnant, sed concordant. Quum enim tot sunt qui labuntur, ut pristinam dignitatem ex auctoritate defendant, et quasi usum peccandi * recidenda sibi faciant; rescindenda * est spes ista. Si vero locus est ubi ista non concurrant, restitui possunt qui peccant. — Ex his satis perpenditur, qualis debeat esse sacerdos qui alios ligat et solvit, discretus scilicet et justus; alioqui mortificat sæpe animas quæ non moriuntur, et vivificat quæ non vivunt, et ita incidit in maledi- *Malach.* II, 2. ctionis judicium. Illud autem Malachiæ, scilicet, Maledicam benedictionibus vestris (sive super hæreticos tantum et excommunicatos, sive super omnes sacerdotes qui

vita et scientia carentes, benedicere præsumunt, dictum accipiatur), sic intelligi potest : Maledicam benedictionibus vestris, id est, his quæ in eis benedictionibus possidetis, quia faciam ea cedere vobis in maledictionem, non in benedictionem : quia etsi benedicunt sanctis, non hoc faciunt ex vero corde, et ideo eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Vel, Maledicam benedictionibus vestris, id est, quod a vobis benedicitur, a me erit maledictum : quia benedicunt inique agentibus, adulanturque peccantibus, dummodo divites sint. Ap. Lyran. in Malach. II, 2.

SUMMA
DISTINCTIONIS NONÆDECIMÆ

A

IN exordio hujus distinctionis ipsemet auctor et Magister se continuat ad prædicta : Postquam, inquiens, ostensum est quæ sint istæ claves apostolicæ, utpote spirituales claves ordinis ac jurisdictionis, quæ primo in Apostolis, potissime in sacratissimo Petro, eorum principe, exstiterunt, et inde ad posteros derivatæ noscuntur, et quis earum usus et actus, atque effectus; superest investigare, quando et quibus dantur. Repetit autem Magister hic aliqua superius jam discussa, videlicet, an scientia seu discernendi peritia clavis sit; et de hoc suum exponit sentire, et
p. 499 B'. dictum est ante, quid senserit inde. Deinde inquirit, an universi sacerdotes habeant potestatem ligandi et solvendi. Quocirca duas narrat opiniones, quarum una erronea est, hæresimque includit, videlicet quod non nisi virtuosi et sancti sacerdotes has habeant claves; alia, quod cuncti presbyteri vere ordinati. Et circa hanc quæstionem versatur quasi tota distinctio ista, quamvis quædam inserantur utilia, utpote, quantum dolendum sit quod tam multi imperiti se ad sacerdotii ingerunt dignitatem, atque ad confessionum auditionem, qui inter peccata discernere nequeunt; et præsertim quod tam plurimi docti et indocti in ipso sacerdotio tam miserabiliter, scandalose ac damnabiliter conversantur; itemque, qualis debeat esse conversatio sacerdotum.

QUÆSTIO UNICA

HIC quæritur, **Quibus conveniat habere ecclesiasticas claves, videlicet, an soli sacerdotes evangelicæ legis habeant eas.**

Videtur quod non, quoniam sacerdotes veteris Testamenti eas habuisse videntur. Similiter Christus (ut apparet) habuit ipsas. — Sciendum autem quod tota ista materia virtualiter jam ante præhabita est. dist. I, q. 1.
B Ostensum est quippe, quod sacramenta veteris Testamenti gratiam non continebant nec dabant. Unde nec sacerdotium illud legale, fuit gratiæ causativum, nec virtus absolvendi fuit in illo nisi valde remote et aliquantulum dispositive ac typice, sicut monstratum est. Ideo sacerdotes legales claves non habebant. Itaque de his expeditius transeundum.

De quibus sanctus asserit Doctor : Quidam dixerunt, quod in sacerdotibus legis,
C claves fuerunt, quia commissum eis fuit pœnam imponere pro delicto, ut patet in Levitico : quod ad claves pertinere videtur; quas tamen dicunt imperfectas fuisse seu incompletas, atque per Christum completas in sacerdotibus evangelicæ legis. Sed istud videtur contra intentionem Apostoli ad Hebræos, ubi sacerdotium Christi sacerdotio præfert legali, quoniam Christus pontifex est futurorum bonorum, per proprium sanguinem ad cœleste tabernaculum introducens, ad quod non introduxit sacerdotium legis per sanguinem Lev. v, 18. Hebr. IX, 11, 12.

hircorum et vitulorum, qui sanguis non A habuit efficaciam ad hoc. Sicque constat quod potestas sacerdotii illius se ad cœlestia non extendit. — Hinc secundum alios, verius est censendum, quod sacerdotes legis claves has non habebant, sed clavium figura in ipsis præcessit. Et quamvis habebant auctoritatem discernendi ac judicandi, attamen judicatos a se non valebant purgare, justificare, et ad regnum cœleste perducere. Denique per sacramenta legalia non a culpis, sed a quibusdam irregularitatibus legis mundabant, quate- B nus ita mundati, templum illud materiale manufactum ingredi possent.

Cf. dist. xviii, q. 1. Insuper, sicut præhabitum est, clavis ista spiritualis est potestas aperiendi regnum cœleste : quæ fuit in Christo per *Cf.* dist. v, q. 2. auctoritatem, in quantum est Deus; et per excellentiam, secundum quod homo, in quantum merito suo vim et efficaciam sacramentis novæ legis obtinuit. In ministris autem est clavis ista instrumentaliter tantum. Clavis tamen potestatem hanc nominat indifferenter, sive principaliter sive C instrumentaliter insit. Idcirco in Christo claves fuerunt, sed eminentiori perfectiorique modo quam in nobis. — Si autem objiciatur, quod clavis characterem ordi- *Cf.* p. 498 C'. nis sequitur, sicut præhabitum est; Christus autem characterem non habebat, ut *Cf.* p. 174 C'. distinctione patuit sexta. Dicendum, quod character ex propria ratione dicit aliquid ab alio derivatum : idcirco potestas clavium quæ est in nobis a Christo derivata, sequitur characterem quo Christo conformamur. In Christo autem non sequitur D characterem, sed formam principalem; nec clavis in Christo fuit quid sacramentale, sed sacramentalis clavis principium.

Cf. p. 514 A', 518 C. Præterea, sicut jam dictum est sæpe, clavem ordinis in foro conscientiæ inter Deum et hominem habent sacerdotes dumtaxat; clavem vero jurisdictionis in foro exteriori habent et alii quidam et quædam communitates. Mulieribus vero nulla earum convenit, quoniam status earum est *I Cor.* xiv, 34. status subjectionis, secundum Apostolum; committitur tamen eis aliquis clavium usus, ut corrigere subditas et præesse eisdem, propter periculum cohabitationis atque præsentiæ virorum cum talibus. Quemadmodum autem in politiis judex interdum habet totam potestatem, quandoque vero multi in diversis officiis constituti, vel ex æquo; sic spiritualis jurisdictio potest haberi ab uno, ut ab episcopo; et a pluribus simul, sicut a capitulo vel conventu, cui quandoque cum suo præsidente convenit ex commissione excommunicare.

Post hæc adhuc tria quæruntur : primum, an viri sancti non sacerdotes usum clavium habeant; secundum, an vitiosi sacerdotes habeant eum; tertium, an etiam schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi et degradati. Dicendum ad primum, quod agens principale et agens instrumentale differunt in hoc, quod agens instrumentale non inducit in effectu similitudinem sui, sed principalis agentis; principale vero agens inducit similitudinem suam. Idcirco ex hoc est aliquid principale agens, quod habet aliquam formam quam transfundere potest in alterum; instrumentale vero agens vocatur, quod a principali agente applicatur ad effectum aliquem inducendum. Quumque in actu clavium, Christus in quantum Deus sit principale agens *Cf.* p. 498 A. per auctoritatem, atque ut homo per meritum : idcirco ex plenitudine divinæ bonitatis in se, et ex plenitudine gratiæ suæ consequitur quod in actum clavium possit; ceteri vero solum ut causæ instrumentales, non sua virtute aut merito, sed Christi : quia nec gratiam remissionis peccatorum aliis meruerunt, imo gratia et merito Christi salvati sunt. Hinc qui effectum clavium consequuntur, assimilantur non ipsis, sed Christo. Ideo quantumlibet sit aliquis virtuosus et sanctus, non potest clavium effectum causare, nisi applicetur ad hoc tanquam Christi minister ac instrumentum per Ordinis sacramentum. — Verumtamen homines virtuosi possunt aliis cooperari ad gratiam. Nam quamvis purus

Cf. t. XV, p. 590 C; XXII, p. 349 A. homo nequeat alteri gratiam ex condigno mereri, tamen meritum ejus potest dispositive et ex congruo cooperari ad salutem alterius. Hinc benedictio puri hominis duplex est. Una ex homine ipso tanquam a meritoria causa per proprium actum : et talis procedere potest ex quolibet sancto, præsertim a virtuosiore ad minus virtuosum, juxta illud Apostoli : Sine ulla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. (Hebr. vii, 7.) Alia, qua homo benedicit homini tanquam benedictionem instrumentaliter alteri applicans virtute ac merito Salvatoris : et hæc benedictio majoritatem ordinis in benedicente requirit.

Ex quibus patet ad secundum responsio. Nam sicut participatio formæ inducenda effectui, non producit nec efficit instrumentum; ita nec subtractio talis formæ usum instrumenti tollit seu impedit. Idcirco, quum homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clavium, quantumcumque ipse sit vitiis deformatus, usu clavium non privatur. Nec donum aut gratia Sancti Spiritus ad clavium usum exigitur, quasi sine gratia esse non valeat; sed quoniam sine ea digne ac meritorie exereeri non potest ex parte utentis. Nec ideo Rex cœlorum improvide agit, quod indignis ministris thesaurum suum et ejus erogationem committit : quoniam defraudari non potest, nec falli; et novit ex malis elicere bona, ac omnia moderamine justo disponit, sicut et malos permittit præesse. Intercessio quoque vitiosi sacerdotis ut privatæ personæ, efficaciam non sortitur; sed ea quam ut minister Christi et publica persona effundit, efficax redditur merito Christi. Attamen utroque modo decet orationem sacerdotis plebi prodesse.

Ad tertium respondendum, quod in omnibus illis potestas clavium quantum ad essentiam manet; usus vero impeditur ex defectu materiæ. Nempe, quum usus clavium prælationem in utente requirat respectu ejus in quem utitur, cujus materia est homo subjectus, et per ordinationem Ecclesiæ unus alteri subdatur ac subtra- A hatur, et ipsa Ecclesia prædictis illis auferat potestatem et jurisdictionem in alios vel simpliciter, vel quantum ad aliquid; constat quod tales clavibus nequeant uti quantum ad id quo usu earum privati sunt. — Hæc Thomas, quæ et supra inducta sunt. p. 477 C', etc.

Amplius quæritur, utrum sacerdos queat uti clavibus in omnem hominem, et an semper possit absolvere subditum suum de quocumque peccato; utrum etiam interdum superiorem. Ad quorum primum B dicendum, quod ea quæ circa singula aut singularia operari oportet, non eodem modo omnibus competunt. Hinc, sicut præter generalia medicinæ præcepta oportet medicos adhiberi, per quos universalia documenta medicinæ singulis infirmis congrue applicentur ; ita in quolibet principatu, præter illum qui præcepta legis tradit, oportet aliquos esse qui ea singulis debito modo adaptent. Unde et in hierarchia cœlesti, sub Potestatibus, quæ indistincte præsunt, ponuntur Principatus, qui sin- C gulis provinciis præsident. Conformiter in ecclesiastica hierarchia, in aliquo uno est indistincte prælatio super omnes, atque sub illo alii, qui diversis diversimode præsunt. Quumque usus clavium requirat aliquam prælationis potestatem, is qui indistinctam potestatem super omnes accepit, potest clavibus uti in quemlibet; qui vero sub eo distinctas aeceperunt potestates, in eos tantum clavibus uti possunt, qui eorum jurisdictioni subduntur, dempto necessitatis articulo, in quo sacramenta nulli sunt D deneganda. — Si autem objiciatur, quod potestas ordinis in cunctis sacerdotibus est æqualis ; ergo in omnibus ad æque multa extendit se : dicendum, quod ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas, videlicet, ordinis et jurisdictionis. Et prima in omnibus est æqualis, non secunda. Ideo, quod Dominus universis Apostolis contulit potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate ordinem consequente : propterea sacerdotibus, quando ordinantur, communiter verba illa dicuntur. Sed S. Pe-

tro dedit specialiter potestatem dimittendi A *Cf.*p.480 B'. peccata, ut intelligatur quod ipse potestatem præ aliis habet jurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, ad universos absolvendos extenditur : ideo inde- *Joann.* xx, 23. terminate Dominus dixit, Quorum remiseritis peccata; intelligens tamen, quod usus potestatis illius esse deberet, præsupposita potestate glorioso Petro collata secundum ordinationem ipsius. Et quia in Israelitico populo non fuerunt congregatæ gentes diversæ, nec plura templa, non oportebat sacerdotum jurisdictiones ibi distingui, ut B modo in Ecclesia Christi.

Ad secundum dicendum, quod potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda; tamen quia ad usum ejus exigitur jurisdictio, quæ a superioribus ad inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reservare in quibus judicium inferioribus non commit- *Cf.*p.510 A'. tit : alias de quolibet peccato posset simplex sacerdos jurisdictionem habens absolvere. Denique quinque sunt casus, in quibus oportet quod simplex sacerdos pœ- C nitentem ad superiorem remittat. Primus est, quando solennis pœnitentia est injun- *Cf.*p.371 A. genda : quia illius pœnitentiæ proprius minister exstat episcopus. Secundus est de excommunicatis, quos inferior sacerdos nequit absolvere. Tertius, dum invenit irregularitatem contractam, pro cujus dispensatione debet ad superiorem remittere. Quartus de incendiariis. Quintus, quando est consuetudo in aliquo episcopatu, quod peccata enormia episcopo reservantur ad aliorum terrorem : quia in talibus con- D suetudo confert seu aufert potestatem. — Denique Pœnitentiæ sacramentum ab omnibus culpæ defectibus liberat, non autem ab omnibus defectibus pœnæ : nam post peractam de homicidio pœnitentiam, manet in homicida irregularitatis defectus. Unde sacerdos potest de crimine absolvere, sed pro pœna hujusmodi removenda debet ad superiorem remittere. Aliter tamen est in excommunicatione, quia absolutionem de ea oportet peccatorum absolutionem præcedere. Quamdiu enim quis excommunicatus est, nullum potest sacramentum accipere.

Ad tertium respondet : Quod sacerdos non possit potestate sua in quemlibet uti, venit ex hoc quod suæ potestatis usus a superiore restrictus est. Et sicut superior limitavit, sic potest rursus laxare et ampliare. Sicque potest superior inferiori sacerdoti dare potestatem in semetipsum; quamvis ipse in semetipsum clavibus uti non valeat, quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subditum, et per consequens alium, quum nemo sui ipsius subjectus sit. Quamvis ergo episcopus simpliciter superior sit simplici a quo absolvitur sacerdote, est tamen inferior illo in quantum peccator et reus ac sponte se illi subjiciens. Quumque infirmitate circumdatus sit et peccet, debet remedium quærere, quod est clavium usus et potestas. Quumque in se ipsum potestate clavium uti non possit, quia non potest simul esse judex ac reus, debet inferiori confiteri, si copiam non habeat superioris. — Et si objiciatur, quod in foro exteriori inferior *Cf.*p.214 D'. nec excommunicare potest neque absolvere superiorem; ergo nec in foro interiori conscientioso, quod oportet ordinatius esse foro exteriori : dicendum, quod judicium exterius est secundum homines, judicium vero confessionis quoad Deum, apud quem fit homo minor viliorque peccando, non autem sic apud prælationem humanam. Hinc sicut in exteriori judicio nullus potest in se ipsum excommunicationis proferre sententiam, ita nec alteri committere; in foro autem conscientiæ potest hoc. Etiam dici potest quod absolutio in foro conscientiæ est principaliter potestatis clavium, et jurisdictionis ex consequenti; excommunicatio vero totaliter spectat ad jurisdictionem. Et quantum ad ordinis potestatem, omnes sacerdotes sunt pares, non autem in jurisdictione. Non ergo est simile. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus, et addit de hoc, an sacerdos legalis habuit claves : Usus atque

officium legalium sacerdotum circa tria præcipue versabatur. Primo, ad aperiendum et claudendum hominibus templum illud materiale in Jerusalem situm, secundum quod mundi erant aut immundi. Secundo, circa oblationem sacrificiorum legalium, et administrationem sacramentorum legis illius. Tertio, circa mundationem irregularitatum quæ erant in lege. Porro templum illud figura fuit Ecclesiæ militantis ac triumphantis; sacrificia erant figuræ ecclesiasticorum sacramentorum; irregularitates vero fuerunt figuræ culparum excludentium a regno cœlorum. Potestas autem sacerdotum novæ legis est in aperiendo et claudendo hominibus regnum cœlorum, in administratione quoque spiritualium sacramentorum, atque in remissione peccatorum. Quo constat, quod potestas sacerdotum legalium exstitit typus potestatis sacerdotum evangelicæ legis, non veritas : ideo non habebant vere ac proprie claves, sed figuraliter potius. — Insuper, sicut in Baptismo duplex confertur donum : unum gratiæ gratis datæ, puta character, qui non opponitur culpæ, imo cum ea recipitur ac tenetur; aliud gratiæ gratum facientis, quod peccato opponitur, nec cum eo recipitur nec tenetur : ita in Ordine datur potestas clavium tanquam donum gratiæ gratis datæ, quæ potestas non opponitur culpæ, imo stat simul et habetur cum ea; datur etiam ibi gratia gratum faciens ad bene utendum clavium potestate. Ideo sine ea non habetur idoneus clavium usus, sed usus ipse. Hæc Petrus. — Idem Richardus.

At vero Bonaventura : Quidam (inquit) dixerunt, quod potestas clavium fuit in lege naturali ac scripta imperfecte, et in lege gratiæ plenarie : ita quod lex naturalis et etiam scripta fuit lex spiritualis, quamvis imperfecta; et pœnitentia fuit inchoata in ea, ita et vis clavium. Unde et sacerdos legalis injunxit aliquas pœ-
Lev. v, 18. nas pro certis culpis, juxta mensuram delicti, ut patet in Levitico. — Alia opinio, quam reputo veriorem, tenet quod A vis clavium non fuit in lege antiqua veraciter inchoata, sed solum præfigurata. Et hoc patet, si respiciantur essentia, origo et finis ipsius clavis. Clavis enim est spiritualis potestas animæ data in sigillatione qna sigillatur sacerdotali charactere; lex autem vetus fuit carnalis magis quam spiritualis. Item, clavis ministerii qnam habent sacerdotes Evangelii, descendit a clave excellentiæ Christi, cui ex suæ meritis passionis convenit secundum quod homo est, illa potestas : tunc autem Christus B nondum exstitit incarnatus. Finis etiam clavis est apertio regni cœlestis : quod tunc aperiri non potuit, quousque Christus adveniens satisfecit.

Præterea claves dantur in ordine sacerdotali. Quod congruit, quoniam conservator clavium harum habet officium mediatoris et reconciliatoris. Mediator quippe est inter Deum et homines; reconciliator vero, reum vel excommunicatum reducendo ad Deum, ac reconciliando Ecclesiæ. Ad hoc autem quod possit esse mediator aptus et C competens inter Deum et homines, oportet quod habeat potentiam offerendi Deo dona *Hebr.* v, 1.
et sacrificia pro peccatis quibus Deus placetur. Ad hoc etiam quod possit reducere ad mysticum Christi corpus, ut sit recta et ordinata potestas, oportet quod habeat potestatem conficiendi corpus Christi san- *Cf.* p. 477 B.
ctissimum : quod ad solos pertinet sacerdotes. Ideo incomprehensibilis sapientia Dei ordinatissimo modo ecclesiasticas ordinans potestates, hanc potestatem ligandi atque solvendi solis sacerdotibus contulit. D — Quumque nomen episcopi non dicat ordinem novum, sed ordinis eminentiam quamdam; dicendum, in episcopatus receptione non dari novam clavem, sed potestatem hujusmodi extendi ac ampliari ad corripiendum et corrigendum : iu cujus signum portat episcopus baculum pastoralem, qui et in sua consecratione traditur ei. — Hæc Bonaventura.

Qui circa hæc multa pulchra inducit, atque in quæstionibus circa litteram inter cetera testatur : Iu relaxatione seu dispen-

satione, ad hoc quod congrue fiat, consideranda est in dispensante potestas, ut sit talis qui supra jus possit, nec sit illi juri subjectus, et in eo cui fit, sit causa idonea. Quumque dominus Papa non sit subjectus constitutionibus Patrum, sed super omnes est; ideo potest dispensare in eis. Tuncque bene agit, quando necessitas sive utilitas hoc requirit. In mandatis vero Decalogi dispensare non potest, quia subjectus est illis. Hinc dispensatio solet definiri sic : Dispensatio est juris relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo qui jus habet dispensandi. Nam dispensare dicitur quasi diversa pensare. Unde in his quæ statum Ecclesiæ decolorant, locum non habet, et in his quæ jus videntur infringere, quod est, quando multis conceditur quod non nisi paucis esset concedendum, et etiam quando sic petitur atque accipitur, non quasi esset de gratia, sed de jure communi. Hæc Bonaventura.

De correctione fraterna.

Et quia in littera tangitur qualis debeat esse qui præest et judicat, quidam hic tractant de correctione seu correptione fraterna, quid sit, et ad quem pertineat, et circa quos sit facienda: quoniam actus iste ad præsidentes potissime pertinet. Itaque quæritur, quid sit correptio ista, et cujus sit, et in quos, an etiam ad eam sint obligati.

Ad hæc respondet Albertus : Correctio fraterna, ut dicunt magistri, est admonitio proximi de emendatione delicti, ex fraterna caritate procedens. Hæc enim admonitio habet ex caritate quod sit quid spirituale, et ex moderamine pietatis magis quam ex asperitate procedat. Et quoniam, teste Philosopho, omnis peccans excidit ab intellectu, et sequitur partem irrationalem; ideo correctio seu correptio ista est admonitio, ut peccans ad lucem redeat intellectus, qui regit viam juris. Unde loquitur Isaias : Redite, prævaricatores, ad cor. (*Is.* xlvi, 8.) Et redeundum est maxime ad judicium superioris partis rationalis atque synderesis, quod semper est rectum. — Denique correptio ista spectat ad bonos. Qui enim in simili aut majori notorio vitio est, indignus est corripere, nisi forsan rogando et dicendo hoc modo : Rogo te, ne meo pecces exemplo. Et si ille nolit acquiescere, iste non potest eum judicare nisi cum mortali peccato, imo nec judici denuntiare per modum accusantis. Ait enim in Pastorali Gregorius : Nemo in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens, nomen aut ordinem habet docentis. Etenim qua ratione mederi aliis præparat, qui vulnus in facie portat? Ideo in Evangelio ait Salvator : Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo. (*Matth.* vii, 5.) — Ad istam correptionem ex officio non tenentur nisi prælati et præsidentes, utpote ex debito justitiæ. In quantum vero est actus caritatis, omnes ad ipsam tenentur, et debet extendi ad omnes, præsertim de quorum emendatione est spes. Ad ordinem quoque correptionis istius pertinet quod Christus præcepit : Corripe eum inter te et ipsum solum, etc. (*Ibid.* xviii, 15.) Quod observandum est in peccatis occultis. Nam de manifestis scribit Apostolus : Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. (I *Tim.* v, 20.) Si autem culpa sit levis, et ex reprehensione probabiliter formidatur major turbatio, potest correptio ista omitti. Omnem quoque hominem tenemur corripere cum reverentia et mansuetudine. Non tamen [omnis] potest denuntiari, si inobediens fuerit : si enim prælatus supremus sit, non habet hic judicem. Hæc Albertus.

Hinc Thomas plenius scribens : Ad hoc, inquit, quod quis recte gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab habente curam ipsius. Primum, ut in finem rectum ordinetur : et quantum ad hoc, superior inferiorem sibi commissum tenetur dirigere. Secundum, ut cautelam ei adhibeat, ne a via salutis discedat : et quoad hoc, eum regere perhibetur. Tertium, ut errantem ac recedentem a salutis itinere revocet et reducat; et quantum ad hoc, dicitur ipsum corrigere : interdum sic, ut rectitudo justitiæ fiat a correpto; quandoque, ut rectitudo justitiæ fiat de eo per

pœnas inflictas. — Porro recedens a via A recta, potest dupliciter revocari, secundum Philosophum decimo Ethicorum. Primo, per timorem aut odium turpis : ut dum quis turpitudinem peccati et confusionem inde sequentem abominatur. Secundo, per timorem et odium tristis : ut dum quis acerbitate pœnæ inflictæ aut formidine infligendæ resilit a peccato. Quumque secundus modus iste sit cum violentia quadam, recte correctio appellatur, quasi usque ad rectitudinem perducens. Primus vero modus proprie nominatur correptio. B Illa namque rapi dicuntur, quæ subito auferuntur : unde et syllaba corripi dicitur, quæ subito, quasi raptim profertur. Idcirco, dum homo ex hoc quod ei turpitudo peccati ostenditur, atque ad meliora monetur, ipse per se ad rectitudinis viam revertitur, corripi dicitur. Modus autem corrigendi per pœnas, solis convenit prælatis : quorum verba habent vim coactivam et coercitivam per pœnarum inflictionem. Alter vero modus ordinem prælationis non exigit, quamvis ordo prælationis ipsum C requirat : nam modus ille per verbera adhiberi non debet, nisi ubi modus ille per verba salubria locum non invenit. — Conformiter, homo potest reduci ad mentem dupliciter : primo, quantum ad cognitionem speculativam ; secundo, quantum ad notitiam practicam, quæ per electionis ignorantiam intercipitur. Sicque dupliciter homo ad mentem reducitur. Uno modo cum quadam coactione : seu factis, ut quando punitur ; aut verbis vim coactivam habentibus, ut dum quid jubetur D quod spectat ad corrigentem. Secundo per simplicia verba, quæ admonitoria nuncupantur. Quumque hic modus ad corripientem pertineat, nil aliud est ipsa correptio quam admonitio, quæ ejusdem actus est cujus et præceptio. Denique nemo movetur ex timore aut odio turpis, nisi cui jam inest aliquo modo amor boni ac pulchri. Hinc et quia correptio hac via procedit, proprie adhibetur ei qui jam habet bonum propositum, a cujus tamen executione per ignorantiam desidiamve protrahitur.

Si autem quæratur, utrum omnes ad correptionem fraternam tenentur ; dicendum, quod sicut (juxta Philosophum undecimo Metaphysicæ) in exercitu duplex est ordo, unus totius exercitus ad ducem, alter quo singuli de exercitu ordinantur ad invicem ; ita in conversatione hominum mutua, unus est ordo omnium ad prælatum, alter singulorum ad invicem. Et ordo uterque instituitur præcepto legis divinæ. Ordo autem prælati ad subditos consistit in hoc, ut omnes subditi tendant ad bonum commune quod prælatus tenetur intendere, et quod ad hoc ipsum prælatus dirigat eos. Ordo vero subditorum ad invicem est, quod unusquisque pro posse alteri impendat auxilium ad obtinendum ipsius bonum. Hinc, sicut prælatis præcipitur curam gerere subditorum, et subditis obedire jussis eorum ; sic et coæqualibus invicem jussum est, ut sibi mutuo ferant auxilium non in corporalibus tantum, imo et in spiritualibus magis. Quumque maximum auxilium homini per correptionem in spiritualibus adhibeatur, idcirco ad istam correptionem omnes ex divino præcepto tenentur. Quamvis enim soli prælati ac superiores habeant curam aliorum, videlicet subditorum, simpliciter quoad totam vitam ipsorum, saltem quoad ea ad quæ prælatio aut superioritas ipsa se extendit ; tamen secundum quid unusquisque ex caritate tenetur habere curam de quolibet alio, loco et tempore opportuno, et in particulari occurrente negotio. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Unicuique mandavit Deus de proximo suo. *Eccli.* XVII, 12.
Teste quoque Apostolo, membra pro se invicem debent esse sollicita. *I Cor.* XII, 25.

At vero, quum præceptum istud fraternæ correptionis sit affirmativum, quamvis obliget semper, non tamen ad semper. Idcirco de eo ad quod implendum tenemur in aliquo casu, quamvis non in omni, non est consilium, sed præceptum : quia consilium nunquam obligat nisi per hoc quod

in præceptum transit ex aliquo accidente. Tempus vero quo obligatur homo ad istam correptionem, est dum delinquens ei occurrit, et commode corripi potest, ac emendatio ejus speratur, nec adest cui ex officio actus ille incumbat. Sed et monachus ad correptionem tenetur, prout sua permittit vocatio, salvis scilicet observantiis Ordinis sui. Item corripiens pro posse debet vitare ne correptus ex sua correptione ad deteriora labatur, puta ad iram, odium, impatientiam, etc. Si autem ex sua malitia acquiescere nolit, et peccatum ejus in aliorum vergat nocumentum ac scandalum, non est correptio propter hoc omittenda, præsertim a præsidente, qui ex officio habet illum corrigere, et sua auctoritate potest ipsum per pœnas compescere.

Præterea si quæratur, an liceat peccatori in peccatis manenti corripere proximum; dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Una, quod is qui est in peccato consimili aut majori, sive peccatum illud sit notorium, sive occultum, non potest corripere alium : quoniam alium corripiendo, profert sententiam in se ipsum. Alia est, quod potest corripere, dummodo peccatum sit occultum; non autem, si exsistat notorium. Et utraque opinio quantum ad aliquid vera est. Dupliciter namque quis potest corripere. Primo, ex officio, sicut prælatus : et sic prima opinio vera videtur. Nam quandocumque aliquis indigne utitur suo officio, peccat; qui autem in mortali est peccato, quamvis occulto, indigne utitur prælationis officio : ideo peccat corripiendo seu aliud aliquid sui officii exsequendo. Secundo, aliquis corripit ex zelo caritatis, non ut minister Ecclesiæ : et sic in corripiendo non potest peccatum consistere nisi ratione scandali, quod non surgit nisi de peccato notorio : et juxta hoc vera est secunda opinio. Hinc sive prælatus sive subditus etiam in notorio peccato consistens, si peccare aliquem viderit, potest cum monere per modum rogantis, non corripientis. Verum per veniale peccatum non fit homo ad corripien-

A dum indignus. Si autem occurrat necessitas corripiendi prælato indigno, non est perplexus, quoniam potest in corde subito pœnitere.

Si vero quæratur, an docens Scripturam aut prædicans, in peccato mortali exsistens, peccet mortaliter; dicendum, quod docere sacram Scripturam contingit dupliciter. Primo, ex officio prælationis. Non enim licet alicui prædicare, nisi officium habeat prælaturæ vel auctoritate prælationem habentis : ad Romanos, Quomodo præ- *Rom.* x, 15.
B dicabunt, nisi mittantur? Secundo, ex officio magisterii, sicut magistri theologiæ. Dicuntque aliqui, quod docens primo modo, peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio; non autem si doceat modo secundo. Sed hoc falsum est, quoniam idem est finis eorum qui sacram ediderunt Scripturam, et eorum qui docent eamdem. Quumque ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æternam prosit et ducat, juxta illud Joannis, Hæc autem scripta *Joann.* xx,
sunt, etc.; quicumque hunc impedit fi- 31.
C nem Scripturæ, docendo peccat. Impedit autem qui sacram Scripturam docet male vivendo : quoniam ore confitetur se nosse *Tit.* I, 16.
Deum, et factis negat. Idcirco dicendum, quod ille qui est in peccato notorio, peccat, sive sic sive sic doceat aut prædicet. Qui autem est in peccato mortali occulto, peccat, si doceat primo modo, non autem si secundo.

Quæritur quoque, an homo teneatur corripere suum prælatum. Et respondendum quod non, secundum quosdam : quia (ut
D dicunt) hoc esset os ponere in cœlum; et quia prælati possent de tali increpatione faciliter scandalizari. Sed hoc nihil est, quia prælati in quantum peccantes et rei, non sunt cœlum, id est vicarii Dei cœli; nec hoc est os ponere contra eos, sed pro eis. Itaque prælatus ex hoc quod est publica persona ac præsidens et Dei vicarius, non amittit ea quæ propria sunt suæ personæ. Unde ea quæ debentur proximis ex fraterno caritatis affectu, qui ad universos habendus est, etiam prælato deben-

tur, sicut et ipse aliis talia debet. Ideo alii A
melius dicunt, quod sicut ea quæ sunt ca-
ritatis ad proximos, prælatus ita gerere
debet ad subditos, ut suæ non præjudicet
auctoritati, ne dum nimium servatur hu-
militas, frangatur regendi auctoritas; ita
correptio ad prælatos taliter fieri debet,
ne aliquid subtrahatur reverentiæ. Pro-
1 *Tim.* v, 1. pter quod dixit Apostolus : Seniorem ne
increpaveris, sed obsecra ut patrem. —
Hæc Thomas.

Qui consequenter hic sciscitatur, an fra-
terna et secreta admonitio præcedere de- B
bet denuntiationem Ecclesiæ faciendam,
similiter testium inductio; et qualis debeat
esse correptio ipsa ac admonitio, an dura
vel mollis, aspera an mansueta. De quibus
q. xxxiii, omnibus etiam in secunda secundæ ma-
a. 7, 8. gistraliter scribit. Sed quia de his in aliis
pluribus locis atque sermonibus scripsi,
specialiter in opusculis de Regimine præ-
latorum, de Vita et regimine curatorum,
de Vita et regimine præsulum, specialius
vero ac plenius in spirituali tractatu de
Modo judicandi et corripiendi; idcirco per- C
transeo in hoc loco, quia nec multum per-
tinet ad hunc passum. Propter quod Bona-
ventura et alii quidam nihil hic scribunt
de istis.

Insuper Henricus Quodlibeto quinto re-
q. 29. spondens ad istud, utrum omnes tenean-
tur ad correptionem fraternam : Si quis
(inquit) alium diligit, bonum ejus satagit
procurare, quia secundum Gregorium, pro-
batio dilectionis est exhibitio operis. Ejus-
dem autem rationis est, bonum procurare
dilecto, et eum pro posse liberare a malo. D
Quemadmodum ergo omnes tenentur ad
fraterni boni procurationem, ita ad frater-
ni mali amotionem, quod fit per correpti-
onem fraternam. Est autem duplex peccati
correptio : una caritativa, ad solam emen-
dationem peccantis; alia potestativa, ad
terrorem adspicientis. Prima correptio est
admonitionis, quæ tantum debet esse de
occultis et in occulto : ad quam unusquis-
que tenetur, in quantum est peccanti pro-
pinquus. Secunda est correptio punitionis,
quæ tantum debet esse de manifestis, vel
per evidentiam facti, aut per testes, aut
per propriam confessionem : quæ debet
fieri in aperto, ad quam solum tenentur
prælati. Hæc Henricus.

Unde Thomas aliique communiter di-
cunt, quod fraterna correptio uno modo
est actus caritatis seu etiam pietatis vel
misericordiæ, utpote eleemosyna spiritua-
lis, et sic spectat ad omnes. Alio modo est
actus justitiæ, et sic pertinet ad prælatos,
qui nihilo minus ex pietate et ex caritate
debent corripere : imo misericordia maxi-
ma est, qua malum culpæ aufertur a pro-
ximo. — Verumtamen quod ait Henricus,
correptionem admonitionis tantummodo
esse debere de peccatis occultis et in oc-
culto, non apparet : quia et de manifestis
potest consistere, ut si quis in societate
audiat aliquem publice irrationabiliterque
jurare, debet et potest eum cum modestia
evidenter corripere, sicut et Lot arguit *Gen.* xix, 7.
suos concives.

Amplius, Quodlibeto sexto interrogat,
utrum sacerdos corripere debeat subditos q. 29.
suos facto. Et respondet : Factum quo quis
corripit, multiplex esse potest, videlicet
factum boni exempli, et factum subtra-
ctionis eorum quæ occasio sunt peccandi,
factum quoque percussionis aut incarce-
rationis seu vinculationis. Primis duobus
factis debet ipsos corripere; non autem
facto percussionis, quoniam hoc ad eccle-
siasticos viros non pertinet, quum de epi-
scopo dicat Apostolus, Non percussorem. 1 *Tim.* iii, 3.
Corripere vero facto vinculationis aut in-
carcerationis non licet, nisi superioribus
sacerdotibus superiorem jurisdictionem ha-
bentibus, quam sacerdotes curati non ha-
bent : ideo nullo modo hoc licet eis.
— Quibus objici potest quod loquitur Au-
gustinus : Corripiamus verbis, corripiamus
et verberibus. Itemque : Peccat semel? Igno-
sce. Ignovi. Peccat secundo? Ignosce. Igno-
vi. Jam tertio? Vapulet. Itaque percussio
disciplinæ est licita, quam in claustris in-
fligere possunt præsidentes etiam invitis.
Et sic in collegiis fieri consuevit. Quod

vero de episcopo ait Apostolus, Non per-
cussorem, exponitur de percussione vio-
lenta, ex ira et impatientia prodeunte ;
de percussione etiam spirituali, de qua
I *Cor.* VIII, 12. idem Apostolus : Peccantes (inquit) in
fratres, et percutientes conscientiam eo-
rum infirmam, in Christum peccatis. Sa-
cerdos tamen curatus disciplinam verbe-
rum inferre non debet invitis, nec forsan
injungere, nisi aliunde noscat parochia-
num suum ex speciali compunctione pa-
ratum ad illam, nec esse periculum.

q. 30. Iterum eodem discutit Quodlibeto, utrum
omnis sacerdos in peccato mortali quam-
vis occulto exsistens, peccet mortaliter,
prædicando, baptizando, ac consimilia ec-
clesiastica opera exercendo. In cujus so-
lutione videtur tenere contraria aliqua
jam inductis. Sed quia hæc quæstio infra,
tractatu de sacramento Ordinis locum ha-
bet, differo usque ibi.

Præterea Quodlibeto septimo quærit,
q. 19. utrum aliquis vadens ad prædicandum,
reficiendus ubi prædicaverit, vidensque
villam destitutam bono pastore, in qua pu-
tat se non laute reficiendum, pertransit et
transit ad villam bono pastore provisam,
in qua putat se bene hospitandum, peccet
mortaliter; et utrum talis prædicans, ta-
cens veritatem in casu hujusmodi, ne bo-
nam refectionem amittat, mortaliter pec-
cet. Ad quæ respondet quod imo, si villa
illa paupercula multum indigeat informa-
tione, et prædicans sciat hoc, ac nihilo mi-
nus desiderio commodi corporalis omittit
spiritualem illorum profectum, ac subticet
ea quæ salutem concernunt divitis hospi-
tis sui, a quo suspicatur se egregie refici-
endum : sicque fraternam omittens corre-
ptionem, dire ac mortaliter prævaricatur.

Eodem Quodlibeto sciscitatur, quod et
p. 507 B. supra quæsitum est, utrum sacramentum
q. 22. Pœnitentiæ ex virtute clavium respectu
eorumdem peccatorum, possit habere ef-
fectum magis quam semel. Respondet quod
non nisi semel, loquendo de principali sa-
cramenti hujus effectu, qui continet tres
effectus, qui sunt ablutio maculæ pecca-
A torum, divinæ quoque offensæ placatio,
atque æternæ pœnæ in temporalem com-
mutatio. Alii autem effectus minus prin-
cipales sunt minoratio aliquanta pœnæ
temporalis, augmentatio gratiæ, reconci-
liatio cum militante Ecclesia. — Ad eam-
dem etiam opinionem Scotus divertit. Po-
sitio vero S. Thomæ superius posita, amplius p. 507 D.
placet.

Præterea quærit primo Quodlibeto, utrum q. 33.
subditus habens peccatum occultum de
quo suspicatur prælatus, tenetur prælato
B suo dicere veritatem interrogatus de illo
peccato. Respondet : Quanto plus homo
tenetur ex caritate se ipsum diligere quam
proximum, tanto plus debet circa se ipsum
caritatis opera exercere. Præcipuum autem
opus caritatis ad proximum, est peccatum
illius occultum non prodere, sed secrete
ipsum corripere, atque ad meliora hortari.
Ergo potius debet proprium peccatum oc-
cultum celare, confiteri et emendare, ac
bonam famam ad Dei honorem aliorum-
que ædificationem servare. Hinc contra
C caritatem agit qui præest, si ab ipso requi-
rat ut dicat aut juret sibi veritatem de tali
peccato. Unde nec subditus quamvis reli-
giosus, tenetur in hoc superiori parere. Et
dico peccatum occultum, quod ita ignotum
est, ut non sit de ipso infamia neque sus-
picio talis, ut contra ipsum per inquisitio-
nem procedere sit opus.

Huic responsioni consonare videtur quod
Thomas respondet ad similem quæstio-
nem, qua quæritur, utrum si prælatus ju-
beret alicui scienti crimen fratris sui quod
D ei diceret illud, aut etiam propriam cul-
pam occultam, an teneretur implere. Et
respondet : Præceptum alicui factum a suo
prælato de peccato alterius publicando in
casu quo publicari non debet, fieri potest
in judicio et extra judicium. Si extra judi-
cium, peccat præcipiens ; et is cui præci-
pit, non tenetur in hoc obedire. Si autem
in judicio, ordine juris exigente, judex ali-
cui præcipiat ut peccatum suum vel alte-
rius fateatur, non peccat : quoniam ipse
non exigit, sed accusans, cui judex jus red-

dere debet. Tuncque tenetur quis fateri A suum alteriusve peccatum, vel appellare, si contra jus præcipiatur ei. Quod si sic cogatur occultum publicare peccatum, excusatur, et vitat gravius malum, utpote disciplinæ juris enervationem. Attamen judex debet dissimulare pro posse ne faciat tale præceptum, salvo ordine juris, et præsertim in capitulo, ubi magis secundum æquitatem quam secundum juris rigorem est procedendum. Hæc Thomas.

Qui etiam in solutione primi argumenti quæstionis jam præinductæ, an subditus B tenetur corripere suum prælatum, affirmat : Paulus in faciem restitit Petro coram multitudine. Quod excedit modum correptionis quæ a subditis debetur prælatis. Non enim prælati publice coram multitudine, sed humiliter in privato sunt corripiendi a subditis, nisi immineret periculum fidei : tunc enim prælatus minor fieret, si in infidelitatem laberetur, et subditus fidelis fieret eo major. — Deinde subjungit : Demophilum monachum B. Dionysius in epistola reprehendit, quia injuste corripuit C sacerdotem, et quia correptionem usque ad correctionem extendit pœnam inferendo. Nam sacerdotem percussit, et ab ecclesia expulit. Quamvis autem prælati sint a subditis corripiendi, non tamen eis a subditis infligenda est pœna, sed recurrendum ad superiorem, ei denuntiando ; aut si superiorem non habeat, recurrat ad Deum, ut eum emendet aut de medio tollat. Hæc idem ibidem.

Galat. II, 11, 14.

Quibus consonat quod scribit Richardus : Resistere superiori in facie coram omnibus, inferiorem non decet. Ideo Paulus hoc non fecisset, nisi aliquo modo par Petro exstitisset quantum ad fidei defensionem, sed in occulto eum reverenter admonuisset. Nec intelligendum est quod Paulus fuit par Petro in officio Ecclesiæ dignitatis : solus enim Petrus inter Apostolos gerebat primatum, ut patet causa 2, quæstione 7, capitulo *Paulus Petrum*. Hæc Richardus. Decret. p. II.

Insuper, Quodlibeto quartodecimo quærit Henricus, utrum generalia interdicta in provinciis, civitatibus et Ecclesiis sint licita. Respondet : Princeps quodammodo repræsentat totam communitatem, ideo factum suum reputatur factum totius communitatis. Hinc pro delicto principis contra Ecclesiam, quatenus citius ad emendationem compellatur, licitum est interdictum super communitatem. In quo nullus punitur qui sit omni modo innoxius : quoniam qui non est noxius propria culpa, noxius est interpretative noxa capitis sui, prout membrum dicitur noxium aut infirmum noxa seu ægritudine capitis proprii : sicut et omnes noxii dicimur noxa primi nostri parentis. Et ratio ista veritatem habet in interdicto terræ principis. Si vero princeps forefaciat contra Ecclesiam aliquam attentando, et ob hoc interdictum feratur in terra aliena, non video rationabilem causam, quum ibi nullus sit noxius, nec vere nec interpretative. Hæc Henricus. q. 9.

DISTINCTIO XX

A. *De his qui in fine pœnitent.*

SCIENDUM est etiam, quod tempus pœnitentiæ est usque in extremum articulum vitæ. Unde Leo Papa : Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Augustinus tamen de pœnitentiam differentibus ita scribit : Si

De Pœnit. dist. VII, c. 1.
Aug. Sermo 393.

quis positus in ultima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem vero non. Numquid dico, Damnabitur? Sed nec dico, Liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quia securus es : quia pœnitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimi-
Aug. Sermo 393. serunt, non tu illa. Item : Duæ res sunt : aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi sit futurum, nescio. Ergo tene certum, et dimitte incertum. Sed quare hoc dixit Augustinus, quum pœnitentia quæ in fine agitur, in Psalmo appel-
Ps. CXL, 2. letur sacrificium vespertinum, quod erat acceptabilius in lege; et quum in quacum-
Ezech. XVIII, 21. que die invocetur Deus, adsit; et quacumque hora ingemuerit et conversus fuerit peccator, vita vivet et non morietur? Sed illa dixit Augustinus propter illos qui pœnitentiam usque in finem vitæ protrahunt, et tunc non ex Dei amore videntur pœnitere, sed timore mortis, quasi ex necessitate. Unde idem quasi aperiens quare
Aug. de Vera pœnit. n. 33. superiora dixerit, ait : Nullus exspectet quando peccare non potest. Arbitrii enim libertatem quærat, ut deleri possint commissa, non necessitatem; caritatem, non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Quem ergo sero pœnitet, oportet non solum timere judicem, sed diligere : quia sine caritate nemo salvus esse potest. Non ergo tantum timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de pœnitente sero : maxime quum filii quos illicite dilexit, sint præsentes, uxor et mundus ad se vocent. Multos solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam in morte juvare valet quibus placet. Quum ergo opus sit non hominis, sed Dei, fructifera pœnitentia, inspirare eam potest quandocumque vult sua misericordia, et remunerare ex misericordia quos damnare potest ex justitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt et languentem retrahunt, periculosissimum est et interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est, cui Deus
Ibid. n. 34. tunc inspirat, si quis est, veram pœnitentiam. Sed si etiam sic conversus vita vivat et non moriatur, non promittimus quod evadat omnem pœnam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, tamen miro modo gravis est : excellit enim omnem pœnam quam unquam passus sit aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia martyres passi sint tormenta, et multi nequiter iniqui quanta sæpe sustinuerunt supplicia. — Ex his satis ostenditur, quam peri-
Ibid. n. 33. culosum sit differre pœnitentiam usque in finem vitæ. Si tamen etiam tunc vera habeatur pœnitentia, hominem liberat, et vitam mortuo impetrat; non sic tamen, ut nullam sentiat pœnam : nisi forte tanta sit vehementia gemitus et contritionis, quæ sufficiat ad delicti punitionem. Licet ergo sit difficile ut tunc sit vera pœnitentia quæ tam sera venit, quando cruciatus membra ligat, et dolor sensum opprimit, ut vix

homo aliquid cogitare valeat; melior est tamen sera quam nulla. Pœnitentia enim etsi in extremo vitæ hiatu advenit, sanat et liberat. Multum sera fuit latronis pœnitentia, sed non fuit sera indulgentia. Sed licet latro veniam meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseverandi auctoritatem. *Luc.* xxiii, 42.

B. *De his qui hic pœnitentiam non complent.*

Si vero quæritur de illis qui in hac vita pœnitentiam non complent, utrum transituri sint per ignem purgatorii, ut ibi quasi compleant quod hic minus fecerunt; idem dicimus et de istis esse sentiendum, et de his qui in extremis pœnitent. Si enim tanta fuerit cordis contritio et delicti exprobratio, ut sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab aliis pœnis transeunt ad vitam, etsi inexpleta fuerit pœnitentia, quia perfecte pœnituerunt et ingemuerunt corde. Qui vero non adeo conteruntur corde et ingemiscunt pro peccato, si ante expletionem pœnitentiæ discesserint*, ignem purgatorium sentient, et gravius punientur quam si hic implessent pœnitentiam : horrendum est enim incidere in manus Dei viventis. Deus enim quum sit misericors et justus, ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reservans peccatum ad pœnam æternam, ex justitia vero impunitum non dimittit delictum. Aut enim punit homo, aut Deus : homo autem punit pœnitendo, Deus autem pœnam exigendo. Et est pœnitentia interior et exterior. Si ergo interior pœnitudo fuerit tanta, ut sit sufficiens ultio peccati; Deus, qui hoc novit, ab illo qui taliter pœnitet, ulterius pœnam non exigit. Si vero interior pœnitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior pœnitentia impletur; Deus, qui modos et mensuras peccatorum et pœnarum novit, addit pœnam sufficientem. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat pœnam tolerare. Quædam enim peccata mortalia in pœnitentia fiunt venialia, non tamen mox sanantur. Sæpe enim infirmus moreretur, si non medicaretur; non tamen statim medicatus sanatur : languet victurus qui prius erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omnino moritur, et æternaliter cruciatur. Si enim semper viveret, semper peccaret.

* deccesserint

Hebr. x, 31.

Aug. de Vera pœnit. n. 34.

C. *De illo cui sacerdos indiscretus injungit parvam pœnitentiam.*

Si vero de illo quæritur qui satisfactionem injunctam impleverit, quæ ignorantia vel negligentia sacerdotis peccato condigna non fuit, utrum de vita migrans, ab omni pœna liber sit; idem respondeo quod supra de illo qui pœnitentiam non complevit, dixi. Quod si tantum est lamentum interioris doloris, ut sufficiat in vindictam peccati, omnino liberatus est; si vero non sufficiat dolor interior simul cum pœna injuncta, addet Deus pœnam. Quod autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam peccati, certum documentum habemus in illo latrone qui sola mentis contritione et confessione, statim ut conversus fuit, paradisum ingredi meruit. Sed quia

dispensatores Ecclesiæ contritionis quantitatem non perpendunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium, omnibus leges pœnitentiæ constituunt, tam magis quam minus de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc præcipue tendere debet, ut cordis dolorem, quantum fas est, cognoscant, et secundum ipsius modum satisfa-
Aug. Enchirid. c. 65. ctionem injungant. Unde Augustinus : In actione pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est
Ps. L, 19. mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam nisi per verba vel alia quæcumque signa procedit, quum sit coram
Ps. XXXVII, 10. illo cui dicitur, Gemitus meus a te non est absconditus; recte constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut satisfaciat etiam Ecclesiæ, in qua peccata ipsa remittuntur. Extra eam quippe non remittuntur : ipsa enim Spiritum Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata. Item Hieronymus :
De Pœnit. dist. I, c. 86. Mensuram temporis in agenda pœnitentia ideo non satis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant qualiter unumquodque emendandum sit; sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuerunt, quia apud Deum non tantum valet mensura temporis quantum doloris, nec abstinentia tantum ciborum quantum mortificatio vitiorum. Ideoque tempora pœnitentiæ pro fide et conversatione fidelium pœnitentium abbrevianda præcipiunt, et pro negligentia protelanda; pro quibusdam tamen culpis modi pœnitentiæ sunt impositi.

D. *Quod morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.*

Solet etiam quæri, utrum satisfactionis lex morituris sit imponenda. De quo
Decret. p. II, caus. 26, q. 7, c. 1. Theodorus Cantuariensis episcopus in Pœnitentiali suo sic ait : Ab infirmis in periculo mortis positis pura inquirenda est confessio peccatorum; non tamen est illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus et eleemosynarum largitionibus pondus pœnitentiæ sublevandum, si forte migraverint. Si vero convaluerint, pœnitentiæ modum a sacerdote impositum diligenter observent. Aliis vero pro qualitate peccati pœnitentia decernenda est præ-
Ibid. c. 2. sidentium arbitrio. Unde Leo Papa : Tempora pœnitudinis, habita moderatione constituenda sunt tuo judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos. Pariter etiam habere debes ætatis senilis intuitum, et respicere periculorum quorumcumque vel ægritudinum necessitates.

E. *In necessitate non est neganda pœnitentia vel reconciliatio.*

Sciendum etiam, quod tempore necessitatis non est neganda pœnitentia vel
Ibid. q. 6, c. 10. reconciliatio petentibus. Unde Leo Papa : His qui tempore necessitatis et periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et modum reconciliationis implorant, nec

satisfactio interdicenda est nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. Quod si ita aliqua ægritudine aggravati sunt, ut quod paulo ante poscebant, sub præsenti significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, simulque pœnitentiæ et reconciliationis consequantur beneficium. Item Julius Papa : Si presbyter pœni- Decret. p. II, caus. 26, q. 6, c. 12. tentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus ait : Quum conversus fuerit, tunc salvus erit. Ezech. XVIII, 21. Vera enim confessio ultimo tempore potest esse : quia non modo temporis, sed etiam cordis Deus inspector est, sicut latro probat.

F. *Quod presbyter non reconciliet inconsulto episcopo, nisi in necessitate.*

Non debet tamen presbyter pœnitentem reconciliare inconsulto episcopo, nisi ultima necessitas cogat. Unde in Carthaginensi concilio : Presbyter inconsulto epi- Decret. loc. cit. c. 14. scopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo ultima necessitas cogat. Cujuscumque pœnitentis publicum crimen est quod universam commoverit urbem, ante absidam, scilicet introitum ecclesiæ, manus ei imponatur. Item Aurelius episcopus dixit : Si quis in periculo constitutus fuerit, et se reconciliari divinis Ibid. c. 5. altaribus petierit; si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Inconsulto vero episcopo, Ibid. Proœm. non potest excommunicatos vel publice pœnitentes presbyter reconciliare. Unde in Carthaginensi concilio secundo statutum est, ut chrisma, vel reconciliatio pœniten- Ibid. c. 1. tium, et puellarum consecratio, a presbyteris non fiat. Item reconciliare quemquam in publica Missa presbytero non liceat. Puellarum tamen consecratio, consulto episcopo, per presbyterum fieri valet. Unde in Carthaginensi concilio secundo * : * tertio Presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam con- Ibid. c. 2. ficiat. Sicut præcepto episcopi potest presbyter consecrare virgines, sic et reconciliare pœnitentes.

G. *An oblatio ejus sit recipienda, qui currens ad pœnitentiam, prævenitur morte.*

Si autem quæritur de illo qui ad pœnitentiam festinans, sacerdotem invenire non potuit, et ita decessit, utrum oblatio ejus sit recipienda; dicimus, quia est. Unde in Epanensi * concilio : Si aliquis fuerit mortuus qui non sit confessus, et testimonium * Epaunensi Ibid. c. 11. habet bonum, et non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo vel in via; faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, et dent redemptionem pro captivis.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ

PRÆCEDENTE distinctione locutus est Magister de clavibus Ecclesiæ, quæ et quot sint, et de potestate effectibusque earum; nunc tractat de tempore ad pœnitendum opportuno, ostendens primo quod usque ad mortem duret pœnitentiæ tempus, ita quod si anima ante separationem a corpore vere pœniteat, salvatur. Nihilo minus, periculosissimum est pœnitentiam tam diu differre, quoniam etsi contingat hominem in fine pœnitere, acerbitatem tamen purgatoriæ pœnæ vix valebit evadere : de cujus pœnæ acerbitate pertractat. Deinde circa præhabita quasdam inserit quæstiones. Prima est, quid ei immineat qui injunctam pœnitentiam in hac vita non implet. Secunda, quid post hanc vitam restet ei cui pœnitentiam insufficientem injunxit confessor. Quocirca tangit de canonibus pœnitentialibus, et qualiter arbitrio seu discretioni sacerdotis committendi sint seu commissi. Tertia, utrum infirmis qui mox morituri putantur, sit pœnitentia injungenda. Consequenter subjungit aliqua documenta ex quibus solvi possent quæstiones quæ circa ista moventur, videlicet, an constitutis in grandi necessitate aut mortis articulo, sit pœnitentia ac reconciliatio impendenda; et utrum absente episcopo posset sacerdos pœnitentem reconciliare Ecclesiæ, qui pœnitens sit in solenni pœnitentia constitutus : de qua re tractatum est supra. (*Cf.* p. 371 A, 516 D.) Ultimo quærit de illo qui cupiens confiteri, pergit ad sacerdotem, quem antequam acquirere queat, spiritum tradit, quid sit sentiendum.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum pœnitentia sero facta, sit efficax.**

Videtur quod non, quoniam Augustinus
A dicit se certum non esse quod talis salubriter pœniteat. — Item, talis pœnitentia ex timore damnationis ac pœnæ videtur procedere. — Et rursus, de Antiocho recitatur, quam vehementer pœnituit, et emendationem proposuit, imo et promisit, nec tamen profuit ei. (II *Mach.* IX, 13.) — Atque de Esau scribit Apostolus ad Hebræos, quod non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. (*Hebr.* XII, 17.)

In contrarium sunt auctoritates Scripturæ, et doctrina totius Ecclesiæ.

B

Ad hoc Thomas respondet : Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat facienti quod in se est, ad gratiam se præparando. Quæ præparatio fit per liberi arbitrii motum. Idcirco, quamdiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, in qua nondum est confirmatus in malo, potest se præparare ad gratiam, de peccatis dolendo : sicque gratiam remissionis peccatorum consequetur. Hinc si Antiochus vere pœnituisset ex corde, veniam
C obtinuisset. Pœnituit autem non amore justitiæ, sed timore pœnæ præsentis quam tolerabat, et pœnæ futuræ quam exspectabat. Et ita peccatoribus multis contingit in fine, quoniam non est facile ut affectum quem homo diu et intense inclinavit in aliquid, ad aliud repente retrahat, et convertat ad contrarium; non tamen est impossibile, quoniam liberum arbitrium ex habitu suo non cogitur, nec providentiæ Dei terminus potest præfigi, per quam etiam in extremo vitæ quandoque motus
D veræ pœnitentiæ inspiratur. Idem dicendum de Esau, qui etiam magis dolebat de damno temporali quam spirituali.

Quod autem in fine vitæ pœnitens queat absolvi a quocumque sacerdote, etiam de quocumque peccato, satis declaratum est paulo ante. (*Cf.* p. 519 A', 525 C'.) — Insuper, post remissionem culpæ exigitur pœna, quatenus injustitiæ inæqualitas ad justitiæ reducatur æqualitatem. Hinc sicut ad ordinationem culpæ exigitur quod pœna infligatur pro culpa, ita quod pro tanta culpa, tanta pœna.

Quumque peccatum inordinatum remanere non valeat; quamvis reatus pœnæ sit diminutus per contritionem, confessionem et absolutionem, oportet quod adhuc in fine pœnitens, et quicumque satisfactionem condignam in hac vita non implet, post hanc vitam puniatur, nisi contritio fuerit tanta quod totaliter purget a pœna : quod juxta præhabita, fieri potest. Porro justitia, secundum Philosophum quinto Ethicorum, assimilatur mensuræ. Hinc sicut in diversis terris diversæ sunt mensuræ rerum venalium, ita diversæ pœnæ secundum justitiam pro culpis eisdem inferuntur. Pro eadem quoque culpa gravius punitur homo in purgatorio quam in vita præsenti, ratione alterius fori; attamen aggravatio illa proportionabiliter correspondet pœnæ cujus homo in vita hac exstitit reus. Et hoc debet homo sibi ipsi imputare, quod illuc reservavit sibi justam punitionem pro culpis suis recipiendam, quum eam potuerit hic per pœnam multo faciliorem evadere. — Sed objici potest, quia quum pœnæ vitæ præsentis sint satisfactoriæ pro peccatis, et mors ipsa sit maxima pœna, videtur per ipsam æquanimiter toleratam tota pœna restans dimitti. Et respondendum, quod mors naturalis est pœna consequens originale peccatum, ut quasi jam in naturam sit versa, sicut et originale peccatum : idcirco per mortem naturalem homo non purgatur ab actuali peccato, sed per mortem illatam bene potest purgari. Unde si quis mortem illatam patienter sustineat, quamvis pro aliis criminibus sit illata, valet ad pœnæ diminutionem atque interdum ad liberationem a tota pœna, secundum quantitatem culpæ, caritatis et patientiæ, necnon contritionis. — Hæc Thomas.

Cf. p. 459 C, 463 A, 507 A'.

Verumtamen de hoc ultimo verbo aliqui longe aliter sentiunt, ut dictum est, et forsitan infra dicetur. Aiunt quippe, quod quantumcumque pœna mortis seu infirmitas eam præcedens, sint naturales; tamen si caritative acceptentur, æquanimiter tolerentur, et ad finem congruum

[Marg.: ...ist. xv, q. 3.]

A ordinentur, sint non solum satisfactoriæ multum, sed et meritoriæ valde : quemadmodum etiam fames, sitis, mendicitas et egestas, ex causis naturalibus provenientes. — Istis et consimilibus quæstionibus, quoniam faciles sunt, non immoror.

Quæritur quoque hic, an debita pœna infligatur secundum magnitudinem excessus peccati, vel secundum delectationis vehementiam ac mensuram; an etiam confitens obligetur ad pœnam majorem quam sibi a confessore injungitur; et utrum B unus pro alio satisfacere possit. Ad primum horum trium sanctus Doctor respondet : Pœna post culpæ dimissionem ad duo exigitur. Primo, ad debitum persolvendum. Secundo, ad remedium exhibendum. Potest ergo taxatio pœnæ considerari quantum ad duo. Primo, quantum ad debitum : sicque quantitas pœnæ radicaliter correspondet quantitati culpæ, antequam de ea aliquid dimittatur. Attamen quantum per primum eorum quæ nata sunt pœnam remittere, plus remittitur, secun- C dum hoc per aliud minus restat solvendum seu remittendum : quia quanto plus de pœna per contritionem dimissum est, tanto minus per confessionem restat dimittendum. Secundo, quantum ad remedium illius qui peccavit, aut aliorum : sicque quandoque pro minori culpa injungitur major pœna : vel quia peccato unius difficilius potest resisti quam peccato alterius, et sic juveni pro fornicatione injungitur pœnitentia major quam seni, quamvis in hoc minus peccavit; vel quia peccatum D periculosius exstat in uno quam in alio, sicut in sacerdote; aut quoniam multitudo est pronior ad illud peccatum, ideo per pœnam unius terrenda est et retrahenda a vitio. Pœna ergo in foro pœnitentiæ quantum ad utrumque taxanda est : idcirco non semper pro majori peccato pœnitentia major imponitur. Porro purgatorii pœna solum est ad solvendum debitum, quia jam ultra non est locus peccandi : ideo illa pœna solum taxatur secundum quantitatem peccati, considerata tamen

contritionis quantitate, et confessione ac A absolutione : quia per omnia hæc aliquid de pœna dimittitur. Propter quod etiam a sacerdote sunt consideranda injungendo satisfactionem. — Itaque his non obviat quod in Apocalypsi Dominus ait : Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Nempe in verbis illis duo tanguntur ex parte culpæ, utpote : glorificatio, quæ pertinet ad elationem ; et deliciæ, quæ spectant ad delectationem. Quamvis autem sit minor delectatio quandoque in peccato majori, tamen semper ibi est major elatio. — Neque his obstat, quod secundum jura antiqua, sacerdoti pro fornicatione injungitur pœnitentia decem annorum, laico autem pro homicidio pœnitentia septem annorum, quanquam homicidium istud illa fornicatione sit gravius. Nam id fit in quantum pœnitentia est remedium contra peccata futura, ad retrahendum sacerdotem a vitiis carnis, quæ tam sibi quam aliis sunt valde periculosa.

Apoc. XVIII, 7.

Ad secundum dicendum, quod actus ministri bonus vel malus nil variat in efficacia sacramentorum. Hinc sive sacerdos discrete se habeat in injunctione pœnitentiæ, sive non, nil diversificatur quantum ad efficaciam absolutionis et contritionis ac confessionis. Ideo sive indiscrete pœnitentiam injungat, sive non, semper manet reatus ad pœnam quantitatis ejusdem : hinc si eam non expleat in præsenti, ab eo in purgatorio exigetur. — Si ergo objiciatur, quod confessor videatur culpabilis, minorem quam justum est pœnitentiam injungendo, et in hoc noceat confitenti, præsertim quum in futuro multo gravior pœna exigatur quam hic ; dicendum, quod quandocumque minor pœnitentia injungitur, defectus est ex parte imponentis, vel ex parte recipientis. Interdum tamen potest esse sine culpa utriusque, ut quando imponens debitam diligentiam adhibet ad injungendum pœnitentiam condignam, recipiens quoque paratus est illam implere : ideo inconveniens non est, si confitens non liberetur totaliter a pœnæ reatu. — Sacerdos etiam non semper peccat minorem pœnitentiam injungendo : tum quia non potest scire determinate quantitatem debitæ pœnæ, quamvis aliquid proprie valeat determinare, regulis Patrum consideratis ; tum quia quandoque plus expedit pœnitentiam minorem imponere, ne confitens ob gravitatem pœnitentiæ retrahatur ab ejus impletione, ex sua imperfectione. Sicque confessor negligit minus malum, quatenus majus malum vitetur, B et confitens interim confortatus in caritate, ad majora ac plura pœnitentiæ opera peragenda aptetur, quam sacerdos sibi injungere potuisset. — Si vero confitenti major debito pœnitentia injungatur, explere eam ex injunctione sacerdotis tenetur : quia sacerdos non solum debitum pœnæ considerat, sed etiam peccato remedium adhibet. Ideo si confitens moriatur ante pœnitentiæ sibi injunctæ expletionem, non exigitur ab eo tota, sed solum quantum sufficit ad debitum exsolvendum.

C Ad tertium respondendum, quod in quantum pœnitentia ordinatur ad debiti solutionem, unus pro alio satisfacere potest, dummodo sit in caritate, ut opera ejus satisfactoria esse possint. Nec oportet ut major pœna imponatur ei qui satisfacit pro alio, quam ipsi reo imponeretur, ut aliqui dicunt (quia, ut aiunt, pœna propria magis satisfacit quam aliena) : nam pœna habet vim satisfaciendi præcipue ex caritatis virtute, quæ magis apparet in hoc quod homo pœnitentiam solvit pro alio, D quam si pro se ipso. Ideo minor requiritur pœna in eo qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur. Unde in Vitaspatrum narratur, quod propter caritatem unius qui pœnitentiam fecit pro peccato alterius quod non commisit, Deus ignovit alteri qui peccavit. Nec etiam exigitur quantum ad absolutionem debiti, ut is pro quo alius satisfacit, sit ad satisfaciendum personaliter impotens : quoniam etsi potens esset, tamen alio pro eo satisfaciente, ipse a debito illo fieret immunis.

Sed hoc requiritur, in quantum pœna satisfactoria est in remedium : idcirco non est permittendum quod unus pro alio satisfaciat, nisi in alio illo aliquis defectus appareat, aut corporalis, per quem sit impotens ad pœnitentiæ impletionem, aut spiritualis, per quem sit imparatus ad onus pœnitentiæ subeundum. In quantum vero pœnitentia ordinatur in remedium contra peccatum futurum, sic satisfactio unius alteri non prodest : quoniam ex unius jejunio non domatur alterius caro, nec ex actibus unius alius bene agere consuescit, nisi per accidens, in quantum unus bene agendo meretur alteri augmentum gratiæ, quæ est efficacissimum remedium vitandi peccata. Hoc tamen potius est per modum meriti quam satisfactionis. — Hæc Thomas.

Concordat Petrus, et addit : Pœnitentia dicitur condigna peccato quatuor modis. Primo, secundum taxationem solius justitiæ : et sic Deus semper punit citra condignum, etiam in inferno. Secundo, penes taxationem misericordiæ : sieque exigit pœnam condignam. Sed hoc potest esse dupliciter. Primo, secundum taxationem misericordiæ increatæ per se ipsam : et sic in inferno exigitur atque infligitur pœna condigna. Secundo, penes taxationem misericordiæ pœnitentia mediante. Et hoc dupliciter, utpote : mediante pœnitentia interiori, aut etiam absolutione exteriori. Primo modo, pœna taxata post contritionem remanens, vocatur condigna ; et de hoc condigno virtute clavium remittitur aliquid. Secundo modo, pœna quæ remanet post remissionem culpæ, virtute clavium factam, condigna est, et solvere hanc oportet ; et determinatum est apud Deum, quantum virtute clavium remittatur. Bonitas vero seu malitia indiscretiove ministri non mutat sacramenti effectum : ideo totam illam solvere est necesse. Hæc Petrus.

Richardus quoque præhabitis consonans: Pœnitenti (inquit) in articulo mortis non est pœnitentia injungenda, sed innotescen-
A da seu insinuanda, quoniam pœnitens talis non est in statu quo possit exteriorem pœnitentiam facere, quamvis interiorem possit dolorem habere. Debet tamen confessor exteriorem pœnitentiam ejus peccatis debitam, ei manifestare, dicendo : Si sanus consisteres, pœnitentiam tantam facere deberes. Et debet insinuatio ista fieri per modum consolationis, reducendo ei ad memoriam infinitam magnitudinem pietatis divinæ, quæ frequenter remittit peccata per solam interiorem contritionem, præ-
B sertim dum non adest facultas satisfaciendi exterius. Talis quippe manifestatio desperationem excludit, et provocat interiorem compunctionem.

Insuper ait : Unus satisfacere potest pro alio, dummodo ambo sint in caritate. Opus enim illius qui in caritate non est, satisfactorium esse non valet, nee sibi nec aliis ; opus quoque satisfactorium factum in caritate, non prodest nisi habenti caritatem et Dei amicis, ex condigno, quamvis de congruo possit alios aliquo modo ju-
C vare. Quumque opus satisfactorium, ceteris paribus, magis prosit ipsimet facienti quam alteri, sicut et efficacius meretur homo sibi ipsi quam alteri : hinc ceteris paribus, satisfacientem pro alio oportet plus facere seu majorem satisfactionem exsolvere quam pro se. Verumtamen caritas satisfacientis pro alio in tantum posset excedere caritatem satisfacientis pro se ipso, quod non oporteret eum ad satisfaciendum pro alio majorem solvere pœnam, quam alius ille solveret pro se ipso :
D quoniam opus bonum tanto plus, ceteris paribus, satisfactorium meritoriumque consistit, quanto ex majori caritate procedit. — Hæc Richardus. Concordant Albertus, Bonaventura, aliique communiter.

At vero circa materiam hujus distinctionis loquitur Scotus : Pœnitentia quæ haberi videtur in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem, quia tunc impeditur usus liberi arbitrii seu liber usus rationis ac voluntatis. In extremis autem dico eum in quo apparent proba-

bilia signa mortis jam imminentis. In tali A enim est maximus dolor aut timor, et utraque passio hæc vehementer impeditiva est usus liberi arbitrii. Nam ut libro LXXXIII Quæstionum asserit Augustinus : Passiones causatæ a contristantibus seu terribilibus rebus, fortius movent appetitum quam passiones causatæ a delectationibus : vehemens autem delectatio interdum absorbet usum rationis totaliter, vel fere totaliter impedit eum. Displicentia vero de peccato, ad hoc quod sit sufficiens ad rationem contritionis, requirit rationis ac B voluntatis liberum usum. Remissus quoque seu debilis usus liberi arbitrii, vix sufficit ad displicentiam requisitam ad veram pœnitentiam. Propterea asserit Augustinus : Tantus tunc cruciatus ligat membra et dolor opprimit sensum, ut vix valeat cognoscere aliquid. Denique, ad hoc quod displicentia valeat et ordinata consistat, oportet quod sit debite circumstantionata, præsertim circumstantia finis principiique activi principalis, ita quod sit voluntaria propter Deum. Sed difficile est tunc ha- C bere actum sic circumstantionatum : quia qui usque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc a se ipso extorquere displicentiam novam, nisi timore pœnæ imminentis. Præsumitur namque, quod si remotus esset a pœna ut prius, non extorqueret a se displicentiam istam, sicut nec prius. Sicque aliquid simpliciter involuntarium videtur causa displicentiæ hujus. Involuntarium enim est, quod non fit nisi ex suppositione cujusdam involuntarii : quemadmodum merces non projiciuntur in mare D nisi ex præsuppositione periclitationis, quæ est involuntaria. Habitus quoque pravus tunc usque continuatus multum retrahit a pœnitentiæ actu et a zelo justitiæ, ex quo necesse est contritionem procedere.

Hinc persuadendum est proximo, ut sanus ac tempestive pœniteat, considerando quam periculosum sit pœnitentiam exspectare serotinam. His demum qui tam diu pœnitentiam distulerunt, suadendum est, ut juxta possibilitatem suam laborent et se dent ad pœnitentiam ordinatam, ita quod non obstantibus dolore et timore, utantur pro viribus ratione, sicque conentur habere displicentiam de suis peccatis veram et voluntariam propter Deum, in quantum fuerunt et sunt offensiva ipsius Dei, nec desperent, sed immensitatem attendant pietatis divinæ, et de sua dilatione ac negligentia doleant, fortiterque proponant de cetero nunquam peccare, etiam si convalescant. — Hæc Scotus. Qui etiam addit his : Qui scienter se exponunt periculo suæ salutis, peccant mortaliter. Ideo qui deliberant seu proponunt non pœnitere nisi in extremis, mortaliter peccant; et tamen de hoc ipso peccato stultissimo possunt ac debent pœnitere in fine.

QUÆSTIO II

Restat quærendum, **Utrum purgatorii pœna sit.**

Videtur quod non, quoniam sicut anima peccavit in corpore et cum corpore, ita videtur solum punienda in corpore et cum illo, et ita non puniretur ante resurrectionem futuram. — Rursus, quum anima sit incorporeus spiritus, non videtur a corporeo igne posse puniri. — Insuper Augustinus relinquit sub dubio, an ignis ille sit corporalis. Damascenus vero ultimo asserit libro, quod incorporeus sit : et ita non erit vere atque univoce ignis, quum de ratione ignis sit esse quid corporale, sicut de ratione terræ, aquæ et aeris.

Circa hæc scribit Albertus : Sancti de quæstione hac disputantes, fatentur se velle accipi sua dicta sine supercilio assertionis. Ita et ego dico, quod non arbitror quemquam scire qualis sit ignis ille, nisi cui revelaverit Deus. Sed æstimo quod sit utique corporalis. Unde et dico, quod primum affligens animas in purgatorio sit corpus, videlicet ille ignis, proximum vero affligens sit spirituale, sive anima sit

in corpore, sive non. Quod ut melius intelligatur, ponatur exemplum. Incisio manus vulneratæ est corporalis, et patitur corpus, anima vero compatitur. Primum affligens utrumque hoc, est gladius; verum quum anima patiatur corporis passione, id quod facit tristitiam in affectu animæ, est similitudo vulneris, apprehensa ut contraria toti composito. Ita in purgatorio primum affligens est ignis corporeus, habens vim affligendi, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, vindicantis peccatum cui anima se subdidit; B proximum vero affligens est similitudo recepta in anima. Et hoc infra magis patebit, in tractatu de resurrectione. Vis demum qua ignis ille agit ut divinæ instrumentum justitiæ, non est tantum vis naturalis caloris : imo est alia vis. Cujus exemplum est de calore in corpore animalis, qui calor in quantum est instrumentum animæ vegetativæ, aliam habet operationem et aliam vim, quam ut qualitas naturalis.

Si autem quæratur de purgatorii loco, sine præjudicio dico, nil temere asserendo, C quod purgatorii locus est alius ex ordine divinæ justitiæ determinantis receptaculum animæ puniendæ, et alius ex dispensatione. Nam primo modo unus est locus purgatorii, quem puto esse partem inferni, in qua parte est afflictio cum admixtione consolationis de futura beatitudine. Porro ex dispensatione loca purgatorii sunt diversa, plura. Et dispensatio illa fit aliquando propter vivos, interdum propter mortuos. Et licet multis de causis id fiat, specialiter tamen triplex causa elicitur ex D legendis Sanctorum. Prima est, demonstratio meriti alicujus Sancti, hoc suis precibus impetrantis : sicut ad preces S. Patritii Deus monstravit quemdam purgatorii locum, ut de pœnis futuris fides amplior haberetur. Secunda est, nostra instructio, quatenus dum aliquas animas circa nos puniri agnoscimus, idem æstimemus de aliis in quibus sunt similes culpæ. Tertia est, manifestatio alicujus culpæ occultæ, ut in Paschasio.

A Denique ignis purgatorii quantum ad suam substantiam, exstat perpetuus, sicut et ignis infernalis, cum quo est ejusdem speciei; sed quantum ad actum purgandi, accipit finem, sicut et pœna illa. De cujus acerbitate tenendum est sicut in textu habetur, quod scilicet minima pœna purgatorii major est quam quæcumque pœna corporalis hujus mundi sit aut esse possit. Anima namque separata a corpore, desiderat summum bonum tanquam beatitudinis suæ objectum, eo modo quo res extra locum suum exsistens, appetit suum locum. Quumque tristitia causetur ex absentia atque carentia rei desideratæ, perfectivæ atque delectabilis, constat quod de carentia et absentia illius tam summi boni, in quo solo tota consistit ac plena animarum felicitas, oriatur in anima separata tristitia maxima. Imo sicut suavitas, vita, et jucunditas hujus vitæ nullam habent comparationem ad beatitudinem Sanctorum in patria; sic impedientia et auferentia suavitatem, vitam, et delectationem hujus vitæ, incomparabiliter minus contristant et affligunt quam impedientia et protrahentia a summa illa felicitate et gloria. Sicque tristitia alterius vitæ illius incomparabiliter major est omni tristitia vitæ præsentis. — Hæc Albertus. Qui de his plura conscribit, quæ in responsis Thomæ clarius continentur.

Qui tamen non in hac, sed sequenti distinctione scribit de his : Ex præinductis (inquiens) probatur et constat, purgatorium esse. Primo, quia in hac vita non semper per ipsam contritionem, confessionem et satisfactionem totus reatus pœnæ aufertur, nec sufficiens satisfactio exhibetur. Secundo, quia etiam dimissis peccatis mortalibus, venialia non semper tolluntur; exigitque divina justitia, ut inordinatio culpæ per pœnam debitam ordinetur. Oportet ergo quod is qui post contritionem et absolutionem decedit ante satisfactionem sufficientem, post vitam præsentem puniatur. Hinc qui purgatorium negant, contra divinam loquuntur justitiam, et er-

ror eorum a fide est alienus. Unde Gregorius Nyssenus ait : Si quis Christo amico consentiens, in hac vita purgare peccata minus curaverit aut potuerit, post transitum hinc per purgatorium et ignis consummationem expeditur. Quibus verbis subjungit : Hoc prædicamus, dogma veritatis servantes; hoc quoque universalis tenet Ecclesia, pro defunctis exorans ut a peccatis solvantur. Quod non potest intelligi nisi de exsistentibus in purgatorii pœnis. Ecclesiæ autem auctoritati quicumque resistit, hæresim incurrit.

Præterea de loco purgatorii non invenitur aliquid determinatum in Scripturis, nec ad hoc possunt rationes efficaces induci. Tamen dictis Sanctorum et revelationibus aliquibus factis plus consonat, quod locus purgatorii duplex est. Unus secundum legem communem, qui est locus inferior conjunctus inferno, ita quod idem est ignis qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat : quamvis damnati, secundum quod inferiores exstant demerito, etiam loco inferius sint locandi. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem : sicque diversi diversis in locis puniti et purgati leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem. Verumtamen quidam dicunt, quod secundum legem communem locus purgatorii est ubi homo peccat : quod non videtur probabile, quoniam simul potest puniri pro peccatis quæ in diversis locis commisit. Alii opinantur, quod puniuntur secundum legem communem in loco qui super nos est, puta in aere : quoniam quantum ad statum, sunt medii inter nos et cœlum. Sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod infimum est in eis, utpote pro peccato. Hinc ait Augustinus, quod sicut sub eodem igne aurum rutilat et palea fumat, ita sub eodem igne peccator cruciatur, crematur, et electus purgatur. Attamen Hugo testatur, quod in his locis ubi peccaverunt, purgantur; et hoc, secundum dispensationem quandoque sic
A est. Denique, quum pœna inferni sit ad excruciandum et ulciscendum perpetue, ideo nominatur nominibus omnium rerum quæ nos hic solent affligere, juxta illud : Ignis, *Ps.* x, 7.
sulfur, spiritus procellarum, pars calicis. Pœna vero purgatorii est principaliter ad purgandum reliquias vitiorum : ideo sola pœna ignis purgatorio attribuitur, quoniam ignis solet consumere et purgare.

Insuper de acerbitate pœnæ purgatorii agnoscendum, quod in purgatorio duplex est pœna. Una damni, ex retardatione a
B beatifica visione. Alia est pœna sensus, qua ab igne corporali puniuntur. Et quantum ad utrumque, minima pœna purgatorii excedit maximam pœnam vitæ præsentis. Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia exstat molestior. Quumque affectus animarum justarum in purgatorio, quo summum bonum et ejus beatificam fruitionem desiderant, sit vehementer ac nimis intensus, quum corporis mole non retardetur; et quoniam terminus perfruendi illo advenit, nisi quod suo re-
C tardantur reatu : idcirco de retardatione atque carentia tam incomparabilis boni maxime dolent. Similiter quoque, quum dolor non sit læsio ipsa, sed læsionis perceptio sive sensus; tanto plus dolet quis de læsivo seu læsione, quanto plus est sensitivus seu perceptivus doloris. Quumque totus corporis sensus derivetur ab anima, idcirco quod agit in animam ipsam, maxime affligit eamdem. Quod autem anima ab igne corporali affligatur, modo supponimus, quia infra hoc ostendetur. Hinc
D utraque illa purgatorii pœna omnem pœnam vitæ præsentis excedit. Quidam vero assignant rationem ex hoc, quod anima tota punitur, non corpus. Sed hoc nihil est, quia sic pœna damnatorum esset minor post resurrectionem quam ante, quod falsum est. Itaque acerbitas pœnæ illius non est tantum ex quantitate peccati, quantum ex dispositione puniti : quoniam idem peccatum gravius punitur ibi quam hic : sicut qui melioris est complexionis, magis affligitur plagis eisdem. Attamen judex utris-

que easdem plagas pro eisdem culpis inferens, juste ágit. A

Quæritur quoque, an pœna purgatorii sit voluntaria. Dicendum, quod aliquid dicitur voluntarium dupliciter. Primo, voluntate absoluta : et sic nulla pœna est voluntaria, quia in hoc consistit ratio pœnæ, quod est voluntati contraria. Secundo, voluntate conditionata, quemadmodum ustio propter sanitatem : sicque potest voluntaria esse dupliciter. Primo, quia per pœnam aliquod bonum acquirimus : et sic voluntas pœnam talem assumit, ut est in B pœna satisfactoria; vel etiam, quia libenter quis accipit eam, nec vellet eam non esse, ut in martyrio patet. Secundo, quoniam etsi per pœnam nullum bonum nobis accrescit, tamen sine pœna ad bona pervenire nequimus, ut patet de morte naturali. Et tunc voluntas non assumit pœnam, et vellet liberari ab ea, sed eam supportat; et quantum ad hoc, voluntaria perhibetur: sicque pœna purgatorii voluntaria appellatur. Quidam dicunt, quod nullo modo sit voluntaria, quoniam ita sunt pœnis ab- C sorpti, quod nesciunt se per eas purgari, sed putant se esse damnatos : quod falsum est, quum frequenter petant suffragia.

Postremo quæritur, an dæmones puniant animas in purgatorio. Dicendum, quod sicut post diem judicii divina justitia ignem succendet quo damnati in perpetuum punientur; sic nunc sola divina justitia in purgatorio electi purgantur, non ministerio dæmonum, quorum exstiterunt victores, nec ministerio angelorum, qui suos concives non tam vehementer affligerent. D Tamen possibile est quod eos ad loca deducant pœnarum, dæmones quoque eos comitentur ac purgandis adsistant, tum ut de eorum pœnis satientur, tum ut in exitu eorum a corpore suum aliquid in ipsis reperiant. Verumtamen in sæculo isto, in quo adhuc locus est pugnæ, puniuntur homines et ab angelis malis, ut patet de Job; (*Job* I, 12 et seq.) et ab angelis bonis, ut constat de Jacob, cujus nervus femoris angelo percutiente emarcuit. (*Gen.* XXXII, 25.) Et hoc expresse dicit B. Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod scilicet angeli boni aliquando puniunt. — Hæc Thomas.

In cujus verbis incertum valde videtur quod ait, animas in purgatorio non puniri per dæmones : cujus contrarium in multis revelationibus recitatur. Nam et dæmonibus se in hac vita multoties sponte ac impie subdiderunt; propter quod ipsis juste subduntur in pœnis, quatenus per quos peccaverunt, per eos et puniantur, et quorum instigationibus peccaverunt, ipsorum flagellationibus expurgentur. Quod potius reor de eis qui enormius peccaverunt. Qui vero notabiliter virtuose vixerunt, et hic pœnæ condignam pœnitentiam egerunt, probabile est ibi magis reverenter tractari, nec dæmonum confusionibus subdi, ut sunt qui dæmonum tentamentis hic viriliter restiterunt.

Concordat Petrus dictis ex Thoma, et ait : Pœna dicitur voluntaria voluntate conditionata tripliciter. Primo, voluntate assumente, ut pœna satisfactionis. Secundo, voluntate acceptante, ut pœna martyrii. Tertio, voluntate sustinente, ut pœna purgatorii : quemadmodum etiam infirmitas alicui bono viro a Deo immissa, quam voluntarie sustinet, et nihilo minus cupit liberari ab ea. — Hæc Petrus. Qui etiam allegat Augustinum in quodam sermone dicentem, quod pœna purgatorii durior erit quam quidquid in hoc mundo videre seu audire aut cogitare quis potest.

Præterea Richardus dictis ex Thoma prorsus concordat, et allegat Algazelem quinto Physicorum dicentem : In hac vita anima suum cruciatum non sentit complete, quoniam propter occupationem sui circa suum corpus, est sicut qui occupatus in bello aut alio grandi periculo, suum non sentit laborem. Ex quo infert, quod quamvis affligentia hic et in purgatorio essent æqualia, adhuc tamen longe acerbior esset purgatorii pœna. Et constat quod illud affligens, videlicet ignis ille, sit vehementer activior igne sæculi hujus. — Hæc Richardus. Qui etiam dicit, quod ani-

mæ in purgatorio non purgantur ministerio A dæmonum, quia perfecte triumphaverunt de eis. Quod si verum esset, etiam sic tenerem; sed quia frequenter succubuerunt dæmonibus, nec pro hoc satisfecerunt sufficienter in vita hac, potius teneo sicut jam tetigi. — Dicit quoque Richardus, quod angelus bonus percussit nervum femoris Jacob, ad præcavendum in eo concupiscentiæ motus.

Albertus quoque declarare hic nititur, qualiter ignis inferni seu purgatorii agat in spiritum, dicens : Species ignis agentis B est duplex, quemadmodum etiam species caloris naturalis. Nam secundum quod est calor ignis, igneitas est species ejus. Secundum vero quod motus est descendens ab anima, caro est species ejus, et nervi et forma et hujusmodi. Ita dico de igne inferni, quod secundum suam naturam habet speciem quam non imprimit animæ : ideo anima non dicitur calida. Sed secundum quod est instrumentum justitiæ vindicantis, habet aliam speciem, quam puto esse afflictionem ex calore, ejus qui deli- C quit; et hanc imprimit animæ delinquenti. Idcirco non puto animam calidam esse, inæstimabiliter tamen affligi ex calido; hujusque speciei anima separata est magis susceptibilis quam aliquod animatum in vita ista. — Hæc Albertus. Quæ prorsus obscure videntur prolata.

Præterea, Bonaventura multa conscribit de his tam in ista quam in sequenti distinctione. Et primo de hoc, an purgatorium sit ponendum : [Ps. xxiv, 10.] Universæ (inquiens) viæ Domini misericordia et veritas. Ideo D Deus per misericordiam ita parcit, ut veritati seu justitiæ suæ non deroget : sicque dimittit culpam et pœnam æternam, ut obligatum teneat ad pœnam temporalem, a qua homo non de necessitate absolvitur in morte, quoniam status post mortem non repugnat punitioni animæ, quamvis non competat merito ejus. Itaque animæ hic non satis purgatæ, nec a reatu penitus absolutæ, post hanc vitam in purgatorio luunt ac solvunt quod restat.

At vero de magnitudine et acerbitate purgatoriæ pœnæ nos oportet concedere cum Magistro et Sanctis, etiamsi non appareat inde, quod purgatorii pœna gravior est omni temporali pœna quam sustinet anima corpori nunc conjuncta. In his quippe magis inhærendum est auctoritati quam rationi, quum sint supra naturam et rationem. Sane tamen intelligendum est istud, ut generaliter pœna illa major sit ista, juxta illam Philosophi regulam : Si optimum in uno genere melius est optimo alterius generis, et hoc simpliciter illo est melius. Sic et intelligendum est istud, quod pœna illa major est ista : non quod minima in genere illo sit major maxima pœna in genere isto, sed maxima in genere illo est major quam maxima in genere isto. Nam ut sanctus scribit Gregorius, revelatum est quasdam animas in umbra esse punitas. Unde credendum, quod justi qui in igne conflagrationis purgabuntur ac morientur in die judicii, gravius (quia brevius) atque intensius punientur, quam quidam qui modo purgantur.

Et hujus rei quidam assignant rationem partim naturalem, partimque theologicam* [* supernaturalem], dicentes, quod animæ separatæ habent vires suas expeditas et recollectas ac adunatas in se. Naturale quoque habent desiderium pertingendi ad summum bonum : quod desiderium a caritate et gratia multum augetur. Quumque bonum illud sitiant et inde retrahantur, ac quasi incarcerentur; ideo modica pœna cum illa tristitia eis est maxima : præsertim quum sicut spirituales delectationes sint maximæ, corporalibusque majores ; ita spirituales tristitiæ eis contrariæ, exstant permaximæ. — Sed certe nec ista ratio congrue manuducit, quia desiderium summi boni necessario habet adjunctam quamdam ejus fruitionem, et aliquam ejus realem possessionem, sicque gaudium parit. Unde qui magis desiderat summum bonum, plus delectatur in illo. In hoc namque differt desiderium temporalium et corporalium rerum a desiderio spiritualium, ut ostendit

Augustinus libro LXXXIII Quæstionum. A Istud quoque maxime veritatem sortitur in his quos Deus per caritatem inhabitat. Denique, juxta hanc rationem pœna limbi puerorum maxima esset; pœna quoque sanctorum patrum in limbo maxima exstitisset, in quibus tamen creditur fuisse requies sancta. Ideo ratio ista nil ad propositum facit, si quis bene inspiciat, pro eo quod Sancti non de carentia, sed de pœna afflictiva loquuntur, puta de igne seu purgatoria flamma.

Hinc dicendum, quod ratio hujus sumitur B ex divina justitia; et ista est recta ratio, quia quod ignis agit in animam, justitiæ est, non naturæ : ideoque quod magis agat, divinæ attribuendum est justitiæ. Quumque Deus non acceptet pœnam secundum quod tantum est punitiva, sed magis prout in ea relucet ratio ordinis recti; idcirco notandum, quod est pœna assumpta et pœna inflicta. In pœna assumpta non tantum placet Deo ordinatio pœnæ ad culpam, sed et ordo ac rectitudo voluntatis assumentis; in pœna vero inflicta C placet ordo pœnæ ad culpam. Quoniam ergo pœna pœnitentium in præsenti potius est assumpta, pœna vero defunctorum in purgatorio magis vocatur inflicta, quoniam eis non est jam tempus agendi, sed recipiendi; ideo modica pœna pœnitentium in præsenti, magis est Deo placita et accepta ac satisfactoria coram eo, quam magna in futuro, et ideo quasi improportionabiliter majorem Deus exigit in futuro. Quamvis demum corpus plus lædatur ab igne quam spiritus, tamen spiritus magis affligitur, D quoniam vivaciorem habet vim sentiendi. Pœna autem non est læsio ipsa, sed sensus ipsius. — Hæc Bonaventura.

Qui etiam dicit probabilius esse, quod animæ in purgatorio non puniuntur per dæmones. Unde sic ait : Concedendum est, quod punitio illa non fit ministerio dæmonum, nec supernorum spirituum, nisi forsan quantum ad directionem. Credendum est enim, quod in egressu animæ a corpore adsistunt spiritus bonus et spiritus malus, vel unus vel plures, tuncque secundum veritatem ferri a Christo sententiam, quæ si fuerit bona, adduci animam per ministerium angeli in cœlum, sive in purgatorium, quousque purgata educatur per ejus ministerium : ita quod solum est ductor, non tortor. Si vero sit mala, ducitur ministerio dæmonum ad infernum. Tamen in his nil temere asserendum. — Legitur quoque, quod S. Patritius impetravit cuidam, ut puniretur sub terra, ex quo ortum est fabulose, quod ibi sit purgatorium. — Hæc Bonaventura de ista materia circa istam distinctionem. Qui in aliis quæstionibus de purgatorio motis concordat dictis ex Thoma. Verum quod ait hic de S. Patritio, non concordat Legendæ S. Patritii : in qua fertur, quod ad conversionem Hibernorum impetravit a Deo ostendi locum per quem pateret ingressus ad quemdam purgatorii locum, et de hoc in aliis recitantur libellis quamplura. — Ceterum quæ hic scribit contra positionem quam S. Thomas, Albertus, Petrus, Richardus, aliique communiter tenent, parum concludunt, quum experimentaliter constet, contemplationem, fruitionem et gaudium viatorum per magnas afflictiones non mediocriter impediri, quamvis interdum miraculose aliter factum sit in sanctis martyribus, et aliis valde devotis. Sancti quoque loquuntur de utraque purgatorii pœna.

Insuper de hac ipsa materia aliqua scribit distinctione sequenti, quærendo, utrum purgatio quæ in purgatorio fit, sit a culpa vel solum a pœna. Respondet : Quorumdam sapientum fuit opinio, quod nullum peccatum post hanc vitam dimittitur, eo quod usus liberi arbitrii quoad meritum et demeritum cessat omnino in morte. Propter quod dicunt, quod venialia in hac vita omnino dimittuntur per pœnitentiam, aut per finalem gratiam, si non adsit pœnitentiæ locus. Unde dicunt, quod triplex est gratia, utpote baptismalis, pœnitentialis, finalis : quarum quælibet pro sui initio dominium habet in anima; atque pro eo quod dominatur in ipso ingressu vel sta-

tus sui principio, delet omnem culpam, A non tantum mortalem, sed etiam venialem. Dominatur enim gratia baptismalis ex virtute sacramenti; gratia pœnitentialis, ex subjectione et conformitate liberi arbitrii; gratia finalis vel ultimata, ex perfecta conformitate omnium virium animæ ad gratiam ipsam. Nempe, dum anima separatur a carne, pronitates et perturbationes quæ inerant ei ex carne, recedunt, et potentiæ animæ tranquillantur ac gratiæ subjiciuntur; ac per hoc venialia delentur, sive sint in parte rationali, sive in parte B sensitiva. Et ita nullum veniale peccatum dimittitur post hanc vitam, sed in instanti quo finalis gratia dominium vindicat sibi in anima, et omnem culpam expellit ab ea. Quumque objicitur istis, quod in purgatorio purgantur ac remittuntur peccata; respondent, quod verum est quantum ad reatum seu pœnam, et purgantur quantum ad scoriam seu sequelam. Istud videtur fuisse de mente Hugonis, dicentis : Aliquando Deus remittit secundum pietatem, aliquando secundum severitatem, C quandoque secundum utrumque. Etenim per incendium purgatorii scoria peccati excoquitur, per lavacrum Baptismi macula peccati abluitur, per flagellum satisfactionis palea peccati excutitur. Quamvis autem ista opinio multum sit consona rationi, tamen auctoritates Sanctorum videntur expresse contrariæ, quum dicat Gregorius: Aliqua peccata dimittuntur post vitam præsentem. Et si exponatur hoc quantum ad reatum, objicitur, quod sic de omnibus possit peccatis intelligi.—Hinc alii dicunt, D venialia in purgatorio quantum ad culpam posse remitti per ignis illius incendium : quoniam ad venialis deletionem sufficit quod liberum arbitrium gratiæ se conformet, quamvis merendo non adjuvet.

Postremo si quæras, an ignis purgatorii sit materialis; dicendum, quod Augustinus super Genesim, et in libro de Civitate Dei, ac super epistolas Pauli, hoc relinquit sub dubio. Alii vero sancti doctores, Gregorius, Isidorus, dubitationem hanc tollunt, asserentes quod vere sit materialis : quod multiplici ratione noverunt. Qualiter vero ignis ille agat in animas, eas affligendo, difficillimam continet quæstionem, de qua infra dicetur. Qualiter vero agat, eas purgando, diversitas est inter doctores. Nam aliqui dicunt, quod præter vim punitivam data est illi igni vis purgativa spiritualis, per quam purgat a macula veniali peccati culparumque scoriis, quemadmodum sacramenta vim sanctificandi sortita sunt. Sed hoc dicere non oportet, quum secundum Gregorium, multæ animæ alibi quam in igne purgatorii puniantur atque purgentur, et mundificatio a culpa sit per gratiam. Hinc alii melius dicunt, quod ignis ille eadem vi punit et purgat, quoniam puniendo adjuvat gratiam, et gratia adjutorium pœnæ habens ac consonantiam voluntatis non resistentis, sed se conformantis, quamvis non adjuvantis aut meritorie cooperantis, animam purgat plenarie : quoniam ipsa pœna in hoc est quasi instrumentum divinæ justitiæ sicut et ignis ille. — Hæc Bonaventura. Verum quæstio ista ad distinctionem spectat sequentem.

Circa hæc etiam pauca scribit Antisiodorensis in Summa, libro quarto, dicens, ignem purgatorii colligentiam quamdam habere ad animam, ratione cujus agit in ipsam. Et refert opinionem dicentium, quod animæ exutæ corporibus, sola contritione, non igne aliquo materiali purgantur. Quumque objicitur eis, quod post hanc vitam non est tempus nec locus merendi; respondent, hoc esse intelligendum de merito vitæ æternæ, non de merito satisfactionis pro culpa. Sed opinio illa est tanquam hæretica contemnenda, quum dicat Apostolus: Salvus erit, sic tamen quasi I Cor. III, 1 per ignem.

Insuper Petrus præter prætacta ex eo affirmat, quod sicut homini dupliciter fit satis, uno modo per spontaneam ac liberam debentis solutionem, alio modo per extorsionem et potestativam creditoris acceptionem; sic et Deo dupliciter satisfit

pro peccato, primo per pœnitentiam satisfactivam ex caritate in vita præsenti, secundo per purgatorii pœnam.

QUÆSTIO III

NUnc quæritur **De indulgentiis, quid sint, et unde fiant, et per quos fieri debeant, et quibus prosint.**

Potissime vero quærendum, an tantum valent sicut pronuntiantur ac valere dicuntur, etiam pro parvis et temporalibus rebus.

Et videtur quod indulgentiæ non sint nec fieri possint : quoniam hoc est juris divini, et ad veram spectat justitiam, ut pro culpa infligatur pœna, et pro culpa majori gravior pœna, satisfactio quoque proportionetur injuriæ seu offensæ illatæ. Unde in Deuteronomio Dominus protestatur : Secundum mensuram delicti erit plagarum modus. Sed contra istud non videtur aliquid fieri posse per indulgentiarum concessionem. — Secundo, concessio istarum indulgentiarum videtur occasio peccandi audacius atque superflue confidendi, juxta illud commune eloquium : Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. — Tertio, sancti Apostoli non leguntur usi hac practica, nec summi ac sancti Pontifices : sicque non caritas, sed cupiditas aut indiscretio videtur ad istam tam crebram et largam indulgentiarum donationem inducere.

Deut. xxv, 2.

In contrarium est auctoritas et consuetudo universalis Ecclesiæ.

De hac materia scribit Guillelmus in suo Sacramentali : Quia circa sacerdotalem ordinem errant adhuc hostes veritatis, contradicentes indulgentiis et remissionibus quæ fiunt ex sacerdotali officio, necesse habemus errorem istum destruere, ipsasque indulgentias stabilire. Prima erroris illorum causa et potissima, est stultitia qua credunt hujusmodi indulgentias esse venales, ea venalitate qua Deus defraudaretur, non solum ultra mediam justi pretii partem, imo etiam ultra æstimationem, dum benefactoribus alicujus loci tertia pars pœnitentiæ injunctæ remittitur pro obolo uno aut ovo : sicque defraudatur omnipotens et altissimus Deus, quum duorum annorum pœnitentialium sacrificium oblatione unius ovi aut oboli commutatur. Secunda causa erroris eorum, alia exstat stultitia qua credunt esse iniquum, ut eodem pretio redimantur pœnitentiæ longæ et graves, quo breves ac leves. Tertio, visum est eis quod istud sit venalem facere gratiam. Quarto, quid (inquiunt) restat nisi ut impune peccent homines, si tam levis, imo tam ridiculosa est peccatorum remissio? Pro tribus etenim nummis, per tres indulgentias tales absolvitur a tota pœnitentia sua : sicque æquabuntur oblationes trium nummorum peregrinationi Jerosolymitanæ seu cuicumque congressioni contra fidei inimicos. Insanissimi ergo sunt qui causa agendi pœnitentiam, longas istas et laboriosas peregrinationes suscipiunt, et qui religioni ac carceri atque martyrio se ipsos subjiciunt et addicunt, quum tria ova vel tres oboli eis tantum prodessent.

Contra primum errorem dicimus, quod non est ibi venalitas aliqua, quoniam pro pecunia nihil fit ibi. Prælatus enim qui hujusmodi indulgentiam tribuit, non pecuniam, sed Dei intendit honorem ac animarum salutem. Non enim intendit prælatus coacervare pecuniam, sed ampliare Dei honorificentiam atque cultum. Nempe ad hoc ædificatur ecclesia, ut Dei cultus ac honorificentia augeantur. Sicut ergo non pro pecunia, sed per pecuniam ædificatur ecclesia; sic non pro pecunia fit indulgentia, sed pro sola Dei reverentia, quamvis non sine pecunia, quia non sine pecunia potest ædificari ipsa basilica. — Insuper, contra defraudationem prætactam respondemus, quod honor ac decor cultus divini non solum supplet quod de pœnitentiis per indulgentias detrahitur, sed etiam multum superabundat, maxime quum

sacrificium laudis, orationum incensa, et A laudis thymiamata plus diligat Deus, quam pœnitentialium tormentorum carnificinam. Itaque, sicut non pro aqua, sed per aquam, nec sine aqua in Baptismo confertur remissio peccatorum; sic non pro pecunia, sed per pecuniam et non sine pecunia indulgentiæ fiunt.

Insuper, quod delirantes objiciunt, esse injustum, pro eodem pretio redimi iniquitates majores et minores, ostendunt se ignorare virtutem Dei ac clavium potestatem. Quemadmodum enim non majorem B remissionem obtinet peccatorum qui in aqua baptizatur majori, quam qui in minori; sic qui majorem offert pecuniam, non majorem recipit remissionem, quam qui minorem: quod est, quoniam sicut non ex aqua est remissio in Baptismo, sed ex virtute divina quæ adest sacramento; sic ibi non ex oblatione aut oblatis, sed ex divina virtute, quæ ministerio prælatorum et clavibus adest. — Ad tertium quoque responsum est, quia nihil venalitatis hic est, et revera magis est hic commutatio C quam remissio. Verum quia divitibus multo levius est offerre quam pœnitentiales labores sufferre, commutatio ista pœnitentialis afflictionis in munus oblationis, remissio appellatur.

Quod demum quarto objiciunt de impunitate peccantium, solvimus, quia quum certum sit illos tantum indulgentias tales percipere qui mundi sunt et a mortalibus peccatis immunes, a quibus nullus certus est se esse immunem; idcirco nec certus est quod indulgentias istas percipiat. Cer- D tum est autem unicuique, debitorem se esse pœnitentiæ injunctæ seu injungendæ. Hinc constat, neminem propter indulgentias istas debere a pœnitentia agenda cessare, ne periculo se committat, inæstimabilemque purgatorii ignis acerbitatem incurrat. Hinc nulli pro certo, nec præcise indulgentias istas promittimus, sed sub conditione, scilicet si mundi sint a peccatis mortalibus. Itaque homines sapientes, justi ac timorati, ex indulgentiis negligentiores non fiunt, sed potius cautiores, ne per incustodiam et negligentiam suam amittant gratiam tantam.

Postremo, quod arguunt, religiosis atque martyribus non plus prodesse religionis ingressum ac martyrii passionem, quam frequentantibus indulgentias istas tria ova sive tres nummos; jam solvimus, quia non virtute ovorum aut nummorum illorum indulgentiæ obtinentur. Addimus tamen unum exemplum ad elidendam eorum instantiam, et dicimus, quod sicut plus prodest trina immersio in aquam sanctificatam ad remissionem peccatorum, et hoc propter virtutem sacramenti, quam quæcumque alia ablutio quantumcumque aspera seu balneatio in aqua quantumlibet frigida; sic modica oblatio levisve labor in fabricis propter quas indulgentiæ conceduntur, plus valent quam magnæ oblationes gravesque labores pro aliis causis, et hoc propter virtutem clavium: quemadmodum et ablutio undæ Baptismatis, tam miræ virtutis est mirificique effectus, propter sacramenti virtutem. Ad quod etiam cooperantur Sanctorum suffragia quorum veneratio ac commemoratio fiunt in locis ubi indulgentiæ conferuntur; merita quoque totius Ecclesiæ, cujus vox resonabit de cetero in fabricis quæ construuntur. Quidquid enim psallendo, legendo, cantando, orando, ibi dicetur, vox exstat Ecclesiæ, quum ex ejus persona dicatur.

Nunc restat ipsas indulgentias probationibus ac declarationibus stabilire. Dicimus ergo, quod cujus potestas est pœnitentiales satisfactiones injungere, ejusdem est eas augere, minuere ac mutare, prout ad honorificentiam Dei salutemque animarum ac publicam utilitatem viderit expedire. Unde et pœnitentialem afflictionem in eleemosynas et orationes commutare, licitum est prælato. Ita viris idoneis pro pœnitentiali satisfactione interdum injungimus assumere administrationem seu prioratum, propter reformationem aut conservationem religionis. Prudentibus quoque, potentibus et justis sæcularibus viris, consuli-

mus et pro pœnitentia in foro confessionis A
injungimus assumere consulatum aut præfecturam vel alia quævis officia. Quumque honorificentia majestatis divinæ, salus animarum, communis utilitas, multo magis consistant in constructione unius basilicæ omnibusque bonis quæ de cetero fient in ea, quam in afflictione pœnitentialium exercitiorum; ideo episcopalis auctoritatis est, ista bona minora posse commutare in illa majora. Amplius, servus et procurator seu dispensator domini alicujus, tenetur bona domini sui expendere in ipsius do- B
mini honorem ac commodum, ac regni sui utilitatem majorem. Quumque additiones, diminutiones, commutationes, relaxationes pœnitentialium satisfactionum prælatis commissæ sint, certum est pertinere ad ipsos, ut illas dispensent et erogent largius aut parcius secundum exigentiam negotiorum occurrentiumque causarum, prout honor Dei et salus exigunt animarum ac bonum commune totius christianæ religionis, videlicet ejus defensio, conservatio, ampliatio. Insuper, si rex aut princeps C
commissurus sit prælium, dat ducibus suis potestatem perquirendi ac conducendi auxiliarios dignis stipendiis præmiandos. Sic ergo et Christus, rex regum, adversus fidei æmulos per suos fideles præliaturus, per prælatos spiritualia dona largitur bellatoribus suis, quibus armati et animati, fortius prælientur, vitiorumque aciem vincant. Insuper, reges tempore congressionum æraria sua aperiunt ad præstandum largiflue stipendia militibus suis. Ita et Christus ex thesauro Ecclesiæ per prælatos D
indulgentias præstat, et obligatis debita multa relaxat. — Hæc Guillelmus. Qui loco præallegato de his diffuse, devotionabiliter atque subtiliter loquitur, in quibus innuit indulgentias tantum valere sicut pronuntiantur.

Præterea S. Thomas his consonans : Universalis (inquit) Ecclesia non potest erra-
Hebr. v, 7. re, quoniam ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro, super cujus confessione Ecclesia est fundata : Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides *Luc.* xxii, 32.
tua. Universalis autem Ecclesia indulgentias facit et approbat. Apostolus quoque testatur : Ego quod donavi, si quid pro- II *Cor.* ii, 10.
pter vos donavi in persona Christi. Glossa : Id est, ac si Christus donasset. Hinc ab universis conceditur, indulgentias aliquid valere. Nam impium esset asserere, quod Ecclesia aliquid faceret vane. Verum aliqui dicunt, quod non valent aliquid ad absolvendum a reatu pœnæ quam quis in purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione qua sacerdos obligat pœnitentem ad pœnam quamdam, vel ad quam etiam ordinatur ex canonum institutis. Quæ opinio non videtur vera. Primo, quia expresse est contra privilegium S. Petro concessum, ut quod in terra remitteret, in cœlo remitte- *Matth.* xvi, 19.
retur : hinc remissio quæ fit in foro Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Præterea Ecclesia indulgentias faciens, secundum hoc magis damnificaret quam adjuvaret : quoniam absolvendo ab injunctis pœnitentiis, remitteret ad pœnas purgatorii graviores.

Ideo aliter est dicendum, videlicet, quod valeant tam quoad forum Ecclesiæ, quam quantum ad Dei judicium, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, confessionem et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. Ratio autem quare valere possunt, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt quantum ad debitorum suorum mensuram ; multas quoque tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur : quorum meritorum tanta est copia, ut omnem pœnam nunc viventibus debitam excedant, potissime propter meritum Christi, quod quamvis in sacramentis operetur, non tamen in illis includitur, imo sua infinitate efficaciam sacramentorum excedit. Præhabitum autem est, quod *Cf.* p. 540 C'.
unus pro alio satisfacere possit. Sancti vero in quibus superabundantia operum satisfactionis fuit, non fecerunt ea determi-

nate pro istis qui remissione hac indigent (alias absque omni indulgentia remissionem consequerentur), sed communiter pro tota Ecclesia, sicut ait Apostolus se implere ea quæ desunt passionum Christi pro corpore suo, quod est Ecclesia, ad quam scribit. Sicque merita illa sunt communia toti Ecclesiæ. Ea vero quæ communia sunt alicujus multitudinis, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius satisfecisset pro ipso; sic si ei satisfactio alterius distribuatur per eum qui potest.

Coloss. I, 24.

Sed his objici potest, quia potestas non est tradita ministris Ecclesiæ in destructionem; hoc autem ad destructionem pertineret, si satisfactio, quæ ad nostram utilitatem inducta est in quantum præbet remedium, tolleretur : ergo potestas ministrorum Ecclesiæ non extendit se ad hoc. — Dicendum, quod majus remedium contra peccata præbetur ex gratia quam ex nostrorum assuetudine operum. Quumque ex affectu quem accipiens indulgentiam, concipit ad causam pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur; ideo etiam per indulgentiam remedium contra peccata confertur. Hinc non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate donentur. Attamen consulendum est recipientibus eas, ne ab injunctis pœnitentiæ actibus cessent, quatenus etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes : præsertim quia frequenter in pluribus ac gravioribus rei sunt quam credunt.

Deinde quum quæritur, an indulgentiæ tantum valeant sicut pronuntiantur; dicendum, quod de hoc multiplex est opinio. Una, dicentium quod non tantum valent ut prædicantur, sed unicuique tantum valent sicut fides sua atque devotio exigit. Ecclesiam vero sic pronuntiare fatentur, quatenus filios suos hac pia fraude ad benefaciendum alliciat : quemadmodum mater puero pomum ostendit, quatenus ad ambulandum provocet eum. Sed valde pe-

A riculosum videtur hoc dicere : quia (ut ait Augustinus in epistola ad Hieronymum) si in sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur auctoritatis Scripturæ perit. Similiter si in prædicatione Ecclesiæ deprehenditur falsitas aliqua, non essent documenta Ecclesiæ alicujus auctoritatis ad fidem corroborandam. — Alii ergo dixerunt, quod valent quantum pronuntiantur secundum justam æstimationem, non tamen recipientis indulgentias, qui minus forte reputat quod datur; nec

B secundum æstimationem dantis, qui nimis æstimare posset quod dat; sed secundum æstimationem quæ justa est judicio bonorum, pensata conditione personæ, et utilitate ac necessitate Ecclesiæ : quoniam uno tempore Ecclesia indiget magis quam alio. Sed nec ista opinio potest stare, ut videtur : quia secundum hoc indulgentiæ non valerent ad remissionem, sed potius ad quamdam commutationem. Præterea prædicatio Ecclesiæ secundum hoc a mendacio non excusaretur : quum quandoque

C indulgentia prædicetur multo major, quam justa æstimatio possit requirere omnibus prædictis conditionibus consideratis : ut quando dat indulgentiam, quod quicumque vadit ad talem ecclesiam, habet septem annos de indulgentia, cujusmodi indulgentiæ in stationibus Romæ sunt institutæ. — Hinc alii dicunt, quod quantitas remissionis in indulgentiis, non est mensuranda tantum secundum devotionem recipientis, ut prima opinio dixit; neque secundum quantitatem ejus quod datur, ut ait secun-

D da opinio; sed secundum causam pro qua indulgentia datur, ex qua reputatur quis dignus ut talem indulgentiam consequatur. Hinc secundum quod accedit ad causam illam, secundum hoc consequitur indulgentiæ remissionem in toto aut parte. Sed hoc iterum non potest consuetudinem salvare Ecclesiæ, quæ interdum pro eadem causa majorem, interdum minorem indulgentiam ponit : sicut rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur unus annus visitantibus unam ecclesiam, quan-

doque quadraginta dies, prout Papa indulgentiam faciens voluerit facere gratiam. Ideo quantitas remissionis non est mensuranda ex causa quæ facit indulgentia dignum.

Hinc aliter dicendum, quod scilicet quantitas effectus sequitur quantitatem suæ causæ. Causa autem remissionis pœnæ in indulgentiis, non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ sufficienter se habet ad totam pœnam expiandam; non autem causa effectiva remissionis est devotio aut labor aut datum recipientis, aut causa pro qua fit indulgentia. Hinc non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant. Unde secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi istum thesaurum; unio quoque ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur, quod est per caritatem; ac ratio dispensandi, secundum quam salvetur illorum intentio qui meritoria opera peregerunt, et hoc ad laudem Dei ac utilitatem Ecclesiæ in generali. Idcirco quæcumque causa sit quæ in Dei honorem atque Ecclesiæ vergat utilitatem, sufficiens ratio est iudulgentias faciendi. Propterea, secundum alios simpliciter dicendum est, quod indulgentiæ tantum valent sicut pronuntiantur valere, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis caritas, et ex parte causæ pietas, quæ comprehendit Dei honorem et Ecclesiæ utilitatem. Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, ut aliqui objiciunt, nec divinæ derogatur justitiæ : quia nil de peccato dimittitur, sed unius pœna alteri computatur.

Præterea advertendum, quod clavis est duplex, videlicet clavis ordinis, et clavis jurisdictionis. Clavis vero ordinis est quid sacramentale. Quumque sacramentorum effectus non sint determinati ab homine, sed a Deo; idcirco non potest sacerdos per clavem ordinis taxare in foro conscientiæ

A quantum de debita pœna remittat; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Porro clavis jurisdictionis non est quid sacramentale, et ideo ejus effectus arbitrio subjacet hominis; et hujus clavis effectus est remissio quæ est per indulgentias, quum talis remissio non pertineat ad dispensationem sacramentorum, sed communium bonorum Ecclesiæ. Unde legati non sacerdotes, indulgentias facere queunt. Hinc in arbitrio dantis indulgentias, est taxare quantum de pœna per indulgen-

B tiam remittatur. Verumtamen si inordinate dimittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat; nihilo minus homo indulgentiam plenam consequitur.

Et si objiciatur, quod tunc potius expediret pro indulgentiis hinc inde discurrere, et juxta ecclesias commorari in quibus copiosæ seu plenæ indulgentiæ positæ sunt, quam residere in solitudine aut in claustro; respondendum, quod quamvis indulgentiæ multum valeant ad remissio-

C nem pœnæ, attamen alia opera satisfactionis magis sunt meritoria respectu præmii essentialis : quod in infinitum melius est quam dimissio pœnæ temporalis. — Quum vero datur indulgentia indeterminate, ut qui dat auxilium ad fabricam ecclesiæ, intelligendum est de auxilio congruente ei qui dat; et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus aut minus de indulgentia obtinet. Unde pauper dans unum solum denarium, consequitur indulgentiam totam; non autem dives, quem non

D decet ad opus tam pium et fructuosum dare tam parum : quemadmodum rex non diceretur alicui homini auxilium facere, si ei daret tantum obolum unum. — Denique vicini et ministri ecclesiæ eam intrantes, quotidie tantum de indulgentia consequuntur, sicut venientes a mille dietis : quoniam indulgentia non proportionatur labori, sed meritis quæ dispensantur. Nihilo minus qui plus laboraret, plus acquireret de merito. Et hoc intelligendum est, quando indistincte indulgentia

datur. Quandoque enim distinguitur : sic- A
ut Papa in generalibus absolutionibus dat
* quinque illis qui transeunt mare, septem* annos; transeuntibus vero montes, dat tres; aliis, unum; nec tamen quotiescumque quis vadit infra tempus indulgentiæ, toties eam consequitur. Quando autem ad determinatum tempus datur : ut quum dicitur, Quicumque vadit ad talem ecclesiam usque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia; intelligitur semel tantum. Si autem in ecclesia aliqua sit indulgentia perennis,
ut in ecclesia S. Petri, quadraginta dic- B
rum; tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiam ipsam consequitur. — Amplius, causa pro qua indulgentia datur, non requiritur ad hoc quod secundum eam debeat mensurari remissio pœnæ, sed ad hoc quod intentio illorum quorum merita communicantur alicui, ad ipsum valeat pervenire. Bonum autem unius communicatur alteri dupliciter. Primo, per caritatem : et sic etiam sine indulgentiis aliquis est particeps omnium bonorum quæ in Ecclesia
fiunt, exsistendo in caritate. Secundo, per C
intentionem facientis : et ita per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio ejus qui pro utilitate Ecclesiæ operatus est, huic continuari.

Præterea dum quæritur, an pro temporali subsidio possit indulgentia fieri; respondendum, quod temporalia ad spiritualia ordinantur, quoniam temporalibus propter spiritualia uti debemus. Ideo simpliciter pro temporalibus nequit indulgentia fieri, sed pro temporalibus ad spiritualia rela-
tis : ut sunt repressio inimicorum Eccle- D
siæ, constructio ecclesiarum et pontium. Ideo non est ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali. At vero pro pure spiritualibus potest fieri indulgentia : et ita quando oratur pro rége Franciæ, qui orat pro eo habet decem dies indulgentiarum a Papa Innocentio IV. Sicque prædicantibus crucem, quandoque datur eadem indulgentia quæ et accipientibus crucem. — Hæc Thomas.

QUÆSTIO IV

Consequenter quærendum, **Quis possit indulgentias facere.**

Quæritur ergo, an quilibet sacerdos parochialis hoc possit.

Videtur quod sic, quoniam super parochianos suos habet non solum clavem ordinis, sed etiam jurisdictionis, per quam indulgentiæ dantur. — Merita quoque Sanctorum potest per intentionem suis applicare. — Et sicut se habet episcopus ad totam diœcesim, ita ipse ad suam parochiam : ergo sicut episcopus potest indulgentiam facere toti diœcesi, sic ipse suæ parochiæ.

Ad hoc respondet S. Thomas : Dicendum, quod indulgentiæ habent effectum secundum quod merita unius alteri communicantur ac deputantur, non solum ex caritate, sed etiam ex dantis intentione aliquo modo directa ad ipsum. Intentio autem unius dirigi potest ad alterum tripliciter : primo, in speciali; secundo, in generali; tertio, in singulari. In singulari quidem, dum unus satisfacit pro alio determinate : sicque unusquisque potest alteri sua opera communicare. In speciali vero, dum quis orat pro congregatione sua ac familiaribus, atque ad hoc ordinat opera sua satisfactoria : sicque præsidens congregationis potest opera illa alteri communicare, applicando intentionem illorum qui de sua sunt congregatione, ad hunc determinate. Tertio, in generali, ut dum quis ordinat opera sua bona ad bonum totius Ecclesiæ in generali : et sic ille qui præest Ecclesiæ generaliter, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad istum vel illum. — Quumque homo sit pars congregationis, et congregatio pars Ecclesiæ; ideo intentio boni privati includitur in intentione boni congregationis et boni totius Ecclesiæ. Idcirco qui præest Ecclesiæ generaliter, potest communicare

ea quæ sunt congregationis et hujus hominis, sed non convertitur. Imo nec prima communicatio nec secunda vocatur indulgentia, sed solum tertia, propter duo. Primo, nam quamvis homo per illas communicationes solvatur a reatu pœnæ quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ; per tertiam vero communicationem homo etiam a debito isto absolvitur. Secundo, quia in una persona et una congregatione particulari non est indeficientia meritorum, ita ut sibi et omnibus aliis possit valere : hinc ipse non absolvitur a pœna debita pro toto, nisi tantum pro eo determinate fiat quantum ipse debeat. Porro in tota Ecclesia est indeficientia meritorum, præcipue propter meritum Christi : ideo solus ille qui præficitur toti Ecclesiæ, potest plenas et universales indulgentias facere. — Verum quum Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio quoque hominum duplex sit, puta œconomica, ut sunt exsistentes de una familia, et politica, ut qui de uno sunt populo; Ecclesia assimilatur congregationi politicæ, quoniam ipse populus Ecclesia appellatur; diversi vero conventus seu parochiæ in una diœcesi assimilantur congregationibus in diversis familiis vel in diversis officiis. Ideo solus episcopus proprie nominatur prælatus Ecclesiæ : propter quod ipse solus tanquam sponsus, Ecclesiæ annulum recipit. Hinc solus ipse habet plenam potestatem in dispensatione sacramentorum, et jurisdictionem in foro causarum tanquam publica persona; alii vero secundum quod ab eo ipsis committitur. Sacerdotes autem qui plebibus præficiuntur, non sunt prælati simpliciter, sed quasi coadjutores. Propter quod in consecratione sacerdotum episcopus dicit : Quanto fragiliores sumus, tanto plus his auxiliis indigemus. Unde nec omnia sacramenta dispensant. Itaque sacerdotes parochiales et abbates, aliique hujusmodi, non possunt hujusmodi indulgentias facere.

A Quæritur quoque, an diaconus possit indulgentias facere. Videtur quod non, quia parochialis sacerdos non potest hoc : ergo minus diaconus, quum sacerdos sit altior illo in gradu et ordine ecclesiasticæ dignitatis. Et respondendum, quod potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem, quam quia diaconus et quidam alii non sacerdotes habere possunt, patet quod indulgentias facere queant : ut si habeant jurisdictionem commissam, sicut legati, vel ordinariam, ut electi. Quamvis ergo sa- B cerdos sit diacono altior potestate ordinis, non tamen jurisdictionis, ad quam pertinet indulgentias exhibere.

Ad episcopos vero pertinet actus iste. Papa quippe plenitudinem habet pontificalis potestatis, sicut rex in regno. Episcopi vero in partem assumuntur sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus præpositi : propter quod Papa in litteris suis eos solos nominat fratres, alios vero filios vocat. Hinc potestas faciendi indulgentias in solo Papa residet plene, quoniam inest ei C potestas faciendi indulgentias prout vult, exsistente tamen legitima causa. In episcopis vero taxata est ista potestas secundum Papæ ordinationem : ideo possunt indulgentias facere secundum quod determinatum est eis a Papa, non amplius.

Quæritur etiam, an exsistens in peccato mortali indulgentias facere queat. Dicendum quod imo, quoniam per mortale peccatum jurisdictionem non perdit, ad quam indulgentias dare spectat. Tantum quoque valent datæ a tali sicut a sancto, quia non D dantur in virtute et meritis ejus, sed meritis reconditis in thesauris Ecclesiæ.

Jam quæritur, quibus prosint : primo an his qui sunt in peccato mortali. Ad quod aliqui dicunt, quod quamvis ipsis non prosint ad dimissionem pœnæ, quæ nulli dimittitur nisi cui remittitur prius culpa, prodest tamen ipsis ad gratiam impetrandam seu promerendam. Quod non videtur. Nam quamvis illa merita quæ per indulgentiam communicantur, possint valere ad gratiam promerendam, non tamen

propter hoc dispensantur in actu isto, sed determinate ad pœnæ remissionem : idcirco non valent exsistentibus in mortali. Hinc in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis. Si autem fieret communicatio per hunc modum, Facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel congregationis unius, aut certæ personæ; sic possent valere ad merendum aliquid ei qui est in peccato mortali.

Denique non solum sæcularibus, sed et religiosis indulgentiæ valent, si in caritate consistant, et servent servanda. Verumtamen, propter indulgentias non debet dissolvi observantia regularis : quia religiosi multo plus promerentur de præmio essentiali in claustro manendo, et regulariter conversando, quam indulgentias exquirendo. Nec per indulgentias dimittuntur pœnæ quæ in capitulo imponuntur, quoniam in capitulo agitur quasi forum judiciale magis quam pœnitentiale : propter quod etiam non sacerdotes tenent capitulum. — Denique qui indulgentias facit, non potest sibi ipsi tantum facere eas; attamen uti potest ea quam aliis facit, sicut et sibi ipsi impendit Eucharistiam, quam porrigit aliis. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus : Indulgentiæ, inquiens, valent in foro Dei et in foro Ecclesiæ. In Ecclesia namque thesaurus est meritorum tam totius Ecclesiæ quam etiam Christi : de quo thesauro prælatus Ecclesiæ habens claves, potest pro necessitatibus Ecclesiæ sumere ac dispensare. Quatuor tamen requiruntur ad hoc quod indulgentiæ valeant : duo ex parte dantis, et duo ex parte recipientis. Ex parte dantis : unum spectans ad clavem scientiæ, id est rationabilis causa, utpote utilitas Ecclesiæ; alterum pertinens ad clavem potentiæ, puta auctoritas. Ex parte quoque suscipientis, duo : unum pertinens ad remotionem causæ prohibentis, quod est contritio; alterum ad collationem causæ disponentis, puta devotio fidei, cum effectu in forma indulgentiæ determinato. — Denique solus Papa quum habeat plenitudinem potestatis, et præsit toti Ecclesiæ, atque totius Ecclesiæ præsul sit, plenas indulgentias potest dare ubique.

Concordando etiam prætactas opiniones de valore indulgentiæ, dicendum videtur, quod indulgentiæ valeant ad meritum remissionis pœnæ, non ad meritum vitæ æternæ, nisi ex consequenti. Remittere vero pœnam totam aut partem homini ad remissionem bene disposito, potest prælatus de thesauro Ecclesiæ. Unde puto, quod tantum valent indulgentiæ de se, quantum sonant. Valent enim quadraginta dies indulgentiæ cuilibet habenti, tantum quantum valent eidem totidem dies pœnitentiæ; et annus indulgentiæ, tantum ut annus pœnitentiæ factæ secundum determinationem seu taxationem factam sive a sacerdote, sive a jure, sive a divina justitia. Anni quoque isti non sunt anni cœli aut purgatorii, sed mundi : quia in mundo est distinctio ista dierum, non in cœlo aut purgatorio. Quumque actus activorum sint in patiente disposito, non valent indulgentiæ istæ æqualiter omnibus, sed secundum quod magis aut minus disponuntur, per meritum remissionis pœnæ. Unde sicut quadraginta dies pœnitentiæ canonicæ plus valent uni perficienti eam cum majori fervore atque labore, quam alteri qui cum minori; sic quadraginta dies indulgentiæ plus valent se ad eam magis disponenti, utpote cum majori fervore, labore, afflictione aut muneris quantitate. — Hæc Petrus. Qui in his parum a responsione Thomæ videtur recedere, dicens : quod indulgentiæ valent omnibus quantum videntur sonare in genere; attamen ceteris paribus, plus valent venienti a remoto, quia plus laboravit, per quod magis dispositus est. *Cf.* p. 553 in fine.

Quæritur item, an indulgentiæ valent exsistentibus in purgatorio. Respondendum : Aliter impenditur alicui suffragium, aliter indulgentia : suffragium enim per caritatem, indulgentia per auctoritatem. Quumque Ecclesia cum exsistentibus in purgatorio habeat communem carita-

tem, nec super exsistentes ibidem habeat A auctoritatem, potest illis communicare suffragia sua et bona sua; non autem potest illis indulgentias facere, nisi per modum suffragii. Idcirco non facit illis indulgentias directe, quia non sunt de foro suo, nec illi possunt facere ea pro quibus indulgentia datur; sed indirecte, videlicet per suffragium ministeriumqne viventium. Proprie quoque loquendo, Ecclesia non solvit illos a pœna, sed quasi pro eis de communi thesauro Ecclesiæ solvit : quemadmodum debitorem aliter liberat B creditor, eum a debito absolvendo; aliter amicus debitoris, solvendo pro eo. Hanc autem solutionem facere nequit nisi prælatus Ecclesiæ, qui solus habet thesaurum de quo fieri debet solutio. Vivos vero qui sunt de foro suo, absolvit utroque modo. Hæc Petrus.

Insuper Richardus : Mihi (ait) videtur, quod quantum ad remissionem extensionis seu durationis pœnæ, pares sunt ille qui minus dedit, et qui plus donavit, si hoc in forma indulgentiæ coutinetur; sed C quantum ad remissionem intensionis seu acerbitatis aut vehementiæ pœnæ, et quantum ad dispositionem proficiendi in gratia, impares sunt, quia de his duobus plus consequitur qui plus dedit, aut remotius venit seu intensius laboravit pro indulgentia consequenda, et hoc ceteris paribus. — Hæc Richardus. Quæ consonant Petro.

Item Richardus respondendo ad id, an indulgentiæ prosint exsistentibus in purgatorio, Petro concordat, dicendo, quod non prosunt illis nisi per modum suffragii D ac indirecte, in quantum exsistentes in hac vita agunt pro illis quod agitur pro indulgentiis obtinendis. — Denique illi soli possunt indulgentias facere, quibus dispensatio thesauri Ecclesiæ est commissa, et secundum mensuram suæ commissionis. Quumque vicario Christi commissa sit plenitudo potestatis, dare potest indulgentias per totam Ecclesiam militantem, et tantas quantas voluerit, dum tamen adsit rationabilis causa. Alii autem tantum habent de hac potestate, quantum ipsis a Christi vicario est concessum. Ipse autem per jus commune hoc non concessit, nisi episcopis et electis in episcopos et suis legatis. Ideo nulli alii indulgentias facere possunt, nisi ex speciali commissione. Nec possunt legati indulgentias dare, nisi in suæ legationis provincia; nec episeopi, nisi in sua diœcesi. Archiepiscopi autem hoc possunt in suorum episcopatibus suffraganeorum. Hæc Richardus.

Albertus demum hic scribit : Tres opiniones fuerunt antiquitus circa indulgentias. Una, prætactis persuasionibus mota, *Cf.* p. 549 B. dixit eas nihil valere, et esse piam fraudem *Cf.* p. 552 D. qua mater decipiendo pueros suos, provocat eos ad bonum. Isti ad ludum puerorum trahunt factum Ecclesiæ, et hoc puto hæresim sapere. Hinc alii plus quam oportet illi errori contradicentes, dixerunt, quod indulgentiæ simpliciter tantum valent sicut pronuntiantur. Et isti nimis bonum forum dant de misericordia Dei. Ideo tertiæ positioni puto consentiendum, quæ tenet mediam viam, dicendo indulgentias tantum valere quantum eas valere Ecclesia prædicat, ita quod valent concurrentibus conditionibus supra tactis, juxta justam *Cf.* p. 556 D. æstimationem solutionis ejus pro quo indulgentia datur. Justam vero æstimationem voco, censuram boni viri ac necessitatem Ecclesiæ. Hæc Albertus.

Qui etiam scribit hic, quod indulgentiæ etiam valent exsistentibus in peccato mortali. Quod quamvis videatur præinductis p. 555 D'. valde contrarium, tamen secundum intentionem Alberti faciliter coucordatur cum illis : quia vult dicere, quod exsistentibus in culpa mortali prosunt dispositive, sicut et unus dicitur alteri gratiam promereri. — Insuper asserit, quod exsistentibus in purgatorio indulgentiæ prosint. Quod verificari potest juxta modum et sensum p. 556 D'. præhabitum. — Id quoque quod de Trajano narratur et de S. Gregorio, dicit esse apocryphum, et reputat fabulam. Quod non est apte prolatum, quouiam iu Legeuda S. Gregorii, satis fide digna, id continetur;

et Damascenus libro quarto fatetur, quod A oriens et occidens testis sit veritatis illius. Unde et Albertus post verba prætacta subjungit, qualiter factum illud possit defendi, dicendo, quod Trajanus finalem sententiam nondum acceperat.

Amplius Bonaventura circa hæc scribit diffuse : Summus (inquiens) Pontifex, qui est totius universalis Ecclesiæ sponsus et rector, thesaurum Ecclesiæ sibi habet commissum, et eum dispensandum accepit. De valore autem indulgentiarum diversæ sunt opiniones. Sed dicendum videtur, quod B quantitas indulgentiæ respectu pœnæ attenditur, secundum quod habet rationem pretii vel debiti solvendi, non ratione antidoti vel purgationis scoriæ peccati, quam necesse est amoveri per propriam pœnam, ut per contritionem aut alicujus pœnæ perpessionem. Hæc autem quantitas mensuratur secundum rectum judicium summi Pontificis, seu ejus qui indulgentias facit. Qui vero indulgentias tribuit, dum eas concedit, considerat causam pro qua reputat quempiam tanta gratia dignum; et C secundum quod magis aut minus accedunt homines ad causam illam, secundum hoc accipiunt magis aut minus de indulgentiis. Verbi gratia, stationes ordinatæ sunt Romæ, ubi sunt indulgentiæ determinatæ. Hoc sancti Patres instituerunt propter peregrinos qui venerunt de locis remotis; nec habitantem prope talem ecclesiam existimaverunt dignum esse gratia tanta, ut illum qui laboriose de longe venit : unde nec tantam recipit indulgentiam, sed aliquantam. Concedo ergo, quod indulgen- D tiæ quantum est ex parte dantis, tantum valent quantum promittunt. Concedo nihilo minus, quod non valent cuilibet tantum, nec æqualiter omnibus; sed secundum æstimationem ejus, quam habuit vel habere debuit qui indulgentias facit : quam non oportet exprimere, quoniam omnes fideles debent hoc in suo præsupponere corde, quod dona et remissiones Spiritus Sancti fiunt cum æquo libramine. Nec hoc debet ab his quemquam retrahere, quia semper plus valent exsistenti in caritate, quam obsequium, munus seu aliud pro quo indulgentia datur. Justam quoque æstimationem aliqui dicunt, dum homo tantam eleemosynam facit pro Ecclesiæ sublevatione, quantum vellet dare ad hoc quod tertia pars pœnitentiæ suæ redimeretur, seu quantum deberet velle pro hoc dare. Sed si hoc verum esset, nulla esset in mundo relaxatio, sed commutatio solum. Hæc Bonaventura.

Postremo Antisiodorensis super his loquitur : Dicunt quidam, quod relaxationes non tantum valent quantum promittit Ecclesia. Quibus objicitur : Si Ecclesia decipit fideles, aut facit hoc dicendo verum, aut dicendo falsum : non dicendo verum, quoniam veritas neminem fallit : ergo dicendo falsum, et ita erraret ac mentiretur, sicque Ecclesia universalis peccaret : quod absurdum est dicere. Itaque dico, quod ad hoc quod hujusmodi indulgentia valeat quantum promittit Ecclesia, sex exiguntur. Primum est auctoritas absolvendi in confessore. Secundum est necessitas loci et illius cui fit relaxatio, ut quando ex capitis debilitatione aut simili causa jejunare non valet. Tertium est devotio fidei, ut is cui fit indulgentia, credat Ecclesiam habere hujusmodi potestatem. Quartum est, ut sit in caritate. Quintum est discretio, ut discernat in se quantum vellet dare pro hoc quod esset absolutus a pœnitentia tanta. Sextum est justa æstimatio, quatenus secundum quod ei dimittitur, recompenset. Verumtamen Ecclesia ista non exprimit, quia si exprimerentur, non essent fideles tam proni ad ea pro quibus indulgentia datur. Potest ergo concedi, quod hoc verbum, decipit, non dicit deformitatem, quum dicitur, Ecclesia decipit fideles; nec mentitur. — Et dum quæritur, an decipit dicendo verum vel falsum; dico, quod dicendo verum, sed non in dicendo verum, seu quia dicit verum, sed quia non exprimit illa sex. Quumque objicitur quod dictum est Petro, Quæcumque solveris super terram, etc.; *Matth.* XVI, 19.

dicendum, quod intelligendum est juste, utpote concurrentibus sex illis conditionibus. Non sunt etiam paris conditionis pauper et dives in promerendo indulgentias. — Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto. Ubi multa scribit de his, quæ consultius subticentur quam conscribantur : quia in his a communi recedit doctrina, ut patet ex introductis. Positio demum S. Thomæ ac Guillelmi Parisiensis videtur una et concors, ac magis consona formæ concessionis indulgentiarum emanantis ab apostolica Sede. Positio autem Alberti ac Bonaventuræ rationi et æquitati consonantior æstimatur. Et quæcumque earum sit verior, expedit indulgentias promereri.

Præterea occurrunt memoriæ, quæ super his scribit Henricus, qui ultimo lo-
q. 14. quitur Quodlibeto : Oportet ante omnia hic videre descriptionem indulgentiæ, quatenus ex membrorum ejus declaratione pateat veritas horum. Est ergo indulgentia remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis actualibus pœnitentium (pœnæ, inquam, temporalis non remissæ in absolutione sacramentali), facta a prælato Ecclesiæ rationabiliter et ex rationabili causa, per recompensationem, de indebita pœna justorum. In hac descriptione ponitur remissio pro genere, et reliqua membra sunt loco differentiæ. Hæc namque indulgentia non est nisi remissio pœnæ quæ debetur culpæ, non ipsa culpæ remissio. Dico quoque, Peccatis actualibus, ad differentiam peccati originalis. Similiter dico, Pœnæ temporalis, ad differentiam pœnæ æternalis, quæ debetur peccato mortali. In absolutione quippe sacramentali aboletur seu remittitur peccati macula, et commutatur pœna æterna in temporalem; atque illius temporalis pœnæ pars per absolutionem sacramentalem remittitur, imo et pars pœnæ illius remittitur propter contritionem, vel etiam tota, si sit contritio tanta; et si non tota, tunc absolutus manet debitor residuæ pœnæ : cujus quantitas tam quoad acerbitatem, quam quoad durationem, apud Deum

A definita et determinata consistit. Et hanc pœnitens solvere tenetur uno trium modorum, puta : redemptione, luitione aut indulgentiali remissione. Redemptione, id est eleemosynarum largitione, juxta illud Danielis : Peccata tua eleemosynis redime. *Dan.* IV, 24.
Luitione, id est, pœnas illas in persona propria sustinendo, secundum illud Job : Luet quæ fecit omnia. Hæc autem luitio *Job* XX, 18.
dupliciter fit, secundum duplex forum : unum est pœnitentis, qui in præsenti affligit se pro suis peccatis, vel sponte juxta B proprium conceptum, vel juxta injunctionem a confessore præfixam ; aliud est Dei in purgatorio.

De tertio modo est quæstio ista, et quæritur, an prælatus Ecclesiæ possit indulgentias facere ad suæ libitum voluntatis, quando voluerit, quibus voluerit, et quantum voluerit. Quocirca sciendum, quod donatio, redditio, dispensatio, differunt : quia donatio respicit solum voluntarium in donante, qualitercumque fuerit accipiens; redditio vero respicit debitum in dante, C et meritum in accipiente; dispensatio autem respicit voluntarium in dispensante, et dignum in eo cui dispensatur. Quumque donatio respiciat solum voluntarium in donante, qualiscumque fuerit accipiens; propterea solum ille qui habet plenam et liberam potestatem super rem conferendam, potest eam donare, id est dare absque culpa sua et omni aliorum injuria, quibuscumque indifferenter, dignis et indignis, per modum quo Deus solem facit *Matth.* V, 45.
oriri super bonos et malos. Quum ergo D talem potestatem Christus non dederit prælatis, constat quod ad libitum suum nequeant dare bona Ecclesiæ spiritualia aut corporalia sine culpa. Quumque redditio respiciat debitum in dante, et meritum in recipiente; dicunt quidam, quod indulgentiarum concessio sit debiti redditio, quia non dantur nisi pro aliquo pio opere exercendo; et quod indulgentiæ non tantum valent ut sonant, nisi habito respectu ad meritum operis, secundum æstimationem rectam seu discretum judi-

[A] cium viri boni, ita quod soli illi plenas indulgentias consequuntur qui tanta fide, devotione et operis exhibitione ad indulgentias promerendas se exhibent, quanti pretii seu valoris sunt indulgentiæ ipsæ; aliis vero prosunt magis vel minus, secundum quod plus vel minus accedunt ad hoc; quod item Ecclesia quadam pia fraude prædicat illas plus valere quam valeant multis, ut sic illos alliciat ad aliquid de indulgentiis promerendum. Sed hoc ultimum verbum, puta Ecclesiam uti [B] quocumque mendacio, perniciosum est valde, sicut perniciosum esset hoc dicere de sacra Scriptura. Non enim minor est auctoritas Ecclesiæ in agibilibus quam Scripturæ in credibilibus. Ideo dicendum est de auctoritate Ecclesiæ, quod Augustinus ait de auctoritate Scripturæ in epistola ad Hieronymum prima : Admisso semel in tantæ auctoritatis fastigio aliquo officioso mendacio, nulla illorum librorum manebit particula quæ non ubicumque videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis. [C]

Denique, quamvis indulgentiæ non valerent nisi habito respectu ad meritum ac devotionem personæ, seu juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, prout vir bonus secundum rectam regulam justitiæ judicare deberet; non tamen verum est dicere, prælatos Ecclesiæ non habere ampliorem potestatem super indulgentiis conferendis, ut non valeant nisi habito dicto respectu, ita ut nequeant plus valere quam requirunt meritum atque devotio mentis, nec aliter [D] tantum valere quantum sonant, nec universaliter valeant plus concedere in indulgentiis, quam Ecclesia esset in servitiis receptura. Quia si ita esset, indulgentiæ non darentur nisi ex debito, secundum æqualitatem justitiæ commutativæ, et non secundum aliquam gratiam : sicque indulgentia indulgentiæ nomen amitteret, quia perciperetur ex debito puro, et nequaquam ex gratia, juxta illud Apostoli : Ei *Rom.* IV, 4, 5. autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei vero qui non operatur, merces reputatur secundum propositum gratiæ Dei. Nomen namque indulgentiæ gratiam implicat, et ex hoc solum indulgentia nuncupatur, quod de gratia datur. Sic quoque prælati diversis personis non possent easdem indulgentias facere per inæqualia opera atque subsidia : quod falsum est, quum frequenter plena remissio detur non solum pergenti in subsidium Terræ sanctæ, sed etiam unam personam illuc mittenti, aut pro viribus contribuenti.

Hinc dico, quod concessio indulgentiarum mensuranda non est ex voluntate conferentis eas, ut tantum valeant quantum velit : hoc enim est contra rationem. Nec mensuranda est ex conditione personæ cui confertur, neque ex aliquibus circa ipsam, quæ debitum inducant ad conferendum illas, quasi reddat personam dignam sive condignam ad ipsas. Propterea dico, quod nec donatione, nec redditione, sed dispensatione præstantur, quæ mediam tenet viam. Unde, quoniam dispensatio respicit voluntatem in dispensante, et meritum seu dignum congruitatis in eo cui fit dispensatio (aliter non dispensatio, sed dissipatio esset); ideo in descriptione dicitur, Rationabiliter facta. Hinc quoque indulgentiæ non sunt conferendæ, nisi sit urgens necessitas, evidensve utilitas, sicut nec aliter dispensatio fieri debet. — Hæc Henricus, qui de his scribit diffuse ac eleganter, et videtur positioni Alberti ac Bonaventuræ plus concordare, cum quibus et ait opus indulgentiarum meritorium etiam esse augmenti gratiæ in præsenti, ac gloriæ in futuro, sicut et cetera opera quæ fiunt ex caritate.

DISTINCTIO XXI

A. *De peccatis quæ post vitam dimittuntur.*

SOLET etiam quæri, utrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur. Quod aliqua post hanc vitam remittantur, Christus ostendit in Evangelio, ubi ait : Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Ex quo datur intelligi, sicut sancti Doctores tradunt, quod quædam peccata in futuro dimittentur. Quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam vero parvæ etiam in futuro; quæ quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt ut dimittantur eis. De illis etiam qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, dicit Augustinus, quod ignem tribulationis transitoriæ invenient, cremabilia ædificia quæ secum portaverunt homines, cremantem. Ait enim sic : Post istius sane corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis et remunerationis, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum qui ædificaverunt lignum, fœnum, stipulam, hujusmodi ignem dicantur perpeti, quem alii non sentiunt qui hujusmodi ædificia non portaverunt, ut inveniant ignem transitoriæ tribulationis venialia concremantem; non redarguo, quia forsitan verum est. Sed quia dicitur, Salvus erit quasi per ignem, contemnitur ille ignis. Gravior tamen erit ignis ille quam quidquid potest homo pati in hac vita. — Hic aperte insinuatur, quod illi qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, quædam cremabilia ædificia, id est venialia peccata, secum portant, quæ in igne emendatorio cremantur. Unde constat, quædam venialia peccata post hanc vitam deleri.

Matth. XII, 32. Decret. p. I, dist. 25, c. 4. I *Cor.* III, 12. Aug. de Civit. Dei, lib. XXI, c. 26, n. 4. Id. in ps. 37, n. 3. I *Cor.* III, 15.

B. *Quod alii citius, alii tardius purgantur in igne.*

In illo autem igne purgatorio alii tardius, alii citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis vel minus amaverunt. Unde Augustinus : Post hanc vitam incredibile non est nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari. Unde non frustra illa tria distinxit Apostolus, lignum, fœnum, stipulam, quæ illi ædificant qui etsi aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhærent : qui secundum suos amandi modos, vel diutius, ut lignum, vel minus, ut fœnum, vel minimum, ut stipula, ignem sustinebunt. Qui vero superædificant aurum, argentum et lapidem pretiosum, de utroque igne securi sunt : non solum de illo æterno, qui cruciaturus est impios in æternum, sed etiam de illo emendatorio, quo purgabuntur quidam salvandi.

Aug. Enchirid. c. 69. P. Lombard. in I Cor. III, 12. Id. in I Cor. III, 13.

C. *Oppositio.*

Hic objici potest : si per lignum, fœnum, stipulam, venialia intelliguntur peccata; et nullus adeo perfectus est qui venialiter non peccet : ergo qui ædificant aurum, argentum et lapidem pretiosum, ædificant etiam lignum, fœnum, stipulam : ergo per ignem transibunt. Ad quod dicimus, quia non omnis qui venialiter peccat, lignum, fœnum, stipulam ædificat : sicut econverso, non omnis qui contemplatur Deum et diligit proximum et opera bona facit, ædificat aurum, argentum, lapidem pretiosum; et tamen in auro intelligitur contemplatio Dei, in argento dilectio proximi, in lapide pretioso bona opera. Sed illi qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, Deum contemplantur et proximum diligunt et opera bona faciunt, nec tamen ædificant aurum et argentum et lapidem pretiosum. Hæc enim ædificat qui sic illa tria facit, ut cogitet quæ sunt Dei, et quomodo placeat Deo, non mundo. Lignum vero et fœnum et stipula accipi possunt sæcularium rerum, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Hæc ergo ædificat is qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo, qui circa divitias suas quodam carnali affectu tenetur, et tamen ex eis multas eleemosynas facit, nec pro eis aliquid fraudis vel rapinæ molitur. — Ex his ergo patet, quod non idem homo simul hæc et illa ædificat. Illa enim ædificatio perfectorum tantum est, qui non cogitant placere mundo, sed tantum Deo : qui etsi venialiter aliquando peccant, fervore caritatis ita absumitur in eis peccatum sicut gutta aquæ in camino ignis, et ideo nunquam secum portant cremabilia. Hæc autem inferior ædificatio minorum est, qui non tantum Deo, sed etiam mundo placere cogitant, Deum tamen præponunt. Si vero mundum præponerent, non superædificarent, sed destruerent fundamentum. Affectiones ergo carnales quibus dediti sunt domibus, conjugibus, possessionibus, ita ut nihil præponant Christo, illis tribus significantur : quæ in mentes perfectorum non cadunt, etsi alia venialia admittant. In cordibus vero minorum interdum durant usque in finem, qui cum talibus ædificiis transeunt, sed dissolvuntur in igne; ipsi vero merito fundamenti salvi erunt, gravissimam tamen pœnam sentient. Ex quo apparet, quantam hic misericordiam exhibet Deus, et quantam ibi exerceat severitatem, quum pro eodem peccato multo gravius ibi puniat quam hic.

P. Lombard. in I Cor. III, 12. — I Cor. VII, 32. — Ibid. 33.

D. *Opinio quorumdam cum objectione.*

Sed forte dices, illud esse accipiendum de pœna peccati, non de ipso peccato, quod Gregorius dicit, quædam levia in futuro dimittenda. Si enim veram pœnitentiam habuerit quis, peccata omnia dimissa sunt ei, sed pœna forte remansit. Ideoque si vere pœnitens obiit, sine peccato transit; si autem vere pœnitens non est in obitu, maculam portat quæ nunquam delebitur. Qui vero ædificat lignum, fœnum, stipulam, vere pœnitet, quia bonus est, et caritatem habet, et in caritate de hac vita

Gregor. Dialog. lib. IV, c. 39.

transit : ergo sine peccato transit. Non sequitur. Verum quidem est, quia bonus est et caritatem habet, et vere pœnitet; et tamen cum veniali peccato transit, quod non delevit pœnitentia. Pœnitentia enim non delet nisi peccatum illud quod deserit homo. Tale autem peccatum sæpe in hac vita non relinquitur ab homine; et tamen vere pœnitens est, etsi non de omnibus venialibus pœniteat. Potest enim quis de omni mortali et de omni veniali pœnitere, excepto uno, vel pluribus, venialibus quidem : sicut habet quis caritatem et unum vel plura venialia; quod de criminalibus nullatenus esse potest. Est enim aliquis bonus caritatem habens, sed adhuc quodam cupiditatis affectu amans hæc sæcularia; talis exsistens, subita morte opprimitur. In illo terreno affectu mortuus est, et tamen salvabitur, a quo non se hic absolvit : ergo post hanc vitam ab illo purgabitur. Constat ergo quædam peccata, sed levia, post hanc vitam dimitti. Si vero de pœna peccati illud intelligi voluissent auctores, cur magis commemorassent levia quam gravia, quum etiam gravium pœna hic inexpleta post hanc vitam restet?

E. *De generali confessione, quid prosit.*

Post hæc considerandum est, quid prosit confessio illa ubi singula peccata quæ quisque fecit, non exprimuntur. Sane dici potest, quod omnia criminalia semel saltem oportet in confessione exprimi, nisi aliqua a mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confitere quorum memoriam non habes; et sic nihil celasti de sceleribus tuis. Venialia vero, quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata : perfectius est tamen etiam illa exprimere, si vales. Ideoque quotidie generaliter fit confessio in Ecclesia, pro venialibus scilicet peccatis, quæ quotidie admittimus, et pro illis mortiferis quorum notitiam non habemus. Unde Augustinus : Veritatem dicit Deo pœnitens, quando nihil illi de commissis sceleribus celat : non quod etsi voluntate celaverit, Deus ignoret, sed veritatem sibi dici vult ab eo, ut veniam consequatur. Si vero mente aliqua exciderint, confitetur veritatem Deo quum generaliter dixerit : Deus qui nosti occulta cordis, et opera mea et delicta a te non sunt abscondita, quibus veniam largiaris precor. Et hæc est veritas confitentis quam diligit Deus. Unde : Ecce enim veritatem dilexisti. — Hic insinuatur, quod generalis confessio etiam mortalia delet quorum intelligentia non habetur.

Aug. Hypognost. lib. v, n. 1.

Ps. LXVIII, 6.

Ps. L, 8.

F. *Nemo confiteatur peccata quæ non fecit.*

Sicut autem pœnitens celare non debet peccatum suum, quia superbia est; ita nec humilitatis causa fateri se reum illius quod se non commisisse noscit, quia incauta est talis humilitas et peccatorem constituit. Unde Augustinus : Quum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras. Veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam

Aug. Sermo 181, n. 5.

esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est veritas ubi regnat falsitas ?

G. *De pœnis sacerdotis qui peccatum publicat confitentis.*

Caveat autem sacerdos ne peccata confitentium aliis prodat : alioqui deponatur. De Pœnit. dist. VI, c. 2. Unde Gregorius : Sacerdos ante omnia caveat ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. — *Cf.* dist. XVII E, p. 445. Quod vero dictum est, ut pœnitens eligat sacerdotem scientem ligare et solvere; videtur contrarium ei quod in canonibus reperitur, ut nemo scilicet alterius parochianum judicare præsumat. Sed aliud est favore vel odio proprium sacerdotem contemnere, quod canones prohibent; aliud cæcum vitare, quod Urbanus facere monet : *Matth.* XV, 14. ne si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant. Ait enim Urbanus II : De Pœnit. dist. VI, c. 3. Placuit ut nulli sacerdotum deinceps liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam recipere, sine ejus consensu cui se prius commisit, nisi pro ignorantia illius cui prius confessus est. Qui vero contra hoc facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ PRIMÆ

HIC movet Magister circa præhabita dubia quædam. Nempe in præcedente *Cf.* dist. XX A. distinctione testatus est, tempus pœnitentiæ durare usque ad mortem : ex quo sequi videtur, post hanc vitam non esse pœnitentiæ locum aut spatium. Ideo quærit, an aliqua saltem leviora peccata post hanc vitam dimittantur quantum ad culpam. Et circa hoc primo probat, quod aliqua peccata dimittantur post vitam præsentem, et qualiter quædam dimittuntur quantum ad reatum seu debitæ pœnæ persolutionem, quædam vero etiam quantum ad culpam ipsam, ut venialia quædam. Consequenter tangit, qualiter in purgatorio diversi diversimode crucientur. Et circa hoc elucidat et exponit quædam obscura Apostoli verba, qualiter super fun- I *Cor.* III, 12. damentum fidei ædificant quidam lignum, fœnum, stipulam; alii aurum, argentum A et lapides pretiosos. Post hæc tangit opinionem dicentium, nulla peccata post hanc vitam dimitti nisi quantum ad pœnam, et probat oppositum. Insuper, circa præinducta inquirit, utrum oporteat in confessione omnia peccata mortalia pariter confiteri. Et respondet quod imo, quantum possibile est, et prout occurrunt memoriæ. Quocirca occurrit de generali confessione et ejus valore, de sigillo quoque confessionis diligentissime custodiendo. — Circa distinctionem hanc quidam produ- B cunt quæstiones de purgatorii pœnis, quæ jam circa præhabitam distinctionem sunt expeditæ.

QUÆSTIO PRIMA

NUnc ergo quærendum, **An post vitam hanc aliqua dimittantur peccata.**

Et possunt circa utramque partem ar- C gumenta induci, quæ tanguntur in littera.

Et includit hæc quæstio ea quæ in textu dicuntur de superædificantibus lignum, fœnum et stipulam, atque de his qui superædificant aurum, argentum et gemmas. Argumenta etiam quæ circa hæc fiunt, ex responsionibus ad quæsita faciliter possunt solvi.

Itaque Bonaventura circa hæc scribit, ultra ea quæ in quæstionibus præcedentis *Cf. p. 547 D'.* distinctionis ex eo sunt introducta : Sancti dicentes peccata post hanc vitam non dimitti, intelligunt hoc de peccatis mortalibus, quæ tamen post præsentem vitam expiantur ac dimittuntur quantum ad pœnam quam meruerunt. Idcirco salvari non potest quod aliqui dicunt, peccata venialia post hanc vitam non dimitti quoad culpam sed tantum quantum ad pœnam, quum hoc quoque mortalibus competat. *Cf. p. 431 A'.* Insuper quærit hic, an venialia queant *Cf. p. 432 B.* sine gratia tolli ac dimitti, et utrum in habentibus gratiam valeant sine contritione auferri : ad quæ jam ante responsum est. Communior (inquit) opinio est, quod nec in præsenti, nec in inferno venialia dimittantur sine gratia, hoc est, nisi is in quo sunt, sit in caritate et gratia : quoniam veniale eo ipso quod aliquo modo peccatum est, macula quædam est et animam fœdat, et Deo quodammodo displicet; idcirco ab ea non purgatur sine nitore ornamentoque gratiæ, quæ mentem inde expurget ac ornet, et Deo faciat complacentem. Et ista positio protestatur venialia in inferno sine fine puniri, eo quod mortalibus, quæ nunquam dimittuntur, adjuncta sint; et propter statum miseriæ infernalis, in qua nulla creditur esse redemptio, nulla minoratio pœnæ. — Alii oppositum sentiunt, affirmantes venialia sine gratia gratum faciente posse deleri per gratiam gratis datam : quia caritati et gratiæ gratum facienti non contrariantur, imo simul insunt eidem. Isti quoque fatentur venialia non perpetue in inferno puniri, sed temporaliter solum, sicut tangetur.

Amplius, quidam opinati sunt venialia

A peccata, quum sint aliquo modo voluntaria, sine contritione saltem in generali non auferri, imo hoc pertinere ad contemptum, de ipsis nullatenus pœnitere : ideoque talem, si ita decedat, damnari. Aliorum opinio est, quod sine contritione de ipsis, deleantur per diversa remedia contra ea collata, de quibus dictum est supra. Multi- *Cf. p. 432 D'.* pliciter tamen expedit contritionem habere de ipsis, sicut de his dictum est plenius *Cf. p. 428 A, etc.* supra.

Præterea verba Apostoli de ligno, fœno *I Cor. III, 12.*
B et stipula, multipliciter exponuntur. Una tamen expositio propria est, litteralis ac principalis, quæ habetur in littera, in qua per tria illa intelliguntur peccata venialia majora, minora et minima, quæ in purgatorio puniuntur igne, et quasi cremantur durius atque prolixius, seu levius ac celerius juxta mensuram suæ culpabilitatis. Rursus, per lignum, fœnum, stipulam, intelliguntur opera meritoria, quibus veniales culpæ admixtæ sunt secundum gradum triformem prætactum. Per superædificati-
C onem vero auri intelligitur contemplatio seu dilectio Dei; per superædificationem argenti, dilectio proximi; per superædificationem lapidum pretiosorum, exsecutio actuum aliorum virtuosorum : ita quod istis tribus non admiscentur venialia illa triplicia, per inhærentiam et frequentiam notabiliter diuturnam. Nam quamvis venialiter peccent, tamen fervore caritatis, spirituali profectu, assidua occupatione in divinis, frequenti elevatione ad Deum, quotidiana confessione, jugi compunctione et
D aliis exercitiis sanctis orationum, meditationum, divinarumque laudum, mox delent, consumunt, et pro viribus vitant illa. Spiritualiter vero et per adaptationem aliquam possunt hæc aliis modis variis intelligi. Sicque super illud Isaiæ, Væ qui *Is. v, 8.* conjungitis domum ad domum, ait Hieronymus : Hæretici dogmata dogmatibus jungunt; et qui supra fundamentum fidei debuerunt ædificare aurum, argentum et lapides pretiosos, econtra ædificant lignum, fœnum, stipulam. In quibus per hæc tria

designantur peccata mortalia, inter quæ enormitatis est gradus. — Hæc Bonaventura hic et aliis locis.

Circa hæc asserit Thomas : Venialia caritati conjuncta possunt per aliquam pœnam consumi. Ideo apte per metaphoram significantur nominibus rerum quæ igne consumuntur. Quumque peccatum quo gravius, tanto gravius difficiliusque purgatur, ideo diversus venialium gradus per hæc tria exprimitur, etc., ut supra. — Venialia super fundamentum dicuntur ædificari, non quasi ex ipso stabilitatem habentia. Dicitur enim aliquid super fundamentum poni tripliciter. Primo, situ directo, quod super fundamentum firmatur : sicque sola opera bona fidei formatæ, quæ dicitur fundamentum, super ipsam ædificantur. Secundo dicitur esse super rem, quod est juxta eam, juxta illud, Super flumina Babylonis (*Ps.* cxxxvi, 1.) : sicque venialia superædificantur, quia fundamentum non destruunt, sed simul cum eo stant. Tertio dicitur esse super, quod est post, juxta illud Ezechielis, Super terminum Aser (*Ezech.* xlviii, 3.), id est, post, secundum Glossam : et ita mortalia superædificantur, quæ sequuntur et destruunt fundamentum.

Præterea aurum, argentum et lapides pretiosi, lignum quoque, fœnum et stipula, dupliciter possunt exponi. Primo, quod quælibet opera bona vocentur aurum, argentum et lapides pretiosi; et quælibet venialia appellentur lignum, fœnum et stipula. Sicque iidem omnia ista ædificant; sed quidam dicuntur hæc, quidam illa ædificare, secundum quod eis magis insistunt : quemadmodum activi a contemplativis distinguuntur, quamvis et activi aliqua contemplentur, et contemplativi aliqua agant. Secundo, quod per aurum, argentum lapidesque pretiosos intelligantur solum opera perfectorum; per lignum vero, fœnum et stipulam, venialia eorum qui temporalium sollicitudinem gerunt, non soli Deo vacantes. Et ita non sunt iidem, sed diversi, qui ista ædificant, quoniam imperfectorum opera bona tot permiscen-

A tur venialibus et obscurantur, quod instar auri argentique non splendent.

Si autem quæratur, utrum venialia mortali adjuncta possint dici lignum, fœnum et stipula, ita quod in inferno æternaliter non puniantur; dicendum, quod culpa ordinari non potest nisi per pœnam. Quoniam vero Deus nil inordinatum relinquit, propter hoc sine pœna nunquam dimittit culpam. In damnatis autem nulla culpa dimitti potest, nec reatus aliquis tolli, quum caritate careant, qua et culpa pur-

B gatur, et reatus aufertur. Hinc culpa venialis semper manebit in eis, vel reatus ipsius, si etiam ante peccatum mortale fuisset eis dimissum peccatum veniale quantum ad culpam, manente reatu : hinc damnati etiam pro venialibus æternaliter punientur, et pœna illa æterna debetur veniali per accidens ratione subjecti, quod irrecuperabiliter destitutum est gratia. Itaque in damnatis venialia non sunt lignum, fœnum et stipula, quoniam igne illo non consumuntur. — Hæc Thomas in Scripto.

C Qui et in secunda secundæ disseruit, quod boni religiosi divinis exercitiis fervide jugiterque intenti, lignum, fœnum et stipulam non colligunt, sed potius præsidentes eorum occasione occupationum exteriorum.

Porro dum quæritur, an peccatum veniale post vitam hanc expietur quantum ad culpam, vel solum quantum ad pœnam; dicendum, quod aliqui asserunt, post vitam hanc nullum peccatum dimitti quantum ad culpam, et quod gratia finalis venialem culpam purget. Veniale namque

D peccatum contingit ex hoc quod aliquis Christum habens in fundamento, diligit nimis aliquod temporale : qui excessus ex concupiscentiæ corruptione contingit. Unde si gratia penitus vincat concupiscentiæ corruptionem, ut in beatissima Virgine, non manet locus aliquis veniali. Quumque in morte omnino diminuatur, imo et annihiletur concupiscentia ista, et potentiæ animæ subjiciuntur totaliter gratiæ, et veniale expellitur. — Verum ista opinio in se et in sua causa est frivola. In se quidem,

quoniam dictis Sanctorum ac Evangelii A adversatur, quæ exponi non valent de remissione venialium quantum ad pœnam tantum, prout Magister probat in littera, sicut jam patuit. Est quoque frivola quantum ad causam suam, quia defectus corporalis, qualis est in termino vitæ, non aufert concupiscentiæ corruptionem quantum ad radicem, sed quantum ad actum, quemadmodum et in his qui graviter infirmantur; nec tranquillat potentias animæ ita ut eas subjiciat gratiæ, quia tranquillitas potentiarum et subjectio earum ad B gratiam, est quando inferiores vires obediunt superioribus, quæ legi Dei condelectantur: quod in statu illo esse non potest, quum tunc actus uterque impediatur; nisi tranquillitas appelletur privatio pugnæ, sicut etiam in dormientibus accidit: nec tamen ob hoc somnus dicitur concupiscentiam minorare, aut vires animæ tranquillare, aut gratiæ eas subjicere.

Præterea, dato quod concupiscentiam radicaliter diminueret ille defectus, et vires animæ subderet gratiæ, adhuc non C sufficeret remissioni culpæ venialis commissæ, quamvis sufficeret ad vitationem futuræ: quoniam culpa actualis, etiam venialis, non dimittitur sine actuali contritionis motu, ut sextadecima distinctione (Cf. p. 430 C', 432 B.) inductum est, quantumcumque gratia habitualiter intendatur. Contingit autem quandoque, quod aliquis dormiens moritur exsistens in gratia, qui in aliquo veniali obdormivit; et talis non potest actum contritionis habere ante mortem. Nec potest dici, ut dicunt, quod si non pœnituit actu D vel proposito, in generali vel speciali, sit versum in mortale, propter hoc quod veniale fit mortale dum placet: quia non quælibet placentia venialis facit peccatum mortale (alias omne peccatum veniale esset mortale, quoniam quodlibet veniale placet, quum sit voluntarium); sed placentia quæ ad fruitionem est pertinens, in qua omnis humana consistit perversitas, dum rebus utendis fruimur. Sicque complacentia illa quæ facit peccatum mortale, est placentia actualis, quia omne peccatum mortale in actu consistit. Potest autem contingere, quod aliquis dum veniale commisit peccatum, nil actualiter cogitet de peccato dimittendo seu tenendo; sed cogitet forte quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, atque in hac cogitatione obdormiens moriatur. Ideo ista opinio irrationabilis est omnino. — Hinc dicendum, quod culpa venialis in eo qui decedit in gratia, dimittitur post hanc vitam per purgatorii ignem, eo quod pœna illa aliqualiter voluntaria, virtute gratiæ habebit vim expiandi omnem culpam quæ simul cum gratia stare potest.

Porro pœna purgatorii absolvit a reatu, id est obligatione seu debito pœnæ luendæ. Unus etiam citius liberatur a purgatorio quam alter. Nam quædam venialia adhærentiæ sunt majoris, quæ tardius purgantur. Acerbitas demum pœnæ proprie correspondet quantitati culpæ; diuturnitas vero, radicationi culpæ in subjecto. Unde potest contingere, quod aliquis diutius in purgatorio teneatur, qui tamen minus affligitur, et econtra. — Hæc Thomas.

Concordat Albertus, dicendo: Quum dicat Gregorius quarto Dialogorum, imo et probet, pœnam et culpam post hanc vitam dimitti, præsumptuosum reputo dicere, nullam culpam venialem post hanc vitam posse deleri: imo dicendum et asserendum cum Sanctis, quod post mortem non est tempus augendi meritum, sed utendi merito ad efficaciam ad quam potest attingere. Quemadmodum enim asserit Augustinus, quod quidam dum hic vixerent, meruerunt quod eis possent prodesse suffragia; sic illi quando vixerunt, hic meruerunt quod gratia eis ac pœna ad venialium deletionem possent prodesse. Ideo usum meriti sui post mortem recipiunt præter meritorum augmentum. — Hæc Albertus. Cujus scripta in his consonant scriptis Thomæ, etiam de perpetua punitione venialium in inferno. Disputat quoque Albertus contra errorem quemdam quorumdam Græcorum, dicentium animas ante

diem extremi judicii nec regnum intrare A cœlorum, neque infernum, sed in intermediis locis versari : cujus contrarium probat etiam ex antiquis Græcorum doctoribus Athanasio, Chrysostomo, etc. — Scripta quoque Durandi consonant dictis Thomæ et Alberti.

At vero Scotus super his primo narrat opinionem dicentium, etiam veniali peccato directe deberi pœnam æternam; sed quod temporaliter punitur, ei convenire per accidens, in quantum conjunctum est caritati, quæ ducit ad regnum, in quo ne- B cesse est omnem pœnam cessare. Quibus objicit, quia quum caritas et veniale peccatum stent simul, et caritati debeatur beatitudo æterna, esset quis dignus simul æterna felicitate et infernali miseria. — Deinde, contra communem doctorum positionem subjungit : Dicitur, quod peccato veniali per accidens pœna æterna debetur, quando conjungitur mortali, et non ratione sui. Sed hoc non intelligo, quoniam Deus punit citra condignum. Et esto quod simpliciter secundum rigorem puniret, om- C nino injustum esset pœnam æternam infligi illi cui secundum se debetur pœna temporalis. Nec conjunctio illa cum mortali facit veniale in infinitum exire genus culpæ : ergo nec pœna æterna ei debetur. Ideo dico, quod nec in inferno; nec alibi debetur peccato veniali æterna pœna, nec per se, neque per accidens : quia secundum se est talis offensa quæ sufficienter per temporalem pœnam punitur. Nec est inconveniens, pœnam veniali peccato debitam, in inferno finiri : quoniam vere D pœnitens primo, et partem pœnitentiæ impositæ explens, et ante totam completam recidivans ac taliter moriens, pro parte pœnitentiæ residua complenda solvet pœnam in inferno tantummodo temporalem : quoniam in remissione peccatorum in hoc sæculo facta, commutata fuit sibi pœna æterna in temporalem : ideo pro sic remissis non est debitor pœnæ æternæ. — Insuper dico tanquam probabile, quod morienti in caritate omnia venialia dimittuntur quantum ad culpam : quoniam præcedentia merita ejus sunt causa sufficiens hujusmodi remissionis, vel ipso moriente tunc referente illa merita ad talem remissionem, vel Deo acceptante ea ad illam. Istud probabiliter dici potest. Et cui istud non placet, quærat alium modum quomodo venialia dimittantur. Non enim videtur consonum theologiæ, ponere post hanc vitam aliquem motum meritorium talis remissionis, quum in morte sit terminus promerendi. — Hæc Scotus. Quorum error patet ex præinductis.

Unde et Richardus opinionem hanc narrans ac reprobans : Aliqui (inquit) dicunt, quod Deus potest a damnato extorquere pro suis peccatis venialibus debitam pœnam, sine remissione cujuscumque culpæ. Unde dicunt, quod veniale nec per se nec per accidens punietur pœna æterna inflicta a Judice. Nam pœnam remorsus conscientiæ oportet manere, culpa manente. Nec potest dici, quod damnati solvant pœnam suis venialibus debitam, neque quod satisfaciant : quemadmodum nec in hac vita obligatus ad aliquam pœnam quam pro gravibus malis ejus judex juste extorquet ab eo, dicitur solvere pœnam illam aut satisfacere. Sed ista opinio contra communem doctorum positionem est, et contra rationem : quia quum Deus pœnam non acceptet, nisi acceptet et patientem, constat quod damnatorum pœna nunquam Deo accepta est tanquam satisfactoria aut placativa, sicut nec ipsi fiunt unquam Deo accepti. — Denique dimittuntur post hanc vitam aliqua venialia caritatem habentibus, quantum ad culpam et pœnam : non sic intelligendo quod sine pœnitentia per ignem purgatorium consumantur, sed quia per ignem animæ juvantur ad pœnitendum de venialibus, de quibus in hac vita non pœnituerunt; et per caritatem, in qua recesserunt a corpore, pœnitentia earum formatur et acceptatur a Deo. Hæc Richardus. — Ex quibus patet modus remissionis venialium, quoniam Deus etiam post hanc vitam statuit illis tale remedium : quia nec

plenam rationem peccati sortiuntur, nec A amicitiam Dei impediunt. Non tamen post vitam hanc est locus aut spatium promerendi præmium essentiale, aut crescendi in gratia gratum faciente aut gloria.

Hinc quoque scribit Durandus : Opinio illa non valet. Quod ut evidentius pateat, videndum quid sit peccatum dimitti quantum ad culpam. Itaque advertendum, quod in peccato mortali primum est deordinatio actus, in qua consistit macula; secundum est privatio gratiæ, quæ dicitur offensa; tertium, reatus pœnæ : quorum trium pri- B mum et ultimum sunt suo modo in peccato veniali. Dicitur ergo peccatum remitti quoad culpam seu maculam, quando reordinatur actus voluntatis per debitam culpæ displicentiam; et quoad offensam, quando restituitur gratia; et item quantum ad pœnæ reatum, quando pœna ipsa persolvitur. Quum igitur voluntas damnatorum sit inconvertibiliter obstinata in malo, nunquam reordinatur : idcirco nec veniale eis unquam remittitur, præsertim quum sint in termino suo. Exsistentes autem in pur- C gatorio, possunt habere displicentiam de suis venialibus culpis, quum in caritate consistant : ideo possunt remissionem earum acquirere. Verumtamen si veniale peccatum sit in vita hac expiatum quantum ad culpam suam, potest probabiliter dici, quod in inferno punitur temporaliter tantum. Hæc Durandus. — Concordat Argentinensis.

QUÆSTIO II

MOdo quærendum, **An generalis confessio deleat non solum venialia, sed mortalia quoque oblita.**

Videtur quod non, quia peccata elapsa memoriam, non imputantur : ergo nec egent remedio. — Rursus, sicut communiter dicitur, infinita pietas Dei non dimidiat veniam, sed unum mortale dimittens, cetera cuncta dimittit : et ita non amplius indigent medicinis, nec denuo dimittuntur.

Circa hæc scribit Albertus, quod responsiones ad ista patent ex præinductis. Declaratum est enim, qualiter sit necesse mortalia universa pariter confiteri, in quantum occurrunt memoriæ, et quod ad memoriam sint revocanda, quantum congruenter et sine periculo fieri potest. Quumque oblitum quid ad memoriam redierit, confitendum est habita copia confessoris : quæ si desit, potest quis ad celebrationem seu communionem procedere cum proposito confitendi tempore opportuno. Et quoniam ecclesiastica sacramenta sunt medicinalia vasa atque salutis remedia, utendum est eis secundum exigentiam finis ad quem a Christo legislatore nostro sunt instituta : sicut et corporalibus medicinis uti oportet secundum quod expedit et exigit sanitas corporalis, in arte medicinæ intenta. Finis quippe necessitatem imponit his quæ sunt media et ordinantur in finem. Porro finis sacramentorum Christi est curatio animæ a peccatis, salus æterna, pax et sanitas spiritualis. Est ergo intentio Christi, ut sacramentis utamur secundum quod expediens est nostræ curationi et sanitati mentali, spirituali profectui, ac sempiternæ saluti, ne abutendo saluberrimis sacramentis, vertantur nobis in impedimenta salutis, in animarum venena, in pabulum mortis, in capitis ac sensuum debilitationem, in animarum perditionem.

Cf. dist. xvii, q. 8.

Hoc tango hic propter nonnullos scrupulosos, pusillanimes seu partim phantasticos, qui in sacramento Confessionis ex D sua defectuositate periclitantur, conantes ad memoriam revocare cuncta et singula sua peccata mortalia : quod agendo, ita confundunt se intus, et cerebrum sic perturbant, quod pene inutiles fiunt. Fuit infra paucos annos quidam bonus religiosus, qui attendens hominem debere universa et singula sua confiteri peccata mortalia, et videns se non valere singula sua mortalia recordari, neque distincte ad plenum

confiteri, incidit imaginationem gravissimam, inquietudinem capitis et mœrorem, ac tandem breviter in quamdam miserabilem desperationem, videlicet se non posse salvari, utpote non valentem plenarie confiteri. Propter quod a confessione et celebratione plurimis annis abstinuit, nec informationibus acquievit sui superioris : quod tamen ex debilitate magis quam ex immansione et pertinacia proprii sensus processit. Tales igitur perscrutari, discutere et ad memoriam revocare debent sua peccata, quantum cum discrctionis moderamine queunt sufferre in corde et capite, et absque animæ læsione, ne impediantur a pace interna; et sperent in Domino, ac superioribus suis ac magis peritis in lege, discretis ac Deum timentibus fiducialiter credant, pensantes quæ fucrit intentio instituentis Christi hoc sacramentum, qui non intendebat aliquem ad impossibilia aut periculosa adstringere. Denique, dum quis sua confitetur peccata mortalia, cupitque omnia et singula confiteri, nec quidquam ex proposito celat, dimittuntur sibi a superpiissimo Deo omnia, etiam quæ recordari tunc nequit; tamen sub conditione saltem implicita, quod scilicet illa confiteri intendat, dum recoluerit ipsa : quemadmodum contritionem habenti Deus ignoscit sub hujusmodi conditione quod confiteri proponat tempore opportuno. Qucmadmodum autem contra venialia sunt multa generalia remedia, ita et contra oblita mortalia. — Hæc Albertus.

Insuper de his loquitur Thomas : Per infusionem caritatis et gratiæ, venialia non dimittuntur, quia non opponuntur caritati quantum ad habitum ejus, sed potius quantum ad actum, quem aliquo modo impediunt seu retardant : idcirco dum actus caritatis contra ipsa dirigitur, ca quasi suo contrario delet. Nec oportet ut contra singulum corum actus caritatis dirigatur ad ipsorum deletionem, quoniam nullum eorum de se habet specialem rationem qua caritati aliquo modo contrarietur; sed omnia secundum unam rationem dispo-

A nunt ad contrarium caritatis, in quantum nimis rebus temporalibus inhæretur. Idcirco, quum confessio generalis sit actus caritatis in eo qui habet caritatem, contra venialia directus; constat, quod valet ad eorum deletionem quantum ad culpam, et quandoque etiam quantum ad pœnam, si tanta sit confitentis devotio. — Quocirca sciendum, quod generalis confessio quandoque est actus sacramentalis, sicut dum aliquis in secreto confitetur sacerdoti quædam quorum meminit, et alia venialia in B communi : tuncque confessio illa habet ex quatuor, quod ad remissionem venialium valet quantum ad culpam, et etiam quantum ad pœnam in parte aut toto : primo, ex contritione confitentis; secundo, ex humilitate confessionis; tertio, ex oratione confessoris, in quantum est publica persona; quarto, ex vi clavium. Interdum vero non est sacramentalis, ut quando fit coram multis in ecclesia : et tunc efficaciam habet ex tribus primis, non ex quarto. Propter quod in Prima et Completorio non C subjungitur absolutio, nec satisfactionis injunctio, sed solum oratio, Misereatur tui omnipotens Deus, per intercessionem B. Mariæ et omnium Sanctorum, et dimittat tibi omnia peccata tua, et perducat ad vitam æternam. Attamen veniale quod habitu manet in confitentis affectu, non deletur per hujusmodi confessionem.

Insuper confessio ista valet ad remissionem oblitorum mortalium. Confessio quippe operatur præsupposita contritione, quæ culpam delet : sicque confessio directe or-D dinatur ad pœnæ dimissionem; quod quidem facit et ex erubescentia quam habet, atque ex vi clavium quibus se confitens subjicit. Contingit autem quandoque quod per contritionem præcedentem, peccatum aliquod deletum est quantum ad culpam, sive in generali, si ejus memoria tunc non habebatur, sive in speciali, ut dum ante confessionem, peccati illius oblitus non est : et tunc confessio generalis sacramentalis operatur ad dimissionem pœnæ vi clavium, quibus se confitens subjicit, nul-

lum quantum in se est obstaculum præbens. A Verum ex illa parte qua erubescentia confessionis peccati pœnam diminuebat, pœna istius peccati de quo quis specialiter coram sacerdote non erubuit, diminuta non est.

Si vero quæratur, an ea quæ quis non confitetur ex ignorantia, per confessionem hanc deleantur : dicendum, quod ignorantia juris non excusat, quum et ipsa peccatum sit; sed ignorantia facti excusat. Unde aliquis de hoc quod non confitetur peccata quæ ex ignorantia juris divini nescit B esse peccata, non excusatur a fictione. Excusaretur tamen, si nesciret ea esse peccata, ex ignorantia particularis circumstantiæ, ut si cognovit alienam quam credidit esse suam. Sed oblivio de actu peccati habet ignorantiam facti : idcirco excusat a fictionis peccato, ita quod in confessione non impedit fructum confessionis et absolutionis.

Præterea quæritur, an quis licite valeat confiteri peccatum quod non habet. Dicendum, quod pœnitens debet sua confessione C se manifestare confessori. Qui autem aliud dicit quam in sua conscientia sentit et habet, sive in bonum, sive in malum, non se manifestat sacerdoti, sed magis occultat : ideo confessio talis non valet, præsertim quia non licet mentiri; imo oportet quod os cordi concordet. — Et si objiciatur, quia secundum Gregorium, piarum est mentium cognoscere culpam ubi non est : respondendum, quod hoc non est intelligendum quantum ad substantiam actus, quoniam pia mens non debet sentire D se culpam commisisse, quam non commisit; sed intelligendum est quantum ad actus conditionem, quoniam justus timet se incurrere quosdam defectus culpabiles, etiam in bonis quæ agit, juxta illud Job :
Job IX, 28. Verebar omnia opera mea. — Porro qui dubitat de aliquo suo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente : quia qui aliquid committit vel omittit in quo probabiliter dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Conformiter quoque periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri; non tamen debet asserere se in hoc peccasse mortaliter, sed dubitative loqui, seque committere judicio confessoris, cujus est inter lepram et non lepram discernere. Si autem quis putet se in aliqua commissione vel omissione peccasse, quamvis ita non sit, et dicat se ibi peccasse, non est periculum : quia formaliter non mentitur. — Hæc Thomas. Qui et alibi respondendo ad istud, quod quidam martyr persuasit sibi imponi crimen adulterii commissum ab alio, dicit hoc non esse ad imitationem trahendum.

Concordat Petrus : Deus, inquiens, requirit ab homine id quod potest, non amplius. Quumque in hominis potestate non sit peccata oblita confiteri in speciali, Deus id ab homine non requirit. Sed confiteri ea in generali, in potestate est hominis : ideo debet hoc facere. Hæc Petrus. — In his Bonaventura, Richardus, Argentinensis, aliique communiter sunt concordes.

Et addit Bonaventura, respondendo ad istud, an liceat in confessione aliena peccata referre : Aut aliena peccata sunt impertinentia ad nostri accusationem peccati, et solum ex quadam associatione narrantur, vel ad excusationem alleviationemque propriæ culpæ, ut minus confundamur; et hoc illicitum est, quamvis multi etiam simplices in hoc excedunt, suos tangendo vicinos in confessione, dicendo : Nos sumus usurarii, mendosi, gulosi. Ideo tales sunt a confessore instruendi et increpandi, ut vitent hujusmodi. Aut peccata alterius annexa sunt nostris, ut si mulier cognita est a suo episcopo aut viro religioso : et tunc sufficit dicere in generali, quod aliquis magnus prælatus aut homo religiosus peccaverit secum, nec debet ad certam personam descendere : quod si fecerit, a confessore est increpanda. Nec debet confessor curiose inquirere de persona. Et si putat quod sit persona cui possit prodesse, expediatque eum scire, potest

de hoc extra confessionem caute interrogare : talia namque frequenter sunt occasio frangendi confessionis sigillum, in quo maximum exstat periculum. Si autem peccatum explicari non potest sine explicatione personæ determinatæ, ut si mulier inordinate sit cognita a suo marito, aut econverso ; tunc si dicat de marito, non peccat, quia non valet aliter confiteri propriam culpam ; nec tunc judicari debet accusatio aliena, sed propria. Sicque generaliter verum est, quod peccata aliena non sunt dicenda in confessione nisi in quantum sunt propria, nec confessor debet ea inquirere. Hinc confessores qui ramusculos in confessione inquirunt, et audiunt malum de aliis, nec confitentem imperite et periculose loquentem reprehendunt ac dirigunt, graviter peccant. Et vix vel nunquam a detractionis vitio excusantur, nec sciunt animabus mederi, dum sinunt eos qui veniunt ad medicinam, grave vulnus sibi ipsis infligere. Hæc Bonaventura.

QUÆSTIO III

Restat inquirere de sigillo confessionis, **Utrum in omni eventu et casu Christus jussit confessionem celare.**

Videtur quod non, quoniam quod pro caritate et utilitate boni communis est institutum, non debet contra caritatem et utilitatem boni communis militare. Sed hoc frequenter accideret, si in omni casu confessio esset celanda : ut si confessor in confessione agnoscat aliquem non esse sacerdotem, qui tamen sacerdotem se esse affirmat, aut aliquem esse hæreticum et alios velle inficere, aut quempiam velle urbem de nocte incendere. Possunt multi consimiles casus proponi.

In oppositum est, quod istud tam seriose prohibitum est ; et homines a confessione retraherentur, si aliquo modo liceret confessionis abdita reserare.

A Circa hæc scribit Bonaventura : Quidam distinguendo dixerunt, quod homo potest sacerdoti dupliciter confiteri. Primo, tanquam pœnitens et volens a peccato absolvi et a peccatis desistere : sicque sigillum confessionis claudit omne quod dicit, ne aperiatur. Secundo sic, quod non vult a peccato desistere, ut si revelet se velle perjurare, aut aliquem trucidare : et tunc confessor non tenetur sub sigillo confessionis illa tenere, sed potest dicere ei qui potest prodesse et non obesse. Sed
B quamvis istud probabiliter dici videatur, tamen quoniam institutio et mandatum Ecclesiæ loquitur generaliter de omni culpa, et pœnitens suum peccatum non quasi homini, sed quasi Deo revelet, nesciatque sacerdos an confitens dicat sibi verum, an non, nisi aliunde cognoscat ; nullo modo debet culpam illam manifestare : quia sigillum confessionis est diligentissime custodiendum, ut omne scandalum evitetur, atque ab omni specie mali abstineatur. Unde ut ait Gregorius in littera, nullo mo-
C do est confessio revelanda. Hinc narratur miraculum, quod dum quidam in navi timore mortis publice sua peccata coram omnibus esset confessus, dum paulo post venissent ad portum, nullus recordabatur quid dixerat, nisi sacerdos qui pœnitentiam injunxit. Nam et sacerdos debet ea scire quasi non noverit ea ; et si exigeretur testari, dicere posset ac jurare se illa nescire : quia non potest obligari nisi ad dicendum quod novit ut homo. Quod si noscat aliquem esse hæreticum et velle
D subvertere alios, non debet confessionem nudare, sed potest superiorem hortari, dicendo : Vigila super oves, quoniam lupus est in grege.

Si autem sacerdos sciat inter duos contractam esse affinitatem per fornicarium coitum, et postea velle contrahere, non debet confessionem propalare, sed sibi confesso suadere ne contrahat ita ; et debet differre quousque per superiorem cogatur, vel propter scandalum populi compellatur : et tunc non ipse facit, sed Ec-

clesia, quæ judicat secundum exteriora. — A Idem dicendum, si decanus ex confessione sciat clericos suos esse irregulares, et tamen velle ad ordines sacros procedere : quia non debet eos præsentare, nisi (ut tactum est) compellatur. Tunc quoque consilium est, ut nec pastor nec decanus per se faciat aliquod horum : ut illi amplius confundantur interius. — Potest item inquiri, quid agendum sit abbati qui ex confessione sui prioris aut alterius officiati scit ipsum suum officiatum esse in gravi peccato, a quo verisimiliter putat il- B lum non cessaturum quamdiu in officio manserit. Dicendum, quod abbas debet talibus consulere voluntariam cessionem. Quod si noluerint, non debet eos deponere, nisi aliunde appareat super hoc justa causa : imo debet eos sustinere, nisi talis exsistat religio, in qua subditi possint sine nota diffamiæ ad alia loca mitti.

Quæritur quoque, an confitens possit confessori dare licentiam revelandi peccata quæ sibi confessus est. Videtur quod non, quoniam quod a summo Pontifice et C ab universali Ecclesia tam districte prohibitum est, non potest inferior relaxare aut licitum facere; et tale est manifestare confessionem. Dicendum, quod sacerdos non debet confessionem revelare, quia non scit confessa nisi ut Deus, seu quasi vicarius Dei; secundo, ne populum scandalizet et etiam confitentem. Quumque confitens agere possit quod sacerdos illa sciat ut homo, faciendo eum nuntium talium, potest eum licentiare ad revelandum, quando non timetur ex hoc periculum scandali : D quod si timeatur, non potest confitens illam licentiam dare, nec confessor debet assumere. Tunc vero timendum est de periculo scandali, quando verisimiliter conjici posset, quod confessor revelasset confessionem confessi. Nec debet dari licentia revelandi nisi ei qui possit prodesse nec velit obesse, et de peccatis propriis tantum. Nam aliena peccata propalare non debet.

Sed circa hoc occurrit hæc quæstio, utrum sacerdos sciens culpam confessi alio modo quam per confessionem, teneatur celare eam. Videtur quod imo, quoniam Innocentius Papa in quadam Decretali de Pœnitentiis et remissionibus, ait : Qui peccatum sibi in confessione detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Et respondendum, quod circa hoc est triplex opinio. Una, quod tenetur omnino celare, alias fieret sigillo confessionis præjudicium. Ex qua opinione sequuntur absurda, ut modo probabitur. — Hinc secunda opinio dicit, quod confessio claudit os confessoris quoad ea quæ ante confessionem aliunde cognovit, non quantum ad ea quæ postea. Etenim confessor recipiendo confessionem, sibi ipsi os claudit quoad cognita ante, obligando se ad celationem eorum quæ audit in confessione. Verum ista opinio quamvis videatur sobria magis quam prima, tamen est magis absurda. Nam eadem inconvenientia sequuntur ex ea, quæ ex prima, quantum ad hoc quod asserit per confessionem os claudi præcedenti cognitioni; et ultra hoc irrationabilis est, dicendo quod confessio potius claudit os respectu notitiæ præcedentis quam subsequentis : cujus differentiæ non potest causa rationabilis assignari, quia sigillum confessionis non magis præjudicat uni cognitioni et revelationi quam alteri. — Hinc est tertia positio, rationi et veritati plus consona, quod id quod duplici scitur via, duplici cognitione cognoscitur. Potestque homo unum modum notitiæ oblivisci, et alterius reminisci : quemadmodum qui aliquid scit visu et auditu, potest oblivisci se illud audivisse, et recordari se idem vidisse. Et sicut est duplex modus sciendi, ita et revelandi ; nec unus præjudicat alteri. Idcirco, quod scitum est aliter quam in confessione, potest sine derogatione sigilli confessionis manifestari, ita tamen quod modus sciendi ex confessione ma-

neat semper occultus, et scandalum pro posse vitetur, potissime apud confitentem. Propter quod et in confessione potest pœnitenti insinuare se hoc aut illud aliunde cognoscere, nec ad celandum penitus obligari. Attamen manifestare non debet nisi cogatur, id est, magna ratione ad hoc inducatur, puta si alias fieret præjudicium veritati, vel si præcepto superioris requiratur referre quod novit, aut testimonium perhibere. In hanc positionem etiam jurisperiti magis consentiunt.

Ad cujus probationem aliarumque reprobationem, sic arguo, et suppono quinque, quæ per se nota sunt. Primum est, nihil est statuendum in quo fiat præjudicium veritati. Secundum, dolus et fraus nulli debent patrocinari. Tertium, nullus pro alio tenetur mentiri. Quartum, nullus sine peccato mortali reddit se impotentem scienter ad id ad quod tenetur. Quintum, nihil est statuendum aut servandum unde innocens posset rationabiliter accusari et condemnari, et alii scandalizari. Ex primo sic arguo : Contingit interdum ut sacerdotis testificatio necessaria sit in judicio, ita quod nisi protestetur quod novit, cedet in præjudicium veritatis atque justitiæ. Si ergo tunc aliunde scit illud, potest inde testari. Ex secundo sic arguo : Reus aliquis sciens sacerdoti constare suum excessum, metuens quoque per sacerdotis attestationem seu judicium dijudicari, ibit et confitebitur hujusmodi sacerdoti suum excessum : sicque dolus et fraus patrocinabuntur ad veritatis et æquitatis jacturam, si non liceat sacerdoti crimen quod aliunde scit, propalare. Ex tertio arguo : Si sacerdos a suo superiori requiritur mandato dicere veritatem in rationabili causa, non potest sine mendacio dicere, Nescio hoc, si etiam extra confessionem hoc noscat : ergo in tali casu potest et debet hoc aperire. Ex quarto sic arguo : Sacerdos interdum confessum accusare tenetur apud prælatum suum de crimine periculoso quod vidit et ex confessione cognoscit : ergo si tunc illum accusare non posset,

A redderet se impotentem ad id ad quod tenetur confessionem audiendo. Ex quinto sic arguo : Pono casum, quod quatuor viri vadunt per unum iter ; unus committit grande crimen merito insinuandum prælato ; duo manifestant prælato hoc scelus ; reus interim confitetur tertio illi ; duo advocant tertium ad testandum, et prælatus jubet ut testetur, alioqui pœnam inferet ei. Si tunc revelare non poterit quod conspexit, innocenter punietur. — Hæc Bonaventura.

B Concordat Thomas in omnibus, qui et ista pene omnia tangit, et addit : In sacramentis, ea quæ geruntur exterius, signa sunt rerum quæ intus contingunt. Confessio autem qua quis sacerdoti se subjicit, signum est interioris subjectionis seu confessionis qua se subjicit Deo. Ideo, sicut Deus peccata confitentis tegit, ita et confessor ea tegere debet. Et hoc oportet in sacramento Pœnitentiæ significari. Ideo de necessitate sacramenti est, quod confessor confessionem celet ; et tanquam violator C sacramenti excedit qui revelat. Et ista occultatio est de jure divino, sicut et ipsa confessio, quamvis etiam Papa divina auctoritate idem præcipiat.

Si autem quæratur, an sigillum confessionis ad alia se extendat quam ad ea quæ cadunt sub confessione : dicendum quod non, loquendo directe ; attamen indirecte extendit se ad alia quædam per quæ peccatum seu peccator posset aperte aut probabiliter deprehendi. Nihilo minus, etiam alia summo sunt studio occultanda pro-D pter pronitatem quæ ex consuetudine posset oriri, et propter alias causas.

Quæritur quoque, an solus sacerdos habeat confessionis sigillum. Videtur quod non, quia interdum quis per interpretem confitetur. Laico etiam in casu necessitatis licet confessionem audire, juxta modum præhabitum. — Et dicendum, quod *Cf.* dist. sigillum confessionis convenit sacerdoti XVII, q. 7. tanquam ministro istius sacramenti : quod sigillum est debitum celandi confessionem, sicut clavis est potestas solvendi. Ve-

rumtamen, sicut non sacerdos in casu participat aliquid de actu clavis, dum audit confessionem propter necessitatem ; ita participat de actu sigilli confessionis atque celare tenetur, quamvis proprie sigillum confessionis non habeat. Ideo tam interpres quam laicus tenetur omnino celare ; similiter qui se fingit sacerdotem, ut confessiones audiendo exploret hac fraude secreta conscientiarum confitentium sibi. — Hæc Thomas. Concordant in omnibus Albertus, Petrus, Richardus, Argentinensis, Durandus, aliique concorditer.

Et addit Richardus, quod sigillum confessionis sit etiam de jure naturali, quoniam eo ipso quod quis se exhibet ad audiendum confessiones, tacite promittit se quæ audierit celaturum. Falsus quoque est ille versiculus :

Hæresis est crimen quod nec confessio celat.

Et quamvis utile esset interdum confitenti aut singulari personæ quod confessio panderetur, non tamen expedit pro utilitate communitatis, cui magis est providendum quam particularibus quibusque personis. Unde et quod pro caritate institutum est, oportet aliquando militare pro communi bono, non obstante quod aliter expediret bono particulari, cui nihilo minus alio modo consuli potest.

Insuper alius a confessore, audiens peccata confitentis ignorantis hoc ipsum, tenetur illa celare jure naturali, divino ac positivo : quia tenetur alteri facere sicut rationabiliter vellet fieri sibi. Et rursus, obligatur ea vitare quæ cedere possunt in præjudicium et derogationem sacramenti Confessionis. Sed et improbe agit sic auscultando; ideo Sapiens ait : Stultitia hominis est auscultare per ostium. (*Eccli.* XXI, 27.) Peccat igitur qui sic revelat, quemadmodum servus auscultans a casu vel proposito secreta quæ tractantur in curia domini sui, et postmodum forinsecus ea revelans, graviter peccat in dominum suum, et secundum jus civile dire punitur. Præterea, si sacerdos revelet alicui peccata sibi con-

A fessi, tenetur et alius ille ea celare, si sciat quod confessor prodiderit confessionem, illa sibi dicendo. — Pœnitens etiam peccat, pœnitentiam sibi injunctam manifestando, si ex hoc immineat præjudicium alicui personæ aut confessori, ut si sibi injunctum esset vitare familiaritatem illius vel illius personæ. — Hæc Richardus. Quibus Scotus in aliquibus contradicit : quæ, prolixitatem devitans, dimitto, quia nec magni sunt ponderis.

At vero Antisiodorensis in Summa sua,
B libro quarto, multa conscribit de his, quæ jam satis præhabita sunt. Tenet quoque, quod quamvis sacerdos sciat aliunde peccata confitentis, sive ante confessionem, sive post, tamen quum recipit ea in confessione, non potest ea ullatenus propalare : quoniam per confessionis sigillum totum signatum est. Cujus opinionis contrarium modo ostensum est. p. 573 B'ets.

Circa hæc quæritur, utrum clericus non sacerdos, assumens habitum confessoris, confessionesque audiens, et hoc facto gau-
C dens se percepisse secreta confitentium, possit ad sacros ordines promoveri.

Ad hoc Henricus Quodlibeto undecimo respondet, quod si sit de tam nefando facto convictus, aut graviter probabiliterque suspectus, sic tanquam criminosus ab accessu ad sacros ordines est repellendus, præsertim propter subsequentem diffamiam ; si vero occultum sit, poterit promoveri. (q. 25.)

Insuper Quodlibeto octavo sciscitatur Henricus, utrum confessor ex confessione (q. 31.)
D sciens aliquem sibi confessum velle occidere alium, possit illum alium avisare, ut caveat sibi ne occidatur. Rursus interrogat ibi, an abbas ex confessione tantum agnoscens monachum suum esse corruptorem (q. 29.) parochianarum suarum, debeat illum a cura removere et revocare ad claustrum. — Ad quæ duo respondet sicut ex Bonaventura responsum est, utpote quod si talis avisatio et depositio ab officio fieri (p. 573 B.) nequeant sine manifestatione confessionis, non licebit sic avisare neque deponere,

sed oportebit Deo committere, et orare ut occurrat periculo, et gratiam emendationis conferat monacho tali. Si vero abbas poterit alias excogitare aut invenire justam rationem aut occasionem removendi monachum illum a suo officio, debet eum removere ac revocare, et debite disciplinare. Conformiter dicendum de avisatione confessoris.

Quærit quoque idem doctor, utrum sacerdos habens potestatem absolvendi limitatam, et tamen absolvens ab aliis ultra A commissionem sibi factam et ultra potestatem sibi concessam, ac postea petens a suo superiore ratihabitionem, sufficiat illa obtenta. Respondet quod non. Quum enim non habuerit potestatem absolvendi illum, nihil fecit illum absolvendo. Hinc remittere debet talem ad superiorem a quo possit absolvi, qui debet illum absolvere aut alicui dare auctoritatem absolvendi ipsum. — Hæc Henricus. Qui in Quodlibetis suis hinc inde alia multa quærit de his, quæ infra tangentur.

DISTINCTIO XXII

A. *Si peccata dimissa redeant.*

Cf. dist. xiv E; xvii A. De Pœnit. dist. iv, proœm.

QUUMQUE multis auctoritatibus supra sit assertum, in vera cordis contritione peccata dimitti ante oris confessionem vel operis satisfactionem, ei etiam qui aliquando in crimen relapsurus est; quæritur, si post cordis contritionem confiteri contempserit, vel in peccatum idem vel simile ceciderit, an peccata dimissa redeant. Cujus quæstionis solutio obscura est et perplexa, aliis asserentibus, aliis econtra negantibus, peccata semel dimissa ulterius replicari ad pœnam. Qui vero dicunt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. Ambrosius ait : (Ambrosiast. in Ephes. iv, 32.) Donate invicem, si alter in alterum peccat; alioqui Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam per quam misericordiam dederat, sicut in Evangelio de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est. (*Matth.* xviii, 33, 34. De Pœnit. dist. iv, c. 1.) Item Rabanus : Nequam servum tradidit Deus tortoribus, quoadusque redderet universum debitum, quia non solum peccata quæ post Baptismum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, sed etiam originalia quæ in Baptismo sunt ei dimissa. Item Gregorius : (Gregor. Dialog. lib. iv, c. 60.) Ex dictis evangelicis constat, quia si ex toto corde non dimittimus quod in nos delinquitur, et hoc rursum exigitur quod jam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Item Augustinus : (Aug. Sermo 83, n. 7. *Luc.* vi, 37.) Dicit Deus, Dimitte, et dimittetur tibi : si ego prius dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te, et quidquid dimiseram, replicabo tibi. Item : (De Pœnit. dist. iv, c. 4.) Qui divini beneficii oblitus, suas vult vindicare injurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam præterita, quæ jam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Item Beda : (Beda, in Luc. xi, 24.) Revertar in domum meam, etc. Timendus est ille versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis exstinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Item : (Ibid. xi, 26.) Quemcumque enim post Baptisma sive

pravitas hæretica, seu cupiditas mundana arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Item Augustinus : Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet, in illo servo a quo dimissum dominus debitum petiit, eo quod ille conservo suo debitum nollet dimittere. — His auctoritatibus innituntur qui dicunt, peccata dimissa si replicantur, redire simpliciter. Quibus opponitur : si quis pro peccato de quo pœnituit et indulgentiam accepit, iterum punitur; non videtur justum. Si punitur pro eo quod peccavit et non emendavit, justitia est aperta ; si vero requiritur quod fuerat condonatum, vel injustitia est, vel justitia occulta. Videtur etiam Deus bis in id ipsum judicare, et duplex tribulatio consurgere, quod Scriptura negat. Sed ad hoc potest dici, quod neque duplex tribulatio consurgit, neque judicat Deus bis in id ipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem et sufficientem pœnam iterum puniret ; sed non satisfecit digne et sufficienter qui non perseveravit. Debuit enim jugem peccati habere memoriam, non ad faciendum, sed ad cavendum; debuit non oblivisci omnes retributiones Dei, quæ tot sunt, quot sunt peccatorum remissiones. Tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua, ac pro illis usque in finem gratias agere. Sed quia ingratus ad vomitum sicut canis rediit, anteacta bona mortificavit, et peccatum dimissum revocavit, ut cui humiliato ante Deus peccatum dimiserat, eidem postea elato et ingrato imputet.

Aug. de Bapt. contra Donat. lib. I, n. 20.

Nahum I, 9.

Ps. CII, 2.

II *Petr.* II, 22.

B. *Aliorum sententia.*

Sed quia absonum videtur, ut peccata dimissa iterum imputentur ; placet quibusdam, neminem pro peccatis semel dimissis iterum a Deo puniri. Sed ideo dicuntur dimissa redire et imputari, quia propter ingratitudinem ita reus et peccator constituitur ut ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat dicitur exigi, quia remissionis perceptæ ingratus, ita reus fit ut ante fuerat. Utrique parti quæstionis probati favent doctores. Ideoque alicui parti non præjudicans, studioso lectori judicium relinquo, addens mihi tutum fore ac saluti propinquum, sub mensa dominorum micas edere.

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 13.

Matth. XV, 27.

C. *Quid sit hic sacramentum et res.*

Post prædicta restat investigare, quid in actione pœnitentiæ sit sacramentum et res. Sacramentum enim signum est sacræ rei. Quid ergo hic signum est, et quæ est res sacra hujus signi? Quidam dicunt sacramentum hic esse, quod exterius tantum geritur, scilicet exterior pœnitentia, quæ est signum interioris pœnitentiæ, scilicet contritionis cordis et humiliationis. Quod si est, non omne sacramentum evangelicum id efficit quod figurat : exterior enim pœnitentia non efficit interiorem, potius interior causa est exterioris. Sed ad hoc inquiunt illi, hoc esse intelligendum de illis sacramentis quæ in novo Testamento instituta sunt : ut est sacramentum Bapti-

smi, Confirmationis, et Corporis Christi. Sacramentum vero Pœnitentiæ, sicut et Conjugii, ante tempus gratiæ, etiam a primordio humani generis fuit : utrumque enim institutum fuit in primis parentibus. Item, si exterior pœnitentia sacramentum est, et interior res sacramenti ; sæpius præcedit res sacramentum, quam sacramentum rem. Sed nec hoc inconveniens est : nam et in aliis sacramentis, quæ efficiunt quod figurant, hoc sæpe contingit. — Quidam autem dicunt exteriorem pœnitentiam et interiorem esse sacramentum, nec duo sacramenta, sed unum : ut species panis et vini non duo sunt sacramenta, sed unum. Et sicut in sacramento Corporis, ita etiam in hoc sacramento, dicunt aliud esse tantum sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam ; aliud sacramentum et rem, scilicet interiorem pœnitentiam ; aliud rem et non sacramentum, scilicet remissionem peccatorum. Interior enim pœnitentia et res est sacramenti, id est exterioris pœnitentiæ, et sacramentum remissionis peccati, quam et signat et facit. Exterior quoque pœnitentia et interioris signum est, et remissionis peccatorum.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ SECUNDÆ

Hic circa præhabita movetur quæstio intricata, an scilicet peccata dimissa per recidivationem seu ingratitudinem redeant, id est, denuo seu de novo imputentur. Et circa hoc Magister duas narrat opiniones cum rationibus ac motivis earum, nec quæstionem solvit plenarie. Deinde scrutatur, quid in sacramento Pœnitentiæ sit sacramentum tantum, quid res et sacramentum, et quid res tantum. Quocirca sobrie refert aliorum positiones, et quid sibi verius videatur, breviter tangit.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur primo, **Utrum peccata semel dimissa redeant.**

Circa quam quæstionem tanguntur in textu tam idonea argumenta, ut non oporteat addere alia.

Ad istud respondet Albertus : Dicendum videtur, quod peccatum nec idem numero,
A nec idem specie redit, nec æquali reatu unquam revertitur ; sed ex ingratitudine sequentis peccati dicitur reverti, quantum ad improperationem ac deformitatem peccantis, quæ est ingratitudo major quam si ei jam ante non essent peccata dimissa : ideo ampliores increpationes meretur. Aliter intelligere nequeo, qualiter peccata dicantur reverti. Ad quod intelligendum, quidam invenerunt distinctionem eorum quæ sunt in* peccato in ipso pœnitente. * ex
Tenetur enim pœnitens ad dolorem com-
B missorum, et detestationem committendorum, et ad memoriam beneficiorum sibi datorum : quæ tria interrumpit sequens peccatum. Idcirco innascitur ei ingratitudinis culpa ex comparatione ad dimissionem præcedentium peccatorum : quoniam cui multa dimissa sunt, plus regratiari tenetur, et turpius ei est contra ignoscentem peccare. Sicque præcedentia peccata non ut peccata, sed ut in tantum dimissa, dant sequenti ingratitudini quantitatem ; et quoad hanc redire dicuntur, quia quo-
C ad hanc quodammodo in peccato sequenti resultant.

Et si objiciatur illud Ezechielis, Omnes justitias quas fecit non recordabor amplius ; respondendum, quod non recordantur ad vitæ æternæ adeptionem, at- *Ezech.* XVIII, 24.

tamen recoluntur ad punitionem minorem : alias esset hoc contra Dei misericordiam. Justitia quoque Dei nunquam ita misericordiæ est æqualis, quin magis sit ad indulgendum quam ad condemnandum, quantum in se est : aliter esset crudelis.

Rursus objicitur, quod in legibus humanis, servus manumissus, propter delictum sequens in pristinam redigitur servitutem. *Jacob.* II, 10. — Et S. Jacobus apostolus loquitur : Qui offendit in uno, factus est omnium reus. Quod videtur esse per hoc, quod omnia B peccata præterita revertuntur in ipsum. Item ponatur, quod quis sufficienter contritus sit ad deletionem culpæ, non pœnæ, et deinceps contemnit pœnitere ac confiteri, sicque decedit; constat quod Deus puniet peccatum quod non punivit homo. Non autem puniet illa Deus, nisi redeant super illum.

Et respondendum ad primum, quod in legibus humanis multa fiunt propter cautelam et formidinem futurorum; et talis est observantia legis illius, quæ servos ef- C ficit cautiores, et terrore revocat a consimilibus malis. Deus vero omnia agit ad normam justitiæ, nec unquam punit ultra condignum. — Ad aliud, quod talis non punitur pro ea parte quæ dimissa est ei, sed pro peccato præterito : quemadmodum veniale conjunctum mortali, in æternum punitur. Talis tamen in inferno minus punitur, quam puniretur si nunquam pœnituisset. — Hæc Albertus.

Insuper Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Duæ (inquit) sunt de isto D opiniones. Una, quod peccata redeant eadem secundum essentiam; alia, quod per ingratitudinem. Contra primam opinionem objicitur : Ponatur, quod aliquis multa peccata mortalia fecerit atque de omnibus condignam pœnitentiam egerit, ita quod si mox moreretur, evolaret; postmodum vero recidivum patiatur per simplicem fornicationem; non potest dici, quod ob illam omnia peccata priora redeant super ipsum : quia peccatum corruptio est, et A unum peccatum una corruptio. Alii dicunt quod non pro omnibus, sed specialiter pro quatuor peccatis redeunt peccata dimissa, videlicet : pro fraterno odio, pro apostasia a fide, pro contemptu confitendi et satisfaciendi, item pro eo quod quis dolet se pœnituisse. Sed istis objicitur, quod multa peccata sunt istis vel quibusdam horum graviora, sicut peccata in Spiritum Sanctum. Quidam dicunt peccata non redire nisi quantum ad reatum. — Hinc concedimus, quod propter ingratitudinem tantum dicuntur peccata redire. Homo quippe tenetur Deo ex commisso : nam cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Tenetur etiam Deo ex dimisso : quoniam cui plus dimittitur, ceteris paribus, plus tenetur; ideo recidivando magis ingratus est, et per ingratitudinem Deum magis offendit. Hæc Antisiodorensis.

At vero de his Thomas plenius ac planius scribens : Oportet, ait, fateri peccata aliquo modo redire, quia auctoritates expresse hoc dicunt. Unde quidam concesserunt hoc fieri in omni recidivaute. Nec fuit eorum intentio dicere, quod idem numero actus peccati redeat, aut eadem numero macula per pœnitentiam semel deleta (quod enim in nihilum decidit, idem numero non valet redire); sed ita, quod sicut per peccata commissa aliquis impediebatur ante peractam pœnitentiam de eisdem, ne gratiam a Deo reciperet; ita impeditur eisdem, postquam a statu pœnitentiæ decidit per peccatum mortale quo recidivat. Sic namque dicitur peccatum manere quantum ad culpam, in quantum ex actu qui præteriit, impeditur quis a gratiæ receptione, sicut a quodam obstaculo inter Deum et homines posito; remitti vero quoad culpam, quando ratione actuum præteritorum aliquis gratia non privatur. — Verum ista opinio nequit stare, quoniam ad causandum tenebras sufficit per se utrumque horum duorum, videlicet indispositio recipientis, et interpositio obstaculi : idcirco si tenebræ debeant amoveri, oportet etiam indispositionem aufer-

ri. Sicque pœnitentia, quæ tenebras peccati A tollebat, non solum removebat indispositionem quæ erat in anima ad gratiam recipiendam, sed etiam removebat obstaculum præcedentis peccati : non ita quod actus ille non præcesserit, sed quod non haberet vim impediendi gratiam actus ille præcedens. Quæ vis non posset restitui actui illi nisi iteraretur : qui idem numero reiterari non valet. Ideo dici non potest, quod prædicto modo peccata quantum ad maculam redeant.

Alii ergo dixerunt peccata non redire B Cf. p. 579 A'. dimissa, nisi per quatuor peccata jam nominata. Sed opinio ista minus habet de ratione quam prima : quia non potest assignari ratio cur magis per ista, quum quædam sint istis enormiora. Nec sufficit quod dicunt, Deum dimittere peccata sub conditione vitandi hæc quatuor : quoniam causa sufficiens inducit suum effectum absolute, nil exspectans in futuro ; gratia autem et passio Christi sufficienter se habent ad omnem culpam delendam. Nec est ratio cur peccata dimittantur po- C tius sub conditione vitandi hæc quatuor, quum omne peccatum mortale contrarietur gratiæ, per quam fit peccatorum remissio.

Hinc dicendum cum aliis, quod aliquid potest redire dupliciter. Primo, in se : et sic peccata dimissa nullatenus redeunt quantum ad maculam, et per consequens nec quantum ad reatum. Secundo, quoad suum effectum : sicque peccata dimissa redeunt, in quantum ex peccatis dimissis in sequentibus relinquitur aliquid : quia D ex hoc quod homo Deum peccando offendit post remissionem præcedentium peccatorum, ipse actus sequentis peccati quamdam ingratitudinis deformitatem acquirit. Hinc communiter dicitur, quod quantum ad ingratitudinem redeunt.

Circa hoc quæritur, an ista ingratitudo sit speciale peccatum. Dicendum, quod ingratitudo est privativa gratiarum actionis, quæ respicit dationem. Datio quoque est duplex. Una, quæ respicit debitum, quod vel nunc exsistit, ut quum quis alicui reddit quod debet; vel ut ei debitum fiat, ut dum aliquid emit ut ei illud debitum efficiatur : et hæc datio ad justitiam spectat. Alia vero ad liberalitatem pertinet, et proprie donatio nominatur. Et quia ad hanc non inclinat nisi dandi voluntas, ideo gratuita dicitur; talique donationi gratiarum actio proprie exhibetur. Ex cujus defectu dicitur homo ingratus, et tanto plus, quanto amplius ab illa recedit. Cujus ingratitudinis primus gradus est, dum homo negligit effectualiter retribuere aliquid pro beneficiis sibi datis ; secundus gradus, quando ea cum affectu contemnit; tertius, dum obliviscitur ea; quartus, retribuere mala pro bonis. Ingratitudo ergo, quantum ad primos tres gradus semper est speciale peccatum; sed quoad quartum, est deformitas quædam peccato annexa : quia indebite fieri includit culpam; ex hoc autem quod dicitur fieri contra benefacientem, additur circumstantia aggravans, quæ est ingratitudo. Quumque omne peccatum sit contra Deum, ideo ex quolibet peccato ingratitudinem homo incurrit, quoniam est ipse nobis summe beneficus; atque per hunc modum, quodlibet peccatum post beneficium remissionis peccatorum, ingratitudinem habet annexam. Hinc ingratitudo, secundum quam peccata redire dicuntur, non est speciale peccatum, quamvis aliqua ingratitudo peccatum sit speciale.

Denique, quum innocentia ceteris paribus sit majus bonum quam pœnitentia aut recuperata justitia, loquendo in generali, innocens magis tenetur Deo regratiari quam pœnitens. Pensando tamen id quod est gratis dare, pœnitens magis tenetur gratias agere : quoniam magis pium atque gratuitum est, sibi gratiam dare quam innocenti : sicut et magis elongatus est a debito recipiendi gratiam ipsam, qua peccando se fecit indignum.

Amplius, per reditionem istam peccatorum propter ingratitudinem, non consurgit tantus reatus quantus fuit omnium præ-

cedentium peccatorum, sicut nec tanti peccati enormitas. Quantitas enim reatus sequitur quantitatem peccati; peccatum autem per quod quis recidivat, frequenter est multo minus quam peccatum præcedens de quo ante pœnituit, ut dum post remissionem homicidii et adulterii quis cadit in simplicem fornicationem ac furtum.

Præterea quæritur, an per ingratitudinem redeant venialia peccata dimissa, peccatum quoque originale. Dicendum, quod eo modo quo peccata mortalia per ingratitudinem redeunt, et venialia quoque. Quemadmodum enim beneficio et gratiæ Dei adscribenda est mortalium peccatorum remissio, ita et venialium. Atque secundum quod beneficium remissionis contemnitur quodammodo in peccato sequenti, secundum hoc peccata dimissa per ingratitudinem redire dicuntur. — Conformiter redit et originale peccatum : quia et ipsum beneficio gratiæ tollitur in Baptismo, non tamen redit in se, sed modo præfato : ideo non oportet medicinam ejus redire.

Quæritur quoque, utrum per quatuor illa peccata prædicta potius redeunt peccata dimissa, quam per alia vitia. Et dicendum, quod quamvis etiam per alia redeant, in istis tamen quatuor est aliquid speciale præ aliis : quia non solum sunt contra remittentem peccata, quod in aliis quoque peccatis est, sed etiam sunt contra remedium quo dimittuntur peccata. Remissio quippe peccatorum primo attribuitur fidei, secundo caritati, tertio pœnitentiæ. Hinc apostasia a fide, et odium fraternæ caritatis, et contemptus pœnitentiæ, ac dolor de pœnitentia peracta, specialiter faciunt peccata redire, non ratione gravitatis majoris, sed ob causam jam tactam.

Amplius quæritur, utrum recidivans tenetur confiteri priora sua peccata de quibus confessus est. Et respondendum quod imo, secundum opinionem dicentium peccata dimissa redire quantum ad culpam, seu quantum ad reatum : quia sic recidi- A vans subjaceret eis ut prius. Secundum aliam vero opinionem, quæ dicit ea redire solum quantum ad ingratitudinem, est duplex opinio. Una, quod si confiteatur recidivans eidem sacerdoti cui ante confessus est peccata illa dimissa, nondum oblito illorum, non tenetur illa iterum confiteri, nisi in generali, ut de ingratitudine se excuset, dummodo de prioribus peccatis ante recidivum satisfecerit. Si vero ante peractam satisfactionem recidivet, tenetur omnia peccata illa priora etiam in speciali B iterum confiteri. Porro si confiteatur alteri sacerdoti, vel eidem etiam priora peccata oblito, sive ante recidivum satisfecerit, sive non; tenetur omnia peccata priora confiteri in speciali, quatenus quantitas ingratitudinis suæ sacerdoti pateat. Alii dicunt, quod nullum horum sit necessarium, ita quod recidivans nec in generali nec in speciali peccata priora confessa reconfiteri tenetur : quia non redeunt eadem numero, et jam ante dimissa sunt. Tertia et rationabilior opinio est, quod recidivans C non tenetur peccata priora confiteri directe, sed indirecte, secundum quod sufficere poterit ad cognoscendum ingratitudinem suam a sacerdote, ut etiam sic agnoscat qualem et quantam pœnitentiam recidivanti injungere debeat. — Hæc Thomas in Scripto.

In prædictis responsionibus de reditu peccatorum, concordant Bonaventura, Petrus, Richardus, Scotus, Argentinensis, Durandus, ceterique communiter.

Præterea a prædicta communi positione D doctorum de reditu peccatorum, Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali dissentire videtur, ubi de his subtiliter, imo et satis terribiliter loquitur : Ut, inquiens, ista de peccatorum reditu expediamus, dicimus quod lex justitiæ est et rectitudo coram Deo, ut in eo quis puniatur in quo deliquit, et per quæ quis peccat, per hæc *Sap.* XI, 17. torqueatur. Horum etenim maxime debitores sumus in alios, quæ maxime a Deo accepimus. Quod et in se omnes creaturæ ostendunt. Nam quæ lucem a Creatore co-

piosius susceperunt, hanc aliis magis largiflue communicant et transfundunt. Ita de calore, odore, sapore et consimilibus potest perpendi, ita ut nulla creatura sibi soli donum aliquod suscepisse videatur, sed potius quibus illud potest communicare. Hinc reus est furti in alios, qui bonum desuper sibi collatum, sibi soli vult retinere, atque injuste appropriare desiderat. Ideo qui misericordiam aliis impendere renuit, fontem misericordiæ obstruit sibi ipsi : unde dum proximo ignoscere differt, nec a Deo miserationem, sed iram accipere promeretur. Quod ergo peccata, ut odium, immisericordia, etc., faciunt peccata redire, non est præ sua enormitate, sed ex sua natura, qua Deum et gratiam atque clementiam ejus impugnant in suis ministris : quemadmodum rex terrenus interdum impugnatur in subditis suis ab adversario suo. Talis ergo facit Deum esse adversarium suum. Et si dicas, Verum est in his in quibus peccat, non in his quæ Deus jam ante ex sua misericordia ei indulsit; respondemus quod imo, quoniam
Matth. VII, 2. ipse Deus testatus est, Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hæc est ergo justitia propter quam dimissa debita repetuntur, quoniam dimittenda non dimittuntur.

Accedit ad hoc et ingratitudo, cujus justissima pœna est, ut beneficio dato privetur. Et ita æqualis gravitatis esse videntur unumquodque peccatum et ingratitudo de remissione ipsius : et ita propter ingratitudinem juste aufertur ac revocatur facta remissio, et incipit homo ingratus denuo esse debitor pœnæ sibi ante indultæ. Ex quo sequitur manifeste, per ingratitudines suas peccatorem fieri debitorem tantarum pœnarum, quantæ sibi prius debebantur pro omnibus suis peccatis. Insuper dicimus, quia quocumque peccato mortali quo quis recidivat, indubitanter exstinguit in se gratiam Dei, qua Deo exstitit gratus. Ideo quoque exstinguit in se sequelam seu effectum gratiæ, utpote remissionem ante concessam. Sicut enim non potest præstari peccatorum remissio sine gratia, ita nec esse. Amplius, sicut dividi gratia non potest, ita ut aliquis partim sit sanctus, et partim peccator; ita nec remissio peccatorum, ita ut in parte teneantur et in parte dimittantur. Denique, si quis hostium, principi reconcilietur atque a principe in donum recipiat castrum, deinde rege offenso redeat ad hostes ipsius, numquid solum illud castrum amittet ? Nonne omnia sibi a rege collata amittet, et remissione ac condonatione sibi exhibitis indignus censebitur, magisque displicebit quam ante? Hoc exemplo multisque similibus pensa, quod recidivantes, in iram quam pœnitendo effugerant, relabuntur. Summa autem omnium horum est, pœnas peccatorum jam dimissorum redire ex integro de jure atque justitia, vel potius ipsos peccatores recidivantes recidere ac redire in ipsas, quantum est de jure ac justitia meritorum. Fines vero seu limites misericordiæ Dei, nec hic nec alibi præscribimus aut arctamus : imo immensitatem ejus jugiter veneramur ac prædicamus. — Hæc Guillelmus.

Qui de his scribit diffuse, ac diligenter legenti formidinem incutit grandem. Aliarum etiam opinionum solvit objecta et sentire videtur, quod non solum per quatuor præfata peccata, sed et per unumquodque mortale peccatum quo quis recidivat, universa peccata dimissa redeunt quantum ad pœnam : quod et per multas similitudines probat. Hocque ad minus convincit, quod peccata vehementer, imo ineffabiliter aggravantur per recidivationem frequentem. Ideo metuendissimum supersanctissimi Dei judicium anxie ac maxime formidemus, atque a peccato, præsertim a recidivo, quasi a facie draconis ac basilisci fugiamus, et quasi tumentes super nos fluctus timeamus Altissimum. — Quærit etiam idem doctor, an post quodcumque mortale peccatum quo quis recidivat, sit confessio reintegranda ex integro. Et responsio ejus ad hoc, concordat præinductis ex Thoma : idcirco pertranseo.

QUÆSTIO II

INsuper quæritur, **Quid in hoc Pœnitentiæ sacramento sit sacramentum tantum, quid res et sacramentum, et quid res tantum.**

p. 355 A'. Et de his dictum est supra paulisper. De his namque secundum magistralem processum potius agendum fuisset circa principium tractatus de hoc sacramento, præsertim de eo quod post hæc in fine distinctionis istius inquiritur, utrum Pœnitentia sit unum sacramentum, etc.

Itaque Thomas circa hæc loquitur : In quolibet sacramento fit quidam motus seu promotio suscipientis sacramentum ad aliquam sanctitatem. (Cf. p. 356 B.) In motibus autem corporalibus, quandoque id quod movetur, non cooperatur ad motum nisi recipiendo impressionem agentis, sicut in generatione; et similiter quando res acquirit aliquam perfectionem ad quam ex se nequit pertingere, ut dum aer illuminatur, seu paries depingitur. Interdum autem perfectio seu forma prius suscepta, est sufficiens* principium motus illius, ut in motu naturali locali. Quandoque perfectio ante habita, non sufficit ad producendum effectum, sed cooperatur agenti : sicut dum ars juvat naturam. Et juxta hos tres modos fit etiam motus ad sanctitatem. In Baptismo namque tota sanctificatio est ab extra : unde et signum sacramentale in eo est materia extra apposita, non actus aliquis baptizati. Similiter est in Confirmatione, Eucharistia, Extrema Unctione ac Ordine, quæ ordinantur ad sanctitatem superadditam sanctitati in Baptismo acceptæ. In promotione vero ad sanctitatem per proprium meritum, sufficit principium intus exsistens, ut gratia : ideo habens gratiam, sine aliquo signo exteriori adjuncto ad hanc promotionem pertingit per actus suos, quia in eo spiritualis vita est integra. Sed in eo qui post Baptismum A peccat, spiritualis firmitas vitæ, scilicet gratia et caritas, tollitur; quæ tamen manent in radice, hoc est in fidei sacramento : sicut in eo qui infirmatur perniciose, radix vitæ manet in corde. Hinc ad reparationem pristinæ vitæ integritatis ac gratiæ potest homo cooperari per id quod adhuc retinet; non tamen sufficit, nisi exterius juvetur, quoniam spiritualis vita non est in eo integra. Hinc in sacramento Pœnitentiæ, quod ad reparationem hanc ordinatur, sacramentale signum non est aliqua B materia foris adhibita, sed exteriores actus quibus homo ad suam cooperatur salutem; et complementum reparationis a causa extrinseca significatur per absolutionem sacerdotis, sicut materia in aliis sacramentis per ministri sanctificationem efficaciam recipit sacramentalem : idcirco in sacramento Pœnitentiæ exterior pœnitentia signum est sacramentale. Hinc dum sacramentum dicitur materiale elementum, sumitur elementum extense pro quocumque sensibili signo.

* perficiens

C Porro, dum quæritur, an interior pœnitentia sit res sacramenti istius; dicendum, quod res cujuslibet sacramenti suo sacramento proportionatur. Exterior autem pœnitentia, quæ est sacramentum tantum in hoc sacramento, est sacramentum ut signum tantum, ex parte actus pœnitentis; sed ut signum et causa simul, si actus pœnitentis uniatur actioni ministri. Hinc interior pœnitentia est res pœnitentiæ exterioris, sed ut significata tantum per actus pœnitentis; ut significata autem et D causata per actus eosdem, adjuncta absolutione ministri, per quam homo ad gratiam disponitur : quemadmodum in sacramento Eucharistiæ corpus Christi verum est res significata tantum per species panis et vini, sed causata per verba ministri : sicque illa duo simul juncta, sunt signum et causa. — Si autem objiciatur, quod res sacramenti nunquam est causa signi sacramentalis, interior autem pœnitentia est causa exterioris pœnitentiæ. Rursus, interior pœnitentia est dolor cordis

seu ipsa contritio, quæ est pars sacramenti : non ergo est res ipsius. Respondendum ad primum, quod interior pœnitentia in quantum est actus virtutis, est causa exterioris, quemadmodum in ceteris virtutibus actus interiores sunt causæ exteriorum; sed in quantum est actus cooperans ad sanationem peccati, pertinet ad pœnitentiam sacramentum ; nec est causa exterioris, sed effectus seu signatum ipsius. Non enim habet efficaciam contra morbum peccati, nisi ex suppositione pœnitentiæ exterioris et desiderio absolutionis. Ad secundum, quod illa duo stant simul secundum rationes diversas.

At vero si quæratur, utrum remissio peccatorum sit tantum res hujus sacramenti; dicendum, quod res alicujus sacramenti est non tantum quam efficit actualiter dispensatum, sed etiam ut in proposito exsistens. Quumque Pœnitentia in proposito exsistens, efficiat remissionem peccatorum non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam; ideo remissio peccatorum utroque modo est res Pœnitentiæ sacramenti : quæ aliquando tempore præcedit sacramentum exterius; aliquando autem in ipso sacramento efficitur, ut dum attrito obicem non ponenti datur in ipsa confessione et absolutione gratia atque remissio.
Ps. xcv, 6. Unde super illud, Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, ait Glossa : Si amas pulchritudinem, confitere, ut sis pulcher, id est justus.

Cf. p. 355 D'. Præterea quæritur, an Pœnitentia sit unum sacramentum. Et respondendum, quod quando effectus procedit ex pluribus causis congregatis, tunc nulla earum est per se causa plenaria, ut patet de trahentibus navem. Quum ergo effectus Pœnitentiæ non sequatur, nisi aliquo modo concurrentibus omnibus quæ ad Pœnitentiam requiruntur, omnia illa simul sumpta habent rationem unius causæ perfectæ respectu illius effectus. Quumque sacramenta efficiant significando, ideo etiam omnia illa simul habent rationem unius signi, dum unumquodque eorum imper-
A fecte significat illum effectum : ideo omnia ista simul sunt unum sacramentum.

Denique in sacramentis, in quibus sunt materia et forma, significatio principaliter est ex parte materiæ, efficacia ex parte formæ : idcirco, quum actus pœnitentis in hoc sacramento sint sicut materia, et absolutio sacerdotis ut forma; sacramentum hoc quantum ad rationem significandi, principaliter consistit in actu pœnitentis; sed quantum ad efficaciam, in actu sacerdotis, id est absolutione. Hinc partes Pœ-
B nitentiæ assignantur ex parte pœnitentis magis quam absolventis. Et sicut prolatio formæ verborum in Baptismo non dividitur contra tres immersiones, sic absolutio sacerdotis non ponitur pars contra tres alias Pœnitentiæ partes distincta.

Amplius quæritur, an verba absolutionis debeant per modum deprecationis proferri. Respondetur, quod quædam sunt sacramenta in quorum susceptione seu administratione semper consequitur aliquis effectus in suscipiente, ut in omnibus sa-
C cramentis quæ characterem imprimunt : idcirco in illis propter certitudinem verba exprimunt præsentialiter sacramenti effectum, vel per modum indicativum, ut in Baptismo et Confirmatione, vel per modum imperativum, ut in Ordinis sacramento. In Pœnitentia autem impeditur omnino effectus absolutionis per indispositionem voluntatis; attamen absolutio quantum est de se, sufficienter certitudinaliterque inducit effectum, nisi aliunde sit impedimentum. Ideo absolutio per in-
D dicativum fit modum, sed præmittitur oratio illa, Misereatur, ne effectus absolutionis impediatur; tamen non est de esse sacramenti, sed de bene esse ipsius.

Postremo hic quæritur de institutione hujus sacramenti, et an fuerit institutum ante Salvatoris adventum, vel solum in evangelica lege. Dicendum, quod sacramentum Pœnitentiæ consistit in determinato modo agendi pœnitentiam : qui modus non exstitit semper, nec idem est apud omnes; ideo est institutum. — Por-

ro dum aliquid variatur seu diversificatur A quod est de essentia rei, non est res penitus eadem numero. Quumque determinatus modus pœnitentiæ qui in Ecclesia observatur, sit de essentia ejus, nec fuerit ante adventum Christi; constat quod nec ante hoc tempus fuerit istud sacramentum, quamvis aliquid simile fuit ante. Imo et in lege Moysis erat aliquis determinatus modus, alius tamen quam modo. In lege vero naturæ non fuit aliquis modus ejus determinatus, sed unusquisque modum pœnitendi exercuit prout venit in B mentem ipsius, quoniam omnia sacramenta voto celebrabantur, secundum Hugonem.

Cf. p. 48 A', 85 C' et s.

Præterea advertendum, quod Pœnitentia a Christo est instituta in diversis locis quantum ad diversa. Nam quantum ad utilitatem, instituit eam, dicendo illud Matthæi, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum; quantum vero ad necessitatem, dicendo illud Lucæ, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis; quantum demum ad clavium potestatem, C quum dixit Petro illud Matthæi, Quodcumque ligaveris super terram; in Joanne quoque omnibus simul, Quorum remiseritis peccata, etc. De modo quoque pœnitentiæ aliquid dixit per apostolum Jacobum : Confitemini alterutrum peccata vestra. — Hæc Thomas in Scripto.

Matth. IV, 17. *Luc.* XIII, 5. *Matth.* XVI, 19. *Joann.* XX, 23. *Jacob.* V, 16.

Concordat Petrus. Et ad istud, an Pœnitentia sit unum sacramentum, respondet sicut supra ostensum est ad hoc, an Eucharistia unum sacramentum consistat; et addit : Duplex est pœnitentia : una exte- D rior, quæ est sacramentum tantum; et interior, quæ est res et sacramentum. Est enim res respectu exterioris pœnitentiæ, et sacramentum respectu remissionis peccatorum, seu gratiæ quæ confertur vel incrementum accipit. Etenim res sacramenti dici potest, quam efficit sacramentum. — Denique, circa Pœnitentiam tria considerantur : actus pœnitentiæ interior, actus quoque exterior, et modus determinatus in utroque. Quoad primum, pœnitentia fuit in lege naturæ, videlicet quoad contritionem internam. Quoad secundum, fuit in lege Moysis, quæ præcepit pro diversis peccatis certa et exteriora sacrificia Deo offerre. Quoad tertium, instituta est et servatur in nova lege, quæ jubet confessionem homini facere distincte, atque ad arbitrium satisfacere confessoris. Et ab hoc ultimo habet quod sit sacramentum evangelicæ legis, id est signum et causa remissionis peccatorum. Hæc Petrus.

dist. VIII, q. 1, p. 205 D, 206 C'.

Idem Richardus. Qui addit : Pœnitentia ut est virtus aut actus virtutis, est de lege naturæ, quoniam naturalis ratio dictat ut homo de suis doleat culpis, et ita non est ex institutione; in quantum vero est sacramentum, est ex institutione divina.

Porro Bonaventura : Dupliciter, ait, est loqui de pœnitentia. Primo, ut est reconciliativa Deo. Secundo, prout est reconciliativa non solum Deo, sed item Ecclesiæ. Primo modo est de dictamine legis naturalis, tamen cum aliquanta fidei illuminatione : et sic fuit insinuata magis quam instituta. Fuitque insinuata quando Dominus dixit ad Adam post lapsum : Adam, ubi es ? id est, vide quam insipienter egisti. Loquendo de pœnitentia ut est sacramentum, fuit instituta in lege Moysis imperfecte, quia tunc nondum facta fuit reconciliatio generis humani, nec perfecta unitas populi Dei; in nova vero lege post Christi incarnationem instituta est perfecte. — Exterior quoque humiliatio in confitendo, signum est pœnitentiæ interioris. — Hæc Bonaventura. Cujus verba de his introducta sunt supra, sicut et dicta Antisiodorensis.

Gen. III, 9. p. 90 A', 471 D', 472 D. p. 355 A'.

Præterea, de ista materia plurimas quæstiones movet Henricus in Quodlibetis, præsertim circa principium decimi Quodlibeti. Primo, an error sit dicere, confessum alieni qui potest absolvere, quamvis non nisi ex gratia et privilegio, teneri iterum eadem peccata illi confessa confiteri proprio sacerdoti, de jure communi, virtute illius statuti, Omnis utriusque sexus. Quam

q. 1.

dist. xvii, q. 7. quæstionem sæpius movet, sicut et superius mota est. Et respondet ad illam hic p. 486 C. q. 2. sicut et ante jam patuit. — Secundo, utrum ex concessione per privilegium de absolvendo a peccatis simpliciter, concedatur potestas absolvendi a majoribus criminibus quæ sunt episcopis reservata. Et probat quod non, etiam ex tenore privilegiorum Fratribus Ordinis Mendicantium concessorum. Et ita ipsi Fratres communiter tenent : nam ab episcopis petunt auctoritatem atque licentiam absolvendi ab q. 3. episcopalibus casibus. — Tertio, utrum episcopi tenentur juxta contenta in jure, eos punire qui non confitentur semel saltem in anno proprio sacerdoti, ita ut vivi arceantur ab ingressu ecclesiæ, et mortui sepultura priventur. Et respondet quod imo, præsertim particulares personas. Nam Cf. p. 515 B, 517 B'. communitati parcendum est, nisi ex hoc timeatur de malo graviori, videlicet derogatione prælationis, ut in proposito. Si autem episcopum lateat, an generali illi statuto de semel confitendo in anno proprio sacerdoti, derogatum sit per privilegium sequens, debet exsecutionem illam pœnalem differre, quousque se faciat informari et certificari de sua dubitatione : Cf. p. 518 D'. sicut nunc, inquit, est declaratum. Verum dist. xvii, q. 7. de isto superius dictum est plenius. — Quarto, an expediat subditis pro sua vo- Quodl. x, q. 4. luntate eligere confessores. Ad quod respondet distinguendo atque dicendo, quod non liceat vel expediat hoc fieri passim et sine rationabili causa, ac præter licentiam proprii sacerdotis aut superioris : quoniam multa mala sequerentur ex hoc, utpote quod multi eligerent sibi confessores minus peritos et laxos, sibi superflue condescendentes, etc. Interdum vero id expedit ex rationabili causa, et cum prætacta licentia vel consensu, etc. De his multa conscribit, quæ recitative magis quam assertive commemoro : quia per temporis lapsum diversa privilegia sunt concessa, quæ quantum expediant Dominus novit. Qui autem de his plenius appetit informari, ad prætacta Quodlibeta ac alia scripta recurrat.

A

Alibi quoque quærit, utrum abbas aut prælatus religiosi confessiones audientis, Quodl. i, q. 27. possit ei subtrahere aliquem casum qui alias pertineret de jure ad ipsum. Et respondet, quod ex rationabili causa hoc potest, quando subditus ille non habet ordinariam jurisdictionem audiendi confessiones, sed solum ex superioris sui commissione audit eas. Tunc enim potest ei totam auctoritatem illam auferre. Si autem inferior habet aliquam ordinariam auctoritatem et jurisdictionem audiendi confessiones subditorum suorum, ut sacerdotes curati ; tunc episcopus non potest eam tali auferre ad placitum, imo tenetur generalem consuetudinem Ecclesiæ custodire, et ordinationem ejus servare ; nec potest eam solus mutare, ubi ex communi jure ordinario, vel ex consuetudine sana et præscripta, quæ in hoc juris habet vigorem, ipsi curati jurisdictionem sibi annexam ac debitam sortiuntur. Non, inquam, potest hoc sine legitima causa, quia superiores tenentur inferioribus jura sua custodire illæsa. Et hoc solum dicimur posse quod possumus de jure. Si autem habeat præsul curatum suspectum de aliquo crimine, potest ei subtrahere absolutionem a tali facinore. De casibus autem a jure reservatis superiori prælato potest ei committere totum vel partem, vel nihil, quemadmodum alteri qui ex officio nullam habet jurisdictionem.

Amplius si quæratur, utrum prælatus q. 28. possit subdito suo confessiones audienti concedere plures casus a quibus absolvat, quam jura concedunt : dicendum, quod quia prælati superiores habent sollicitudinem generalem et immediatam super omnes subditos suos, sicut Papa in universali Ecclesia, et episcopus in diœcesi sua, et abbas in monasterio suo, nec tamen per se sufficiunt ad exsequendum effectum immediate in omnes ; idcirco de jure et de consuetudine consona juri, habent quod ea quæ ad se specialiter pertinent, aliis queant committere : et hoc libere, quoniam nulli alii ex officio competunt. Et

illi sunt casus super eos qui sunt eis a jure concessi.

q. 29. Quæritur quoque, an sacerdos subditus possit confitentem absolvere a casibus pertinentibus ad se, et de aliis remittere ad superiorem. Dicendum, quod quibusdam videtur, quod sicut contritio integra debet esse de omnibus peccatis, et similiter confessio; ita et sacramentalis absolutio. Sicque respondendum esset negative ad quæstionem; atque in tali casu confitens teneretur omnia sua peccata superiori confiteri, et ab omnibus simul absolvi, ne confessio medietur. Sed hujus contrarium videmus communiter observari in universali Ecclesia, tam in curia summi Pontificis, quam aliorum pontificum. Etenim Pontifex summus missos ad se pro absolutione in casibus ad ipsum specialiter pertinentibus, absolvit, et diœcesanis rescribit episcopis : Tali, quem de tali crimine ad te remittimus absolutum, pœnitentiam salutarem injungas. Nec fit mentio ibi de aliis suis peccatis. Similiter agunt episcopi circa missos ad se a curatis. Nec dicere fas est, quod Ecclesia in his errat. Idcirco ad quæstionem respondendum est affirmative. Si autem omni modo velit quis dicere, quod absolutio debet unica esse; dicamus, quod prima absolutio fit sub ratihabitione de secunda sequente, ita quod factum in prima suspenditur, nec habet effectum nisi veniente secunda; et tunc secunda absolutio agens in virtute propria ac præcedentis efficit totum, et primam ratificat : imo ambæ simul sunt quasi absolutio una completa. Verumtamen in prima absolutione nulla debet apponi conditio de secunda, nec econtra : quia de jure talis conditio subintelligitur satis. Ideo inferior absolute debet absolvere de pertinentibus ad se, et de aliis ad superiorem remittere : quem si confitens ille non vellet accedere, de nullo peccato esset absolvendus, utpote impœnitens et rebellis.

q. 39. Iterum quæritur, an inferior possit illum absolvere de pertinente ad superiorem, sub A ista conditione, si superior ratum habuerit; itemque, an possit illum absolvere de pertinentibus ad se, ad tempus, quousque superiori confiteatur. Et respondendum ad duo hæc, quod inferior de culpis pertinentibus ad se, statim debet et potest illum absolvere absolute, non sub aliqua conditione, si de illis postea absolvatur a superiore, nec ad tempus, quousque a superiore absolvatur. Non enim valeret absolutio taliter facta, quoniam verba sacramentalia nullum habent effectum nisi B sub illa assertione ac forma verborum sub qua sunt divinitus instituta : quæ certum est instituta esse sub assertione absoluta, sicut quum dicitur, Ego absolvo te. — Hæc Henricus primo Quodlibeto.

Denique de forma sacramenti istius scribit Thomas in tertia parte : In qualibet re perfectio attribuitur formæ. Quumque sacramentum Pœnitentiæ perficiatur per ea quæ sunt ex parte sacerdotis, oportet quod ea quæ sunt ex parte pœnitentis, sive sint verba, sive facta, sint quædam materia C hujus sacramenti, et quæ ex parte sunt sacerdotis, sint quasi forma. Et quoniam sacramenta novæ legis efficiunt quod designant, oportet ut forma sacramenti significet id quod agitur in sacramento, proportionabiliter materiæ sacramenti. Hoc autem sacramentum consistit in remotione impedimentorum gratiæ ac salutis, videlicet peccatorum, secundum quod peccata dicuntur materia ejus; et talis remotio significatur a sacerdote, quum dicitur, Ego te absolvo. Unde patet quod ista sit hujus D sacramenti convenientissima forma, Ego te absolvo. Peccata namque sunt quasi vincula, secundum illud in Proverbiis : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Sumitur quoque hæc forma ex verbis Christi ad Petrum : Quodcumque solveris super terram, etc. Sed quia sacerdos absolvit sicut minister Dei, additur aliquid ad Dei pertinens potestatem, et primam ac summam auctoritatem, dum subditur, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; vel,

q. LXXXIV, a. 3.

Prov. v, 22.

Matth. XVI, 19.

A Per virtutem passionis Christi; vel, Auctoritate Dei. Verumtamen, quum hoc non sit determinatum ex verbis Christi, quemadmodum in Baptismo; ideo talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis, nec est de essentia formæ. Ista quoque expositio, Ego te absolvo, id est, absolutum ostendo, quamvis sit aliquo modo vera, non est tamen perfecta, quoniam sacramenta novæ legis efficiunt quod designant; ideo absolvendo cooperatur ad absolutionem per modum supra expressum. Hæc Thomas. — Aliqui tamen dicunt, quod verba illa divinam B potestatem principaliter absolventem significantia, necessario sint addenda.

Cf. dist. xviii, q. 3.

Postremo, circa præhabita scribit Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali : Nominemus et numeremus jam officia confessoris. Horum primum præcipuumque consistit sanctificare, quia per absolutionem et benedictionem invocationemque confessoris, vincula vitiorum disrumpuntur in cordibus pœnitentium, maculæ absterguntur : quia gratiæ infunduntur, veniæ ac remissiones gehennalium tormentorum C præstantur. Secundum officium confessoris est judicare : ex quo incumbit ei scire singulorum vitiorum justitiationes proprias, et ipsa vitia dignoscere, ab invicemque distinguere, et qua pœna unumquodque plectendum ac castigandum sit scelus. Tertium confessoris officium est, Deum homini pacificare, et Deo hominem reconciliare : idcirco necessarium ei est scire vias et modos reformandi pacem, injungendo congruam satisfactionem, sicque inducere hominem ad honorificentiam Dei in omnibus, quatenus quot modis et viis ipsum inhonoravit, offendit, atque a se expulit, tot modis, viis ac mediis ipsum studeat honorare, placare, et ad possidendum ac inhabitandum cor suum reducere. Quartum officium confessoris est officium medici spiritualis : ut quidquid exterior medicus agit ad corporalium ægritudinum curationem, hoc ipse spiritualiter ac sapientialiter operetur ad vitiorum eradicationem, ad infirmitatum animæ medicationem, ad vulnerum ac læsionum mentis medelam; sicque unicuique morbo interiori, tentationi, deformationi ac lapsui apta ac optima applicet remedia et emplastra; et linguam habeat eruditam ad instruendum, ad consolandum ac consulendum, ad increpandum et inflammandum, ad confortandum et conservandum in omni bono. Quintum officium ejus est obsequium obstetricis : quatenus sicut obstetrix recipit, involvit, custodit protegitque infantulum; sic ipse brachiis caritatis, uberibus consolationis, et directione in omnibus suscipiat, amplectatur, dirigatque confessum. Sextum officium est, ut ipsum instar piissimi patris spiritualiter amplexetur, enutriat, ac gubernet. Septimum est, ut ipsum instar nutricis caritative tractet, compassive refoveat, et in suo circumferat corde. — De his doctor ille devote ac diffuse prosequitur, et sensum magis quam verba ejus expressi.

DISTINCTIO XXIII

A. *De sacramento Unctionis Extremæ.*

Hugo, Summa Sent. tract. vi, c. 15; de Sacram. lib. ii, p. xv, c. 1.

PRÆTER præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet Unctio infirmorum, quæ fit in extremis, oleo per episcopum consecrato. Et sunt tria genera unctionis. Est enim unctio quæ fit chrismate, quæ dicitur principalis unctio, quia in ea principaliter Paracletus datur. Unde et propter abundantiam gratiæ duos

liquores mixtos habet, oleum scilicet et balsamum : oleum conscientiæ, balsamum bonæ famæ. Chrisma vero Græce, unctio Latine dicitur. Nec tamen omne oleum ad unctionem sanctificatum chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo : quo capita regum et pontificum unguntur, quo etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, et pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. Est et alia unctio, qua catechumeni et neophyti unguntur in pectore et inter scapulas in perceptione Baptismi. Tertia vero unctio est, quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur.

B. *A quibus institutum sit hoc sacramentum.*

Hoc sacramentum Unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Jacobus : Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis fuerit, dimittentur ei. In quo ostenditur, duplici ex causa sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, et ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat eum qui hanc unctionem fideliter devoteque percipit, et in corpore et in anima alleviari, si tamen expedit ut in utroque allevietur. Quod si forte corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quæ est animæ sanitatem in hoc sacramento acquirit. Et sicut in aliis sacramentis, ita et in isto aliud est sacramentum, aliud res sacramenti. Sacramentum est ipsa unctio exterior, res sacramenti unctio interior, quæ peccatorum remissione et virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu vel negligentia sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est et damnabile.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. xv, c. 2.
Jacob. v, 14, 15.
Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 15.

C. *De iteratione hujus sacramenti.*

Quærunt aliqui, si hoc sacramentum iterari possit, quum Baptismus et alia quædam sacramenta semel suscepta non iterentur. Augustinus dicit sacramentum non iterandum, et sacramento non faciendam esse injuriam. Sed hoc dicit ubi agit de sacramento Baptismi et Ordinationis. Unde non videtur illud generaliter accipiendum, sed de sacramento Baptismi, Confirmationis et Ordinationis, quæ nullatenus sunt repetenda : quia semel tantum et non sæpius datur Baptismus, Confirmatio et Ordinatio. Sacramentum vero altaris et Pœnitentiæ et Conjugii sæpe iterari videtur : quia sæpe Sacramentum corporis percipitur, frequenter pœnitentia agitur, conjugium sæpe contrahitur. Quare ergo Unctio similiter non potest iterari? Si morbus non revertitur, medicina non iteretur. Si vero morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita et Unctio iterari posse videtur : utraque enim illic commemorat Jacobus, et utrumque alteri cooperatur ad conferendam alleviationem corporis et animæ. Cur ergo negetur unctionem super infirmum posse iterari, ad impetrandam sæpius sanitatem mentis et corporis,

Hugo, ibid.
Aug. contra Parmenian. lib. II, c. 13, n. 28.
Hugo, de Sacram. lib. II, p. xv, c. 3.

Hugo, Summa Sent. tract. VI, c. 15. quum propter infirmitatem eadem sæpe iteranda sit oratio ? Quidam autem de omni sacramento intelligi volunt, quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud quod pertinet ad sacramentum, dicentes quædam sacramenta sæpius posse suscipi, quædam vero non ; nec tamen quæ sæpius sumuntur, totaliter iterantur, ut Sacramentum altaris et Unctionis : quæ licet sumantur sæpius, tamen quia non iterum benedicitur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur sacramentum cum injuria. Sed dicet quis : Sic et Baptismus non iteratur, etiam si aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. Sed aliud est (inquiunt illi) de benedictione aquæ qua fit Baptismus, aliud de benedictione panis et olei. Potest enim Baptismus celebrari in aqua etiam non benedicta, quia illa benedictio de reverentia tantum fit et decore, non virtute sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici nisi de pane consecrato, nec unctio illa fieri potest nisi de oleo ab episcopo consecrato * : ideoque sanctificatio illa ad virtutem sacramenti pertinere videtur. In conjugio quoque semel tantum benedicitur quisque, non sæpius. Benedicitur enim (ut ait Ambrosius) cum prima et non secunda uxore. (Ambrosiast. in I Cor. VII, 40.) Si ergo, quum dicitur sacramentum non esse iterandum, nec injuriam ei esse faciendam, rationem dicti referas ad sanctificationem rei qua sacramentum expletur ; de omni sacramento generaliter id verum est. Si vero ad susceptionem sacramenti, de quibusdam verum est quod non iterantur crebra susceptione, de aliis vero quibusdam non, quia frequenter sumuntur, ut hoc Unctionis sacramentum, quod in omni pene Ecclesia repetitur.

* sanctificato

SUMMA
DISTINCTIONIS VICESIMÆ TERTIÆ

JAM supra tractavit Magister de quatuor sacramentis, utpote, de Baptismo, quod vocatur sacramentum intrantium ; de Confirmatione quoque, Eucharistia et Pœnitentia, progredientium. Nunc tractat de quinto sacramento, hoc est de Extrema Unctione, quæ dicitur sacramentum egredientium : de quo primo declarat quid sit, et de triplici unctione ; secundo, a quo sit institutum, et de duplici principali ejus effectu ac utilitate ; tertio tractat de ejus iteratione.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum Extrema Unctio sit sacramentum evangelicæ legis, institutum a Christo.**

A Videtur quod non. Primo, in veteri Testamento reges, sacerdotes, et prophetæ ungebantur ; et sicut in littera tangitur, etiam in Ecclesia est unctio multiplex : et ita non videtur sacramentum speciale. — Alia quoque sacramenta videntur sine ipso sufficere. Nam et Eucharistia (ut apparet) est potius sacramentum exeuntium quam unctio ista, quum appelletur viaticum, estque vigorosissimum et efficacissimum ad deducendum, purgandum et perducendum viatores in patriam : et ita (Cf. p. 206 D.) B videtur superfluum, non necessarium. — Rursus, omnia evangelicæ legis sacramenta a Christo sunt instituta, non istud, ut habetur in littera. Nec in Evangelio de ipso legitur quidquam.

Circa hæc scribit in Summa, libro quarto, Antisiodorensis : Dicto de Pœnitentia, per quam fit remissio peccatorum, dicendum est de Extrema Unctione, per quam

fit completio remissionis illorum. Materia sacramenti hujus est oleum ab episcopo consecratum, quod appellatur oleum infirmorum. Quemadmodum autem de essentia Baptismi sunt tria, puta materia, forma verborum, atque intentio baptizandi ; ita in hoc sacramento sunt tria, quæ sunt præfata materia, et forma verborum, qua dicitur, Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam, etc., et ordo sacramentalis in ministro, seu recta ipsius intentio. Et quamvis in isto sacramento sint plures unctiones particulares, quæ fiunt in membris diversis, et forma illa verborum sæpius iteretur ; attamen unum est sacramentum totale, perfectum et gratiæ collativum (quod etiam præfiguratum fuit per unctionem David in regem) : quemadmodum et in Baptismo sunt plures immersiones, et tamen unum est sacramentum. Quumque sacramentum hoc iteretur, constat quod non imprimitur in ipso character, præsertim quum sit complementum et consummatio quædam sacramenti Pœnitentiæ, in quo non imprimitur character, ut dictum est. Nec datur pueris ratione nondum utentibus : quia nondum indigent eo, quum detur contra actualia peccata. — Hæc Antisiodorensis. Quorum intellectus ex sequentibus elucebit.

Cf. dist. [..]ı, p. 175 A, 76 A, D'.

De his scribit in suo Sacramentali Guillelmus : Egredientes de hoc mundo, quum mox Deo sint præsentandi, dubitandum non est, eos esse purgandos et sanctificandos de his quæ ipsis de mundo hoc adhæserunt (sicut pulvis adhæret itinerantium pedibus), atque a minimis et quotidianis inquinamentis, sine quibus non agitur vita præsens, quæ usualiter venialia nuncupantur. Nee enim sponsa ad sponsum sine ablutione et apparatu ingreditur ; nec vas superponitur mensis absque resinceratione ; nec ad solenne convivium quisque urbane agens, sine vestis mutatione ac decoratione ingreditur. Quum ergo anima tanquam sponsa sit a corpore egressura ad thalamum Sponsi cœlestis, ad æternæ jucunditatis solennitatem, ad

A beatissimæ refectionis convivium, ad supernorum civium societatem, et tanquam vas pretiosum in conspectu Regis altissimi reponendum ; decentissimum est ut in extremis agens, hoc sacro oleo liniatur, purgetur ac decoretur, sicque superpulcherrimi Sponsi præsentetur conspectui. Hæc Guillelmus.

Circa hæc loquitur Thomas : In his quæ Ecclesia visibiliter operatur, quædam sunt sacramenta, ut Baptismus ; quædam sacramentalia, ut exorcismus : quæ differunt, B quoniam sacramentum est actus Ecclesiæ qui attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum ; sacramentale vero est actio quæ quamvis non attingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Effectus autem intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati. Isaias : Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Quumque ad hunc effectum pertingat Extrema Unctio, juxta illud Jacobi, Si in peccatis est, C dimittetur ei ; patet quod sit sacramentum. Et hominem immediate disponit ad gloriam : nam exeuntibus a corpore datur. Idcirco in veteri Testamento præfigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi correspondens, tanquam per figuram ejusdem generis ; quamvis per figuras remotas aliquo modo sit figuratum in omnibus curationibus quæ leguntur in veteri Testamento. Sciendum quoque, quod divinus Dionysius in libro Ecclesiasticæ hierarchiæ mentionem non facit de Extrema D Unctione, sicut nec de Pœnitentia, neque de Matrimonio : quoniam non intendit loqui ibi de sacramentis nisi in quantum per ea innotescere potest ordinata dispositio ecclesiasticæ hierarchiæ quantum ad ministros ministrorumque actiones et ad recipientes.

Is. XXVII, 9.

Jacob. V, 15.

Cf. t. XV, p. 418 A.

Denique, Extrema Unctio est unum sacramentum eo modo quo supra declaratum est sacramentum Eucharistiæ esse unum, non quod sit unum sicut indivisibile, sed sicut aliquid integrum et perfe-

Cf. p. 205 D.

ctum, ex pluribus partibus constitutum, quemadmodum domus : imo sic quodlibet sacramentum unum vocatur, quia in quolibet sacramento sunt plura, utpote aliquid tanquam materia, et aliquid sicut forma, quæ adunantur ad aliquid designandum atque causandum, quoniam sacramentum causat significando. Idcirco, dum una sufficit actio ad significationem perfectam, unitas sacramenti in illa tantum actione consistit, sicut in Confirmatione. Quum vero significatio sacramenti potest esse in una actione et in pluribus, sacramentum perfici potest una actione ac pluribus : quemadmodum in Baptismo tam una immersione quam pluribus significatur ablutio. Sed quum perfecta significatio esse nequit nisi per plures actiones, tunc plures actiones de perfectione sunt sacramenti, sicut in Eucharistia : quia refectio corporalis quæ significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum et potum ; sic quoque in Unctione Extrema, quia curatio vulnerum interiorum perfecte designari non valet nisi per appositionem medicinæ ad vulnerum radices diversas. Hinc plures actiones sunt de perfectione sacramenti istius, et omnes uniuntur in una actione completa, quæ est omnium exteriorum unctio sensuum, et est actio una aggregative.

Si quæras, quid agendum sit, si sacerdos inungens, post unius sensus aut duorum vel trium unctionem deficiat : respondendum, quod quamvis in Eucharistia si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos possit ad vini consecrationem procedere, incipiendo ubi ille dimisit, vel a capite inchoare super materiam aliam ; tamen in Extrema Unctione non potest a capite inchoare, sed debet procedere : quoniam unctio in eadem parte bis facta, tantumdem est ac si bis consecraretur hostia eadem. Unde ad unitatem sacramenti non requiritur unitas ministri, quia minister solum instrumentaliter operatur.

Præterea de institutione hujus sacramenti est duplex opinio, ut tactum est ante. *Cf.* p. 86 B. Una, quod Christus per se non in-

A stituit sacramentum hoc, sicut nec sacramentum Confirmationis, sed Apostolis instituendum reliquit : quia hæc duo sacramenta non decuit institui ante plenam missionem et dationem Spiritus Sancti, quum in ipsis contineatur et detur quædam gratiæ plenitudo. Quæ ratio parum cogit, quoniam sicut ante passionem promisit plenam Sancti Spiritus missionem, sic potuit hæc quoque instituere sacramenta. Hinc alii dicunt, quod Christus per se omnia sacramenta instituit, et ea quæ

B majoris sunt necessitatis ac difficultatis per se promulgavit, alia Apostolis promulganda reliquit. Et istud verius reputatur, quoniam sacramenta ad legis pertinent fundamentum : ideo ad legislatorem pertinet institutio eorumdem, præsertim quum ex institutione efficaciam sortiantur, quam non nisi divinitus habent. — Hæc Thomas. Quæ et superius habita sunt. dist. II, q. 2. Verumtamen Magister in textu evidenter testatur, quod ab Apostolis institutum sit hoc sacramentum, quod Thomas exponit

C quantum ad promulgationem institutionis factæ a Christo.

Concordat Petrus, et addit : In spiritualibus medicinis quædam sunt tanquam principalia, quæ scilicet per se ordinantur ad curationem interiorem : et ista dicuntur sacramenta. Quædam sunt accessoria, quæ ordinantur ad hoc per aliud medium : quæ vocantur sacramentalia. Sacramentum quoque prædicatur de aliquo dupliciter. Primo, per causam : et sic oleum dicitur sacramentum, sicut et aqua nominatur

D Baptismus. Secundo, essentialiter : et sic unctio est sacramentum, sicut intinctio in aqua fertur Baptismus. — Hæc Petrus. Qui de institutione hujus sacramenti non loquitur nisi recitative : quod tutius puto, quia incertum est a quo immediate sit institutum.

Richardus quoque : Id (inquit) quod est sacræ rei signum, et causa per se ordinata ad efficiendum aliquod sacrum, non solum est sacramentum, sed etiam sacramentum novæ legis. Tale autem est Un-

A

ctio Extrema, quum sit signum et causa per se spiritualis unctionis per gratiam : quæ unctio interior, est res sacra et sacrans. Hæc Richardus.

Insuper Albertus : Hoc (ait) sacramentum ordinatum est contra specialem morbum peccati, contra quem nullum aliud sacramentum specialiter ordinatur, quamvis secundario possit ad id cooperari. Est autem morbus ille infirmitas spiritualis inclusa in anima, ex originali et actuali remanens culpa. Et unctio ista ex hoc quod tollit peccati reliquias, confert ad

B

evolationem : propter quod in veteri Testamento non habuit locum, neque figuram. Quod optime innuitur in evangelio Nicodemi, quo legitur, quod Adam misit filium suum Seth ad accipiendum ab angelo paradisi oleum misericordiæ, quo ungeretur corpus suum infirmum ; et negatum est ei quousque Christus veniret, qui unctione sua, corpora animasque reficeret : quoniam unctio talis locum non habet nisi in plenitudine gratiæ facta per Christum.

C

Æstimo etiam præsumptuosum dicere, quod sacramentum istud non conferat gratiam invisibilem gratum facientem, quamvis aliqui hoc scripserunt, nulla auctoritate rationeve fulti. Ideo dicimus, quod confert gratiam principaliter operantem contra peccatum, et secundario contra corporis infirmitatem. Denique Extrema Unctio ita communiter definitur : Extrema Unctio est unctio oleo sanctificato facta ad alleviationem utriusque infirmitatis hominis, scilicet corporis et animæ. Vel planius a quibusdam : Extrema Unctio est sacra-

D

mentum ex unctione per oleum pro infirmis sanctificatum facta, conferens infirmo remedium contra peccati reliquias, et si expediat, alleviationem ferens corporis infirmitati. Hæc Albertus. — Verum allegatio illa ex evangelio Nicodemi nullum habet valorem, quia evangelium illud inter apocrypha computatur.

Præterea Bonaventura : Quorumdam (inquit) opinio fuit, sacramentum hoc esse ordinatum principaliter contra reliquias seu sequelas peccati, quæ gravant, et relictæ sunt ex originali et actuali peccatis : quæ reliquiæ sunt pœnæ spirituales, frequenter tamen habent corporales pœnas annexas ad sui expurgationem. Ideo hoc sacramentum principaliter est contra pœnam spiritualem, atque ex consequenti ad sanandum morbum corporalem. Sed contra hoc est quod a Jacobo in institutione hujus dicitur sacramenti : Et si in peccatis *Jacob.* v, 15.
est, dimittentur ei. Ergo hoc sacramentum constitutum est contra aliquem morbum peccati ; et hoc tangitur ibi in Glossa. Quumque non sit contra originale neque mortale, relinquitur quod sit contra veniale. Et hoc communis tenet opinio. — Sed de veniali possumus loqui dupliciter. Primo, secundum quod anima est in via progressionis : et ita non est in toto curabile, sed adhæret quasi inseparabiliter animæ ; ideo contra ipsum non debuit aliqua medicina specialiter ac principaliter ordinari : imo omnia sacramenta valent quodammodo ad ejus curationem, secundum plus et minus. Secundo, prout anima est in via egressionis : sicque possunt venialia curari sine iteratione ; et ita, quum anima possit trahere aliqua cremabilia, quæ retraherent ac differrent eam a gloria, statuit misericordia Dei sacramentum istud in remedium, per quod anima possit curari quantum ad remissionem culpæ et etiam partis pœnæ. Modus quoque hujus curationis correspondet modo infirmitatis venialis peccati, quod animam gravat deprimendo deorsum, ita ut non tendat tam perfecte in Deum per devotionem et caritatis fervorem, eo quod mixta sit quædam aversio inordinata ad commutabile bonum. Quumque curatio sit directe per contrarium, morbus iste per hoc curatur quod animam aggravatam sursum levat per devotionem. Et quoniam corruptibile corpus *Sap.* IX, 15.
aggravat animam : quum istud sacramentum sit ad elevandum animam per devotionem, in qua anima recipit quemdam vigorem, in quo semper est quædam venialium deletio, si sint in anima, et per

consequens repressio corporalium molestiarum, si expediat animæ : hinc sacramentum hoc principaliter est ad curationem infirmitatis spiritualis, utpote peccati venialis; et consequenter seu quasi per accidens, ad curationem vel alleviationem corporalis infirmitatis, roborando quodammodo animam corpus regentem. — Ex quibus patet quid sit in hoc sacramento signum tantum, et quid res tantum, et quid simul res et signum. Nam signum tantum, est exterior unctio; res tantum, venialis culpæ curatio; res autem et signum, est excitatio devotionis in anima, quæ non est nisi unctio spiritualis. — Præfatos autem effectus in anima et corpore habet hoc sacramentum per supernaturalem virtutem, quæ operatur secundum institutionem divinam, quæ noluit per hoc sacramentum prodere secretum fidei : et ita nec secundum legem communem habet ab infirmitatibus incurabilibus liberare. Et iterum, in hoc sacramento est aliquid naturale, et aliquid super naturam. Effectus quippe ejus in anima est super naturam; sed quod ille redundet in carnem, est naturale, juxta illud Psalmi (*Ps.* xxvii, 7) : In ipso speravit cor meum et adjutus sum, et refloruit caro mea. Hæc Bonaventura.

Qui insuper de institutione hujus sacramenti (p. 592 D, A') recitat duas opiniones præhabitas, et fortiter tenet, quod non sit immediate a Christo institutum, sed ab Apostolis sanctis ex Christi mandato, juxta suggestionem et inspirationem Spiritus Sancti. Circa quod addit : Sic decuisse et congruum exstitisse manifestum est, si attendatur sacramentorum diversitas. Quædam enim sacramenta sunt communia veteri legi ac novæ, quædam propriissima novæ legi, quædam medio modo se habent. Communia sunt, quæ sunt quodammodo de dictamine naturalis rationis, ut Matrimonium et Pœnitentia. Quod quum semper maneat idem, illa sacramenta ab initio cucurrerunt. Et hæc sacramenta Dominus Jesus consummavit et confirmavit in nova lege. Sacramenta vero novæ legi propriissima (A) sunt, quæ significant gratiam in statu qui proprius est evangelicæ legi. Et hæc sacramenta sunt duo, Confirmatio et Unctio Extrema. In quorum primo significatur gratia Spiritus Sancti, secundum quam inungitur homo in pugilem, ut pro Christo audeat mori; in secundo autem, in regem, ut in regnum cœlorum valeat ingredi tanquam in suum. Quod novæ legi est proprium : hinc in veteri lege non habuerunt certam figuram. Et quia significant Spiritus Sancti gratiam in abundantia quadam, (B) et Spiritus non fuit tam abundanter datus quousque Jesus est glorificatus (*Joann.* vii, 39); ideo duo hæc sacramenta a Christo fuerunt insinuata, et postea a Spiritu Sancto per Apostolos instituta. Alia sunt sacramenta media, quæ in veteri lege non fuerunt in veritate, sed in figura et significatione, ut Baptismus, Eucharistia, Ordo. Et quoniam Christus legem implevit, atque figuras evacuavit; ideo hæc tria sacramenta per se ipsum instituit. — Verum his objici potest, quod Deus per se ipsum immediate (C) instituit omnia sacramenta veteris legis, loquendo ad Moysen : quum ergo sacramenta novæ legis multo digniora sunt illis, fuerunt immediate instituta a Christo. Dicendum, quod Deus immediate loquebatur ad Moysen; deinde Moyses sicut minister et nuntius Dei, populo loquebatur : sic Spiritus Sanctus Apostolis, et ipsi tanquam ministri exposuerunt populis. Unde sacramentorum institutionem non adscribimus nisi Deo per Filium vel Spiritum Sanctum. Nec tamen creden(D)dum est, aliquem Apostolorum per se solum instituisse hoc sacramentum, sed totum collegium; Jacobus vero promulgavit, sicut et postea sententiam de non observandis legalibus recitavit (*Act.* xv, 13 et seq.). Hæc Bonaventura.

In quibus apparet obscurum quod ait, Deum per se immediate Moysi esse locutum et legem ei dedisse, quum Apostolus ad Galatas protestetur, legem datam per angelos in manu mediatoris (*Galat.* iii, 19), id est, per manum et obsequium Moysis, qui inter

Deum et populum exstitit mediator. Stephanus quoque in Actibus loquens Judæis: *Act.* VII, 53. Accepistis, inquit, legem in dispositione angelorum, et non custodistis. Imo tota allocutio illa Dei ad Moysen, per angelum facta est, ut S. Dionysius evidenter testatur, et ex Scripturis monstratur. (De Cœlest. hier. c. IV.) Gregorius etiam in Moralibus idem loquitur. — Quæ demum in præinductis et in sequentibus de hoc sacramento scribit Bonaventura, ipsemet in Breviloquio suo compendiose deprompsit.

Durandus quoque hic ait : Extrema Unctio ordinatur ad dimissionem venialis peccati. Et si objiciatur, quod ad hoc sufficit Pœnitentiæ sacramentum; respondetur, quod hoc sufficit sanis, non ægris ad mortem, qui propter aggravationem infirmitatis et debilitatem naturæ nequeunt expedite ac libere de suis peccatis excogitare, conteri, confiteri.

Si autem quæratur, quomodo per Extremam Unctionem dimittatur veniale peccatum; dici potest, quod Extrema Unctio cooperatur ad hoc, quia per eam datur digne suscipienti quædam spiritualis hilaritas mentis contra oppressionem quam infirmus tunc patitur tam ex corporis debilitate, quam ex culparum suarum recordatione, ex qua posset faciliter in desperationem corruere. Quam hilaritatem S. Jacobus forsan vocat alleviationem, et ad eam sequitur mentis ad Deum conversio, generalisque displicentia omnium delictorum, quæ sufficit ad venialium deletionem culparum. Unde postquam B. Jacobus dixit, Alleviabit eum Dominus, protinus (*Jacob.* V, 15.) addidit : Et si in peccatis est, dimittentur ei. — Hæc Durandus. Et hoc est quod videtur hic dicere Thomas, quod Extrema Unctio ordinatur ad tollendum reliquias peccatorum [sive] culpæ remanentis : quæ reliquiæ, secundum eum, non sunt dispositiones ex actibus peccatorum relictæ, tanquam quidam habitus inchoati, sed sunt quædam debilitas in mente exsistens ad perficiendos gratiæ actus. Hæc autem debilitas quid sit, nisi illa gravedo mentis

A quam infirmus in illo patitur statu ex causis præfatis, non video.

Præterea Thomas de Argentina videtur hic in omnibus dictis ex S. Thoma concordare. Et arguit contra opinionem dicentium sacramentum istud non esse immediate a Christo, sed ab Apostolis institutum. Nihilo minus prosequendo disputationem suam, fatetur quod a Christo sit institutum principaliter et auctoritative, ab Apostolis vero instrumentaliter seu ministerialiter et exsecutive. Sed hoc est B in opinionem Bonaventuræ incidere. Nec S. Thomas intendit hoc dicere : imo vult comprobare, quod Christus exsecutive sacramentum istud instituit; quod etiam in quantum homo, instrumentaliter seu ministerialiter egit (quamvis excellentiori modo quam ceteri), auctoritative vero, ut Deus; non tamen quod aliquem ægrum hoc sacramento inunxit, sicut nec baptizavit, quamvis Baptismum instituit. Et forsitan quantum ad hoc, Argentinensis scribit, quod Apostoli sacramentum C istud exsecutive instituerunt, non Christus.

Postremo Scotus hic ponit atque exponit unam quasi definitionem seu descriptionem Unctionis Extremæ : Extrema (dicens) Unctio est unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab episcopo, ministrata a sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, efficaciter signans ex institutione divina finalem venialium curationem. Ex quibus D verbis probatur, quod sacramentum hoc exhiberi non debeat sano, nec qualitercumque exposito periculo mortis (quia non eis quibus imminet mors ex violentia exteriori armorum, aut submersionis), nec qualitercumque infirmo, sed letaliter infirmanti. Nec dandum est non pœnitentibus, utpote infantibus et ratione non utentibus ; nec furiosis, nisi innotescat per voluntatem præcedentem sacramentum hoc ipsos voluisse. Hæc Scotus.

QUÆSTIO II

MOdo quærendum **De materia et forma sacramenti istius, et de effectibus ejus.**

De quibus omnibus jam aliqua dicta
p. 591 A. sunt, utpote, quod materia ejus sit oleum ab episcopo consecratum; forma vero, Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, etc. Insuper de ejus
p. 593 A. effectibus patuit, quod sint specialiter atque præcipue duo : unus spiritualis ac principalis, qui est venialium remissio seu reliquiarum peccati curatio; alius corporalis, qui est alleviatio seu melioratio corporis infirmantis.

Itaque de materia sacramenti istius Thomas disseruit : Spiritualis curatio quæ in fine præsentis vitæ adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia nulla restat; et etiam lenis, quatenus spes, quæ exeuntibus maxime necessaria est, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, et etiam penetrativum usque ad intima, imo et diffusivum : ideo quantum ad utrumque prædictorum, est conveniens hujus sacramenti materia. Quumque oleum principaliter nominetur liquor olivæ, quum et alii quidam liquores ex similitudine ad ipsum, oleum appellentur ; ideo oleum olivæ materia est sacramenti istius aptissima. Nec oportet quod balsamum apponatur aut misceatur : balsamum namque propter odoris sui fragrantiam, bonitatem significat famæ, qua de cetero non indigent recedentes de corpore, sed conscientiæ sinceræ nitore. Nec convenit vinum, quod sanat mordicando, non leniendo. Et quamvis oleum olivæ non habeatur ubique, faciliter tamen potest adduci. Nec sacramentum istud est tantæ necessitatis, ut sine ejus susceptione non sit salus, dummodo non ex contemptu omittatur.

Insuper oleum istud oportet esse con-
A secratum. Quidam tamen dixerunt, quod oleum simplex sit materia sacramenti istius ; et ideo in sanctificatione olei per episcopum efficitur sacramentum. Sed hujus oppositum constat ex dictis de Eucharistiæ sacramento, ubi ostensum est, quod Cf. p. 205 C.
illud solum consistit in consecratione materiæ. Hinc dicendum, quod sacramentum hoc consistit in ipsa unctione, sicut Bapti- Cf. p. 100 D.
smus in ablutione. Potestque triplex ratio assignari, cur sanctificatio ad hujus sacramenti materiam exigatur. Prima, quoniam
B tota et omnis sacramentorum efficacia derivatur a Christo. Unde sacramenta quibus ipse est usus, ex suo usu sanctificationem sortita sunt : quemadmodum aqua ex sui sacratissimi corporis tactu regenerativam vim habet. Hoc autem sacramento usus non est, nec aliqua corporali unctione : idcirco in unctionibus universis exigitur sanctificatio quædam materiæ. Secunda, propter plenitudinem gratiæ quæ in isto sacramento confertur, non solum ut tollat culpam, sed et reliquias peccatorum, infir-
C mitatemque corporis. Tertia, quia ex naturali virtute suæ materiæ non habet causare curationem hanc corporalem : hinc oportet ut per sanctificationem sibi efficacia ista donetur. — Si autem objiciatur, quod sacramentum hoc habet unam sanctificationem in usu suo per formam verborum ; ergo superfluit illa prima per præsulem : respondendum, quod prima sanctificatio est materiæ secundum se; secunda vero spectat ad usum ipsius, secundum quod est actu conferens sacramentalem
D effectum.

Porro oleum hoc debet a præsule consecrari. Minister etenim sacramenti nequaquam propria potestate effectum sacramenti inducit, ut agens principale, sed per efficaciam sacramenti quod dispensat. Quæ efficacia est primo in Christo, atque ab ipso descendit iu alios ordinate, puta in populum per ministros; in ministros quoque inferiores per superiores, qui materiam sanctificant. Ideo omnibus sacramentis quæ materiam sanctificatam re-

quirunt, primo per episcopum fit materiæ A sanctificatio, et usus quandoque per sacerdotem, ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopo derivata (ut S. Dionysius loquitur), juxta illud Psalmi, Sicut unguentum in capite, quod primo descendit in barbam, et inde usque in oram vestimenti. In Eucharistia vero non præexigitur talis sanctificatio materiæ per episcopum, quoniam ipsum sacramentum in materiæ sanctificatione consistit, non in usu ipsius; sed præexigitur ordinatio seu consecratio, vel sanctificatio ministri, utpote sacerdotis, per præsulem. Hinc ipse sacerdos illam consecrationem materiæ potest facere, quæ est in se sacramentum.

De Eccl. hier. c. v. Ps. cxxxii, 2. Cf. p. 215 A, C.

Insuper quidam dixerunt nullam formam verborum esse de necessitate sacramenti istius. Sed hoc derogat sacramenti hujus effectui, quoniam omne sacramentum efficit suum effectum significando. Significatio autem materiæ non determinatur ad certum effectum, quum ad multa se habeat, nisi per formam verborum. Unde in omnibus sacramentis novæ legis, ut C dictum est supra, oportet esse res ac verba. Jacobus quoque apostolus vim hujus sacramenti constituere videtur in oratione, quæ est forma sacramenti istius, sicut nunc ostendetur. Ideo opinio illa præsumptuosa censetur. Nec obviat, quod forma sacramenti istius non exprimitur in Scripturis. Sacra Scriptura namque universis proponitur : ideo forma Baptismi omnibus necessarii, et qui ab omnibus potest dari, forma quoque Eucharistiæ necessariæ ad salutem, in Scripturis expressæ sunt; non D autem aliorum formæ sacramentorum. Sed illas accepit Ecclesia a sanctis Apostolis, et illi a Christo, secundum illud Apostoli : Ego accepi a Domino quod tradidi vobis.

Cf. p. 51 A. I Cor. xi, 23.

Denique forma hujus sacramenti est oratio deprecativa, ut sumitur ex verbis S. Jacobi, atque ex usu Romanæ Ecclesiæ, quæ solum deprecativis utitur verbis ungendo hac unctione. Cujus multiplex ratio assignatur. Primo, quia suscipiens sacramentum hoc, destitutus est viribus propriis : ideo indiget orationibus sublevari. Secundo, quoniam datur egredientibus de hoc mundo, qui desinunt esse de foro Ecclesiæ, et in solius Dei incipiunt manu quiescere : ideo ei per orationes devotissime committuntur. Tertio, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex actione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti rite peractis, quemadmodum in Baptismo, Confirmatione ac Ordine character semper imprimitur, etc. : ideo in eo non potest esse B forma indicativi modi, sicut in aliis sacramentis. Attamen hoc sacramentum, sicut et alia, quantum est de se, habet certitudinem; sed impediri potest ex fictione recipientis (etiam si sacramento subjiciatur per intentionem), ita quod nullum consequatur effectum. Verumtamen in quibusdam Ecclesiis dicuntur hæc verba : Ungo hos oculos, etc., oleo sanctificato, etc. : quæ non præmittuntur ut forma sacramenti istius, sed ut dispositiva ad formam, in quantum per ea determinatur ministri C intentio ad actum illum sacramentalem.

At vero forma illa Unctionis Extremæ prætacta, conveniens est. Nam tangit hoc sacramentum, quum dicitur, Per istam unctionem; et principalem causam agentem in ipso, quum subditur, Et suam piissimam misericordiam; atque effectum, addendo, Indulgeat tibi, etc. Imo per actum unctionis datur intelligi etiam sacramenti istius materia. Quumque corporalis sanatio seu infirmitatis alleviatio, non sit principalis et certus hujus sacramenti effectus, D quia non semper consequitur; idcirco in forma ista non fit mentio inde.

Cf. p. 591 A. Cf. p. 593 D.

Amplius de effectibus hujus sacramenti sciendum, quod unumquodque sacramentum est principaliter institutum ad unum effectum, quamvis ex consequenti possit et alios effectus inducere. Quumque sacramentum efficiat quod figurat, ideo ex significatione sacramenti pensandus est principalis ejus effectus. Adhibetur autem sacramentum hoc per modum medicationis, sicut Baptismus per modum ablutio-

nis. Medicina vero ordinatur ad depellendum infirmitatem, sicque sacramentum hoc est principaliter institutum ad sanandum infirmitatem peccati, estque spiritualis medela, et præsupponit spiritualem vitam in eo cui applicatur. Hinc non datur contra originale et mortale peccatum, quæ vitam spiritualem exstinguunt, sed contra defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ita quod non habet perfectum vigorem ad actus gratiæ et gloriæ exercendos. Hic quoque defectus nil aliud est quam quædam ineptitudo atque debilitas quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali : contra quam debilitatem homo per sacramentum hoc roboratur. Quumque hoc robur faciat gratia, quæ non compatitur secum peccatum mortale, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod mortale aut veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Ideo Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, *Jacob.* v, 15. dicens : Si in peccatis est, dimittentur ei. Nam quoad culpam, non semper delet peccatum, quia non semper invenit; semper vero remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam vocant peccati reliquias. — Quidam vero affirmant, quod principaliter sit institutum contra veniale peccatum. Quod non videtur verum, quoniam pœnitentia sufficienter delet venialia in vita hac quoad culpam. Quod autem non possunt evitari post peractam pœnitentiam, non aufert præcedenti pœnitentiæ suum effectum; et rursus, hoc pertinet ad debilitatem præfatam. Idcirco dicendum, quod principalis effectus sacramenti istius est remissio peccatorum quoad peccati reliquias, et ex consequenti etiam quantum ad culpam, si inveniat eam.

Si autem objiciatur, quod in peccato non sunt nisi hæc tria, macula et reatus pœnæ ac peccati reliquiæ; sed per Extremam Unctionem non remittitur macula sine contritione, quæ etiam sine hac unctione maculam aufert; nec quoad pœnam, quoniam si unctus convalescat, injunctam A pœnitentiam tenetur implere; nec quoad reliquias culpæ, quia adhuc manent dispositiones illæ ex actibus præcedentibus relictæ, ut post convalescentiam patet : ergo per Extremam Unctionem nullo modo fit peccatorum remissio. — Dicendum, quod Unctio Extrema quantum ad tria illa, aliquo modo remittit peccatum. Quamvis enim culpa quantum ad maculam sine contritione non deleatur, tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, facit quod motus ille liberi arbitrii contra pec- B catum sit contritio. Reatum quoque pœnæ temporalis diminuit, sed ex consequenti, in quantum tollit debilitatem : quia eamdem pœnam levius portat fortis quam debilis. Unde non oportet ut propter hoc minuatur satisfactionis mensura. Reliquiæ quoque peccati non vocantur hic dispositiones relictæ ex actibus quæ sunt habitus inchoati, sed quædam spiritualis debilitas in mente exsistens : qua sublata, etiam manentibus dispositionibus seu habitibus eisdem, non potest mens ita inclinari ad C peccandum ut ante.

Insuper, sicut Baptismus per corporalem ablutionem facit interiorem mundationem, ita hoc sacramentum per medicationem exteriorem facit interiorem curationem. Sed corporalis ablutio Baptismi naturali virtute corporaliter purgat; hæc vero unctio naturali virtute non sanat corpus, sed potestate divina, quæ operatur sapienter, secundum quod expedit : ideo non semper sanat corpus, sed quando ad spiritualem sanitatem expediens est, nisi ex parte re- D cipientis sit defectus vel impedimentum.

Si demum quæratur, utrum hoc sacramentum characterem imprimat; respondendum, quod character non imprimitur nisi in illis sacramentis quibus homo ad *Cf.* p. 175 B. sacrum aliquod deputatur. Hoc autem sacramentum est in remedium tantum, nec per ipsum deputatur homo ad aliquod sacrum agendum aut suscipiendum : ideo in ipso non imprimitur character. Rursus, character facit distinctionem statuum *Cf.* p. 176 D'. quantum ad ea quæ in Ecclesia sunt agen-

da; talem vero distinctionem ab aliis non habet homo per hoc quod est inunctus. — Et si objiciatur, quod in sacramentis Confirmationis et Ordinis est unctio sicut in isto, et in illis character imprimitur; ergo et in isto : dicendum, quod unctio quæ fit in Confirmatione ac Ordine, est unctio consecrationis, qua homo deputatur ad aliquod sacrum; sed unctio hujus sacramenti est unctio medicationis. Hinc in isto sacramento id quod est res et sacramentum, non est character, sed interior quædam devotio, quæ est spiritualis unctio. — Hæc Thomas in Scripto.

Circa hæc loquitur Petrus, et primo de materia Unctionis Extremæ : In sacramentis materia adhibetur et propter significationem effectus sacramenti, et propter causalitatem. Principalis autem effectus hujus sacramenti, est quædam curatio spiritualis : idcirco ad eam significandam, convenienter ponitur oleum. Ad efficiendum vero ipsam sanitatem, oportet quod sit sanctificatum seu consecratum : quia a sanctificatione sumit virtutem. Recte quoque oportet consecrationem hanc ab episcopo fieri, quia in ipso est major plenitudo ministerii sacerdotalis.

Quæritur etiam, quæ sit melior forma in hoc sacramento, an deprecativa ista, Per istam unctionem dimittat tibi Deus, etc., quam instituit S. Gregorius; an ista indicativa, Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, quam instituit S. Ambrosius. Respondendum, quod sicut ad esse rei compositæ requiruntur materia et forma, ita ad esse sacramenti requiritur materia elementi et forma verbi : accedit enim verbum ad elementum, et fit sacramentum. Quemadmodum enim materia de se indeterminata est ad plures formas et effectus, et per certam formam determinatur; ita materia sacramenti de se communiter se habet ad plura significanda et efficienda, sed per formam determinatur ad aliquod certum designandum atque causandum. Et sicut duplex est forma rei, puta substantialis et

A accidentalis; ita duplex est forma sacramenti istius : una substantialis, utpote deprecativa, quam innuit apostolus Jacobus, et expressit Gregorius; alia accidentalis, quam deprompsit Ambrosius. Prima est deprecativa, secunda indicativa. Prima confert ad causalitatem sacramenti, secunda ad significationem et determinationem intentionis ministri. Prima data fuit a Jacobo sancto in generali, quum ait, Orent super eum; et est eadem apud omnes. Et si quæratur, quæ forma sit melior; dicen- *Jacob.* v, 14.

B dum quod prima : quæ etiam est de necessitate sacramenti, secunda vero est de bene esse. Etenim sacramentum hoc valere videtur quasi per modum suffragii. Datur enim ad effectum quem homo per propria opera consequi posset, nisi infirmitas impediret.

Amplius, de effectu hujus sacramenti sciendum, quod in hoc sacramento sicut in ceteris, tria sunt : unum, sacramentum tantum, puta exterior unctio; aliud, res et sacramentum, videlicet quædam unctio

C spiritualis, id est alacritas mentis; aliud, res tantum, quod est effectus sacramenti, scilicet sanitas duplex : una principalis, ab infirmitate spirituali quæ contrahitur per venialia, per quam anima reddebatur infirma ad procedendum in gratiæ ac gloriæ actus; altera secundaria, quasi effectus et signum illius, scilicet sanitas corporalis. — Sed quæri potest, quum remissio peccatorum atque infusio gratiæ fiant instantanee, et unctio ista successive; quando sortitur suum effectum in eo qui un-

D gitur. Et dicendum, quod sacramentum significando producit suum effectum : ideo quando completur ejus significatio, perficitur ejus effectus, puta in ultima unctione, quia perfectio rerum ex multis actionibus constitutarum consistit in ultima, quæ in virtute omnium præcedentium operatur. — Certum est demum, quod sacramentum hoc non imprimit characterem, quoniam iteratur, et quia character est signum distinctivum exsistentium in Ecclesia militanti; sed hoc sacramentum *Cf.* p. 176 A.

datur exeuntibus de eadem. — Hæc Petrus. A

In præinductis continentur scripta Richardi, qui sobrie scribit, quod formam sacramenti istius creditur S. Petrus explicite tradidisse Ecclesiæ, sicut et alia multa. Et hoc melius sonat, quam quod Gregorius instituit eam : nempe ante Gregorium diu utebatur Ecclesia hoc sacramento sub congrua forma. — Iterum ait Richardus : Si sunt aliquæ Ecclesiæ utentes forma indicativa, pie credendum est quod modus exprimendi per verbum imperativum seu deprecativum vel indicativum, determinate B non sit de necessitate sacramenti istius, *Cf.* p.107 A et s. sicut superius dictum est de modo exprimendi actum baptizandi, quem exprimunt Græci per verbum hoc, baptizetur; et Romana Ecclesia per hoc verbum, baptizo. — Insuper addit : Dicunt quidam, quod sacramentum istud non datur contra venialia, sed contra sequelas relictas tam ex originali quam actualibus peccatis. Sed contra hanc opinionem est auctoritas S. Jacobi, *Jacob.* v, 15. asserentis : Si in peccatis est, dimittentur ei. Ideo est tenendum quod contra C venialia detur; et si digne percipitur, venialia aufert. Hæc Richardus. — Bonaventura quoque de præinductis scribit concorditer ad prædicta; similiter et Albertus.

QUÆSTIO III

ALia etiam hic quæruntur **De ministris hujus sacramenti : quorum sit illud porrigere, et quorum** D **sit illud recipere.**

Atque in littera continetur, quod presbyterorum tantum est illud aliis ministrare. — Contra quod arguitur, quia in casu Baptismus potest a laicis dari, et sacra- *Cf.* p.345 B'. mentum Eucharistiæ a diacono : ergo et istud, quum illa sint isto præstantiora.

Iterum, istud sacramentum est spiritualis medicina contra malum culpæ omnibus generale, sive dicatur institutum ac datum contra venialia, sive contra spiritualem infirmitatem ex peccato contractam : ergo est omnibus impendendum, infirmis et sanis, insipientibus et sensatis.

Ad hæc respondet Albertus : Exercitium seu administratio Unctionis Extremæ conceditur sacerdoti, propter periculum infirmorum vitandum : quod in sacramentis frequenter contingit. Nec facile est, imo nec possibile, habere præsentiam præsulis ad unumquemque letaliter infirmantem. Unde Ecclesia Spiritu Sancto recta, ac Dei consilio mota, omnibus modis volens infirmis providere atque consulere, statuit ut simplices sacerdotes possint hoc sacramentum conferre, qui ubique faciliter possunt haberi. — Denique non nisi infirmi, perceptivi seu capaces sunt sacramenti istius. Quod etiam datum est contra prætactum defectum, non pro quolibet tempore, sed extremæ necessitatis : sic et purgatio reliquiarum pro tempore immediatæ evolationis, est proprius hujus sacramenti effectus. Quæ etiam reliquiæ, secundum quod sunt impedimenta meritorum, sufficienter purgantur per pœnitentiam et alia sacramenta; non autem prout sunt impedimentum immediatæ evolationis. Quumque infantes nondum ratione utentes, et mox baptizati, non habeant immediatæ evolationis impedimentum, nec veniale peccatum, nec malum inde contractum, non competit eis hoc sacramentum. — Si autem quæratur, an in omni ægritudine sacramentum istud sumendum sit; respondetur quod non, sed quando ex ægritudine gravi probabiliter timetur mors de proximo imminere. Verum ut Aristoteles in libro de Causis longioris vitæ fatetur, quædam infirmitates sunt causæ vitæ longioris. — Nec dandum est furiosis et amentibus, nisi habeant lucida intervalla. Hæc Albertus.

Cujus etiam positio de institutione sacramenti istius, consonat dictis ex Thoma *Cf.* p.592 D. de hoc. Movet quoque hic alias plurimas quæstiones parvas et breves, videlicet, in quibus membris et partibus corporis de-

beat unctio fieri. Et respondet : Diversa- A rum Ecclesiarum diversus est usus : nam in quibusdam Ecclesiis unguntur loca seu membra pauciora, in quibusdam plura. Puto autem quod sufficiat ungere quinque sensuum loca. Quod vero fit in aliquibus aliis locis, non est nisi præparatorium ad effectum.

Insuper Thomas : Nullius (inquit) sacramenti dispensatio convenit laico ex officio, idcirco nec hujus. Nec etiam diacono, Cf. p. 142 D. quia diaconus tantum habet vim purgativam : hoc autem sacramentum habet vim B illuminativam, quoniam gratiam confert. Unde nullius sacramenti in quo gratia datur, collatio convenit ex officio ipsi diacono. De Eccl. hier. c. v. Porro secundum divinum Dionysium, episcopus proprie habet vim perfectivam seu perficiendi officium, sicut sacerdos vim illuminativam. Hinc illa sacramenta sunt per episcopos dispensanda, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt, ut est Ordo, non Unctio ista, quæ omnibus in extremis confertur capacibus ejus. — Potest etiam dari in C qualibet infirmitate quæ sic invalescit, quod signa mortis apparent ex ea. Nam et quælibet infirmitas augmentata potest inducere mortem. — Insuper ad suscipiendum effectum hujus sacramenti, plurimum valet devotio suscipientis, actualeque meritum dantis, imo et totius Ecclesiæ meritum generale : quoniam forma hujus sacramenti datur per modum orationis. Ideo illis qui nequeunt recognoscere et cum devotione accipere, non est dandum, præsertim furiosis et amentibus, qui possent D facere irreverentiam sacramento per immunditiam aliquam. Quumque exigat actualem devotionem, non est pueris dandum. Nec confertur contra reliquias originalis peccati, nisi in quantum per actuale peccatum sunt confortatæ. Infirmitates quoque in pueris non sunt ex actualibus eorum peccatis causatæ.

Nec oportet totum corpus infirmi ungi, sed aliquas ejus partes. Eadem quippe principia peccandi in nobis sunt, quæ et principia sunt agendi. Et ista sunt tria in genere : quorum primum est dirigens, puta vis cognoscitiva ; secundum est appetens seu imperans, ut vis appetitiva ; tertium, exsequens, utpote vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensibus ortum habet. Quumque hæc unctio fieri debeat in nobis ubi est prima origo peccati, idcirco unguntur loca seu organa quinque sensuum. Et propter appetitivam a quibusdam renes unguntur ; et propter vim motivam pedes, tanquam instrumenta ejus præcipua. Et quia primum principium inter ista est vis cognoscitiva, ideo unctio illa quinque sensuum ab omnibus observatur, quasi de necessitate sacramenti ; quidam vero alias non observant. Aliqui quoque servant eam quæ est ad pedes, non quæ est ad renes : quoniam appetitiva et motiva sunt secunda principia. Cor demum non ungitur, quia non est prima radix cogitationum, sicut organa sensuum ; nec genitalia membra, propter immunditiam eorumdem et reverentiam sacramenti. Mutilati item debent ungi quanto propius fieri potest ad illas partes in quibus unctio fieret, si mutilati non essent. Nam etsi careant membris, non tamen viribus animæ principiisque peccandi, saltem in radice.

Amplius, ut dictum est sæpe, sacramen- Cf. p. 160 B', 192 A', etc. ta et sacramentalia perpetuum effectum habentia, iterari non debent : quia per iterationem ostenderetur sacramentum non esse efficax ad producendum illum effectum, sicque fieret sacramento injuria. Quæ vero non habent effectum perpetuum, iterari possunt, atque aliquando debent, quatenus effectus sacramentalis amissus recuperetur : et talis est Unctio Extrema, quoniam tam sanitas mentis quam corporis, quæ est ejus effectus, potest amitti et recuperari.

Sed quæri potest, an in eadem infirmitate sit iterandum. Et respondendum, quod sacramentum hoc non solum respicit infirmitatem, sed et infirmitatis statum : quoniam dandum non est nisi infirmis

qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam autem infirmitates non sunt diuturnæ : ideo si in eis datur hoc sacramentum, tunc quum homo ad illum perveniat statum, quod sit in mortis articulo, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata : propter quod non est rursus ungendus. Sed si recidivum patiatur, erit infirmitas alia, et poterit inunctio alia fieri. Quædam vero sunt infirmitates diuturnæ, ut hydropisis, ethica *, paralysis; et in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad mortis periculum. Et si homo articulum illum evadat, eadem infirmitate durante, et denuo ad similem statum per infirmitatem illam reducatur, iterum potest ungi : quia jam est quasi alius status infirmitatis, quamvis non sit simpliciter infirmitas alia. — Hæc Thomas in Scripto.

* hectica

Et circa hoc ultimum verbum addit Albertus : In hujusmodi infirmitatibus diuturnis, si ultra annum remanet morbus post unctionem acceptam, potest unctio iterari : quia non judicatur numero idem morbus, qui secundum perfectam immutationem superiorum causarum est alteratus. Corpora namque nostra per illationem seu influentiam superiorum, secundum quatuor humores in quatuor anni temporibus mutantur; et franguntur habitus dispositionesque ejus, nec sunt eadem : sicque sacramentum hoc non iteratur ex causa eadem. Verumtamen si ab aliquo Patre sancto aut a summo Pontifice inveniretur aliquid determinatum, judicarem potius standum illi sententiæ quam meo judicio : quia in istis magis credendum est inspirationi Ecclesiæ quam rationi ex incertis conjecturanti. Hæc Albertus.

In præinductis autem ex Thoma continentur scripta Petri, Richardi, Alberti, Bonaventuræ, etc.

Præterea dubitatio quædam occurrit circa prædicta, in quibus doctores concordant, quod Extrema Unctio ordinetur ac detur contra venialia, seu contra infirmitatem contractam ex originali actualibusque peccatis, mortalibus seu venialibus. Videtur enim quod directe detur remediumque consistat contra universa peccata tam mortalia quam venialia, atque in omnium horum remissionem institutum sit ac ordinatum. Nempe hoc videtur prætendere forma ipsius, qua dicitur : Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, etc. Et constat quod talium multa exstent mortalia. Nec obstat, quod sacramentum Pœnitentiæ ordinetur ad idem : quia quum in extremis sit maximum atque gravissimum prorsus periculum, decentissimum et valde perutile est, tunc contra eadem mala adhiberi plura remedia, potissime in ipsa exitus hora, in qua se ipsum homo parum aut nihil potest juvare, circumdatus et repletus tot ac tantis angustiis et pressuris, tentationibus et insidiis, doloribus, agonibus, timoribus ac tormentis, imminente sibi judicio finalis sempiternæ retributionis, inæstimabilis felicitatis aut irreparabilis damnationis.

INDICES

INDEX S. SCRIPTURÆ

GENESIS.

III, 9. Adam,... ubi es? 585 C'.
IV, 4. Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, 392 A'.
XIV, 18. Melchisedech rex Salem, 77 B.
XVII, 13. Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, 71 A'.
XVIII, 25. Absit a te ut... occidas justum cum impio... Non est hoc tuum, 515 C.
XXVII, 15. Vestibus Esau valde bonis... induit eum, 77 B.
XXXII, 25. Tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit, 545 D.

EXODI.

V, 3. Ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro, 383 D.
XX, 14. Non mœchaberis, 433 D.
XXII, 1. Si quis furatus fuerit bovem aut ovem,... quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove, 398 B, 399 B'.

LEVITICI.

V, 18. Offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati, 523 C', 527 D.

NUMERORUM.

XIX, 8. Ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum, 65 C'.

DEUTERONOMII.

XXV, 2. Pro mensura peccati erit et plagarum modus, 549 B.

I REGUM.

II, 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 368 B.
XVI, 23. David tollebat citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus, 168 D'.

IV REGUM.

V, 14. Descendit (Naaman) et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei,... et mundatus est, 53 D'.
VI, 16, 17. Plures... nobiscum sunt quam cum illis... Et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum, 481 C.

TOBIÆ.

XII, 8. Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, 395 B'.

JOB.

IX, 28. Verebar omnia opera mea, 571 D.
XX, 18. Luet quæ fecit omnia, 559 A'.

PSALMORUM.

IV, 5. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini, 457 B'.
X, 7. Ignis et sulfur et spiritus procellarum, pars calicis eorum, 544 A'.
XVII, 27. Cum perverso perverteris, 512 C.
XXIV, 10. Universæ viæ Domini misericordia et veritas, 509 D', 546 C.
XXVII, 7. In ipso speravit cor meum et adjutus sum, et refloruit caro mea, 594 C.
XXXVI, 27. Declina a malo, et fac bonum, 450 C'.
XLIX, 18. Si videbas furem, currebas cum eo, 411 B'.
L, 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, 75 D'.
LXXXIV, 11. Misericordia et veritas obviaverunt sibi, 89 B.

LXXXVI, 3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, 44 C.
XCV, 6. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, 584 C.
CIV, 37. Non erat in tribubus eorum infirmus, 69 B.
CVI, 20. Misit Verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum, 30.
CXVIII, 63. Particeps ego sum omnium timentium te, 513 A.
CXXXII, 2. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam,... quod descendit in oram vestimenti, 597 A.

PROVERBIORUM.

IV, 3. Fui... unigenitus coram matre mea, 69 D.
V, 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, 587 D'.
VI, 30, 32. Non grandis est culpa, quum quis furatus fuerit : furatur enim ut esurientem impleat animam ;... qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, 410 B.
IX, 1. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, 31.
XXIII, 26. Præbe, fili mi, cor tuum mihi, 129 C', 137 C.
XXVII, 23. Agnosce vultum pecoris tui, 478 B.
XXVIII, 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur, 469 D.

ECCLESIASTÆ.

IX, 1. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, 237 D, 338 D, 387 A.
— 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet, 387 B'.

SAPIENTIÆ.

V, 3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, 366 B'.
IX, 15. Corpus... quod corrumpitur, aggravat animam, 593 D'.
XI, 17. Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur, 581 D'.
XVI, 20. Panem... præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem, 208 D', 209 A', 212 A.

ECCLESIASTICI.

V, 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, 390 B.
X, 15. Initium omnis peccati est superbia, 458 A'.
XVII, 12. Mandavit illis unicuique de proximo suo, 529 D'.
XXI, 27. Stultitia hominis auscultare per ostium, 575 D.
XXXIV, 4. Ab immundo quid mundabitur? 141 C.
XXXVIII, 7. Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis, 31.

ISAIÆ.

I, 6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas ; vulnus et livor et plaga tumens, 29.
— 11. Holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum... et hircorum nolui, 64 C.
IV, 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion... in spiritu judicii et spiritu ardoris, 134 C'.
V, 8. Væ qui conjungitis domum ad domum, 565 D'.
XII, 3, 4. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris ; et dicetis in die illa : Confitemini Domino et invocate nomen ejus, 32.
XVI, 11. Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, 361 B'.
XXVII, 9. Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, 591 B'.
XLIII, 25. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, 451 B.
XLVI, 8. Redite, prævaricatores, ad cor, 528 D.
LIX, 2. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, 374 A', 503 B.

JEREMIÆ.

XV, 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, 509 A.

EZECHIELIS.

XIII, 19. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis, 482 C.
XIV, 16. Tres viri isti... nec filios nec filias liberabunt, 74 A.

XVIII, 4, 20. Omnes animæ meæ sunt;... anima quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris; justitia justi super eum erit, 74 A.
— 21, 22. Si... impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus... non recordabor, 369 D'.
— 24. Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur, 578 C'.

DANIELIS.

IV, 24. Peccata tua eleemosynis redime, 388 A, 559 A'.

OSEE.

XIV, 5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis, 29.

JOELIS.

II, 25. Reddam vobis annos quos comedit locusta, 372 B'.
— 28. Effundam spiritum meum, 94 A.

NAHUM.

I, 9. Non consurget duplex tribulatio, 382 C, 389 A'.

HABACUC.

III, 10. Dedit abyssus vocem suam, 33.

ZACHARIÆ.

I, 3. Convertimini ad me,... et convertar ad vos, 371 B', 451 B'.

II MACHABÆORUM.

IX, 13. Orabat... hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus, 371 A', 538 A'.
X, 29, 30. Apparuerunt... de cœlo viri quinque in equis,... ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant, 481 C.

MATTHÆI.

III, 2. Pœnitentiam agite, 361 D.
III, 14. Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? 94 D', 147 C.
— 15. Sic... decet nos implere omnem justitiam, 93 A', 198 D.
— 17. Hic est Filius meus dilectus, 94 D'.
IV, 17. Pœnitentiam agite, 86 C', 90 B, 468 C, 585 B.
VII, 2. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, 582 C.
— 5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, 528 B'.
— 6. Nolite dare sanctum canibus, 102 D, 245 A', 301 C', 512 D.
— 22. Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et... dæmonia ejecimus, et... virtutes multas fecimus? 77 D'.
VIII, 3. Extendens Jesus manum, tetigit eum,... et confestim mundata est lepra ejus, 61 B.
XI, 13. Prophetæ et lex usque ad Joannem, 93 A.
XIII, 29. Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum, 515 C.
XVI, 19. Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, 88 B', 480 B', 497 B, 499 C', 501 C', 518 B', 551 B', 558 D', 585 C, 587 D'.
XVII, 2. Transfiguratus est ante eos, 305 A'.
XVIII, 15. Corripe eum inter te et ipsum solum, 528 B'.
— 17. Si... Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, 511 A', 518 C'.
— 18. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo, 145 D.
XIX, 17. Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata, 488 A.
XXV, 10. Clausa est janua, 500 B.
XXVI, 26. Accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum, 214 B', 279 B', 301 B'.
— 52. Omnes... qui acceperint gladium, gladio peribunt, 409 D'.
XXVIII, 19. Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, 105 B', 106 A', 110 A', 163 D.

MARCI.

I, 8. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto, 92 B'.

VI, 13. Ungebant oleo multos ægros et sanabant, 88B'.
IX, 23. Credo, Domine ; adjuva incredulitatem meam, 497A'.
X, 9. Quod... Deus conjunxit, homo non separet, 87A'.
XIV, 21. Væ... homini illi per quem Filius hominis tradetur, 238A.
— 22. Accepit Jesus panem, 298C'.
XVI, 16. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, 56A'.

LUCÆ.

III, 14. Nemincm concutiatis,... et contenti estote stipendiis vestris, 438B', 439C'.
VI, 35. Mutuum date, nihil inde sperantes, 403B'.
X, 16. Qui vos audit, me audit, 488A.
XIII, 5. Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis, 585B.
XXII, 19. Hoc facite in meam commemorationem, 211C', 344B'.
— 20. Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, 224B, B', C'.
— 32. Ego... rogavi pro te, ut non dcficiat fides tua, 551A'.
XXIII, 43. Hodie mecum eris in paradiso, 127D, 134D'.
XXIV, 28. Ipse se finxit longius ire, 247B', 332C'.

JOANNIS.

I, 33. Super quem videris Spiritum descendentem... hic cst qui baptizat, 146B', 147C.
III, 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, 86C', 104D.
V, 21. Sicut... Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat, 148D.
VI, 56. Caro... mea vere est cibus, 217B', 336D.
— 64. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, 64A'.
VII, 39. Nondum... erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, 187C, 594B'.
IX, 22. Jam... conspiravcrant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, 511B'.
XI, 43, 44. Lazare, veni foras. Et statim prodiit... Solvite eum, 502A.
XII, 24. Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, etc., 296B, 297D, 300D.
XIII, 27. Post buccellam introivit in eum Satanas, 302A.
XV, 1, 5. Ego sum vitis vera,... vos palmites, 254D', 255A.
— 3. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, 51C'.
— 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, 135B.
XVII, 1. Sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, 218D.
XIX, 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, 56B', 89C', 110A', 336B.
XX, 22, 23. Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiscritis peccata, remittuntur eis, 88B', 186D', 480B', 501D', 504D', 507B', 510D, 518B', 526A, 585C.
— 31. Hæc autem scripta sunt... ut credentes vitam habeatis, 530B'.

ACTUUM.

I, 5. Joannes quidem baptizavit aqua, 92B'.
— — Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, 90C, 133B'.
V, 5, 10. Audiens... Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit... (Et uxor ipsius) confestim cecidit ante pedes ejus et exspiravit, 511B'.
VIII, 17. Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum, 92C, A', 187A.
XV, 9. Fide purificans corda eorum, 450A', 451B.
— 29. Abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato, 71D, 73B.
XIX, 2-5. Si Spiritum Sanctum accepistis credentes ? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus... Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu, 92D, 94A, B'.

AD ROMANOS.

IV, 4, 5. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum ; ei vero qui non operatur,... reputatur fides ejus ad justitiam sccundum propositum gratiæ Dei, 560A'.
— 11. Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, 69D', 70A'.

V, 1. Justificati... ex fide, 450 A'.
VI, 3, 4. Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, 124 D, 164 B.
— 6. Ut... ultra non serviamus peccato, 131 D.
VIII, 26. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, 457 A.
X, 15. Quomodo... prædicabunt, nisi mittantur? 530 A'.
XII, 21. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, 540 D'.
XIV, 14. Nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, 73 C.
— 23. Omne... quod non est ex fide, peccatum est, 132 B.

I AD CORINTHIOS.

I, 17. Non... misit me Christus baptizare, sed evangelizare, 144 C.
III, 12. Si quis... superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 564 B, 565 A'.
— 15. Salvus erit, sic tamen quasi per ignem, 548 D'.
V, 5. Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit, 541 D.
— 8. Epulemur... in azymis sinceritatis et veritatis, 212 A.
VIII, 12. Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, 532 A.
X, 3, 4. Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt, 234 A, D.
XI, 23. Ego... accepi a Domino quod et tradidi vobis, 224 C'.
— 24. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, 255 A, 305 B', 306 A.
— — 25. Hoc facite in meam commemorationem, 205 D'.
— 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat, 207 D.
— 29. Qui... manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, 235 C', 238 A.
— 33, 34. Quum convenitis ad manducandum, invicem exspectate; si quis esurit, domi manducet, 212 C'.
XII, 7. Unicuique... datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, 77 D'.
XII, 25. Pro invicem sollicita sint membra, 529 D'.
XIII, 3. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest, 135 B.
— 10. Quum... venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, 72 A.
XIV, 34. Mulieres in ecclesiis taceant : non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, 524 D.

II AD CORINTHIOS.

II, 10. Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, 531 A'.

AD GALATAS.

II, 11, 14. In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat,... coram omnibus, 72 B', 533 B.
— 21. Si... per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est, 66 A.
III, 19. Lex... ordinata per angelos in manu mediatoris, 594 D'.
— 27. Quicumque... in Christo baptizati estis, Christum induistis, 122 B, 178 A.
V, 2. Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, 71 A'.
VI, 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, 211 D'.

AD COLOSSENSES.

I, 24. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi... pro corpore ejus, quod est Ecclesia, 552 A.

I AD TIMOTHEUM.

III, 3. (Oportet episcopum esse) non percussorem, 531 C'.
V, 1. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, 531 A.
— 20. Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant, 528 C'.

AD TITUM.

I, 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, 530 C'.
III, 5, 6. Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, 103 D, 123 A.

AD HEBRÆOS.

I, 3. (Filius est) figura substantiæ ejus, 173 B', 175 C.
V, 1. Pontifex... constituitur... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, 527 C'.
VI, 2. Baptismatum doctrinæ, 134 A'.
— 4-6. Impossibile est... eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam... bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, 368 D.
VII, 7. Sine ulla... contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur, 525 A.
— 12. Translato... sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat, 71 C'.
— 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem, 72 A'.
— 19. Nihil... ad perfectum adduxit lex, 184 D'.
IX, 11, 12. Christus... pontifex futurorum bonorum,... neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, 523 C'.
X, 1. Umbram... habens lex futurorum bonorum, 72 D.
XI, 6. Sine fide... impossibile est placere Deo, 75 A', 125 A'.
XII, 17. Non... invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam, 371 A', 538 A'.
— 29. Deus noster ignis consumens est, 110 B.

JACOBI.

II, 10. Quicumque... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, 387 B', 579 A.
— 19. Dæmones credunt et contremiscunt, 265 D, 266 A.
V, 14. Infirmatur quis in vobis? 88 A'.
— 15. Et si in peccatis sit, remittentur ei, 591 B', 593 A', 595 D, 598 B, 600 B.
— 16. Confitemini... alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, 88 A', 483 B, 585 C.
— 20. Operiet multitudinem peccatorum, 392 C'.

I JOANNIS.

I, 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, 335 B.
II, 16. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, 394 B.

APOCALYPSIS.

VII, 14. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni, 134 A, B'.
XVII, 15. Aquæ... populi sunt, 298 B'.
XVIII, 7. Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, 540 A.

INDEX AUCTORUM

ET ALIORUM QUI SPECIALI TITULO MEMORANTUR

A

ÆGIDIUS de Roma, 255B', 256A', 261A', etc.[1].
AGATHON, abbas, 421D'.
ALBERTUS (B.) Magnus, 31, 46D', 61B', etc.
ALEXANDER Papa III, 106D', 108D.
— IV, 484B'.
— (S.), episcopus, 164C'.
— de Hales, 56D', 116B.
— Magnus, 78A.
— Aphrodisiensis, 58A'.
ALGAZEL, 287B', 545C'.
AMBROSIUS (S.), 129B, 135D', 155D, 165C', 166C', 215D, 218D', 222A', 237B', C', 292D, A', 293B, 336D, 338C', 358C', 421C, 457A, 599C, A'.
ANACLETUS, Papa, 339B.
ANSELMUS (S.), 304B, 384D', 390B', 401C.
ANTISIODORENSIS. *Vide* Guillelmus.
ANTONIUS (S.), 467D.
ARABES, 287B'.
ARISTODEMUS, 337B'.
ARISTOTELES, 43A', D', 57D', 58C', D', 72A, 100B, 102D', 111B, 112D, 113C, 115D', 116A, 126D', 132D, 160B, 171B', 172A, B, D', 177B', C', 180D, 193A', 198D, etc.
ARIUS, 347C.
ATHANASIUS (S.), 164C', 568A'.
AUCTORITATE GENERALIUM CONCILIORUM (Tractatus de), Dionysii Cartusiani, 485C.
AUGUSTINUS (S.), 30, 40A, 41D, D', 42A', 46B', 50B', 51C', D', 55C, 58C, 62C', 69A, 71A, 72B', D', 74D', 77C', 92B', 93D, 94A, 101A, 114B, 125A, 126A, B, C, etc.
AVERROES, 58A', 251A', 255C', 280B', 287C', 288A', 320C', 326B'.
AVICENNA, 60D', 103B', 287B', 314D', 318B'.

B

BEDA (S.) Ven., 82A', 123C.
BERENGARIUS, hæreticus, 332B', 333B.
BERNARDUS (S.), 237D, 415B', 479D, 483A.
BOETIUS (B.), 105A', 317A', 434B'.
BONAVENTURA (S.), 31, 42B', 50C, etc.
BONIFACIUS Papa VIII, 491A'.
— episcopus, 144D.
BRACHYLOGUS, 414D'.

C

CARTHAGINENSE concilium, 247B, 300B'.
CASSIANUS, 246C'. *Adde* Collationes.
CATAPHRYGI, hæretici, 161C.
CAUSIS (Liber de), David Judæi, 314B'.
CHRYSOSTOMUS (S. Joannes), 114C, 147B, C, D', 303D, D', 304C', 336C, D, D', 430A', 568A.
CICERO. *Vide* Tullius.
CLEMENS Papa III, 491A'.
— IV, 484B'.
COLLATIONES Patrum, 242D'.
COMMENTATOR. *Vide* Averroes.
CONSTANTIENSE concilium, 480B'.
CONSTANTINUS Magnus, 135D', 137D.
CYPRIANUS (S.), 134D', 154B, A', 167B', 245C', 343D, A'.
CYRILLUS (S.) Alexandrinus, 336A.

[1] Vide infra Indicem generalem.

D

DAMASCENUS (S. Joannes), 55B', 67A, B, 68D, 101D', 102A, 112A', 114D, 127A, 133A, B', 134D, 177C, 179B, 189C', 206D, 291D', 292C', 363A, 421B', 542C', 558A.
DECRETALES, 89D', 142C', 178C', 243A', 247C, 300D, 337D, 403A', B', D', 404C, 405A, 415A, 471B, 480A, B, 484A, C', D', 485A, 487A'.
DECRETUM Gratiani, 109B', 161D, 164B, 189D', 200A, C, 204A', 212D', 213B', 246D, B', 291C', 300D, D', 301C, 343C, D, 348C, 382A', 404B', 407A', 413C, 420A, 480C, 484A', 511C, 533A'.
DIGESTA seu Pandectæ, 403C, 404A', 405D', 413B, D, A'.
DIONYSIUS (S.) Areopagita, 49B, 81C, C', D', 82B', 91B, C, 101C, D, 102A, C, D, 110B, 114D, 127A, 132D, A', 142B', 143D, 144A, 155C, 162C, 165B', 166B, C', 167A, 172D, A', 173A, 176C, 177C, 179B, 184B', 187A', 188B, 191A, 193C', 245C', 301B', 333A', 356A', 481A', 500D', 502A', 507B', 533B, 545A', 591C', 595A, 597A, 601B.
DONATUS, grammaticus, 219D', 220A.
DURANDUS (Campanus), 189B, 413A.
— de S. Portiano, 52A, 60C, 77D, etc.

E

EBIONITÆ, 303B.
ECCLESIASTICA POTESTATE (Tractatus de), Dionysii Cartusiani, 485C.
ELIBERTANA synodus, 340B.

F

FABIANUS (S.), Papa, 339C, 340A.
FRANCISCUS (S.), 485B'.

G

GENNADIUS, 339C, 384D'.
GLOSSA, 31, 64C, 69C, 77B, 92A', 94B, 109B', 131D, 134A', 168D', 238A, 296D', 298C', 301D', 302C, 305A', D', 361A', B', 362B, 372B', 447C, 450A', 457B', C', 551A', 584C, 593B'.
GRÆCI, 105D, 106D', 107A, C, 162D', 226B, B', 246C', 287B', 299B', 302D, A', 303C, A', D', 304D, B', 305B, 474A, C, 567D', 600B.
GREGORIUS (S.) Magnus, 74B', D', 75A, 76D, B', 77B', C', 78C, B', 158B, 167C', 196B', C', 197D, A', C', D', 237D, 239A, 244A, C, D, 245D, 304D, B', 344A', 358C', 363D, 372B, 387C', 422A, 431D, 437A, 459A, 470B', 514D, 528A', 531C, 546B', 548C, D, B', 557D', 567C', 571C, 572B', 595A, 599C, A', 600A.
GREGORIUS Papa III, 144D.
— (S.) Nazianzenus, 304D'.
— (S.) Nyssenus, 544A.
GUILLELMUS Antisiodorensis, 46B', 64B, 71B, A', 92A, 104B', etc.
— Parisiensis episcopus, 44D, 49C', 56D', etc.
GUITMUNDUS, O. S. B., 270B.

H

HEBRÆI, 474B'.
HENRICUS de Gandavo, 61A, 169A, 223D, etc.
— de Hassia, 226A', 414D'.
HESYCHIUS, 235C, 302B.
HIERONYMUS (S.), 33, 72B', C', 73D, 83A, 92D, C', 94A, 147B, 148A, 236D, 244B, 343D, 347C, 364A, 382C, 383D, 419B, 430D, 456A, 498A', 565D'.
HILARIUS (S.), 292D', 301B', 430D.
HUGO de S. Victore, 40B, 41B', D', 42C, 51D, A', 55A, C, 65A, 66A', 69C, 74B', 75A, C, 76A, A', 77C, D, C', 87C, 92D', 100B, 101A, B, 102A', 157B', C', 164D', 168C, 195B, 199B, C', 272B, 305A', C', 306A, B, D, 307A, 314B, 375B, 421B', 466D, 470B', 509A', 544D, 548B, 585B.

I

INNOCENTIUS Papa III, 142C', 178C', 214B', 218C, 247C, 258C, 259A, 262B', 263D, 286D', 299A', B', 303B, 306A, 328C', 334C, A', 335A', 345D, 470B, 484A, 573A'.
— IV, 200B, 554D.
ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, 33, 142B', 158B, 300C, 372A', 457D', 458D', 548D.

J

JOANNES Papa XXII, 491A'.
— (Teutonicus), glossator, 474A, C.
JOSEPHUS, historiographus, 78A.

L

LATINI, 107C, 302D, 304D, B'.
LAURENTIUS (S.), 345C'.

LEGENDA aurea, 137 D.
LEO (S.) Papa I, 303 B.

M

MAGISTER in historiis (P. Comestor), 78 A.
MANICHÆI, 113 A.
MARIA (S.) Ægyptiaca, 340 D'.
MARTIALIS (S.), 337 B'.
MELCHIADES Papá, 186 A, 190 A, 199 C.
MEMORIA (Liber de), inter opera Aristotelis, 349 C'.
MODO JUDICANDI ET CORRIPIENDI (Tractatus de), Dionysii Cartusiani, 531 C.
MOYSES (Rabbi), 69 A, 72 A'.

N

NAZARÆI, 304 B'.
NICODEMI evangelium, 593 B, D.
NICOLAUS Papa I, 144 D.
— II, 332 B'.

O

ORIGENES, 64 C, 456 A.
OSTIENSIS (Henricus de Segusio, cardinalis), 413 D'.

P

PARISIENSES MAGISTRI, 487 A'.
PASCHASIUS (in Dialog. S. Gregor. lib. IV, c. 40), 543 D.
PATRITIUS (S.), 543 D, 547 A', B'.
PAULUS (S.), primus eremita, 340 D'.
PELAGIUS, 392 D.
PETRUS de Tarantasia (B. Innocentius V), 32, 42 A, 49 C, 59 C, 62 D', etc.
— de Palude, O. P., 213 C'.
PHILOSOPHUS. *Vide* Aristoteles.
PLATO, 288 A', 359 B', C'.
Platonici, 359 B'.
PRÆPOSITIVUS, 165 C, 167 D'.

R

RABANUS (Maurus), 166 B', C', 195 B.
RAIMUNDUS (S.) de Pennafort, 413 B', 486 C, D.
REGIMINE PRÆLATORUM (Opusculum de), Dionysii Cartusiani, 531 B.
RICHARDUS de Mediavilla, 59 A', 63 B, 76 D', 87 C, D', 94 C, etc.
— de S. Victore, 219 A', D', 221 C, 227 D.

S

SARRACENI, 287 B'.
SCOTUS (Joann. Duns), 43 A', 60 D, 78 D, etc.
SEBASTIANI (S.) Legenda, 193 D.
SEX PRINCIPIORUM (Liber), Gilberti Porretani, 317 D'.
SISEBUTUS, rex, 137 C.
SOMNO ET VIGILIA (Liber de), Aristotelis, 293 C.
STEPHANUS (S.) Papa I, 154 B.
SUMMA CONFESSORUM (Joannis Lectoris, O. P.), 415 A, 416 B'.
SYLVESTER Papa, 135 D', 137 D.

T

THEMISTIUS, 103 B.
THEODOSIUS imperator, 135 D'.
THOMAS (S.) Aquinas, 30, 40 C, 47 C, etc.
— de Argentina, 33, 43 C', 59 B', etc.
TOLETANUM concilium, 135 C', 137 C, D, 348 C, 349 D.
TRAJANUS imperator, 557 D', 558 A.
TULLIUS (Cicero), 358 D, 434 B', 435 C, 469 D'.

U

UDALRICUS Argentoratensis, 412 C'.
UGUTIO, lexicographus, 414 D'.
URBANUS (B.) Papa II, 484 B, 486 B'.

V

VITA ET REGIMINE PRÆSULUM (Opusculum de), Dionysii Cartusiani, 531 B.
VITA ET REGIMINE CURATORUM (Opusculum de), Dionysii Cartusiani, 415 C', 531 B.
VITASPATRUM (Liber), 134 B, 344 A', 366 B', 467 D, 540 D'.

INDEX DIONYSIANUS

SIVE

ECLOGA LOCORUM NOTABILIORUM

DIONYSII CARTUSIANI

LIBER QUARTUS SENTENTIARUM.

PROOEMIUM 29

DISTINCTIO PRIMA.

Quæstio III . . . . 52 D.
Quæstio IX . . . . 77 C'.

DISTINCTIO SECUNDA.

Quæstio V . . . . 94 B', 95 A'.

DISTINCTIO TERTIA.

Quæstio I. . . . . 103 B, B'.
Quæstio II . . . . 105 D', 109 A'.

DISTINCTIO QUARTA.

Quæstio V . . . . 132 C.
Quæstio VII . . . . 137 C, 138 C.

DISTINCTIO QUINTA.

Quæstio II . . . . 147 A', 150 B.

DISTINCTIO SEXTA.

Quæstio I. . . . . 156 C'.
Quæstio III . 162 A, 163 D', 178 B', 179 B, 181 B.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Quæstio IV . . . . 195 B'.
Quæstio V . . . . 197 C'.

DISTINCTIO OCTAVA.

Quæstio III . . . . 211 A', 212 C.
Quæstio V . . . . 220 C, 222 B'.

DISTINCTIO NONA.

Quæstio II . . . . 235 D', 239 B.
Quæstio VI . . . . 246 D', 247 C'.

DISTINCTIO DECIMA.

Quæstio I. . . . . 255 A'.
Quæstio II . . . . 257 C'.
Quæstio III . . . . 262 B', 263 D.
Quæstio IV . . . 267 B et s., 268 D', 269 A'.

DISTINCTIO UNDECIMA.

Quæstio I. . . . 286 C', 287 A', 288 D, 291 D.
Quæstio II . . . . . 292 D, B', 295 D, D'.
Quæstio III . . . . 301 C.
Quæstio V . . . . 305 A.

DISTINCTIO DUODECIMA.

Quæstio I. . . . . . 317 A, 318 B, 321 B.
Quæstio II . . . . 329 D, 331 D'.
Quæstio V . . . . 340 D.

DISTINCTIO QUARTADECIMA.

Quæstio I. . . . . 359 A'.
Quæstio II . . . . 362 C', 364 D'.
Quæstio III . . . . 367 B.

DISTINCTIO QUINTADECIMA.

Quæstio I. . . . . 385 C', 386 C.
Quæstio III . . . . 396 C.
Quæstio IV . 401 B, 408 A, B', 410 B, 414 A' et s., 416 B'.
Quæstio V . . . . 417 A' et s.
Quæstio VI . . . . 421 C.

DISTINCTIO SEXTADECIMA.

Quæstio I. 427 B', D', 428 C, 430 D, 431 D, 432 C'.

DISTINCTIO SEPTIMADECIMA.

Quæstio III . . . . 455 B' et s.
Quæstio IV . . . . . 458 D, 460 A', 467 B.
Quæstio V . . . . 472 B, 476 B.
Quæstio VII . . . . . . 484 D', 485 C, D'.
Quæstio VIII . . . . 490 D.

DISTINCTIO OCTAVADECIMA.

Quæstio III . . . . . 507 D', 509 B, 510 D.
Quæstio IV . . . . 511 A'.

DISTINCTIO NONADECIMA.

Quæstio unica . . . . 531 B, B', D'.

DISTINCTIO VICESIMA.

Quæstio I. . . . . 539 D.
Quæstio II . . . . 545 A', 547 B'.
Quæstio IV . . . . 557 D', 559 A.

DISTINCTIO VICESIMA SECUNDA.

Quæstio I. . . . . 582 C'.

DISTINCTIO VICESIMA TERTIA.

Quæstio I. . . . . 594 D'.
Quæstio III . . . . 602 A'.

INDEX GENERALIS

LIBER IV SENTENTIARUM

Epistola nuncupatoria 1

Distinctionum descriptio 5

Compendiosum memoriale. 6

Epitomæ. 7

Tituli ab ipso Magistro primum ordinati 23

Proœmium 29

Distinctio prima 35

Summa 39

Quæstio I. Quid sit sacramentum, et de variis definitionibus seu descriptionibus ejus 39

Bonaventura, 42 B'; Guillelmus Parisiensis, 44 D; Petrus, 42 A; Scotus, 43 A'; Thomas, 40 C; Thomas de Argentina, 43 C'.

Quæstio II. Utrum in qualibet lege, hoc est in lege naturali, in lege scripta, et in lege evangelica, humanum genus indiguit sacramentis. 46

Albertus, 46 D'; Antisiodorensis, 46 B'; Bonaventura, 50 C; Guillelmus Parisiensis, 49 C'; Petrus, 49 C; Thomas, 47 C.

Quæstio III. An sacramenta consistant in verbis et rebus 50

Bonaventura, 52 B'; Durandus, 52 A; Thomas, 51 A, B'.

Quæstio IV. An sacramenta evangelicæ legis differunt a sacramentis veteris Testamenti, per hoc quod sacramenta evangelicæ legis continent et causant gratiam, illa vero solum significabant. 52

Bonaventura, 53 B; Durandus, 60 C; Henricus, 61 A; Petrus, 59 C; Richardus, 59 A'; Scotus, 60 D; Thomas, 57 B; Thomas de Argentina, 59 B'.

Quæstio V. An gratia sacramentorum, quæ in eorum susceptione confertur, differt realiter a gratia virtutum atque donorum, a qua virtutes et dona emanare dicuntur 61

Albertus, 61 B'; Bonaventura, 63 D; Petrus, 62 D'; Richardus, 63 B; Thomas, 61 D'.

Quæstio VI. An sacramenta veteris Testamenti fuerunt gratiæ contentiva; et utrum eorum observatio fuit meritoria, atque a carnis immunditiis purgativa . 63

Antisiodorensis, 64 B; Petrus, 66 D; Thomas, 64 C'.

Quæstio VII. An circumcisio fuit sacramentum in remedium contra originale peccatum; et cur primo data est Abrahæ, ac pro maribus tantum. 66

Albertus, 67 A; Antisiodorensis, 71 B; Petrus, 70 C'; Thomas, 68 B.

Quæstio VIII. An legalia cessare debuerunt Evangelio divulgato 71

Antisiodorensis, 71 A'; Thomas, 72 A.

Quæstio IX. An in lege naturæ proles fide parentum salvabatur 73

Bonaventura, 74 A; Durandus, 77 D; Petrus, 76 A'; Richardus, 76 D'; Scotus, 78 D; Thomas, 76 B.

Distinctio secunda. 79

Summa 80

Quæstio I. An tantum sint septem sacramenta Ecclesiæ, et utrum omnia illa ordinentur et instituta ac data sint contra defectum culpabilem 81

Albertus, 84 B'; Bonaventura, 84 D'; Thomas, 81 D.

Quæstio II. An sacramenta evangelicæ legis sint immediate instituta a Christo, tempore magis apto 85

Albertus, 85 A' ; Petrus, 87 A ; Richardus, 87 C ; Thomas, 86 B ; Thomas de Argentina, 87 D.

Quæstio III. An virtus sacramentorum sit immediate a Christi passione 87

Bonaventura, 90 A ; Richardus, 87 D' ; Scotus, 88 B ; Thomas, 87 B'.

Quæstio IV. De coordinatione sacramentorum quantum ad prioritatem et dignitatem 90

Bonaventura, 90 A' ; Thomas, 90 C'.

Quæstio V. An baptismus Joannis fuit sacramentum sufficiens ad salutem . . 94

Antisiodorensis, 92 A ; Richardus, 94 C ; Scotus, 95 A ; Thomas, 92 D'.

Distinctio tertia 95

Summa 99

Quæstio I. An definitio Baptismi tradita a Magistro, sit apta 100

Albertus, 102 C' ; Antisiodorensis, 104 B' ; Bonaventura, 103 C ; Guillelmus Parisiensis, 103 D' ; Richardus, 102 C' ; Scotus, 103 A' ; Thomas, 100 B.

Quæstio II. Utrum ista sit tota et invariabilis forma Baptismi : Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. 105

Albertus, 109 A' ; Antisiodorensis, 105 A', 106 A ; Thomas, 106 D.

Quæstio III. An sola aqua simplex sit materia sacramenti Baptismatis, et cur hoc. 109

Albertus, 112 C' ; Bonaventura, 110 B ; Guillelmus Parisiensis, 113 D ; Richardus, 112 C ; Scotus, 113 B ; Thomas, 111 A, 113 A.

Quæstio IV. An immersio in aquam sit de necessitate Baptismi, et quota requiratur 113

Albertus, 114 B ; Guillelmus Parisiensis, 116 A' ; Richardus, 115 C ; Thomas, 114 D'.

Distinctio quarta 116

Summa 122

Quæstio I. Utrum non ponentes obicem, recipiant in Baptismo sacramentum et rem sacramenti. 122

Bonaventura, 122 B' ; Durandus, 125 B ; Petrus, 124 D' ; Scotus, 125 A' ; Thomas, 124 B ; Thomas de Argentina, 125 C.

Quæstio II. De ceteris Baptismi effectibus. 125

Antisiodorensis, 126 A ; Thomas, 126 A'.

Quæstio III. An fictio impediat Baptismi effectum, et rem seu gratiæ infusionem, ita quod fictione abjecta infunditur gratia 127

Albertus, 127 D' ; Bonaventura, 129 D ; Scotus, 129 B' ; Thomas, 128 B' ; Thomas de Argentina, 129 B'.

Quæstio IV. An Baptismus, in universis qui baptizantur, æqualem causet effectum seu gratiam æque magnam . . 130

Petrus, 131 A' ; Richardus, 131 D' ; Thomas, 130 C'.

Quæstio V. Utrum carentibus usu rationis Baptismus sit exhibendus, utpote infantulis, furiosis, phreneticis, stultis. . . 132

Albertus, 132 C ; Bonaventura, 132 C ; Thomas, 132 C.

Quæstio VI. Utrum sine Baptismo, tempore Evangelii divulgati, nemo queat salvari ; et de multiplici genere Baptismi, ac comparatione eorum ad invicem. . 132

Albertus, 133 A ; Bonaventura, 135 C ; Thomas, 133 C.

Quæstio VII. An Judæorum ac aliorum infidelium filii ac filiæ baptizandi sint invitis parentibus 135

Durandus, 136 A' ; Richardus, 136 C ; Scotus, 137 A ; Thomas, 135 C'.

Distinctio quinta 138

Summa 141

Quæstio I. Utrum hæretici et schismatici ac pagani, aliique quicumque possint vere baptizare 141

Antisiodorensis, 141 A' ; Bonaventura, 144 A' ; Scotus, 144 C' ; Thomas, 142 B.

Quæstio II. Qualem potestatem intus mundandi a peccato habuit Christus ut homo, et qualem potestatem dedit ministris cooperandi ad purgationem interiorem. 145

Albertus, 149 D' ; Bonaventura, 145 B' ; Thomas, 147 C'.

Distinctio sexta 150

Summa 154

Quæstio I. An parvuli in uteris matrum sint capaces Baptismi 155

Bonaventura, 156 D' ; Richardus, 156 A ; Scotus, 156 B ; Thomas, 155 C ; Thomas de Argentina, 156 A.

Quæstio II. Utrum ad Baptismum requirantur fides et devotio, recta quoque intentio, tam ex parte baptizantis quam baptizati 157

Bonaventura, 157 B'; Scotus, 159 D'; Thomas, 158 B'.

Quæstio III. An Baptismus queat reiterari; et de pœna iterantium illum 160

Albertus, 163 B', 164 D, 176 C'; Antisiodorensis, 160 B', 165 A; Bonaventura, 164 D', 177 A; Guillelmus Parisiensis, 160 D', 170 A; Henricus, 169 A; Petrus, 175 C'; Richardus, 161 D, 163 A', 168 C, D', 176 C; Scotus, 161 B', 163 C', 179 A; Thomas, 161 B, 162 B', 164 A, A', 166 B, 171 D; Thomas de Argentina, 178 C', 180 A.

Distinctio septima 181

Summa 182

Quæstio I. Utrum Confirmatio sit sacramentum, et ab omnibus suscipiendum, ac ipso Baptismo sublimius. 183

Antisiodorensis, 183 C; Guillelmus Parisiensis, 183 B'; Richardus, 186 B; Scotus, 186 D; Thomas, 184 A'.

Quæstio II. Utrum chrisma sanctificatum sit Confirmationis materia 186

Durandus, 189 D'; Scotus, 189 A'; Thomas, 187 A; Thomas de Argentina, 189 C'.

Quæstio III. Utrum forma sacramenti Confirmationis convenienter in textu ponatur, videlicet: Consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti . . 190

Albertus, 191 C'; Antisiodorensis, 192 A; Bonaventura, 190 C; Richardus, 191 B'; Thomas, 190 C'.

Quæstio IV. De effectu Confirmationis, an scilicet characterem imprimat, et gratiam largiatur 192

Albertus, 192 A'; Bonaventura, 195 B; Petrus, 194 A'; Thomas, 193 C; Thomas de Argentina, 194 B'.

Quæstio V. De ministris Confirmationis, an a solis detur episcopis 195

Albertus, 197 D; Antisiodorensis, 196 A; Bonaventura, 197 D', 199 D; Guillelmus Parisiensis, 200 A'; Scotus, 200 A; Thomas, 196 C, 198 D, 199 A'.

Distinctio octava 201

Summa 204

Quæstio I. Utrum Eucharistia sit sacramentum verum ac unum, et an variis nominibus recte designetur. 204

Bonaventura, 206 C'; Guillelmus Parisiensis, 207 A'; Petrus, 206 D; Richardus, 206 B'; Scotus, 207 C; Thomas, 204 D'.

Quæstio II. Utrum sacramentum Eucharistiæ fuit in lege naturali ac scripta præfiguratum 207

Albertus, 208 B; Bonaventura, 209 C'; Thomas, 208 B'.

Quæstio III. Utrum hoc sacramentum fuit convenienter opportunoque tempore institutum 210

Antisiodorensis, 211 B'; Bonaventura, 210 C; Thomas, 210 D'.

Quæstio IV. An quælibet sumptio alimentorum, medicinarum et confectionum, impediat tanti sacramenti celebrationem et communionem 212

Durandus, 213 C'; Scotus, 213 D'; Thomas, 212 B'; Thomas de Argentina, 213 D'.

Quæstio V. An forma consecrationis corporis Christi vere ponatur hæc esse: Hoc est enim corpus meum 214

Bonaventura, 220 D; Durandus, 222 D'; Petrus, 219 D; Richardus, 219 C', 221 D; Scotus, 221 A'; Thomas, 214 D; Thomas de Argentina, 221 B.

Quæstio VI. Utrum forma consecrationis sanguinis integre exprimatur per hæc verba: Hic est calix sanguinis mei. . 223

Albertus, 226 D; Bonaventura, 227 C'; Henricus, 223 D; Petrus, 225 D'; Richardus, 226 B; Scotus, 226 B'; Thomas, 224 A'.

Distinctio nona 228

Summa 229

Quæstio I. An Christus in Sacramento vere, realiter, accipiatur ac manducetur, et quot sint modi manducandi Christum seu communicandi 230

Bonaventura, 235 A; Guillelmus Parisiensis, 230 A'; Petrus, 234 A'; Richardus, 234 C'; Thomas, 231 D'.

Quæstiones II, III, IV. An peccet mortaliter, qui conscius sibi de peccato mortali accipit corpus Christi. Utrum peccator peccet corpus Christi videndo. An peccet mortaliter, qui corpus Christi accipit sperans se non esse in mortali peccato, quum tamen sit in eo. 235

Antisiodorensis, 235 C', 236 A; Bonaventura, 239 D'; Petrus, 239 A'; Thomas, 236 B', 239 C.

Quæstio V. An nocturna pollutio quæ est in somnis, sit peccatum a celebratione et communione impediens; et utrum propter immunditiam tantummodo corporalem sit a perceptione Eucharistiæ abstinendum. 240

Albertus, 244 D; Petrus, 244 D'; Thomas, 240 A'.

Quæstio VI. An sacramentum hoc dandum sit his qui noscuntur esse indigni, ut suspectis de crimine, amentibus quoque et pueris 245

Bonaventura, 245 C'; Thomas, 245 D'; Thomas de Argentina, 247 B, A'.

Distinctio decima 247

Summa 250

Quæstio I. Utrum in hostia et Sacramento altaris, sub speciebus panis corpus Dei incarnati, et sub speciebus vini sanguis ipsius, realiter contineantur, et qualiter ibi sint. 251

Ægidius, 255 B'; Bonaventura, 254 C'; Durandus, 254 D'; Guillelmus Parisiensis, 251 B'; Petrus, 254 D; Richardus, 254 B'; Scotus, 255 D; Thomas, 252 C'.

Quæstio II. An corpus Christi sit in sacramento circumscriptive aut definitive; et si non, qualiter sit ibidem. . . . 256

Ægidius, 256 A'; Petrus, 258 B'; Thomas, 258 A.

Quæstio III. Utrum corpus Christi sit totum in qualibet particula hostiæ; an ad motum hostiæ seu pyxidis moveatur. 259

Ægidius, 261 A'; Antisiodorensis, 259 B'; Durandus, 262 A'; Scotus, 262 C'; Thomas, 260 B.

Quæstio IV. De visibilitate corporis Christi in Sacramento altaris : an oculus glorificatus posset illud videre in sacramento, item an angelus, itemque an Christus se ipsum videat in altari; et utrum modus exsistentiæ Christi in altari transcendat comprehensionem omnis mentis creatæ. 264

Ægidius, 268 C; Bonaventura, 266 D; Durandus, 266 B'; Henricus, 268 B', 269 B; Richardus, 266 C; Scotus, 266 C', 267 D, A', D', 268 A, B; Thomas, 264 C', 269 C'.

Quæstio V. An corpus Christi in sacramento tangatur a specie sacramentali sub qua est, vel tangi possit 270

Henricus, 270 D'; Richardus, 271 D.

Quæstio VI. Utrum sacerdos vi sacerdotali et per virtutem verborum sacramentalium, possit quantumcumque magnam convertere materiam panis ac vini in corpus et sanguinem Christi . . 271

Bonaventura, 271 D'; Thomas, 272 D.

Distinctio undecima 273

Summa 277

Quæstio I. Utrum panis substantialiter ac instantanee et miraculose convertatur et transsubstantietur in corpus Christi, et vinum in sanguinem; ita quod nec annihiletur substantia panis et vini, nec sub corpore ac sanguine maneat, nec in aliud resolvatur. 277

Ægidius, 288 D'; Albertus, 278 C; Bonaventura. 285 C'; Henricus, 286 D, 287 C; Petrus, 285 A'; Richardus, 285 B'; Scotus, 287 C'; Thomas, 279 C'; Thomas de Argentina, 286 C.

Quæstio II. Per quæ verba ac nomina aptius exprimatur hæc supernaturalis conversio; an scilicet istæ sint veræ : Panis fit corpus Christi; Vinum fit sanguis Christi; Panis potest esse seu fieri corpus Christi; De pane factum est corpus Christi; Quod fuit panis, est corpus Christi. 291

Antisiodorensis, 291 D'; Bonaventura, 294 A'; Guillelmus Parisiensis, 295 A, A'; Thomas, 292 A, B', D'.

Quæstio III. An in solo pane triticeo conficiatur corpus Christi, et sanguis ejus in vino vitis dumtaxat 296

Bonaventura, 300 B'; Durandus, 300 C'; Scotus, 300 D'; Thomas, 296 C; Thomas de Argentina, 300 A.

Quæstio IV. An Christus in Cœna corpus suum sub sacramento accepit ac manducavit, ac sanguinem suum sub speciebus vini consecrati potavit. . . . 301

Thomas, 301 A'.

Quæstio V. An conficiendum sit in fermentato vel azymo 302

Albertus, 305 B; Antisiodorensis, 302 D; Richardus, 304 D'; Thomas, 303 B.

Quæstio VI. Quale corpus dedit Christus discipulis in Cœna sub sacramento. . 305

Albertus, 305 C'; Antisiodorensis, 307 A; Bonaventura, 306 C'; Thomas, 306 D.

Quæstio VII. Utrum per omnipotentiam Dei, potuit anima Christi separata a corpore in cruce pendente ac sepulto, manere unita corpori ejus sub sacramento. An corpus Christi sub specie sacramentali consistens, in casu simili, passum, crucifixum ac mortuum fuisset ibidem. Si aliquis Apostolorum consecrasset in triduo, an in corpore consecrato fuisset anima Christi 307

Albertus, 309 A; Henricus, 307 B'; Thomas, 308 D.

Distinctio duodecima 309

Summa 313

Quæstio I. An in isto sacramento accidentia per se exsistant, hoc est sine subjecto. 313

Ægidius, 318 C, 321 A; Albertus, 313 C'; Antisiodorensis, 319 D; Petrus, 315 D'; Richardus, 316 A; Scotus, 317 B; Thomas, 314 B'; Thomas de Argentina, 317 C', 319 A'.

Quæstio II. An accidentia in Sacramento remanentia, possint facta consecratione agere et pati quæ ante consecrationem, utpote, sensum aut aliud extrinsecum immutare, ad generationem disponere, nutrire, et an aliquid possit ex eis generari 321

Ægidius, 321 C'; Albertus, 328 C; Bonaventura, 328 A'; Guillelmus Parisiensis, 329 D'; Henricus, 330 D; Scotus, 331 A'; Thomas, 324 B'; Thomas de Argentina, 330 B.

Quæstio III. An corpus Christi frangatur in sacramento 332

Albertus, 333 A; Bonaventura, 332 A'; Thomas, 333 B.

Quæstio IV. De effectibus hujus sacramenti. 333

Bonaventura, 337 B; Guillelmus Parisiensis, 337 D; Thomas, 333 C'.

Quæstio V. An expediat homini frequenter celebrare et communicare. . . . 338

Albertus, 339 B'; Bonaventura, 340 C; Thomas, 338 A'.

Distinctio tertiadecima 341

Summa 343

Quæstio I. Utrum omnis sacerdos vere ordinatus seu rite consecratus in sacerdotem, quantumcumque iniquus, excommunicatus, schismaticus, interdictus, suspensus sive hæreticus, vere conficiat, dum intendit conficere, et debita forma atque materia utitur 343

Bonaventura, 343 D, 345 D; Richardus, 345 A', B'; Thomas, 343 D', 345 B'.

Quæstio II. Quid sit proprie hæresis, et quid faciat hæreticum 345

Albertus, 346 A; Antisiodorensis, 347 D; Bonaventura, 346 A; Thomas, 346 C, B', D', 347 A'.

Distinctio quartadecima. 350

Summa 355

Quæstio I. Utrum pœnitentia sit sacramentum. 355

Albertus, 359 D'; Antisiodorensis, 355 A'; Bonaventura, 359 D'; Richardus, 359 B; Scotus, 360 B; Thomas, 356 A.

Quæstio II. De origine, ordine et subjecto pœnitentiæ, hoc est : an timore concipiatur; et utrum sit prima virtus; atque in qua potentia subjective locetur, imo et in quibus personis consistat, an scilicet in solis viatoribus, et utrum in omnibus illis 360

Albertus, 364 B'; Bonaventura, 360 C'; Guillelmus Parisiensis, 365 B; Richardus, 364 D; Thomas, 362 D'.

Quæstio III. In quibus naturis et personis locum habuerit aut habeat pœnitentia ista seu pœnitentiæ virtus 366

Richardus, 367 D; Thomas, 366 B; Thomas de Argentina, 366 C'.

Quæstio IV. Utrum pœnitentia debeat usque in finem vitæ continuari, an gaudio interrumpi, et an valeat iterari . . 367

Albertus, 368 C; Bonaventura, 369 A'; Richardus, 369 D'; Thomas, 368 C'.

Quæstio V. An debeat esse aliqua solennis pœnitentia, et de ritu illius, atque an possit reiterari 370

Thomas, 370 D.

Quæstio VI. De effectibus pœnitentiæ . . 371

Antisiodorensis, 371 B'; Bonaventura, 372 B; Thomas, 373 D.

Distinctio quintadecima 376

Summa 382

Quæstio I. Quid sit satisfactio, et an homo valeat pro suis peccatis satisfacere Deo. 382

Antisiodorensis, 383 C; Bonaventura, 386 B; Richardus, 385 D'; Scotus, 386 D; Thomas, 384 B.

Quæstio II. An homo queat satisfacere pro uno peccato sine alio; et utrum pœnitentia seu satisfactio in mortali peccato facta, sit valens aut potius iteranda, vel saltem alicujus temporalis boni aut commodi meritoria, vel infernalium suppliciorum mitigativa. 386

Albertus, 389 C'; Bonaventura, 387 C; Richardus, 391 A', 392 D; Scotus, 391 B'; Thomas, 389 D'; Thomas de Argentina, 392 B.

Quæstio III. An satisfactionem oporteat fieri per opera pœnalia; et utrum cuncta pœnalia et adversa quæ servis Dei contingunt, sint satisfactoria eis, si æquanimiter tolerentur; ac quæ et quot sint satisfactoria opera 392

Albertus, 393 A; Antisiodorensis, 395 C'; Bonaventura, 394 C'; Richardus, 394 A'; Scotus, 395 D'; Thomas, 393 D.

Quæstio IV. An restitutio sit pars satisfactionis, et necessaria ad salutem . . . 396

Albertus, 406 A'; Antisiodorensis, 411 D; Bonaventura, 410 C'; Durandus (Campanus), 413 A; Henricus, 415 C', 416 C'; Petrus, 401 A; Richardus, 401 C; Scotus, 408 B, 409 B, 410 A'; Thomas, 396 C'; Thomas de Argentina, 406 D'; Udalricus, 412 C'.

Quæstio V. Quid sit eleemosyna, et cujus virtutis sit actus; qualiter quoque sit pars satisfactionis, quum multi quibus illicitum est dare eleemosynas, satisfaciant Deo sicut eleemosynarum datores; et de speciebus ac divisionibus eleemosynæ. 417

Quæstio VI. An jejunium pars satisfactionis exsistat 418

Bonaventura, 418 D', 422 A; Richardus, 419 C; Thomas, 420 A'.

Distinctio sextadecima 422

Summa 425

Quæstio I. Utrum hæc tria, contritio, confessio, satisfactio, sint partes pœnitentiæ. 425

Albertus, 426 B; Bonaventura, 428 D'; Durandus, 430 A'; Petrus, 428 A'; Richardus, 429 D'; Scotus, 430 B; Thomas, 426 D', 427 C', 428 A, D, 430 C', 431 A', D', 432 B, D'.

Quæstio II. An de peccatis præcedentibus Baptismum oporteat ante susceptionem Baptismatis pœnitere ac confiteri. . . 433

Bonaventura, 433 C, 437 C; Durandus, 438 B; Richardus, 433 C', 437 D; Thomas, 434 D; Thomas de Argentina, 434 A, 437 C'.

Quæstio III. Utrum hypocrisis, ludus, mercatio, militia et consimilia quædam, pœnitentiam veram impediant. 438

Thomas, 438 C'; Thomas de Argentina, 440 A.

Distinctio septimadecima 440

Summa 447

Quæstio I. Quid sit justificatio, et de his quæ requiruntur ad ipsam 447

Bonaventura, 450 B; Petrus, 449 A'; Richardus, 449 D'; Thomas, 447 C.

Quæstio II. Quid prius sit, deletio seu remissio culpæ, aut infusio gratiæ . . . 450

Albertus, 453 C; Bonaventura, 451 A; Guillelmus Parisiensis, 450 C'; Thomas, 452 A.

Quæstio III. De proprietatibus justificationis impii, an sit miraculosa, imo et mirabilior totius mundi creatione; et an instantanea, ita quod in ea simul tempore, vel potius in eodem instanti sint infusio gratiæ atque remissio culpæ. . 453

Albertus, 454 A; Petrus, 455 D; Thomas, 454 C.

Quæstio IV. De contritione, quid sit, et quomodo differat ab attritione et compunctione; et utrum de omni peccato necesse sit conteri; et de proprietatibus veræ contritionis, an scilicet sit maximus dolor; et de assiduitate, frequentia ac continuitate ipsius; an etiam conscius sibi de mortali peccato, teneatur mox conteri 456

Albertus, 457 D, 462 B; Antisiodorensis, 456 D', 467 B', 468 A; Bonaventura, 463 B, 469 A; Durandus, 466 D'; Petrus, 461 D; Richardus, 461 D'; Thomas, 458 A', 460 D', 464 B', 466 B, 468 C.

Quæstio V. An confessio sit de jure divino vel positivo, et necessaria ad salutem . 469

Albertus, 473 C'; Bonaventura, 471 D', 472 D; Guillelmus Parisiensis, 474 B'; Henricus, 474 D; Petrus, 471 A'; Richardus, 471 C'; Scotus, 474 B; Thomas, 469 A', 470 B'; Thomas de Argentina, 473 D'.

Quæstio VI. Quid sit confessio, et cujus virtutis sit actus 476

Thomas, 476 D.

Quæstio VII. Cui sit confitendum . . . 477

Albertus, 480 B'; Bonaventura, 482 D'; Durandus, 484 D; Henricus, 485 D, 486 C; Petrus, 479 B; Richardus, 479 B'; Scotus, 484 B', 485 B; Thomas, 477 B.

Quæstio VIII. An teneamur ex caritate confiteri; et utrum is qui non confitetur ex contritione, impleat præceptum Ecclesiæ de confitendo semel in anno. 487

Antisiodorensis, 488 A; Bonaventura, 490 C'; Richardus, 490 B'; Thomas, 488 D; Thomas de Argentina, 490 D'.

DISTINCTIO OCTAVADECIMA. 491

Summa 496

Quæstio I. Utrum in Ecclesia sint claves spirituales ad aperiendum pœnitentibus regnum cœlorum, et an sint duæ ab invicem realiter differentes 496

Antisiodorensis, 501 C'; Bonaventura, 500 B'; Guillelmus Parisiensis, 497 C; Petrus, 500 A; Richardus, 500 A'; Thomas, 497 D'.

Quæstio II. Quid sit macula in anima, an scilicet sit ipsa culpa, et si non, an dimisso peccato remaneat; et utrum peccatum possit remitti quantum ad maculam, non tamen quantum ad pœnam. 502

Bonaventura, 502 B'; Guillelmus Parisiensis, 504 B'; Petrus, 503 C'; Richardus, 504 D; Thomas, 503 A.

Quæstio III. An potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ ac pœnæ etiam sempiternæ; et utrum sacerdos potestate clavium uti possit ad placitum. 504

Albertus, 505 A; Bonaventura, 508 D', 509 D; Richardus, 508 D; Scotus, 510 B, B'; Thomas, 505 B'.

Quæstio IV. An Ecclesia possit ac debeat quemquam excommunicare 510

Albertus, 518 C'; Antisiodorensis, 511 B; Bonaventura, 518 A; Durandus, 519 B; Guillelmus Parisiensis, 511 C', 512 D; Petrus, 517 C; Richardus, 517 B'; Thomas, 512 A'; Thomas de Argentina, 519 B'.

DISTINCTIO NONADECIMA 519

Summa 523

Quæstio unica. Quibus conveniat habere ecclesiasticas claves, videlicet, an soli sacerdotes evangelicæ legis habeant eas. 523

Albertus, 528 C; Bonaventura, 527 D; Henricus, 531 C, C', 532 B, 533 B'; Petrus, 526 D'; Richardus, 533 A'; Thomas, 523 C', 528 C', 532 C'.

DISTINCTIO VICESIMA. 533

Summa 538

Quæstio I. Utrum pœnitentia sero facta, sit efficax 538

Petrus, 541 B; Richardus, 541 D; Scotus, 541 D'; Thomas, 538 B', 539 B'.

Quæstio II. Utrum purgatorii pœna sit. . 542

Albertus, 542 D', 546 B; Antisiodorensis, 548 C'; Bonaventura, 546 C, 547 D'; Petrus, 545 B', 548 D'; Richardus, 545 D'; Thomas, 543 C'.

Quæstio III. De indulgentiis, quid sint, et unde fiant, et per quos fieri debeant, et quibus prosint 549

Guillelmus Parisiensis, 549 D; Thomas, 551 D.

Quæstio IV. Quis possit indulgentias facere. 554

Albertus, 557 B'; Antisiodorensis, 558 B'; Bonaventura, 558 A; Henricus, 559 B; Petrus, 556 C, D'; Richardus, 557 B; Thomas, 554 B'.

DISTINCTIO VICESIMA PRIMA 561

Summa 564

Quæstio I. An post vitam hanc aliqua dimittantur peccata 564

Albertus, 567 C'; Bonaventura, 565 A; Durandus, 569 A; Richardus, 568 B'; Scotus, 568 A; Thomas, 566 A.

Quæstio II. An generalis confessio deleat non solum venialia, sed mortalia quoque oblita. 569

Albertus, 569 A'; Bonaventura, 571 C'; Petrus, 571 B'; Thomas, 570 D.

Quæstio III. Utrum in omni eventu et casu Christus jussit confessionem celare. 572

Antisiodorensis, 575 B'; Bonaventura, 572 A'; Henricus, 575 C'; Richardus, 575 B; Thomas, 574 B'.

DISTINCTIO VICESIMA SECUNDA 576

Summa 578

Quæstio I. Utrum peccata semel dimissa redeant. 578

Albertus, 578 C; Antisiodorensis, 579 D; Guillelmus Parisiensis, 581 D'; Thomas, 579 B'.

Quæstio II. Quid in hoc Pœnitentiæ sacramento sit sacramentum tantum, quid res et sacramentum, et quid res tantum. 583

Bonaventura, 585 B'; Guillelmus Parisiensis, 588 B; Henricus, 585 D'; Petrus, 585 C; Richardus, 585 B'; Thomas, 583 B, 587 B'.

DISTINCTIO VICESIMA TERTIA 588

Summa 590

Quæstio I. Utrum Extrema Unctio sit sacramentum evangelicæ legis, institutum a Christo 590

Albertus, 593 A; Antisiodorensis, 590 B'; Bonaventura, 593 D; Durandus, 595 B; Guillelmus Parisiensis, 591 C; Petrus, 592 C'; Richardus, 592 D'; Scotus, 595 C'; Thomas, 591 A'; Thomas de Argentina, 595 A'.

Quæstio II. De materia et forma sacramenti istius, et de effectibus ejus. . . 596

Petrus, 599 B; Richardus, 600 A; Thomas, 596 B.

Quæstio III. De ministris hujus sacramenti : quorum sit illud porrigere, et quorum sit illud recipere. 600


Albertus, 600 A', 602 B; Thomas, 601 A.

Index S. Scripturæ 605

Index Auctorum 611

Index Dionysianus 615

EMENDANDA. Pag. 143 D, lin. 12 : Epist. VII, *lege* Epist. VIII ; — 302 A, lin. 5 : paropsiden,... paropsidem.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

44a
1-64